6
17-a
34

6
14/E
27

6-17. a. 34

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

18
e
6

~~17-a-18~~

PAPINII SVRCVLI STATII
OPERA QVÆ EXTANT.
PLACIDI LACTANTII
IN THEBAIDA ET ACHILLEIDA COMMENTARIVS.

Ex Bibliotheca FR. PITHOEI. I. C.

Collatis MSS, veteribúſque exemplaribus, recenſuit; partim nunc primum edidit,

FR. TILIOBROGA.

Adiectis variarum Lectionum obſeruationibus, indicéque vberrimo.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Ex Officina PLANTINIANA.
Apud HADRIANVM PERIER, via Iacobæa.
M. D. CI.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISS.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, D. IOHANNI.

Comiti Palatino Rheni, Duci Bauariæ: Comiti Veldentiæ, & Spanhemij,

FR. TILIOBROGA. S.

SÆCVLI noſtri felicitas eſt, PRINCEPS Illuſtriſſime, vt ad Principem ſine metu loquendi ſit facultas libera. Quapropter qui alias inter ignotos latuiſſem, nunc propalam virtutum tuarum ſine adulatione admiratorem, adoratorémque me profiteor. Eiecta eſt enim impotentia illa, atque ſuperbia, quæ olim dominabatur, cum tacere crimen erat, ex animi ſententia loqui periculum. Eam ſibi adſumſerant prauis artibus exculti rerum domini, qui nil vera ratione, ſed omne ad

animi libidinem facientes, bonos opprimere, malos ad ſumma promouere, eoſdémque citius, quam ad iſta eſcenderant, viciſſim detrudere. At nos beatiores tales Principes nacti ſumus, qui nil ſibi amplius licere putant, quam priuatis; qui bonis publicis gaudent, malis illachrymant. Tantū poteſt Virtutis recta inſtitutio: qua equidem Illuſtr. Princeps ita excellis, vt qui te ſuperet neminem, quos Tu, plurimos monſtrare poſſimus. Eat nunc, & ſuos laudibus extollat Roma Octauium, Adrianum, Antoninos Imppp. Tu vnus Princeps, omnes ſuperare videris. Quis enim te maiori felicitate aut æquitate ſubditos gubernat? quis doctius loquitur, ſtudioſius philoſophatur? & quod primore loco dicendum, quis fidelius pietatem colit? Rarus diuerſarum laudum in vno concentus atque concordia! Enituit aliquis felicitate, ſed euiluit propter mollitiem. Amorem illi humanitas, ſed contemtū ſordes pepererunt atque ignauia. At de te, Princeps Illuſtriſſime, Romani Coſ. iſta vox meritiſſimo dicetur: *Nihil æquitati grauitatem, nihil dignitati humanitatem detrahere.* Idcirco cum tantis te virtutibus ornatum videam, nemini melio-

ri cauſa Papinij Statij opera, per me curatè recenſita, obferri poſſe putaui, præter te. Atque quo magis id vellem, adhortabatur me V. Clariſſ. Franc. Pithœus I.C. cuius viri authoritas, & de tuis virtutibus iudicium, tanti apud me fuit, vt vel ſolum ſufficere viſum. Meretur ſane Papinius bono iure, vt à magno Principe ſuſcipiatur, quippe qui res Principi notandas tractat: & qui ipſus olim Imp. ſuo meliorem horum partem dedicauit. doctiſſimus poëta, dignúſque reuera, cui cenſores remuneratoréſque virtutum imaginem & ſtatuam, MERITORVM PERENNE MONVMENTVM conſtituant. Tu certè Illuſtriſſime Princeps, hilari eum vultu, quod ſpero & opto, excipies, & in æde tua, hoc eſt, Muſarum atque Apollinis bibliotheca collocabis. Ita valeas & viuas incolumis, votis noſtris atque tuis feliciter. Lutetiæ. A. CPI. CIↃ. IↃ. C.

LECTORI. S.

MEO SIC ſemper viſum eſt animo, atque ita autumo, Lector, bene de litteris mereri, qui vt tandem aliquando nitidius hic autor, & magis minoribus turpatus vitiis prodeat, labori non parcunt ſuo. Id quamuis retro annis aliquot tentatum ab aliis, nihilo-minus & ego in parte frugem & fortunam eius periclitari non deſtiti. Et initio Siluas cum duabus veteribus editionibus comparaui, quoniam MS. hic deſtituebar: Thebaida cum tribus MSS. totidémque impreſſis, ſimiliter & Achilleida; ſuppeditatis mihi ab amicis meis Vv. Cll. P. Petauio, P. Daniele, & Lectiſſimis Cl. Puteani filiis. Et iam ante in Germania Achilleida correxeram ad exemplar vetuſtiſſimum. Puteanum tamen bonitate & antiquitate reliqua excellere viſum, quod coniicio ex IVLIANI *adſcripto nomine. ſic enim in fine* IIII. *libri:* CODEX IVLIANI V. C. FINIT LIBER IV. STATII POETÆ. *At quis iſte Iulianus fuerit non diſputo; antiquum eſſe, ex Clariſſimatus titulo coniicio. Hiſce inſuper acceſſit Nicolai Fabri V. Cl. liber, quem ipſemet, ad exemplar vetuſtum emendarat. De Papinio hactenus. At Lactantium ex Fr. Pithæi I. C. bibliotheca collatum habui, in quibuſdam adiutus ſum exemplari MS. Regio; ſed quod integritate cedebat Pitheano. Dicendum hic eſſet de ſeculo huius commentatoris, quo vixerit. ſed certum de illo quid adfirmari poſſe, non putem. Sufficiat nobis quod illum*

habemus, quem non niſi antiquiſſimum credimus. Laudat præceptorem ſuum, ſi recte verba capio, Perſeum, cuius diſciplina eruditus dicit ſe librum compoſuiſſe, de ſecretis rerum cauſis. Præter hunc autem commentarium etiam argumenta in Ouidij Metamorphoſin ſcripſit. Et fortaſſiſan illius ſunt, quæ ſub Placidi nomine à doctis laudantur Gloſſæ antiquæ. Sed & ille hoc morbo laborauit, quo omnes fere eius æui & generis ſcriptores, vt ex aliis non verba tantum-modo imitaretur interdum, ſed integras periodos tranſcriberet: velut ex Hygino, Seruio, Fulgentio Planciade. vt enim de reliquis non dubitamus, ſic Fulgentio hunc noſtrum Lactantium tempore poſthumare perſuaſum nobis, cum Boetium citet, & Sedulium, qui eodem, aut circiter, cum Fulgentio ſæculo vixit, hoc eſt, temporibus Theodoſii. Adeo vt ne per ſomnium quidem putandum ſit, eundem illum eſſe cum Lactantio Firmiano, qui temporibus Conſtantij Conſt. F. Nicomediæ Rhetoricam docuit, vt vulgo notum. Incredibile dictu, quantum ex hoc commentatore mendorum ſuſtulerim, quem ita neglectum hactenus miror. Ego illum meliori fortuna dignum putaui, quam vt ita ignoraretur. Qua de cauſa Scholia eius in Achilleida, quæ in MS. codice Fr. Pithæi I. C. extabant, adijcere volui, ne quid harum rerum cupidi deſiderarent. Ergo igitur hiſce recenſendis, ſi tantum mihi fauoris reddatur, quantum ego laboris exantlaui, tum fama quod ſatis eſt habet.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr grace & priuilege du Roy, il eſt permis à ADRIAN PERIER, marchant Libraire en l'Vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire Imprimer, & expoſer en vente ce preſent liure intitulé *Papinij Surculi Statij opera, cum Placidi Lactantij in Thebaida & Achilleida commentariis, &c.* Et defenſes ſont faictes à tous Libraires, Imprimeurs & autres d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny diſtribuer leſdits liures d'autre impreſſion que de celle dudit PERIER, ou de ſon conſentement, iuſques à neuf ans finis & accomplis, ſur peine de confiſcation deſdits liures & d'amende arbitraire, comme plus amplement eſt contenu & declaré par lettres ſur ce donnees à Paris ce 21. Iuin. mil ſix cens.

Par le Roy

Signé DE LAVITZ.

PAPINII SVRCVLI STATII

SILVARVM LIBER PRIMVS

AD STELLAM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DIV MVLTVMQVE dubitaui, Stella iuuenis optime, & in ſtudiis noſtris eminentiſſime qua parte voluiſti, an hos libellos, qui mihi ſubito calore, & quadam feſtinandi voluptate fluxerant, cùm ſinguli de ſinu meo *prodiſſent*, congregatos ipſe dimitterem. Quid enim *oportet huius* quoque authoritate editionis onerari? quod adhuc pro Thebaide mea (quamuis me reliquerit) timeo. Sed & Culicem legimus, & Batrachomyomachiam etiam agnoſcimus. Nec quiſquam eſt illuſtrium Poëtarum, qui non aliquid operibus ſuis ſtilo remiſſiore præluſerit. Quid quod hæc ſerum erat continere, cùm illa vos certè, quorum honori data ſunt, haberetis. Sed apud cæteros neceſſe eſt multum illis pereat ex venia, cùm amiſerint, quam ſolam habuerint, gratiam celeritatis. Nullum enim ex illis biduo longius tractum; quædam & ſingulis diebus effuſa. Quamuis metuo ne verum iſtuc, verſus quoque ipſi de ſe probent. Primus libellus Sacroſanctum habet teſtem. Sumendum enim erat à Ioue principium. Cæterum hos verſus, quos in Equum maximum feci, indulgentiſſimo Imperatori poſtero die, quàm dedicauerat opus, tradere iuſſus ſum. Potuiſti illud (dicet aliquis) & ante vidiſſe.

Reſpondebis illi tu Stella cariſſime, qui Epithalamion tuum, quod mihi iniunxeras, ſcis biduo ſcriptum. Audacter mehercle, ſed tamen [CCLXXII] hexametros habet. & fortaſſe tu pro collega mentieris. Manlius certe Vopiſcus vir eruditiſſimus, & qui præcipue vindicat à ſitu literas iam penè fugientes, ſolet vltrò quoque nomine meo gloriari, & villam Tiburtinam ſuam deſcriptam à nobis vno die. Sequitur libellus Rutilio Gallico Valenti dedicatus. De quo nihil dico, ne videar defuncti teſtis occaſione mentiri. Nam Claudij Hetruſci teſtimonium eſt. Qui balneolum à me ſuum intra moram cœnæ recepit. In fine ſunt Kalend. Decemb. quibus vtique creditur. Noctem enim illam feliciſſimam habent, & voluptatibus publicis inexpertam.

EQVVS MAXIMVS
DOMITIANI.

QVÆ ſuper impoſito moles geminata coloſſo
Stat Latium complexa forum, cœlone peractum
Fluxit opus, Siculis an conformata caminis
Effigies, laſſum Steropem, Brontémq; reliquit?
Ante Palladiæ talem Germanice nobis
Effinxere manus? qualem modo frena tenentem
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci.
Nunc age fama prior, notum per ſæcula nomen
Dardanij miretur equi, cui vertice ſacro
Dindymon, & cæſis decreuit frondibus Ida.
Hunc neque diſciſſis cœpiſſent Pergama muris,
Nec grege permixto pueri, innuptæque puellæ,
Ipſe nec Aeneas, nec magnus duceret Hector.
Adde, quod ille nocens, ſæuóſque amplexus Achiuos,
Hunc mitis commendat eques. iuuat ora tueri
Mixta notis belli, placidámque gerentia pacem.
Nec veris maiora putes: par forma decórque,
Par honor. exhauſtis Martem non amplius armis
Biſtonius portat ſonipes, magnóque ſuperbit
Pondere, nec tardo raptus propè flumina curſu
Fumat, & ingenti propellit Strymona flatu.
Par operi ſedes: hinc obuia limina pandit
Qui feſſus bellis, aſſertæ munere prolis
Primus iter noſtris oſtendit in æthera Diuis.
Diſcitur è vultu quantum tu mitior armis:
Qui nec in externos facilis ſæuire furores

Das Catthis, Dacíſque fidem. te ſigna ferente
Et minor in leges iret gener, & Cato caſtris.
At laterum paſſus hinc Iulia templa tuentur,
Illinc belligeri ſublimis regia Pauli
Terga Pater, blandóque videt Concordia vultu.
Ipſe autem puro celſum caput aëre ſeptus,
Templa ſuperfulges, & proſpectare videris,
An noua contemptis ſurgant Palatia flammis
Pulcriùs: an tacita vigilet face Troicus ignis,
Atque exploratas iam laudet Veſta miniſtras.
Dextra vetat pugnas, leuam Tritonia virgo
Non grauat, & ſectæ prætendit colla Meduſæ,
Ceu ſtimulis accendat equum. nec dulcior vſquam
Lecta deæ ſedes: nec ſi pater ipſe teneres
Pectora, quæ mundi valeant euoluere curas.
Et quis ſe totis Temeſe dedit hauſta metallis
It tergo demiſſa chlamys. latus enſe quieto
Securum. magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hibernis, & ſydera terret Orion.
At ſonipes, habitus animóſque imitatus equeſtris,
Acrius attollit vultus, curſumque minatur.
Cui rigidis ſtant colla iubis, viuúſque per armos
Impetus, & tantis calcaribus ilia latè
Suffectura patent. vacuæ pro ceſpite terræ
Aenea captiui crinem tegit vngula Rheni.
Hunc & Adraſtæus viſum extimuiſſet Arion.
Et pauet aſpiciens Ledæus ab æde propinqua
Cyllarus, hic domini nunquam mutabit habenas:
Perpetuis frenis, atque vni ſeruiet aſtro.
Vix ſola ſufficiunt, infeſſáque pondere tanto
Subter anhelat humus: nec ferro, aut ære laborant,
Sed Genio. teneat quamuis æterna crepido,
Quæ ſuper ingeſti portaret culmina montis,
Cœliferíque attrita genu duraſſet Atlantis.
Nec longæ traxere moræ, iuuat ipſa labores
Forma Dei præſens, operíque intenta Iuuentus
Miratur plus poſſe manus. ſtrepit ardua pulſu
Machina. continuus ſeptem per culmina montes

It fragor, & magnæ fingit vaga murmura Romæ.
Ipſe loci cuſtos, cuius ſacrata vorago
Famoſúſque lacus, nomen memorabile ſeruat,
Innumeros aëris ſonitus, & verbere crudo
Vt ſenſit mugire forum, mouet horrida ſancto
Ora ſitu, meritáque caput venerabile quercu.
Ac primum ingentes habitus, lucémque coruſcam
Expauit maioris equi, térque ardua merſit
Colla lacu trepidus, lætus mox præſide viſo:
Salue magnorum proles, genitórque deorum,
Auditum longè numen mihi. nunc mea felix
Nunc veneranda palus, cum te prope noſſe, tuúmque
Immortale iubar vicina ſede tueri
Conceſſum. ſemel author ego, inuentórque ſalutis
Romuleæ: Tu bella Iouis, tu prælia Rheni,
Tu ciuile nefas, tu tardum in fœdera montem,
Longo Marte domas, quod ſi te noſtra tuliſſent
Sæcula, tentaſſes, me non audente, profundos
Ire lacus: Sed Roma tuas tenuiſſet habenas.
Cedat equus Latiæ, qui contra templa Diones,
Cæſarei ſtat ſede fori. quem tradere es auſus
Pellæo Liſippe duci, mox Cæſaris ora
Aurata ceruice tulit. vix lumine feſſo
Explores, quàm longus in hunc deſpectus ab illo.
Quis rudis vſque adeò, qui non vt viderit ambos,
Tantum dicat equos, quantum diſtare regentes?
Non hoc imbriferas hyemes opus, aut Iouis ignem
Tergeminum, Aeolij non agmina carceris horret,
Annorúmue moras: ſtabit, dum terra polúſque,
Dum Romana dies. huc & ſub nocte ſilenti
Cum Superis terrena placent, tua turba relicta
Labetur cœlo, miſcebitque oſcula iuxta.
Ibit in amplexus natus, fratérque, patérque,
Et ſoror: vna locum ceruix dabit omnibus aſtris.
Vtere perpetuum Populi, magníque Senatus
Munere: Apelleæ cuperent te ſcribere ceræ,
Optaſſétque nouo ſimilem te ponere templo
Atticus Elæi ſenior Iouis. & tua mitis

Ora Tonans; tua ſidereas imitantia flammas
Lumina, contempto mallet Rhodos aſpera Phœbo.
Certus ames terras, & quæ tibi templa dicamus
Ipſe colas, nec te Cœli iuuet aula; tuóſque
Lætus huic dono videas dare thura nepotes.

EPITHALAMION

STELLAE ET VIOLANTILLAE.

VNDE *ſacro Latij ſonuerunt carmine montes?*
Cui Pean noua plectra moues? humeróque comanti
Facundum ſuſpendis ebur? procul ecce canoro
Demigrant Helicone deæ, quatiúntque nouena
Lampade ſolennem, thalamis coeuntibus, ignem;
Et de Pieriis vocalem fontibus vndam.
Quas inter vultu petulans Elegia propinquat
Celſior aſſueto. diuáſque hortatur, & ambit
Alternum factura pedem, decimámque videri
Se cupit: & medias fallit permixta ſorores.
Ipſa manu nuptam genitrix AEneia ducit
Lumine demiſſam, & dulci probitate rubentem.
Ipſa toros, & ſacra parat, cœtúque Latino
Diſſimulata deam, crinem, vultúmque, genáſque,
Temperat, atque noua geſtit minor ire marita.
Noſco diem, cauſáſque ſacri. te concinit iſte
(Pande fores) te Stella chorus, tibi Phœbus, & Euan,
Et de Mænalia volucer Tegeaticus vmbra
Serta ferunt, nec blandus Amor, nec Gratia ceſſat
Amplexum niueos optatæ coniugis artus,
Floribus innumeris, & olenti ſpargere thymbra.
Tu modo fronte roſas, violis modo lilia mixta
Excipis, & dominæ niueis à vultibus obſtas.
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stellæ, Violantilléque, profeſſus
Clamaretur hymen. cedant curæque, metúſque;
Ceſſent mendaces obliqui carminis aſtus.

Fama tace. ſubijt leges, & frena momordit
Ille ſolutus amor. conſumpta eſt fabula vulgi;
Et narrata diu viderunt oſcula ciues.
Tu tamen attonitus (quamuis data copia tanta
Noctis) adhuc optas, promiſſáque numine dextro
Vota paues. pone O dulcis ſuſpiria Vates.
Pone, tua eſt, licet expoſitum per limen aperto
Ire, redire, gradu. iam nuſquam ianitor, aut lex,
Aut pudor: amplexu tandem ſatiare potito
Coniugis, & duras pariter reminiſcere noctes.
Digna quidem merces, & ſi tibi Iuno labores
Herculeos, Stygiis & ſi concurrere monſtris
Fata darent, ſi Cyaneos raperere per æſtus,
Hanc propter tutum Piſæa lege trementem
Currere, & Oenomai fremitus audire ſequentis.
Nec ſi Dardania Paſtor temerarius Ida
Sediſſes, hæc dona forent: nec ſi alma per auras
Te potius prenſa veheret Titonia biga.
Sed quæ cauſa toros, inopináque gaudia vati
Attulit, hic mecum dum feruent agmine poſtes,
Atriáque, & multa pulſantur lumina virga,
Hic Erato iucunda doce, vacat apta mouere
Colloquia, & docti norunt audire Penates.
Fortè ſerenati qua ſtat plaga lactea Cæli,
Alma Venus thalamo, pulſa modo nocte, iacebat,
Amplexu duro Getici reſoluta mariti.
Fulcra, toróſque deæ, tenerum premit agmen Amorum:
Signa petunt. quas ferre faces, quæ pectora figi
Imperet, an terris ſæuire, an malit in vndis,
An miſcere deos, an adhuc vexare Tonantem?
Ipſi animus nondum, nec cordi fixa voluntas,
Feſſa iacet ſtratis; vbi quondam conſcia culpæ
Lemnia repſerunt deprehenſo vincula lecto.
Hic puer è turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore, manúque leui nunquam fruſtrata ſagitta,
Agmine de medio, tenera ſic dulce profatus
Voce, pharetrati preſſere ſilentia fratres.
Scis vt Mater, ait, nulla mihi dextera ſegnis

Militiâ. quemcunque hominum, diuúmque dediſti,
Vritur. at quondam lachrymis, & ſupplice dextra,
Et votis precibúſque virûm concede moueri
O genitrix. duro nec enim ex adamante creati,
Sed tua turba ſumus. clarus de gente Latina
Eſt iuuenis, quem patritiis maioribus ortum
Nobilitas gauiſa tulit, præſagáque formæ
Protinus è noſtro poſuit cognomina cœlo.
Hunc egomet tota quondam (tibi dulce) pharetra
Improbus, & denſa trepidantem cuſpide fixi.
Quamuis Auſoniis multum gener ille petitus
Matribus, edomui victum: dominæque potentis
Ferre iugum, & longos iuſſi ſperare per annos.
Aſt illam ſumma leuiter (ſic namque iubebas)
Lampade, parcentes, & inermi ſtrinximus arcu.
Ex illo quantos iuuenis premat anxius ignes
Teſtis ego, attonitus quantum me nocte, diéque,
Vrgentem ferat. haud vlli vehementior vnquam
Incubui Genitrix, iteratáque vulnera fixi.
Vidi ego, & immiti cupidum decurrere campo
Hippomenem, nec ſic meta pallebat in ipſa.
Vidi & Abydeni iuuenis certantia remis
Brachia, laudauíque manus, & ſæpe natanti
Præluſi, minor ille calor quo ſæua tepebant
Aequora. tu veteres iuuenis tranſgreſſus amores.
Ipſe ego te tantos ſtupui ſupereſſe per æſtus,
Firmauíque animos, blandíſque madentia plumis
Lumina deterſi, quoties mihi queſtus Apollo
Sic vatem mœrere ſuum. iam mater amatos
Indulge thalamos. noſter comes ille, piúſque
Signifer, armiferos poterat memorare labores,
Claráque facta virûm, & torrentes ſanguine campos.
Hinc tibi plectra dedit: mitíſque incedere vates
Maluit, & noſtra laurum ſubtexere myrto.
Hic iuuenum lapſus ſuáque haud heſterna reuoluit
Vulnera. prô quanta eſt Paphij reuerentia Mater
Numinis! hic noſtræ defleuit fata Columbæ.
Dixerat. & tenera matris ceruice pependit

Blandus, & admotis tepefecit pectora pennis.
Illa refert, vultu non aſpernata rogari.
Grande quidem, rarúmque viris, quos ipſa probaui,
Pierius votum iuuenis cupit. hanc ego formæ
Egregium mirata decus. cui gloria patrum,
Et generis certabat honos. tellure cadentem
Excepi, fouique ſinu: nec colla, genáſque
Comere, nec pingui crinem deducere amomo
Ceſſauit mea, nate, manus. mihi dulcis imago
Proſiluit. celſæ procul aſpice frontis honores,
Suggeſtúmque comæ. Latias, metire, quid vltra
Emineat matres. quantum Latonia Nymphas
Virgo premit, quantúmque egomet Nereidas exto.
Hæc & cæruleis mecum conſurgere digna
Fluctibus, & noſtra potuit conſidere concha.
Et ſi flammiferas potuiſſet ſcandere ſedes,
Háſque intrare domos, ipſi erraretis amores.
Huic quamuis cenſus dederim largita beatos,
Vincit opes animo: queritur iam Seras auaros
Auguſtum ſpoliare nemus, Clymeneáque deeſſe
Germina, nec virides ſatis illachrymare ſorores.
Vellera Sidonio iam pauca rubeſcere tabo.
Raráque longæuis niuibus criſtalla gelari.
Huic Hermum, fuluoque Tagum decurrere limo,
(Nec ſatis ad cultus) huic Inda monilia Glaucum
Proteáque, atque omnem Nereida quærere iuſsi.
Hanc ſi Theſſalicos vidiſſes Phœbe per agros,
Erraret Daphne ſecura: in littore Naxi
Theſéum iuxta foret hæc conſpecta cubile,
Gnoſida deſertam profugus liquiſſet & Euan.
Quod niſi me longis placaſſet Iuno querelis,
Falſas huic pennas, & cornua ſumeret æthræ
Rector, in hanc vero cecidiſſet Iuppiter auro.
Sed dabitur iuueni, cui tu, mea ſumma poteſtas,
Nate cupis: thalami quamuis iuga ferre ſecundi
Sæpe neget mœrens, ipſam iam cedere ſenſi,
Inque vicem tepuiſſe viro. ſic fata, leuauit
Sydereos artus, thalamíque egreſſa ſuperbum

Limen, Amyclæos ad frena citauit olores.
Iungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone ſedet. iam Tybridis arces
Iliacæ, pandit nitidos domus alta penates;
Claráque gaudentes plauſerunt limina cycni.
Digna deæ ſedes, nitidis nec ſordet ab aſtris.
Hic Libycus, Phrygiúſque ſilex, hic dura Laconum
Saxa virent, hic flexus Onyx, & concolor alto
Vena mari, rupéſque nitent, quîs purpura ſæpe
Oebalis, & Tyrij moderator liuet aheni.
Pendent innumeris faſtigia nixa columnis.
Robora Dalmatio lucent ſatiata metallo.
Excludunt radios ſyluis decuſſa vetuſtis
Frigora; perſpicui viuunt in marmore fontes.
Nec ſeruat natura vices: hic Sirius alget,
Bruma tepet, verſúmque domus ſibi temperat annum:
Exultat viſu, tectiſque potentis alumnæ
Non ſecus alma Venus, quã ſi Paphon æquore ab alto,
Idaliasque domos, Ericinâque templa ſubiret.
Tunc ipſam ſolo reclinem affata cubili:
Quo nam hic vſque ſopor, vacuique modeſtia lecti,
O mihi Laurentes inter dilecta puellas?
Quis morum, fideique modus? nunquámne virili
Submittére iugo? veniet iam triſtior ætas.
Exerce formam, & fugientibus vtere donis.
Non ideo tibi tale decus, vultusque ſuperbos,
Méque dedi, viduos vt tranſmittare per annos
Ceu non cara mihi. ſatis ô, nimiúmque, priores
Deflexiſſe procos. at enim hic tibi ſanguine toto
Deditus, vnam omnes inter miratur, amatque,
Nec formæ, nec ſtirpis egens. nam docta per vrbem
Carmina, qui iuuenes, quæ non didicere puellæ?
Hunc & biſſenos (ſic indulgentia pergat
Præſidis Auſonij) cernes attollere faſces
Ante diem, certe iam nunc Cybeleia nouit
Limina, & Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.
Iámque parens Latius (cuius prænoſcere mentem
Fas mihi) purpureos habitus, iuuenique curule

Indulgebit ebur. Dacas (quæ eſt gloria maior)
Exuuias, lauróſque dabit celebrare recentis.
Ergo age iunge toros, atque otia deme iuuentæ.
Quas ego non gentes, quæ non face corda iugaui?
Alituum, pecudúmque, mihi duríque ferarum
Non renuere greges. ipſum in connubia terræ
Aethera (cum pluuiis rareſcunt nubila) ſoluo.
Sic rerum ſeries, mundíque reuertitur ætas.
Vnde nouum Troiæ decus, ardentúmque deorum
Raptor erat, Phrygio ſi non ego iuncta marito?
Lydius vnde meos iteraſſet Tybris Iulos?
Quis ſeptem geminæ poſuiſſet mœnia Romæ,
Imperij Latiale caput, niſi Dardana furto
Cœpiſſet Martem, nec me prohibente, ſacerdos?
His mulcet dictis, tacitúmque inſpirat amorem
Connubij, redeunt animo iam dona, precéſque,
Et lacrymæ, vigiléſque viri prope limina queſtus.
Aſteris & Vatis totam cantata per vrbem:
Aſteris ante dapes, nocte Aſteris, Aſteris ortu,
Quantum non clamatus Hylas. iamque aſpera cœpit
Flectere corda libens, & iam ſibi dura videri.
Macte toris, Latios inter placidiſsime vates,
Quod durum permenſus iter, cœptíque laboris
Præhendiſti portus. tumidæ ſic transfuga Piſæ
Amnis, in externos longe flammatus amores,
Flumina demerſo trahit intemerata canali.
Donec Sicanios tandem prolatus anhelo
Ore bibat fontes, miratur dulcia Nais
Oſcula, nec credit pelago veniſſe maritum.
Quis tibi tunc alacri, cœleſtum munere claro
Stella dies? quanto ſalierunt pectora voto?
Dulcia cum dominæ dexter connubia vultus
Annuit, ire polo, nitidóſque errare per axes
Viſus. Amyclæis minus exultauit arenis
Paſtor, ad Idæas Helena veniente carinas.
Theſſala nec talem viderunt Pelea Tempe,
Cum Thetin AEmoniis Chiron accedere terris
Erecto proſpexit equo. quàm longa morantur

Sydera, quàm ſegnis votis Aurora mariti.
At procul vt Stellæ thalamos ſenſere parari
Lataous vatum Pater, & Semeleius Euan:
Hic mouet Ortygia, mouet hìc rapida agmina Nyſa,
Hinc Lycij montes, gelidæque vmbracula Thymbræ,
Et Parnaſus honos, illi Pangea reſultant,
Iſmaraque, & quondam genialis littora Naxi.
Tunc caras iniere fores, comitique canoro
Hic chelyn, hic flauam maculoſo Nebrida tergo,
Hic thyrſos, hic plectra ferit, hic Enthea lauro
Tempora, Minoa crinem premit ille corona.
Vix dum emiſſa dies, & iam ſocialia preſto
Omina: iam feſta feruet domus vtráque pompa.
Fronde virent poſtes, & feruent compita flammis,
Et pars immenſæ gaudet celeberrima Romæ.
Omnis honos, cuncti veniunt ad limina Faſces.
Omnis plebeio teritur prætexta tumultu.
Hic eques, hic iuuenum quæſtus, ſtola mixta laborat,
Felices vtroſque vocant: ſed in agmine plures
Inuidêre viro. iam dudum poſte reclinis
Quærit hymen thalamis, intectum dicere carmen.
Quo vatem mulcere queat. dat Iuno veranda
Vincula, & inſigni geminat concordia tæda.
Hic fuit ille dies, noctem canat ipſe maritus,
Quantum noſſe licet; ſic victa ſopore doloſo
Martia fluminea poſuit latus Ilia ripa.
Non talis niueos ſtrinxit Lauinia vultus.
Cùm Turno ſpectante rubet. non Claudia talis
Reſpexit populos mota iam virgo carina.
Nunc opus Aonidum comites, tripodúmque miniſtri
Diuerſis certare modis, eat Enthea vittis
Atque hederis redimita cohors, vt pollet ouanti
Quisque lyra. ſed præcipue qui nobile greſſu
Extremo fraudatis opus; date carmina feſtis
Digna toris. hunc ipſe, Coo plaudente, Philetas,
Callimachusque ſenex, Vmbróque Propertius antro;
Ambiſſent laudare diem, nec triſtis in ipſis
Naſo Tomis, diueſque focò lucènte Tibullus.

Me certè non vnus amor, ſimpléxque canendi
Cauſa trahit, tecum ſimiles, iunctaque Camœnæ
Stella mihi multumque pares bacchamur ad aras,
Et ſociam doctus haurimus ab amnibus vndam.
At te naſcentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulciſque ſolo tu gloria noſtro
Reptaſti: nitidum conſurgit ad æthera tellus
Eubois, & pulchra tumeat Sebetos alumna.
Nec tibi ſulfureis Lucrinæ Naides antris,
Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.
Eia age præclaros Latio properate nepotes,
Qui leges, qui caſtra legant, qui carmina ludant.
Acceleret partu decimum bona Cynthia menſem;
Sed parcat Lucina precor. túque ipſe parenti
Parce puer, ne mollem vterum, ne ſtantia lædas
Pectora. cúmque tuos tacito natura receſſu
Formarit vultus, multum de patre decoris,
Plus de matre feras. At tu pulcherrima forma
Italidum, tandem merito poſſeſſa marito,
Vincla diu quæſita foue. ſic damna decoris
Nulla tibi, longæ viridis ſic flore iuuentæ
Perdurent vultus, tardéque hæc forma ſeneſcat.

TIBVRTINVM MANLII VOPISCI.

Cernere facundi Tibur glaciale Vopiſci
Si quis, & inſerto geminos Aniene penates,
Aut potuit ſociæ commercia noſcere ripæ,
Certantéſque ſibi dominum defendere villas,
Illum nec calido latrauit Sirius aſtro,
Nec grauis aſpexit Nemeæs frondentis alumnus.
Talis hyems tectis, frangunt ſic improba ſolem
Frigora, Piſæúmque domus non æſtuat annum.
Ipſa manu tenera tectum ſcripſiſſe Voluptas.
Tunc Venus Idaliis vnxit faſtigia ſuccis,
Permulſitque comas, blandúmque reliquit honorem
Sedibus, & volucres vetuit diſcedere natos.

O longum memoranda dies! quæ mente reporto
Gaudia? quàm laſſos per tot miracula viſus?
Ingenium quàm mite ſolo? quæ firma beatis
Arte manus conceſſa locis? non largius vſquam
Indulſit natura ſibi. nemora alta citatis
Incubuere vadis, fallax reſponſat imago
Frondibus, & longas eadem fugit vmbra per vndas.
Ipſe Anien (miranda fides) infráque ſupérque
Saxeus hic tumidam rabiem, ſpumoſáque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopiſci,
Pierioſóſque dies, & auentes carmina ſomnos.
Littus vtrumque domi: nec te mitiſſimus amnis
Diuidit, alternas ſeruant prætoria ripas,
Non externa ſibi, fluuiúmue obſtare queruntur.
Seſtiacos nunc fama ſinus, pelagúſque natatum
Iactet, & audaci iunctos delphinas Ephœbo.
Hic æterna quies, nullis hic iura procellis,
Nuſquam feruor aquis: datur hic tranſmittere viſus,
Et voces, & pene manus. ſic Chalcida fluctus
Expellunt fluuij, ſic diſſociata profundo
Brutia Sicanium circumſpicit ora Pelorum.
Quid primum, mediúmue canam? quò fine quieſcam?
Auratáſne trabes? an Mauros vndique poſtes?
An picturata lucentia marmora vena
Mirer? an emiſſas per cuncta cubilia lymphas?
Huc oculis, huc mente trahor. venerabile dicam
Lucorum ſenium? te quæ vada fluminis infra
Cernis? an ad ſyluas quæ reſpicis aula tacentis?
Quà tibi tota quies, offenſáque turbine nullo
Nox ſilet, & nigros imitantia murmura ſomnos.
An quæ graminea ſuſcepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quaque vaporiferis iunctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas.
Vidi artes, veterúmque manus, variſque metalla
Viua modis: labor eſt auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.
Quicquid & argento primum, vel in ære Myronis

Luſit, & enormes manus eſt experta Coloſſos.
Dum vagor aſpectu, viſúſque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes. nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera teſtæ
Monſtrauere ſolum, varias vbi picta per artes
Gaudet humus, ſuperántque nouis aſarota figuris.
Expauere gradus. quid nunc ingentia mirer?
Aut quid partitis diſtantia tecta trichoris?
Quid te? quæ mediis ſeruata penatibus arbor
Tecta per, & poſtes liquidas emergis in auras,
Quo non ſub domino ſæuas paſſura bipennes?
Et nunc ignaro forſan vel lubrica Nais,
Vel non abruptos tibi demet Hamadrias annos.
Quid referam alternas gemino ſuper aggere menſas?
Albentéſque lacus, altóſque in gurgite fontes?
Téque per obliquum penitus quæ laberis amnem
Martia? & audaci tranſcurru flumina plumbo?
An ſolum Ionius ſub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad AEtneos deducat ſemita portus?
Illis ipſe antris Anienus fonte relicto,
Nocte ſub arcana glaucos exutus amictus,
Huc, illuc fragili proſternit pectora muſco:
Aut ingens in ſtagna cadit, vitreáſque natatu
Plaudit aquas, illa recubat Tiberinus in vmbra:
Illic ſulfureos cupit Albula mergere crines.
Hæc domus, Aegeriæ nemoralem abiungere Phœben,
Et Dryadum viduare choris algentia poſſit
Taygeta, & ſyluis arceſcere Pana Lycæis.
Quod ni templa darent alias Tirynthia ſortes,
Et Præneſtinæ poterant migrare ſorores.
Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? vóſque
Qui nunquam vacui prodiſtis in æthera rami?
Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera: Lucrinæque domus, littúſque cruenti
Antiphatæ. cedant vitreæ iuga perfida Circes
Dulichijs vlulata lupis, arcéſque ſuperbæ
Anxuris, & ſedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus: cedant quæ te iam ſolibus arctis

Auia nimboſa reuocabunt littora bruma.
Scilicet hic illi meditantur pondera mores:
Hic premitur fœcunda quies, virtúſque ſerena
Fronte grauis, ſanúſque decor, luxúque carentes
Delitiæ, quas ipſe ſuis digreſſus Athenis
Mallet deſerto ſenior Gargetius horto.
Hæc per & AEgeas hyemes, Pliadúmque niuoſum
Sydus, & Oleniis dignum petiiſſe ſub aſtris,
Si Maleæ credenda ratis, Siculóſque per æſtus
Sit via: cur oculis ſordet vicina voluptas?
Hic tua Tiburtes Faunos chelys, & iuuat ipſum
Alciden, dictúmque lyra maiore Catillum.
Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
Siue chelyn tollis heroa ad robora, ſiue
Liuentem ſatyram nigra rubigine turbes,
Seu tua non alia ſplendeſcat epiſtola cura.
Digne Midæ, Crœſíque bonis, & Perſide gaza:
Macte bonis animi. cuius ſtagnantia rura
Debuit & flauis Hermus tranſcurrere ripis,
Et limo ſplendente Tagus. ſic docta frequentes
Otia, ſic omni detectus pectora nube
Finem Neſtoreæ precor egrediare ſenectæ.

SOTERIA

PRO RVTILIO GALLICO.

ESTIS io ſuperi, nec inexorabile Clotho
Voluit opus, videt alma pios Aſtrea, Iouique
Conciliata cadit, dubitatáque ſydera cernit
Gallicus. es cælo, dîs es, Germanice, cordi.
Quis neget? erubuit tanto ſpoliare miniſtro
Imperium Fortuna tuum. ſtat proxima ceruix
Ponderis immenſi, damnoſáque fila ſenectæ
Exuit, atque alios melior reuireſcit in annos.
Ergo alacres, quæ ſigna colunt vrbana, cohortes,
Inque ſinum quæ ſæpe tuum fora turbida queſtu
Confugiunt: legéſque, vrbéſque ubicunque togatæ,
Quæ tua longinquis implorant iura querelis,

Certent

Certent lætitia: noſtérque ex ordine collis
Confremat, & ſileant peioris murmura famæ.
Quippe manet, longúmque æuo redeunte manebit,
Quem penes intrepidæ mitis cuſtodia Romæ.
Nec tantum induerint fatis noua ſæcula crimen,
Aut inſtaurati peccauerit ara Terenti.
Aſt ego nec Phœbum, (quanquam mihi ſurda ſine illo
Plectra) nec Aonias decima cum Pallade diuas,
Aut mitem Tegeæ, Dircéſue hortabor alumnum;
Ipſe veni, viréſque nouas, animúmque miniſtra,
Qui caneris. docto nec enim ſine carmine tantus
Anſoniæ decora ampla togæ, centúmque dediſti
Iudicium, mentémque viris. licet Enthea vatis
Excludat Pimplæa ſitim, nec conſcia detur
Pirene. largos potius mihi gurges in hauſtus,
Qui rapitur de fonte tuo: ſeu plana ſolutis
Cum ſtruis orſa modis, ſeu cum tibi dulcis in artem
Frangitur, & noſtras curat facundia leges.
Quare age, ſi Cereri ſua dona, merúmque Lyæo
Reddimus; & diues prædæ, tamen accipit omni
Exuuias Diana tholo, captiuáque tela
Bellipotens; nec tu, quando tibi Gallice maius
Eloquium, fandíque opibus ſublimis abundas,
Sperne coli tenuiore lyra. vaga cingitur aſtris
Luna, & in Oceanum riui cecidere minores.
Quæ tibi ſollicitus perſoluit præmia morum
Vrbis amor? quæ tum Patrúmque, Equitúmque notaui
Lumina, & ignaræ plebis lugere potentes.
Non labente Numa timuit ſic curia felix:
Pompeio nec celſus eques: nec fœmina Bruto.
Hoc illud. triſtis inuitum audire cathenas,
Parcere verberibus, nec qua iubet alta poteſtas
Ire, ſed armatas multum ſibi demere vires,
Dignaríque manus humilis, & verba precantum:
Reddere iura foro, nec proturbare curules,
Et ferrum mulcere toga. ſic itur in alta
Pectora, ſic miti reuerentia fidit amori.
Ipſa etiam cunctos grauis inclementia fati

Terruit, & ſubiti præceps iuuenile pericli
Nil cunctante malo. non illud culpa ſenectæ,
(Quippe ea biſſenis vix dum orſa excedere luſtris)
Sed labor intendens, animíque in membra vigentis
Imperium, vigiléſque ſuo pro Cæſare curæ,
Dulce opus: hinc feſſos penitus ſubrepſit in artus
Inſidioſa quies, & pigræ obliuia vitæ.
Tunc Deus, Alpini qui iuxta culmina dorſi
Signat Apollineos ſancto cognomine lucos,
Reſpicit (heu tanti pridem ſecurus alumni)
Progreſſúſque morans, hic mecum Epidauria proles,
Hinc alti gaudens datur aggredienda facultas.
Ingentem recreare virum teneamus adorti.
Tendatis iam fila colos, nec fulminis atri
Sit metus, has vltro laudabit Iuppiter artes.
Nam neque plebeiam, aut dextro ſine numine cretam
Seruo animam, atque adeo breuiter dum tecta ſubimus
Expediam. genus ipſe ſuis, præmiſſáque retro
Nobilitas nec origo latet, ſed luce ſequente
Vincitur, & magno gaudet ceſsiſſe nepoti.
Prima togæ virtus illi; quoque clarus, & ingens
Eloquio, mox innumeris exercita caſtris,
Occiduas, primáſque domos, & ſole ſub omni
Permeruit iurata manus. nec in otia pacis
Permiſſum laxare animos, ferrúmque retingi.
Hunc Galatia vigens auſa eſt inceſſere bello.
Hunc quoque perque nouem timuit Pamphilia meſſes,
Pannoniúſque ferox, arcúque horrenda fugaci
Armenia, & patiens Latij iam pontis Araxes.
Quid geminos faſces? magnæque iterata reuoluam
Iura Aſiæ? velit illa quidem ter habere, quatérque
Hunc ſibi: ſed reuocant faſti, maiórque curulis
Nec promiſſa ſemel. Libyci quid mira tributi
Obſequia? & miſſum media de pace triumphum
Laudem, & opes tantas? nec qui mandauerat, auſus
Expectare fuit. gaudet Traſimenus, & Alpes,
Cannenſéſque animæ, primuſque inſigne tributum
Ipſe palam læta poſcebat Regulus vmbra

Non vacat Arctoas acies, Rhenúmque rebellem,
Captiuæque preces Veledæ, & (quæ maxima nuper
Gloria) depoſitam Dacis pereuntibus vrbem
Pandere, cum tanti lectus rectoris habenas
Gallice, fortuna non admirante, ſubiſti.
Hunc igitur (ſi digna loquor) rapiemus iniquo
Nate Ioui. rogat hoc Latiæ pater inclytus vrbis,
Et meruit: neque enim fruſtra mihi nuper honora
Carmina patritio pueri ſonuiſtis in oſtro.
Si qua ſalutifero gemini Chironis in antro
Herba, tholo quocunque tibi Troiana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis
Educat, Idæa poſert quam Creta ſub vmbra
Dictami florentis opem, quóque anguis abundat
Spumatu: iungam ipſe manus, atque omne benigne
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in aruis,
Aut Amphryſiaco paſtor de gramine carpſi.
Dixerat. inueniunt poſitos iam ſegniter artus,
Pugnantémque animam. ritu ſe cingit vterque
Pæonio, monſtrántque ſimul, parentque volentes,
Donec letiferas vario medicamine peſtes,
Et ſuſpecta mali ruperunt nubila ſomni.
Adiuuat ipſe Deus. morbóque valentior omni
Occupat auxilium. citius non arte refectus
Telephus AEmonia, nec quæ metuentis Atridæ
Sæua Machaonio coierunt vulnera ſucco.
Quis mihi tot cœtus inter, populíque, patrúmque,
Sit curæ votíque locus? tamen ardua teſtor
Sydera, teque pater vatum Tymbræe, quis omni
Luce mihi, quis nocte timor? dum poſtibus hærens
Aſſiduus, nunc aure vigil, nunc lumine, cuncta
Auguror. immenſæ veluti connexa carinæ
Cymba minor, cum ſæuit hyems, pro parte furentis
Parua receptat aquas, & eodem voluitur Auſtro.
Nectite nunc lætæ candentia fila ſorores:
Nectite. nemo modum tranſmiſſi computet æui,
Hic vita natalis erit. tu Troica dignus
Sæcula, & Euboici tranſcendere pulueris annos,

Neſtoreóſque ſitus. qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec ſi vacuet Meuania valles,
Aut præſtent niueos Clitumna nóualia tauros,
Sufficiam. ſed ſæpe deis hos inter honores
Ceſpes, & exiguo placuerunt farra ſalino.

BALNEVM ETRVSCI.

NON Helicóna graui pulſat chelys Enthea plectro,
Nec laſſata voco toties mihi numina Muſas.
Et te Phœbe choris; & te dimittimus Euan,
Túque inimica feræ volucer Tegeus honore
Terga premas. alios poſcunt mea carmina cœtus.
Naidas vndarum dominas, regémque coruſci
Ignis, adhuc feſſum, Siculáque incude rubentem
Elicuiſſe ſatis: paulum arma nocentia Thebæ
Ponite, dilecto volo laſciuire ſodali.
Iunge puer cyathos, atque enumerare labora,
Cunctantémque intende chelyn: diſcede labórque,
Curaque, dum nitidis canimus gemmantia ſaxis
Balnea: dúmque procax myrtis, ederíſque ſoluta
Fronte, verecundo Clio mea ludit Etruſco.
Ite deæ virides, liquidóſque auertite vultus,
Et vitreum teneris crinem redimite corymbis,
Veſte nihil tectæ: quales emergitis altis
Fontibus, & viſu Satyros torquetis amantes.
Non vos quæ culpa decus infamaſtis aquarum
Sollicitari iuuat. procul hinc, & fonte doloſo
Salmacis, & viduæ Crebrenidos arida luctu
Flumina, & Herculei prædatrix cedat alumni.
Vos mihi quæ Latium, ſeptenáque culmina Nymphæ
Incolitis, Thybrímque nouis attollitis vndis:
Quas præceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo iuuat, Marſáſque niues, & frigora ducens
Martia, præcelſis quarum vaga molibus vnda
Creſcit, & innumero pendens tranſmittitur arcu.
Veſtrum opus aggredimur, veſtra eſt quam carmine molli
Pando domus. non vnquam alijs habitaſtis in antris

Ditius: ipſa manus tenuit Cytherea mariti,
Monſtrauítque artes: neu vilis flamma caminos
Vreret, ipſa faces volucrum ſuccendit Amorum.
Non huc admiſſæ Thaſos, aut vndoſa Cariſtos:
Mœret Onyx longè, quæritúrque excluſus Ophites.
Sola nitet flauis Nomadum deciſa metallis
Purpura, ſola cauo Phrygiæ quam Synados antro
Ipſe cruentauit maculis lucentibus Atys:
Quáſque Tyrus niueas ſecat, & Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ, viridis cum regula longo
Synada diſtinctu variat. non lumina ceſſant,
Effulgent cameræ, vario faſtigia vitro
In ſpecies animóſque nitent: ſtupet ipſe beatas
Circumplexus opes, & parcius imperat ignis.
Multus vbique dies, radiis vbi culmina totis
Perforat, atque alio ſol improbus vritur æſtu.
Nil ibi plebeium, nuſquam Temeſea notabis
Aera; ſed argento felix propellitur vnda,
Argentóque cadit, labriſque nitentibus inſtat
Delitias mirata ſuas, & abire recuſat.
Extra autem niueo qui margine cœrulus amnis
Viuit, & in fundum ſummo patet omnis ab imò.
Cui non ire lacu, pigróſque exoluere amictus
Suadeat? hoc mallet naſci Cytherea profundo.
Hic te perſpicuum melius Narciſſe videres.
Hic velox Hecate velit & deprehenſa lauari.
Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata crepantis
Auditura pilas, vbi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem voluunt hypocauſta vaporem?
Nec ſi Baianis veniat nouus hoſpes ab oris
Talia deſpiciat, (fas ſit componere magnis
Parua) Neronea nec qui modo lotus in vnda
Hic iterum ſudare neget. macte oro nitenti
Ingenio, curáque puer: tecum iſta ſeneſcant,
Et tua iam melius diſcat fortuna renaſci.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

KAL. DECEMBRES SATVRNALES.

ET Phœbus Pater, & ſeuera Pallas,
Et Muſæ procul ite feriatæ:
Iani vos reuocabimus Kalendis.
Saturnus mihi compede exoluta,
Et multo grauidus mero December,
Et ridens iocus, & ſales proterui
Adſint, dum refero diem beatam
Læti Cæſaris, ebriamque pando.
Vix Aurora nouos mouebat ortus,
Iam bellaria adorea pluebant.
Hunc rorem veniens profudit Eurus.
Quicquid nobile Ponticis nucetis,
Fœcundis cadit aut iugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damaſcus,
Et quas præcoquit Eboſia cannas,
Largis gratuitum cadit rapinis.
Molles Gaioli, Lagunculique,
Et maſsis Amerina non peruſtis,
Et muſtaceus, & latente palma
Prægnantes Cariotides cadebant.
Non tantis Hyas inſerena nimbis
Terras obruit, aut ſoluta Plias:
Qualis per cuneos hyems Latinos
Plebem grandine concutit ſerenam.
Ducat nubila Iuppiter per orbem,
Et latis pluuias minetur agris,
Dum noſtri Iouis hi ferantur imbres.
Ecce autem caueas ſubit per omnis
Inſignis ſpecie, decora cultu
Plebes altera non minor ſedente.
Hi panaria, candidasque mappas
Subuectant, epulaſque lautiores.
Illi marcida vina largiuntur:
Idæos totidem putes miniſtros.

Orbem, qua melior ſeueriorque eſt,
Et gentes alis inſimul togatas.
Et cum tot populos beata paſcas,
Hunc annona diem ſuperba neſcis.
I nunc ſecula compara vetuſtas
Antiqui Iouis, aureumque tempus:
Non ſic libera vina tunc fluebant,
Nec tardum ſeges occupabat annum.
Vna veſcitur omnis ordo menſa,
Parui, Fœmina, Plebs, Eques, Senatus;
Libertas reuerentiam remiſit.
Et tu quin etiam (quis huc vocare?
Quis promittere poſſit hoc deorum?)
Nobiſcum ſocias dapes iniſti.
Iam ſe (quiſquis is eſt) inops, beatus
Conuiuam ducis eſſe gloriatur.
Hos inter fremitus, nouóſque luxus,
Spectandi leuis effugit voluptas.
Stat ſexus rudis, inſciúſque ferri,
Et pugnas cupit improbus viriles:
Credas ad Tanaim, ferumque Phaſin,
Thermodontiacas calere turmas.
Hic audax ſubit ordo Pumilonum,
Quos Natura breui ſtatu peracto,
Nodoſum ſemel in globum ligauit,
Edunt vulnera, conſerúntque dextras,
Et mortem ſibi qua manu minantur
Ridet Mars pater, & cruenta Virtus:
Caſuræque vagis Grues rapinis
Mirantur Pumilos ferociores.
Iam noctis propioribus ſub vmbris
Diues ſparſio quos agit tumultus!
Huc intrant faciles emi puellæ;
Hic agnoſcitur omne quod theatris
Aut forma placet, aut probatur arte.
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,
Illic cymbala, tinnulæque Gades,
Illic agmina confremunt Syrorum,

Hic plebs ſcænica, quique comminutis
Permutat vitreis gregale ſulfur.
Inter quæ ſubito cadunt volatu
Immenſæ volucrum per aſtra nubes,
Quas Nilus ſacer, horridúſque Phaſis,
Quas vdo Numidæ legunt ſub auſtro.
Deſunt qui rapiant, ſinúſque pleni
Gaudent, dum noua lucra comparantur,
Tollunt innumeras ad aſtra voces,
Saturnalia principis ſonantes;
Et dulci Dominum fauore clamant.
Hoc ſolum vetuit licere Cæſar.
Vix dum cœrula nox ſubibat orbem,
Deſcendit media nitens arena
Denſas flammeus orbis inter vmbras,
Vincens Gnoſiacæ facem coronæ.
Collucet polus ignibus, nihilque
Obſcuræ patitur licere nocti.
Fugit pigra quies, inérſque ſomnus,
Hæc cernens, alias adiuit vrbes.
Quis ſpectacula? quis iocos licentes?
Quis conuiuia? quis dapes inemptas?
Largi flumina quis canat Lyæi?
Iamiam deficio, tuóque Baccho
In ſerum trahor ebrius ſoporem.
Quos ibit procul hic dies per annos?
Quàm nullo ſacer exoleſcet æuo?
Dum montes Latij, patérque Tybris,
Dum ſtabit tua Roma, dúmque terris
Quod reddis Capitolium, manebit.

PAPINII SVRCVLI STATII

SILVARVM LIBER SECVNDVS AD MELIOREM ATEDIVM.

ET familiaritas noſtra, qua gaudeo (Melior vir optime, nec minus in iudicio literarum, quàm in omni vitæ colore terſiſſime) & ipſa opuſculorum quæ tibi trado conditio ſic poſita eſt, vt totus hic alter liber meus etiam ſine epiſtola expectetur. Primum enim habet Glauciam noſtrum, cuius gratiſſimam infantiam, & qualē plerumq; infelices ſortiūtur, apud te complexus amabam. Iam vero tibi huius amiſsi recens vulnus (vt ſcis) Epicædio proſecutus ſum, adeo feſtinanter, vt excuſandam habuerim affectibus tuis celeritatem. nec nunc eam apud te iacto, qui noſti, ſed cæteris indico: ne quis aſperiore lima carmen examinet, & à confuſo ſcriptum, & dolenti datum; cum penè ſuperuacua ſint tarda ſolatia. Pollij mei villa Surrentina, quæ ſequitur, debuit à me vel in honorem eloquentiæ eius diligentius dici. ſed amicus ignouit. In Arborem certe tuam Melior, & Pſittacum, ſcis à me leues libellos quaſi epigrammatis loco ſcriptos. eandem exigebat ſtili facilitatem Leo manſuetus: quem in Amphitheatro proſtratum, frigidum erat ſacratiſsimo Imperatori ni ſtatim traderem. At Vrſum quoque noſtrum, iuuenē candidiſſimum, & ſine iactura deſidiæ doctiſſimum, ſcriptam de puero amiſſo conſolationem

ſuper ea, quæ ipſi debeo, huic libro libenter inſerui, quia honorem eius tibi laturus acceptum. excludit volumen Genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria cariſſima vxorum, cũ hunc diem forte conſecraremus, imputari ſibi voluit. ego nõ potui maiorem tanti autoris habere reuerentiam, quàm quod laudes eius dicturus hexametros meos timui. Hæc qualiacunque ſunt, Melior cariſſime, ſi tibi non diſplicuerint, à te publicum accipiant. Sin minus, ad me reuertantur.

EPICÆDION
IN GLAVCIAM MELIORIS.

QVOD tibi prærepti Melior ſolamen alumni
Improbus ante rogos, & adhuc viuente fauilla
Ordiar? abruptis etiamnunc flebile venis
Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ.
Cum iam egomet cantus, & verba medentia ſæuus
Conſero, tu planctus, lamentáque fortia mauis,
Odiſtíque chelym, ſurdáque auerteris aure.
Intempeſta cano. citius me tigris abactis
Fœtibus, orbatíque velint audire leones.
Nec ſi tergeminum Sicula de virgine carmen
Affluat, aut ſiluis chelys intellecta feríſque,
Mulceat inſanos gemitus; ſtat pectore demens
Luctus, & admoto latrant præcordia tactu.
Nemo vetat, ſatiare malis; ægrúmque dolorem
Libertate doma. iam flendi expleta voluptas?
Iámne preces feſſus non indignaris amicas?
Iámne canam? lachrymis en & mea carmina in ipſo
Ore natant, triſtéſque cadunt in verba lituræ.
Ipſe etenim tecum nigræ ſolemnia pompæ,
Spectatúmque vrbi ſcelus, & puerile feretrum
Produxi, & ſæuos damnati thuris aceruos,
Plorantémque animam ſupra ſua funera vidi:
Téque patrum gemitus ſuperantem, & brachia matrum,
Complexúmque rogos, ignémque haurire parantem,
Vix tenui ſimilis comes, offendíque tenendo.
Et nunc (heu) vittis, & frontis honore ſoluto,
Infauſtus Vates, vexo mea pectora tecum.
Plango lyra. & diri comitem ſociúmque doloris
(Si merui, luctúſque tui conſortia ſenſi)

Iam lenis patiare precor; me fulmine in ipſo
Audiuere patres. ego iuxta buſta profuſis
Matribus, atque piis cecini ſolatia natis,
Et mihi, cum proprios gemerem defectus ad ignes,
Quem natura patrem; nec te lugere ſeuerus
Arceo, ſed confer gemitus, pariterque fleamus.
Iamdudum dignos aditus, laudúmque tuarum
O merito dilecte puer, primordia quærens
Diſtrahor. hinc anni ſtantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit, rapit inde modeſtia præcox,
Et pudor, & tenero probitas maturior æuo.
O vbi purpureo ſuffuſus ſanguine candor,
Sydereíque orbes, radiatáque lumina cœlo,
Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis,
Ingenuíque ſuper crines, molliſque decoræ
Margo comæ? blandis vbi nam ora arguta querelis?
Oſculáque impliciti vernos redolentia flores?
Et mixtæ riſu lachrymæ? penitúſque loquentis
Hyblæis vox mixta fauis? cui ſibila ſerpens
Poneret, & ſæuæ vellent ſeruire Nouercæ.
Nil veris affingo bonis. heu lactea colla,
Brachiáque, & nunquam domini ſine pondere ceruix!
O vbi venturæ ſpes non longinqua iuuentæ,
Atque genis optatus honos, iuratáque multum
Barba tibi? cuncta in cineres grauis intulit hora,
Hoſtiliſque dies: nobis meminiſſe relictum.
Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora? quis curas, mentíſque arcana remittet?
Accenſum quis bile feret? famulíſque tumentem
Leniet? ardentíque in ſe deflectet ab ira?
Inceptas quis ab ore dapes, libatáque vina
Auferet? & dulci turbabit cuncta rapina?
Quis matutinos abrumpet murmure ſomnos
Impoſitus ſtratis? abitúſque morabitur arctis
Nexibus? atque ipſo reuocabit ad oſcula poſte?
Obuius intranti rurſus quis in ora, manúſque
Proſiliet? breuibúſque humeros circundabit vlnis?
Muta domus (fateor) deſolatíque penates,

Et ſitus in thalamis, & mœſta ſilentia menſis.
Quid mirum, tanto ſi te pius altor honorat
Funere? tu domino requies, portuſque ſenectæ,
Tu modo delitiæ dulces, modo pectore curæ.
Non te barbaricæ verſabat turba Cataſtæ;
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compoſitóſque ſales, meditatáque verba locutus,
Quæſiſti laſciuus herum, tardeque paraſti.
Hinc domus, hinc ortus, dominíque penatibus olim
Carus vterque parens, atque in tua gaudia liber,
Ne quererere genus. raptum ſed protinus aluo
Suſtulit exultans, ac prima lucida voce
Aſtra ſalutantem dominus ſibi mente dicauit,
Amplexúſque ſinu tulit, & genuiſſe putauit.
Fas mihi ſanctorum venia dixiſſe parentum,
Tuque oro Natura ſinas, cui prima per orbem
Iura animis ſociare datum: non omnia ſanguis
Proximus, aut ſerie generis demiſſa propago,
Alligat. interius noua ſæpe, adſcitáque ſerpunt
Pignora connexis. natos genuiſſe neceſſe eſt,
At legiſſe iuuat. Tenero ſic blandus Achilli
Semifer Aemonium vincebat Pelea Chiron.
Nec ſenior Peleus natum comitatus in arma
Troica, ſed caro Phœnix hærebat alumno.
Optabat longe reditus Pallantis ouantes
Euander, fidus pugnas ſpectabat Aceſtes.
Cumque procul nitidis genitor ceſſaret ab aſtris,
Fluctiuagus volucrem comebat Perſea Dictys.
Quid referam altricum victos pietate parentes?
Quid te poſt cineres, deceptáque funera matris,
Tutius Inoo reptantem pectore Bacche?
Iam ſecura parens Thuſcis regnabat in vndis
Ilia, portantem laſſabat Romulus Accam.
Vidi ego tranſertos alieno in robore ramos,
Altius ire ſuis: & te iam fecerat illi
Mens, animúſque patrem. nec dum moréſue, decórue;
Tu tamen & mutas etiam tum murmure voces,
Vagitúmque rudem, fletúſque infantis amabas.

Ille, velut primos expiraturus ad auſtros
Mollibus in pratis altè flos improbus èxtat,
Sic tener ante diem, vultu, greſſúque ſuperbo,
Vicerat æquales multúmque reliquerat annos.
Siue cathenatis curuatus membra palæſtris
Staret, Amyclæa conceptum matre putares.
Oebaliden illo præceps mutaret Apollo.
Alcides penſaret Hylan. ſeu Graius amictu
Attica facundi decurreret orſa Menandri,
Laudaret gauiſa ſonum, crinémque decorum
Fregiſſet roſea laſciua Thalia corona.
Mæonium ſiue ille ſenem, Troiæque labores
Diceret, aut caſus tardè remeantis Vlyſsis,
Ipſe pater ſenſus, ipſi ſtupuere magiſtri.
Scilicet infauſtâ Lacheſis cunabula dextrâ
Attigit, & gremio puerum complexa fouebat
Inuidia, illa genas, & adultum comere crinem,
Et monſtrare artes, & verba refringere, quæ nunc
Plangimus. Herculeos annis æquare labores
Cœperat aſſurgens, ſed adhuc infantia mixta:
Iam tamen & validi greſſus, menſuráque maior
Cultibus, & viſæ puero decreſcere veſtes.
Cum tibi, quas veſtes? quæ non geſtamina mitis
Feſtinabat herus? breuibus conſtringere lenis
Pectora, & anguſta telas arctare lacerna.
Enormes non ille ſinus, ſed ſemper ad annos
Texta legens, modo puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante ſinu, nunc dulce rubenti
Murice, nunc viuis digitos incendere gemmis
Gaudebat: non turba comes, non munera ceſſant.
Sola verecundo deerat prætexta decori.
Hæc fortuna domus. ſubitas inimica leuauit
Parca manus, quo diua feros grauis exeris angues?
Non te forma mouet? non te lachrymabilis ætas?
Hunc nec ſæua viro potuiſſet carpere Procne,
Nec fera crudeles Colchis duraſſet in iras,
Editus AEolia nec ſi foret iſte Creuſa.
Toruus ad hunc Athamas inſanos flecteret arcus.

Hunc, quanquam Hectoreos cineres Troiámque peroſus,
Turribus è Phrygiis fleſſet miſſurus Vlyſſes.
Septima lux & iam frigentia lumina torpent,
Iam complexa manu crinem tenet Infera Iuno.
Ille tamen, Parcis fragiles vrgentibus annos,
Te vultu moriente videt, linguaque cadente
Murmurat, in te omnis vacui iam pectoris efflat
Relliquias: ſolum meminit, ſolumque vocantem
Exaudit, tibique ora mouet, tibi verba relinquit,
Et prohibet gemitus, conſolatúrque dolentem.
Gratum eſt fata tamen, quod non mors lenta iacentis
Exedit puerile decus, manéſque ſubiuit
Integer, & nullo temeratus corpora damno,
Qualis erat. quid ego exequias, & prodiga flammis
Dona loquar? mœſtóque ardentia funera luxu?
Quod tibi purpureo triſtis thorus aggere creuit,
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quódque Arabes, Phariique (palã eſt, vidique) liquores
Arſuram lauere comam: cupit omnia ferre
Prodigus, & totos Melior ſuccendere cenſus,
Deſertas exoſus opes. ſed non capit ignis
Inuidus, atque arctæ deſunt in munera flammæ.
Horror habet ſenſus. qualem te funere ſummo,
Atque rogum iuxta, Melior placidiſſime, quondam
Extimui, tu ne ille hilaris comiſque videris?
Vnde animi, ſæuæque manus, & barbarus horror?
Tu modo fuſus humi, lucem auerſaris iniquam.
Nunc toruus, pariter veſtes, & pectora, rumpis.
Dilectóſque premis viſus, & frigida lambis
Oſcula. erant illic genitor, materque iacentis
Mœſta, ſed attoniti te ſpectauere parentes.
Quid mirum? Plebs cuncta, nefas, & præuia flerunt
Agmina, Flaminio quà limite Miluius agger
Tranſuehit, immeritus flammis dum triſtibus infans
Traditur, & gemitum formáque ac voce meretur.
Talis in Iſthmiacos prolatus ab æquore portus
Naufragus, impoſita tacuit ſub matre Palæmon.
Sic & in auguifera ludentem gramine Lernæ

Præciſum ſquammis auidus bibit anguis Ophelten.
Pone metus, lethique minas deſiſte vereri.
Illum nec terno latrabit Cerberus ore,
Nulla ſoror flammis, nulla aſſurgentibus Hydris
Terrebit. quin ipſe auidæ trux nauita cymbæ
Interius ſteriles ripas, & aduſta ſubibit
Littora, ne puero dura aſcendiſſe facultas.
Quid mihi gaudenti, proles Cyllenia, virga
Nuntiat? eſtne aliquid tam ſæuo in tempore lætum?
Nouerat effigiem, generóſique ardua Blæſi
Ora puer, dum ſæpe domi noua ſerta ligantem
Te videt, & ſimiles voluentem pectore curas.
Hunc vbi Lethæi luſtrantem gurgitis oras
Auſonios inter proceres, ſeriémque Quirini
Agnouit, timidè primum veſtigia iungit
Acceſſu tacito, ſummóſque laceſsit amictus.
Inde magis ſequitur: neque enim magis ille trahentem
Spernit, & ignota credit de ſtirpe nepotum.
Mox vbi delitias, & rari pignus amici
Senſit, & amiſsi puerum ſolatia Blæſi
Tollit humo, magnáque ligat ceruice, diúque
Ipſe manu gaudens vehit, & quæ munera mollis
Elyſij, ſteriles ramos, mutáſque volucres.
Porxit, & obtuſo pallentes germine flores.
Nec prohibet meminiſſe tui: ſed pectora blandus
Miſcet, & alternum pueri partitur amorem.
Hic finis rapto. quin tu iam vulnera ſedas,
Et tollis merſum luctu caput? omnia functa,
Aut moritura vides. obeunt noctéſque, diéſque,
Aſtráque: nec ſolidis prodeſt ſua machina terris.
Nam populos (mortale genus) plebiſque caducæ
Quis fleat interitus? Hos bella, hos æquora poſcunt:
His amor exitio, furor his, & ſæua cupido,
Vt ſileam morbos: hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido letalis Seirius igni,
Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu.
Quicquid habent ortus, finem timet. ibimus omnes,
Ibimus. immenſis vrnam quatit AEacus vmbris.

ſt hic quem gemimus felix hominéſque, deóſque,
t dubios caſus, & cæcæ lubrica vitæ.
ffugit, immunis fati. non ille rogauit,
on timuit, meruítue mori. Nos anxia plebes,
os miſeri, quibus vnde dies ſuprema, quis æui
xitus, incertum: quibus inſtet fulmen ab aſtris,
uæ nubes fatale ſonent. nil flecteris iſtis?
ed flectêre libens. ades huc emiſſus ab atro
imine, cui ſoli cuncta impetrare facultas
laucia (nam inſontes animas, nec portitor arcet,
ec diræ comes ille feræ) tu pectora mulce,
u prohibe manare genas; noctéſque beatas
ulcibus alloquiis, & viuis vultibus imple.
t periiſſe nega, deſolatámque ſororem,
uà potes, & miſeros perge inſinuare parentes.

SVRRENTINVM POLLII.

EST inter notos Sirenum nomine muros,
Saxáque Tyrrhenæ templis onerata Mineruæ
Celſa Dicarchei ſpeculatrix villa profundi,
Quà Bromio dilectus ager, colléſque per altos
Vritur, & prælis non inuidet vua Falernis.
Huc me poſt patrij lætum quinquennia luſtri,
um ſtadio iam pigra quies, canúſque ſederet
uluis, ad Ambracias conuerſa gymnade frondes,
rans gentile fretum placidi facundia Polli
etulit, & nitidæ iuuenilis gratia Pollæ,
lectere iam cupidum greſſus. quà limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.
ed iuuere moræ. placido lunata receſſu
Hinc atque hinc curuas perrumpunt æquora rupes.
Dat natura locum, montíque interuenit vnum
Littus, & in terras ſcopulis pendentibus exit.
ratia prima loci. gemina teſtudine fumant
alnea, & è terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari. leuis hic Phorci chorus, vdáque crines
ymodoce, viridíſque cupit Galatea lauari.

Ante domum tumidæ moderator cœrulus vndæ
Excubat, innocui cuſtos laris. huius amico
Spumant templa ſalo; felicia rura tuetur
Alcides. gaudet gemino ſub numine portus.
Hic ſeruat terras, hic ſæuis fluctibus obſtat.
Mira quies pelagi. ponunt hic laſſa furorem
Aequora, & inſani ſpirant clementius Auſtri.
Hic præceps minus audet hyems, nullóque tumultu
Stagna modeſta iacent, domini ique imitantia mores.
Inde per obliquas erepit porticus arces,
Vrbis opus: longóque domat ſaxa aſpera dorſo.
Quà prius obſcuro permixti puluere ſoles,
Et ferit as inamœna viæ, nunc ire voluptas:
Qualis ſi ſubeas Ephyres Baccheidos altum
Culmen, ab Inoo fert ſemita tecta Lechæo.
Non mihi ſi cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et ſuperet Pimplea ſitim, largéque volantis
Vngula ſedet equi, reſerétque arcana pudicos
Phæmonoë fontes, vel quos meus auſpice Phœbo
Altius immerſa turbauit Pollius vrna,
Innumeras valeam ſpecies, cultúſque locorum
Pieriis æquare modis. vix ordine longo
Suffecere oculis vix, dum per ſingula ducor,
Suffecere gradus. quæ rerum turba! locine
Ingenium, an domini mirer prius? hæc domus ortus
Aſpicit, & Phœbi tenerum iubar: illa cadentem
Detinet, exactámque negat dimittere lucem,
Cum iam feſſa dies, & in æquora montis opaci
Vmbra cadit, vitreóque natant prætoria Ponto.
Hæc pelagi clamore fremunt: hæc tecta ſonoros
Ignorant fluctus, terræque ſilentia malunt.
His fauit Natura locis, hic victa colenti
Ceſſit, & ignotos docilis manſueuit in vſus.
Mons erat hic, vbi plana vides. hæc luſtra fuerunt,
Quæ nunc tecta ſubis: vbi nunc nemora ardua cernis,
Hic nec terra fuit. domuit poſſeſſor, & illum
Formantem rupes, expugnantémque ſecuta
Gaudet humus. nunc cerne iugum diſcentia ſaxa,

trantéſque domos, iuſſumque recedere montem.
m Methymnæi vatis manus, & chelys vnà
ebais, & Getici cedat tibi gloria plectri.
tu ſaxa moues, & te nemora alta ſequuntur.
id referam veteres ceræque, ærisque, figuras?
quid Apellei gaudent animaſſe colores:
quid adhuc vacua, tamen admirabile, Piſa
ndiacæ raſere manus: quod ab arte Myronis,
ut Polycletæo iuſſum eſt quod viuere cœlo,
ráque ab Iſthmiacis auro potiora fauillis,
a ducum, & vatum, ſapientúmque ora priorum,
uos tibi cura ſequi, quos toto pectore ſentis
xpers curarum, atque animum virtute quieta
ompoſitus, ſemperque tuus. quid mille reuoluam
lmina? viſendique vices? ſua cuique voluptas,
tque omni proprium thalamo mare, tranſque iacentem
erea, diuerſis ſeruit ſua terra feneſtris.
æc videt Inarimen, illi Prochyta aſpera paret,
rmiger hac magni patet Hectoris: inde malignum
era reſpirat pelago circunflua Neſis,
nde vagis omen felix Euplea carinis,
uæque ferit curuos exerta Megalia fluctus
ngitur: & domino contra recubante, proculque
urrentina tuus ſpectat prætoria Limon.
na tamen cunctis procul eminet, vna diætis,
uæ tibi Partenopen directo limite Ponti
ngerit. hic Grais penitus delecta metallis
axa. quod Eoæ reſpergit vena Syenes,
ynade quod mæſta Phrygiæ fodere ſecures
er Cybeles lugentis agros, vbi marmore picto
andida purpureo diſtinguitur area gyro.
Hic & Amyclæi cæſum de monte Lycurgi
uod viret, & molles imitatur rupibus herbas.
Hic Nomadum lucent flauentia ſaxa, Thaſóſque,
t Chios, & gaudens fluctus ſpectare Cariſtos.
mnia Chalcidicas turres obuerſa ſalutant.
Macte animo quod grata probas, quod grata frequentas
Arua, nec inuideant quæ te genuere Dicarchi

Mœnia. nos docto melius potiemur alumno.
Quid nunc ruris opes, pontóque noualia dicam
Iniecta, & madidas Baccheo nectare rupes?
Sæpe per autumnum iam pubeſcente Lyæo
Conſcendit ſcopulos, noctiſque occulta ſub vmbra
Palmite maturo rorantia lumina terſit
Nereis, & dulces rapuit de collibus vuas.
Sæpe & vicino ſparſa eſt Vindemia fluctu
Et Satyri cecidere vadis. nudámque per vndas
Dorida montani cupierunt prendere Panes.
Sis felix tellus dominis ambobus in annos
Mygdonij, Pylijque ſenis, nec nobile mutes
Seruitium, nec te cultu Tirynthia vincat
Aula, Dicarcheique ſinus: nec ſæpius iſtis
Blanda Therapnæi placeant vineta Galeſi.
Hic ſeu ſiderias exercet Pollius artes,
Seu voluit monitus, quos dat Gargeticus author,
Seu noſtram quatit ille chelyn, ſeu diſſona nectit
Carmina, ſiue minax vltorem ſtringit iambon:
Huc leuis è ſcopulis meliora ad carmina Siren
Aduolat, & motis audit Tritonia criſtis.
Tunc rabidi ponunt flatus; maria ipſa vetantur
Obſtrepere: emergunt pelago, doctámque trahuntur
Ad chelyn, & blandi ſcopulis Delphines aderrant.
Viue Midæ gazis, & Lydo ditior auro.
Troica, & Euphrate ſupra diademata felix.
Quem non ambigui faſces, non mobile vulgus,
Non leges, non caſtra tenent: qui pectore magno,
Spémque metúmque domas, vitio ſublimior omni
Exemptus fatis, indignantémque refellis
Fortunam. dubio quem non in turbine rerum
Deprendet ſuprema dies: ſed abire paratum,
Ac plenum vita. nos vilis turba caducis
Deſeruire bonis, ſempérque optare parati,
Spargimur in caſus. celſa tu mentis ab arce
Deſpicis errantes, humanáque gaudia rides.
Tempus erat cum te geminæ ſuffragia terræ
Diriperent, celſúſque duas veherere per vrbes.

Inde Dicarcheis multum venerande colonis
Hinc aſcite meis; paritérque his largus, & illis,
Ac iuuenile calens, plectríque errore ſuperbus.
At nunc diſcuſſa rerum caligine, verum
Aſpicis, illo alij rurſus iactantur in alto.
At tua ſecuros portus, blandámque quietem
Intrauit non quaſſa ratis. ſic perge: nec vnquam
Emeritam in noſtras puppem demitte procellas.
Diſcite ſecuri, quorum de pectore mixtæ
In longum coiere faces, ſanctúſque pudicæ
Seruat amicitiæ leges amor. ite per annos,
Sæculáque, & priſcæ titulos præcedite famæ.
Túque nurus inter longè pulcherrima, cuius
Non frontem vertere minæ, ſed candida ſemper
Gaudia, & in vultu curarum ignara voluptas.
Non tibi ſepoſitas infelix ſtrangulat arca
Diuitias, auidíque animum diſpendia torquent
Fœnoris: expoſiti cenſus, & docta fruendi
Temperies. non vlla Deo meliore cohærent
Pectora, non alias decuit Concordia mentes.

ARBOR ATEDII

STAT, quæ perſpicuas nitidi Melioris opacet
Arbor aquas, complexa lacus, quæ robore ab imo
Curuata in nodos redit inde cacumine recto
Ardua, ceu mediis iterum naſcatur ab vndis,
Atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem.
Quid Phœbum tam parua rogem? vos dicite cauſas
Naides, & faciles (ſatis eſt) date carmina Fauni.
Nympharum teneræ fugiebant Pana cateruæ:
Ille quidem it, cunctas tanquam velit, it tamen vnam
In Pholoen. ſyluis hæc, fluminibúſque, ſequentis
Nunc hirtos greſſus, nunc improba cornua vitat.
Iamque & belligerum Iani nemus, atráque Caci
Rura, Quirinaléſque fuga ſuſpenſa per agros
Cælica tecta ſubit. iam demum victa labore,

Feſſa metu, quâ nunc placidi Melioris aperti
Stant ſine fraude lares: flauos collegit amictus
Arctius, & niueæ poſuit ſe margine ripæ
Inſequitur velox pecorum Deus, & ſua credit
Connubia. ardenti iamiam ſuſpiria librat
Pectore, iam prædæ leuis imminet. ecce citatos
Aduertit Diana gradus: dum per iuga ſeptem
Errat, Auentinæque legit veſtigia terræ.
Pœnituit vidiſſe Deam: conuerſáque fidas
Ad comites, Nunquámne auidis arcebo rapinis
Hoc petulans, fœdúmque pecus? ſempérque pudici
Decreſcet mihi turba chori? ſic deinde locuta
Depromit pharetra telum breue, quod neque flexis
Cornibus, aut ſolito torquet ſtridore, ſed vna
Emiſit contenta manu, leuúmque ſoporem
Naidos, auerſa fertur tetigiſſe ſagitta.
Illa Deam pariter ſurgens, hoſtémque proteruum
Vidit, & in fontem, niueos ne panderet artus,
Sic tota cum veſte ruit, ſtagníſque ſub altis
Pana ſequi credens, ima latus implicat alga.
Quid faceret ſubito deceptus prædo? nec altis
Credere corpus aquis hirtæ ſibi conſcius audet
Pellis, & à tenero nandi rudis: omnia queſtus,
Immitem Bromium, ſtagna inuida, & inuida tela,
Primæuam viſu platanum, cui longa propago,
Innumeræque manus, & iturus in æthera vertex,
Depoſuit iuxta, viuámque aggeſſit arenam,
Optatíſque aſpergit aquis, & talia mandat.
Viue diu noſtri pignus memorabile voti·
Arbor, & hæc duræ latebroſa cubilia nymphæ
Tu ſaltem decliuis ama, preme frondibus vndam,
Illa quidem meruit: ſed ne precor igne ſuperno
Aeſtuet, aut dura feriatur grandine, tantum
Spargere tu laticem, & foliis turbare memento.
Tunc ego téque diu recolam, dominámque benignæ
Sedis, & illæſa tutabor vtramque ſenecta.
Et Iouis, & Phœbi frondes, & diſcolor vmbra
Populus, & noſtræ ſtupeant tua germina pinus.

Sic ait. illa Dei veteres animata calores
Vberibus ſtagnis, obliquo pendula trunco
Incubat; atque vmbris ſinuatur amantibus vndas.
Sperat & amplexus, ſed aquarum ſpiritus arcet,
Nec patitur tactus: tandem eluctata, ſub auras
Libratur fundo, rurſúſque enode cacumen
Ingenioſa leuat, veluti deſcendat in imos
Stirpe lacus alia. iam nec Phœbeia Nais
Odit, & excluſos inuitat gurgite ramos.
Hæc tibi parua quidem geniali luce paramus
Dona, ſed ingenti forſan victura ſub æuo.
Tu cuius placido poſuere in pectore ſedem
Blandus Honos, hilaríſque (tamen cum pondere) Virtus:
Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec ſpes
Improba, ſed medius per honeſta & dulcia limes.
Incorrupte fidem, nullóſque experte tumultus,
Et ſecrete palam qui digeris ordine vitam,
Idem auri facilis contemptor, & optimus idem
Condere diuitias, opibúſque immittere lucem
Hâc longum, florens animi morúmque, iuuentâ
Iliacos æquare ſenes, & vincere perſta,
Quos pater Elyſio, genitrix quos detulit annos.
Hoc illi duras exorauere ſorores:
Hoc, quæ te ſub teſte, ſitum fugitura tacentem
Ardua magnanimi reuireſcit gloria Blæſi.

PSITTACVS MELIORIS.

PSITTACE dux volucrum, domini facunda voluptas,
Humanæ ſolers imitator Pſittace linguæ:
Quis tua tam ſubito præcluſit murmura fato?
Heſternas miſerande dapes moriturus iniſti
Nobiſcum, & gratæ carpentem munera menſæ,
Errantémque toris mediæ plus tempore noctis
Vidimus, affatus etiam meditatáqae verba
Reddideras. at nunc æterna ſilentia Lethes
Ille canorus habes. cedat Phaetontia vulgi
Fabula; nec ſoli celebrant ſua funera Cycni.

At tibi quanta domus! rutila teſtudine fulgens,
Connexúſque ebori virgarum argenteus ordo,
Argutúmque tuo ſtridentia limina cornu,
Et querulæ iam ſponte fores: vacat ille beatus
Carcer, & anguſti nuſquam conuitia tecti.
Huc doctæ ſtipentur aues, quîs nobile fandi
Ius natura dedit. plangat Phœbeius ales,
Auditáſque memor penitus dimittere voces
Sturnus, & Aonio verſæ certamine Picæ:
Quique refert iungens iterata vocabula Perdix:
Et quæ Biſtonio queritur ſoror orba cubili.
Ferte ſimul gemitus, cognatáque ducite flammis
Funera, & hoc cunctæ miſerandum addiſcite carmen.
Occidit aëriæ celeberrima gloria gentis
Pſittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ,
Quem non gemmata volucris Iunonia cauda
Vinceret aſpectu, gelidi non Phaſidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere ſub Auſtro.
Ille ſalutator regum, noménque locutus
Cæſareum, & queruli quondam vicefunctus amici.
Nunc conuiua leuis, monſtratáque reddere verba
Tam facilis: quo tu Melior dilecte recluſo
Nunquam ſolus eras. at non inglorius vmbris
Mittitur; Aſſyrio cineres adolentur amomo,
Et tenues Arabum reſpirant gramine plumæ,
Sicaniíſque crocis. ſenio nec feſſus inerti
Scandet odoratos Phœnix felicior ignes.

LEO MANSVETVS IMP.

QVID tibi conſtrata manſueſcere profuit ira?
Quid ſcelus, humanáſque animo dediſcere cædes?
Imperiúmque pati, & domino parere minori?
Quid quod abire domo, rurſúſque in clauſtra reuerti
Suetus, & à capta iam ſponte recedere præda,
Inſertáſque manus laxo dimittere morſu?
Occidis altarum vaſtator docte ferarum,
Non grege Maſſyllo, curuáque indagine clauſus,

Non

Ton formidato ſupra venabula ſaltu
ncitus, aut cæco foueæ deceptus hiatu.
ed victus fugiente fera. ſtat cardine aperto
nfelix cauea, & clauſas circùm vndique portas
Ioc licuiſſe nefas pauidi timuere Leones.
'unc cunctis cecidere iubæ, puduítque relatum
Aſpicere, & totas duxere in lumina frontes.
At te non primo fuſum nouus obruit ictu
lle pudor. manſere animi, virtúſque cadenti
A media iam morte redit. nec protinus omnes
'erga dedere minæ. ſicut ſibi conſcius alti
'ulneris, aduerſum moriens it miles in hoſtem,
Attollitque manum, & ferro labente minatur:
ic piger ille gradu, ſolitóque exutus honore
irmat hians oculos, animámque, hoſtémque requirit.
Magna tamen ſubiti tecum ſolatia lethi
'icte feres, quòd te mœſti Populúſque Patréſque,
'eu notus caderes triſti gladiator arena,
ngemuere mori: magni quòd Cæſaris ora
nter tot Scythicas, Libycáſque, & littore Rheni,
t Pharia de gente feras, quas perdere vile eſt,
'nius amiſſi tetigit iactura Leonis.

EPICEDION PILETI VRSI.

SAEVE nimis, lachrymis quiſquis diſcrimina ponis
Lugendíque modos. miſerum eſt primæua parenti
Pignora, ſurgentéſque nefas accendere natos.
Durum & deſerti, prærepta coniuge, partem
Conclamare tori. mœſta & lamenta ſororum,
t fratrum gemitus. arcte tamen, & procul intrat
Altius in ſenſus, maioráque vulnera vincit
'laga minor: famulum (quoniam rerum omnia cæca
ic miſcet Fortuna manu, nec pectora mouit)
ed famulum gemis Vrſe pium. ſed amore, fidéque
Ias meritum lachrymas; cui maior ſtemmate iuncto
ibertas ex mente fuit. ne comprime fletus,
Ne pudeat: rumpat frenos dolor iſte, Deíſque

Si tam dura placent. hominem gemis (hei mihi ſubdo
Ipſe faces) hominem Vrſe, tuum cui dulce volenti
Seruitium, cui triſte nihil, quiſponte ſibique
Imperioſus erat. quíſnam hæc in funera miſſos
Caſtiget luctus? gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidóſque canes fleuere Moloſsi,
Et volucres habuere rogum, ceruúſque Maronis.
Quid ſi nec famulus (vidi ipſe, animoſque notaui
Te tantum cupientis herum) ſed maior in ore
Spiritus, & tenero manifeſti in ſanguine mores?
Optarent multum Graiæ cuperéntque Latinæ
Sic peperiſſe nurus. non talem Creſſa ſuperbum
Callida ſollicito reuocauit Theſea filo.
Nec Paris Oebalios talis viſurus amores
Ruſticus, inuitus deiecit in æquora pinus.
Non fallo, aut cantus aſſueta licentia ducit.
Vidi, & adhuc & video, qualem nec bella cauentem
Littore virgineo Thetis occultauit Achillem.
Nec circum ſæui fugientem mœnia Phœbi
Troilon AEmoniæ deprendit lancea dextræ.
Qualis eras! procul heu cunctis pueríſque, viríſque
Pulchrior, & tantum domino minor. illius vnus
Ante decor; quantum præcedit clara minores
Luna faces, quantúmque alios premit Heſperus ignes.
Non tibi fœmineum vultu decus, oráque ſupra
Mollis honos. qualis dubiæ poſt crimina formæ
De ſexu tranſire iubent: paruóque virilis
Gratia, nec petulans acies, blandíque ſeuero
Igne oculi (qualis bellis iam caſside viſa
Parthenopeus erat) ſimpléxque horrore decoro
Crinis, & obſeſſæ nondum, primóque micantes
Flore genæ. talem Ledæo gurgite pubem
Educat Eurotas. teneri ſic integer æui
Elin adit, primóſque Ioui puer approbat annos.
Nam pudor inde nouæ mentis, tranquilláque morum
Temperies, teneróque animus maturior æuos
(Carmine quo donaſse queam?) Sæpe ille volentem
Caſtigabat herum, ſtudióque, altíſque iuuabat

onſiliis. tecum triſtíſque, hilariſque, nec vnquam
lle ſuus: vultúmque tuo ſumebat ab ore.
Dignus & Æmonium Pyladen præcedere fama,
Cecropiámque fidem. ſed laudum terminus eſto,
Quem fortuna ſinit. non mente fidelior ægra
Sperauit tardi reditus Eumæus Vlyſsis.
Quis Deus, aut quiſnam tam triſtia vulnera caſus
Eligit? vnde manus fatis tam certa nocendi?
O quàm diuitiis cenſúque exutus opimo
Fortior Vrſe fores, ſi vel fumante ruina
Ructaſſent dites Veſuuina incendia Locros,
Seu Polentinos merſiſſent flumina ſaltus,
Seu Lucanus ager, ſeu Tybridis impetus altas
In dextram torſiſſet aquas. paterere ſerena
Fronte Deos: ſiue alma fidem, meſſeſque negaſſet
Cretáque, Cyrenéque, & qua tibi cunque beato
Larga redit Fortuna ſinu. ſed gnara dolorum
Inuidia infelix, animi vitalia vidit,
Lædendíque vias. vitæ modo carmen adultæ
Nectere tentabat iuuenum pulcherrimus ille,
Cum tribus Eleis vnam Trieterida luſtris.
Attendit toruo triſtis Rhamnuſia vultu,
Ac primum impleuítque toros, oculíſque nitorem
Addidit, & ſolito ſublimius ora leuauit,
(Heu miſero lethale fauens!) ſeſéque videndo
Torſit & inuidia, mortémque amplexa, iacenti
Iniecit nexus, carpsítque immitis aduncâ
Ora verenda manu. quinta vix Phoſphoros hora
Rorantem ſternebat equum; iam littora duri
Sæua Pilete ſenis, durúmque Acheronta videbas.
Quo domini clamante ſono! non ſæuius atros
Nigraſſet planctu genitrix tibi ſæua lacertos,
Nec pater: & certè qui vidit funera frater
Erubuit vinci. ſed nec ſeruilis adempto
Ignis; odoriferos exhauſit flamma Sabæos,
Et Cilicum meſſes, Phariæque exempta volucri
Cinnama, & Aſſyrio manantes gramine ſuccos.
At domini fletus, hos tantum hauſere fauillæ,

Hos bibit vſque rogus. nec quod tibi Setia canos
Reſtinxit cineres, gremio nec lubricus oſſa
Quod vallauit Onyx, miſeris acceptius vmbris
Quàm gemitus. ſed & ipſe iuuat, quod terga dolori
Vrſe damus? quid damna foues? & pectore iniquo
Vulnus amas? vbi nota reis facundia raptis?
Quid caram crucias tam ſæuis luctibus vmbram?
Eximius licet ille animi, meritúsque dolorem
Soluiſti. ſubit ille pios, carpſitque quietem
Elyſiam, claróſque illic fortaſſe parentes
Inuenit: aut illic per amœna ſilentia Lethes
Forſan Auernales alludunt vndique mixtæ
Naides, obliquóque notat Proſerpina vultu.
Pone precor quæſtus, alium tibi fata Pileton
Forſan & ipſe dabit, moréſque, habitúmque decoris
Monſtrabit gaudens, ſimilémque docebit amorem.

GENETHLIACON LVCANI.

LVCANI proprium diem frequentet,
Quiſquis collibus Iſthmiæ Diones
Docto pectora concitatus æſtro,
Pendentis bibit vngulæ liquorem.
Ipſi, quos penes eſt honor canendi,
Vocalis citharæ repertor Arcas,
Et tu Baſſaridum rotator Euan,
Et Pean, & Hyantiæ ſorores,
Læta purpureas nouate vittas.
Crinem comite, candidámque veſtem
Perfundant hederæ recentiores.
Docti largiùs euagentur amnes,
Et plus Aoniæ virete ſyluæ.
Et ſi qua patet, aut diem recepit,
Sertis mollibus expleatur vmbra.
Centum Theſpiacis odora lucis
Stent altaria, victimæque centum,
Quas Dirce lauat, aut alit Cithæron.
Lucanum canimus, fauete linguis:

Veſtra eſt iſta dies, fauete Muſæ;
Dum qui vos geminas tulit per artes
Et uinctæ pede vocis, & ſolutæ,
Romani colitur chori ſacerdos.
Felix heu nimis, & beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus,
Summis Oceani vides in vndis,
Stridorémque rotæ cadentis audis:
Quæ Tritonide fertiles Athenas
Vnctis Bætica prouocas trapetis.
Lucanum potes imputare terris.
Hoc plus quàm Senecam dediſſe mundo.
Aut dulcem generaſſe Gallionem.
Attollat refluos in aſtra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.
Bætin Mantua prouocare noli.
Natum protinus, atque humum per ipſam,
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope ſinu recepit.
Tum primum poſito remiſſa luctu
Longos Orpheos exuit dolores:
Et dixit, puer ô dicate Muſis,
Longæuos cito tranſiture vates,
Non tu flumina, nec greges ferarum,
Nec plectro Geticas mouebis ornos:
Sed ſeptem iuga, Martiúmque Tybrim,
Et doctos equites, & eloquente
Cantu purpureum trahes Senatum.
Nocturnas alij Phrygum ruinas,
Et tardi reducis vias Vlyſsis,
Et puppem temerariam Mineruæ
(Trita vatibus orbitâ) ſequantur.
Tu carus Latio, memórque gentis
Carmen fortior exeris togatum.
Ac primum, teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Theſſalóſque currus,
Et ſupplex Priami potentis aurum.
Et ſedes reſerabis inferorum.

Ingratus Nero dulcibus theatris,
Et noſter tibi præferetur Orpheus.
Dices culminibus Remi vagantis
Infandos domini nocentis ignes.
Tu caſtæ titulum, decúſque Pollæ
Iucunda dabis allocutione.
Mox cœpta generoſior iuuenta
Albos oſsibus Italis Philippos,
Et Pharſalica bella detonabis.
Et fulmen ducis inter arma diui,
Libertate grauem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.
Tu Peluſiaci ſcelus Canopi
Deflebis pius, & Pharo cruenta
Pompeio dabis altius ſepulchrum.
Hæc primo iuuenis canes ſub æuo,
Ante annos culicis Maroniani.
Cedet Muſa rudis ferocis Enni,
Et docti furor arduus Lucreti.
Et qui per freta duxit Argonautas.
Et qui corpora prima transfigurat.
Quin maius loquor, ipſa te Latinis
AEneis venerabitur canentem.
Nec ſolum dabo carminis nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio tuo decoram:
Qualem blanda Venus, daretque Iuno,
Forma, ſimplicitate, comitate,
Cenſu, ſanguine, gratia, decore.
Et veſtros Hymenæon ante poſtes
Feſtis cantibus ipſa perſonabo.
O ſæuæ nimium, grauéſque Parcæ!
O nunquam data feſta longa! ſummis
Cur plus ardua caſibus petatis?
Cur ſæua vice magna non ſeneſcunt?
Sic natum Naſamonii Tonantis
Poſt ortus, obituſque fulminatos,
Anguſto Babylon premit ſepulchro.
Sic fixum Paradis manu trementis

eliden Thetis horruit cadentem.
ic ripis ego murmurantis Hebri
Non mutum caput Orpheos ſequebar.
ic & tu (rabidi nefas Tyranni!)
uſſus præcipitem ſubire Lethen,
Dum pugnas canis, arduáque voce
as ſolatia grandibus ſepulchris,
(O dirum ſcelus! O ſcelus!) tacebis.
ic fata eſt, leuitérque decidentes
Abraſit lachrymas nitente plectro.
At tu, ſeu rapidum poli per axem
amæ curribus arduis leuatus,
uá ſurgunt animæ potentiores
erras deſpicis, & ſepulchra rides:
eu pacis merito nemus recluſæ
elix Elyſiis tenes in oris,
Quo Pharſalica turba congregatur,
t te nobile carmen inſonantem
ompei comitantur, & Catones:
u magna ſacer & ſuperbus umbra
Neſcis Tartaron, & procul nocentum
Audis verbera, pallidúmque viſa
Matris lampade reſpicis Neronem,
Adſis lucidus, & vocante Polla
num quæſo diem Deos ſilentum
xores. (ſolet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.)
Hæc te non thiaſis procax doloſis
alſi numinis induit figuras.
pſum ſed colit, & frequentat ipſum.
mis altius inſitum medullis.
Ac ſolatia vana ſubminiſtrat
ultus, qui ſimili notatus auro
tratis prænitet, incubátque ſomno.
ecuræ procul hinc abite mortes,
Hæc vitæ genialis eſt origo.
edat luctus atrox, geniſque manent
am dulces lachrymæ, dolórque feſſus
Quicquid fleuerat antè, nunc adoret.

PAPINII SVRCVLI STATII

SILVARVM LIBER TERTIVS

AD POLLIVM.

TIBI certè (Polli dulciſſime, & hac, cui tã fideliter inhæres, quiete digniſsime) non habeo probandam diu libellorum iſtorũm temeritatem: cum ſcias multos ex illis in ſinu tuo ſubito natos, & hanc audaciam ſtili noſtri frequenter expaueas, quoties in illius facundiæ tuæ penetrale ſeductus, altius literas intro, & in omnes à te ſtudiorum ſinus ducor. Securus itaque tertius hic Siluarum noſtrarum liber ad te mittitur. Habuerat quidem & ſecundus teſtem; ſed hic habet authorem. Nam primum limen eius Hercules Surrentinus aperit, quem in litore tuo conſecratum, ſtatim vt videram, his verſibus adoraui. Sequitur libellus, quo ſplendidiſſimum & mihi iucundiſſimum iuuenem, Metium Celerem, à ſacratiſſimo Imperatore miſſum ad legionem Syriacam, quia ſequi non poteramus, ſic proſecutus ſum. Merebatur & Claudij Etruſci mei pietas aliquod ex ſtudiis noſtris ſolatium, cum lugeret veris (quod amariſſimum eſt) lachrymis ſenem patrem. Earinus præterea Germanici Dei noſtri libertus ſcit, quandiu deſiderium eius moratus ſim, cum petiſſet vt capillos ſuos, quos cum gemmata pixide, & ſpeculo ad Pergameum Aſclepium mittebat, verſibus dedicarem. Summa eſt Ecloga, qua mecum ſecedere Neapolim Claudiam meam exhortor. Hic, ſi verum dicimus, ſermo eſt quidem ſecurus, vt cũ vxore, & qui perſuadere malit, quàm placere. huic præcipuè libello fauebis, cùm ſcias hanc deſtinationem quietis meæ, tibi maximè intendere: meque non tam in patriam, quàm ad te ſecedere.

HERCV

HERCVLES
SVRRENTINVS.

INTERMISSA tibi renouat Tyrinthie ſacra
Pollius, & cauſas deſignat deſidis anni,
Quod coleris maiore tholo, nec littora pauper
Nuda tenes, tectúmque vagis habitabile nautis:
Sed nitidos poſtes, Graiíſque effulta metallis
Culmina, ceu tædis iterum luſtratus honeſti
Ignis, ab Oetæa conſcenderis æthera flamma.
Vix oculis, animóque fides. túne ille recluſi
Liminis, & paruæ cuſtos inglorius aræ?
Vnde hæc aula recens? fulgórque inopinus agreſti
Alcidæ? ſunt fata Deûm, ſunt fata locorum.
O velox pietas! ſteriles hic nuper arenas,
Aſperſum pelago montis latus, hirtáque dumis
Saxa, nec vlla pati faciles veſtigia terras,
Cernere erat. quænam ſubito fortuna rigentes
Ductauit ſcopulos? Tyrióne hæc mœnia plectro,
An Getica venere lyra? ſtupet ipſe labores
Annus, & anguſto biſſeni limite menſes
Longæuum mirantur opus. Deus adtulit arces
Erexitque ſuas. atque obluctantia ſaxa
Summouit nitens, & magno pectore montem
Reppulit. immitem credas iuſſiſſe Nouercam.
Ergo age, ſeu patrios, liber iam legibus, Argos
Incolis, & merſum tumulis Euryſthea calcas:
Siue tui ſolium Iouis, & virtute parata
Aſtra tenes, hauſtúmque tibi ſuccincta beati
Nectaris, excluſo melior Phryge porrigit Hebe,
Huc ades, & Genium templis naſcentibus inſer.

Non te Lerna nocens, nec pauperis arua Molorchi,
Nec formidatus Nemees ager, antráque poſcunt
Thracia, nec Pharij polluta altaria Regis.
Sed felix, ſimpléxque domus, fraudúmque malarum
Inſcia, & hoſpitibus ſuperis digniſsima ſedes.
Pone truces arcus, agménque immite pharetræ:
Et regum multo perfuſum ſanguine robur,
Luſtratúmque humeris dimitte gerentibus hoſtem.
Hic tibi Sidonio celſum puluinar acantho
Texitur, & ſignis creſcit torus aſper eburnis.
Pacatus, mitíſque veni. nec turbidus ira,
Nec famulare timens, ſed quem te Mænalis Auge
Confectum thiaſis, & multo fratre madentem,
Detinuit. qualémque vagæ poſt crimina noctis
Theſpius obſtupuit toties ſocer. hic tibi feſta
Gymnas, & inſontes iuuenum ſine ceſtibus iræ,
Annua veloci peragunt certamina luſtro.
Hic templis inſcriptus, auo gaudente, ſacerdos
Paruus adhuc, ſimilíſque tui cum prima Nouercæ
Monſtra manu premeres, atque exanimata doleres.
Sed quæ nam ſubiti veneranda exordia templi?
Dic age Calliope. ſocius tibi grande ſonabit
Alcides, tenſóque modos imitabitur arcu.
Tempus erat, cæli cum torrentiſsimus axis
Incumbit terris, ictúſque Hyperione multo
Acer anhelantes incendit Sirius agros.
Iámque dies aderat, profugus cum regibus aptum
Fumat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus. ipſa coronat
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit,
Et tutas ſinit ire feras: omníſque pudicis
Itala terra focis Hecateias excolit Idus.
Aſt ego Dardaniæ quamuis ſub collibus Albæ
Rus proprium, magníque ducis mihi munere currens
Vnda, domi curas mulcere, æſtúſque leuare
Sufficerent, notas Sirenum nomine rupes,
Facundíque larem Polli non hoſpes habebam
Aſsiduè; moréſque viri, pacémque, nouóſque

Pieridum flores, intactáque carmina diſcens.
Forte diem Triuiæ dum littore ducimus vdo
Anguſtáſque fores, aſſuetáque tecta grauamus
Frondibus, & patula defendimus arbore ſoles,
Delituit cælum, & ſubitis lux candida ceſsit
Nubibus, & tenuis grauiore Fauonius Auſtro
Immaduit: qualem Libyæ Saturnia nimbum
Attulit Iliaco, dum diues Eliſa marito
Donatur, teſtéſque vlulant per deuia Nymphæ.
Diffugimus, feſtáſque dapes, redimitáque vina
Abripiunt famuli, ne quo conuiuia migrent.
Quamuis innumeræ gaudentia rura ſupernè
Inſedere domus, & multo culmine diues
Mons nitet, inſtantes ſed proxima quærere nimbi
Suadebant, læſique fides reditura ſereni.
Stabat dicta ſacri tenuis caſa nomine templi,
Et magnum Alciden humili lare parua premebat,
Fluctiuagos nautas, ſcrutatoréſque profundi
Vix operire capax. huc omnis turba coimus,
Huc epulæ, ditéſque tori, cœtúſque miniſtrûm
Stipantur, nitidæque cohors gratiſsima Pollæ.
Non cepere fores, anguſtáque deficit ædes.
Erubuit riſítque Deus, dilectáque Polli
Corda ſubit, blandíſque virum complectitur vlnis.
Túne, inquit, largitor opum, qui mente profuſa
Tecta Dicarchei pariter, iuuenémque repleſti
Parthenopen: noſtro qui tot faſtigia monti,
Tot virides lucos, tot ſaxa imitantia vultus,
Æráque, tot ſcripto viuentes limine ceras
Fixiſti! quid enim iſta domus? quid terra? priuſquam
Te gauderet, erant? longo tu tramite nudos
Texiſti ſcopulos: fuerátque vbi ſemita tantum,
Nunc ibi diſtinctus ſtat porticus alta columnis.
Ne ſorderet iter curui tu littoris ora
Clauſiſti calidas gemina teſtudine lymphas.
Vix opera enumerem. mihi pauper, & indigus vni
Pollius, & tales hilaris tamen intro penates,
Et littus, quod pandus amo. ſed proxima ſedem

Deſpicit, & tacitè ridet mea numina Iuno.
Da templum, dignáſque tuis conatibus aras,
Quas puppes velis nolint tranſire ſecundis.
Quo pater ætherius, menſiſque accita deorum
Turba, & ab excelſo veniat ſoror hoſpita templo.
Nec te, quod ſolidus contra riget vmbo maligni
Montis, & immenſo non vnquam exeſus ab æuo
Terreat. ipſe adero, & conamina tanta iuuabo
Aſperáque inuitæ perfringam viſcera terræ.
Incipe, & Herculeis fidens hortatibus aude.
Non Amphioniæ ſteterint velocius arces,
Pergameuſúe labor. dixit, mentémque reliquit.
Nec mora, conſcriptâ formatur imagine tela.
Innumeræ coiere manus. his cædere ſiluas,
Et leuare trabes: illis immergere curæ
Fundamenta ſolo. coquitur pars vuida terræ
Protectura hyemes, atque excluſura pruinas.
Indomitusque ſilex curua fornace liqueſcit.
Præcipuus ſed enim labor eſt exſcindere dextra
Oppoſitas rupes, & ſaxa rigentia ferro.
Hic pater ipſe loci, poſitus Tirynthius armis
Inſudat, validáque ſolum deforme bipenni,
Cum graue nocturna cœlum ſubtexitur vmbra,
Ipſe fodit. dites Capreæ, viridéſque reſultant
Taurubulæ, & terris ingens redit æquoris Echo.
Non tam grande ſonat motis incudibus Aetna,
Cum Brontes, Steropéſque ferit. nec maior ab antris
Lemniacis fragor eſt, vbi flammeus Aegida cælat
Mulciber, & caſtis exornat Pallada donis.
Decreſcunt ſcopuli, & roſea ſub luce reuerſi
Artifices mirantur opus: vix annus anhelat
Alter, & ingenti diues Tyrinthius arce
Deſpectat fluctus, & iunctæ tecta Nouercæ
Prouocat, & dignis inuitat Pallada templis.
Iam placidæ dant ſigna tubæ, iam fortibus ardens
Fumat arena ſacris: hos nec Piſæus honores
Iupiter, aut Cyrrhæ pater aſpernetur opacæ.
Nil his triſte locis. cedat lachrymabilis Iſthmos:

Cedat atrox Nemee. litat hic felicior infans.
Ipſæ pumiceis virides Nereides antris
Exiliunt vltro, & ſcopulis humentibus hærent.
Nec pudet occultè nudas ſpectare palæſtras.
Spectat & Icario nemoroſus palmite Gaurus,
Syluáque, quæ fixam pelago Neſida coronat.
Et placidus Limon, numénque Euplæa carinis.
Et Lucrina Venus, Phrygióque è vertice Graias
Addiſcis Myſene tubas. ridétque benigna
Parthenope gentile ſacrum, nudóſque virorum
Certatus, & parua ſuæ ſimulachra coronæ.
Quin age, & ipſe libens proprij certaminis actus
Inuicta dignare manu. ſeu nubila diſco
Findere, ſeu volucres Zephyros præuertere telo;
Seu tibi dulce manu Libycas nudare palæſtras,
Indulge in ſacris, & ſi tibi poma ſuperſunt
Heſperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ:
Nam capit, & tantum non dedignatur honorem.
Quod ſi dulce decus, virideſque reſumeret annos,
(Da veniam Alcide) fors huic & penſatuliſſes.
Hæc ego naſcentes lætus bacchatus ad aras
Libamenta tuli. nunc ipſum in limine cerno
Soluentem voces, & talia dicta ferentem.
Macte animis, opibúsque, meos imitate labores,
Qui rigidas rupes, infœcundæque pudenda
Naturæ deſerta domas, & vertis in vſum
Luſtra habitata feris, fœdéque latentia profers
Numina. quæ tibi nunc meritorum præmia ſoluam?
Quas referam grates? Parcarum fila tenebo,
Extendámque colus, duram ſcio vincere mortem.
Auertam luctus, & triſtia damna vetabo.
Teque nihil læſum, viridi renouabo ſenectâ.
Concedámque diu iuuenes ſpectare nepotes:
Donec & hic ſponſæ maturus, & illa marito.
Rurſus & ex illis ſoboles noua, gréxque proteruus
Nunc humeris irreptet aui, nunc agmine blando
Certatim placidæ concurrat ad oſcula Pollæ.
Nam templis nunquam ſtatuetur terminus æui,

Dum me flammigeri portabit machina cæli,
Nec mihi plus Nemee, priſcúmque habitur Argos,
Nec Tiburna domus, ſoliſque cubilia Gades.
Sic ait: & tangens ſurgentem altaribus ignem,
Populeáque mouens albentia tempora ſylua,
Et ſtyga, & ætherei iurauit fulmina patris.

PROPEMPTICON
METII CELERIS.

DI quibus audaces amor eſt ſeruare carinas,
Sæuáque ventoſi mulcere pericula ponti.
Sternite molle fretum, placidúmque aduertite votis
Concilium, & leuis non obſtrepat vnda precanti.
Grande tuo, rarúmque damus Neptune profundo
Depoſitum. iuuenis dubio committitur alto
Metius. atque animæ partem ſuper æquora noſtræ
Maiorem transferre parat. proferte benigna
Sydera, & antennæ gemino conſiſtite cornu
Oebalij fratres. vobis pontúſque, polúſque,
Luceat. Iliacæ longè nimboſa ſororis
Aſtra fugate precor, totóque excludite cælo.
Vos quoque cœruleum diuæ Nereides agmen,
Quis honor, & regni ceſsit fortuna ſecundi,
(Dicere quæ magni fas ſit mihi ſydera ponti)
Surgite de vitreis ſpumoſæ Doridos antris;
Baianóſque ſinus, & fœta tepentibus vndis,
Littora, tranquillo certatim ambite natatu,
Quærentes vbi celſa ratis, quã ſcandere gaudet
Nobilis Auſoniæ Celer armipotentis alumnus.
Nec quærenda diu, modo nam trans æquora terris
Prima Dicarcheis Pharium grauis intulit annum.
Prima ſalutauit Capreas, & margine dextro
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Mineruæ.
Huius vtrúmque latus molli percingite gyro,
Et partite vices. vos ſtuppea tendite mali
Vincula, vos ſummis annectite ſuppara velis.
Vos Zephyris aperite ſinus; pars tranſtra reponat,
Pars demittat aquis curuæ moderamina puppis.

Sint quibus exploret rupes grauis arte Molorchus,
Quæque ſecuturam religent poſt terga Phaſelon,
Vncáque ſubmerſæ penitus retinacula vellant.
Temperet hæc æſtus, pelagúſque inclinet ad ortus.
Officio careat glaucarum nulla ſororum.
Hinc multo Proteus, gemino hinc & corpore Triton
Prænatet, & ſubitis qui perdidit inguina monſtris
Glaucus, adhuc quoties patriis allabitur oris
Littoream blanda feriens Anthedona cauda.
Tu tamen ante omnes diua cum matre Palæmon
Annue, ſi veſtras amor eſt mihi pandere Thebas.
Nec cano degeneri Phœbeium Amphiona plectro:
Et pater, Æolio frangit qui carcere ventos,
Cui varij flatus, omníſque per æquora mundi
Spiritus, ac hyemes nimboſáque nubila parent,
Arctius obiecto Borean, Eurúmque, Notúmque
Monte premat. ſoli Zephyro ſit copia cæli:
Solus agat puppes, ſummáſque ſupernatet vndas
Aſsiduus pelago, donec tua turbine nullo
Læta Paretoniis aſsignet carbaſa ripis.
Audimur. vocat ipſe ratem, nautáſque morantes
Increpat. ecce meum timido iam frigore pectus
Labitur, & nequeo, quamuis mouet ominis horror,
Claudere ſuſpenſos oculorum in margine fletus.
Iamque ratem terris diuiſit fune ſoluto
Nauita, & anguſtum deiecit in æquora pontem.
Sæuus vbi è puppi longo clamore magiſter
Diſsipat amplexus, atque oſcula fida reuellit,
Nec longum cara licet in ceruice morari.
Attamen in terras è plebe nouiſsimus omni
Ibo, nec egrediar niſi iam cedente carina.
Quis rude, & abſciſſum miſeris animantibus æquor
Fecit iter? ſolidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagóque immiſit hiantes?
Audax ingenij! nec enim temeraria Virtus
Illa magis, ſummæ gelidum quæ Pelion Oſſæ
Iunxit, anhelantémque iugis bis preſsit Olympum.
Vſque adeóne parum lentas tranſire paludes?

Stagnaque, & anguſtos ſubmittere pontibus amnes?
Imus in abruptum, gentilèſque vndique terras
Fugimus, exigua clauſi trabe, & aere nudo.
Inde furor ventis, indignatæque procellæ,
Et cæli fremitus, & fulmina plura Tonanti.
Ante rates, pigro torpebant æquora ſomno,
Nec ſpumare Thetis, nec ſpargere nubila fluctus
Audebant; viſis tumuerunt puppibus vndæ,
Inque hominem ſurrexit hyems. tunc nubila Plias,
Oleniúmque pecus, ſolito tunc peior Orion.
Iuſta queror. fugit ecce vagas ratis acta per vndas
Paulatim minor, & longè ſeruantia vincit
Lumina, tot gracili ligno complexa timores,
Quæque ſuper reliquos, te noſtri pignus amoris
Portatura Celer. quos nunc ego pectore ſomnos
Quóſque queam perferre dies? quis cuncta pauenti
Nuntiet, an facili te prætermiſerit vnda
Lucani rabida ora maris? num torua Charybdis
Fluctuet? aut Siculi populatrix virgo profundi?
Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores?
Quæ pax Carpathio? quali te ſubuehat aura
Doris Agenorei furtis blandita iuuenci.
Sed merui queſtus. quid enim te caſtra petente
Non vel ad ignotos ibam comes impiger Indos?
Cimmeriúmque chaos? ſtarem prope bellica regis
Signa mei. ſeu tela manu, ſeu frena teneres,
Armatis ſeu iura dares, operúmque tuorum
Et ſi non ſocius, certè mirator adeſſem.
Sic quondam magno Phœnix reuerendus Achilli
Littus ad Iliacum, Thymbræáque Pergama venit
Imbellis, tumidóque nihil iuratus Atridæ.
Cur nobis ignauus amor? ſed pectore fido
Nuſquam abero, longíſque ſequar tua carbaſa votis.
Ipſi Phoroneis quondam ſtabulata ſub antris,
Nunc regina Phari, numénque orientis anheli,
Excipe multiſono puppem Mareotida ſiſtris.
Ac iuuenem egregium, Latius cui ductor Eoa
Signa, Palæſtináſque dedit frenare cohortes,

Ipſa

Ipſa manu placida per limina feſta, ſacróſque
Duc portus, vrbéſque tuas. te præſide noſcat
Vnde paludoſi fœcunda licentia Nili.
Cur vada deſidant, & ripa coerceat vndas
Cecropio ſtagnata luto. cur inuida Memphis;
Cúrue Therapnæi laſciuiat ora Canopi.
Cur ſeruet Pharias lethæus ianitor aras.
Vilia cur magnos æquent animalia diuos.
Quæ ſibi præſternat viuax altaria Phœnix.
Quos dignetur agros, aut quo ſe gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis paſtoribus Apis.
Duc & ad Emathios manes, vbi belliger vrbis
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat.
Anguiferámque domum, blando quæ merſa veneno
Actias Auſonias fugit Cleopatra cathenas.
Vſque & in Aſſyrias ſedes, mandatáque caſtra
Proſequere, & Marti iuuenem dea trade Latino.
Nec nouus hoſtes erit. puer hic ſudauit in armis
Notus adhuc tantum maioris munere claui.
Iam tamen & turmas facili præuertere gyro
Fortis, & Eoas iaculo damnare ſagittas.
Ergo erit illa dies, qua te maiora daturus
Cæſar ab emerito iubeat diſcedere bello?
At nos hoc iterum ſtantes in littore, vaſtos
Cernemus fluctus, aliáſque rogabimus auras.
O tum quantus ego! aut quanta votiua mouebo
Plectra lyra! cum me magna ceruice ligatum
Attolles humeris, atque in mea pectora primum
Incumbes è puppe nouus, ſeruatáque reddes
Colloquia, inque vicem medios narrabimus annos.
Tu rapidum Euphraten, & regia Bactra, ſacráſque
Antiquæ Babylonis opes, & Zeugma Latinæ
Pacis iter: quà dulce nemus florentis Idumes,
Quà pretioſa Tyros rubeat, quà purpura ſucco
Sidoniis iterata vadis. vbi germine primum
Candida felices ſudent Opobalſama virgæ.
Aſt ego deuictis dederim quæ buſta Pelaſgis,
Quæue laboratas claudat mihi pagina Thebas.

LACHRYMAE HETRVSCI.

SVMMA Deum pietas, cuius gratiſsima cælo
Rara profanatas inſpectant numina terras:
Huc vittata comam, niueóque inſignis amictu,
Qualis adhuc præſens, nullâque expulſa nocentum
Fraude, rudes populos, atque aurea regna colebas,
Mitibus exequiis ades, & lugentis Hetruſci
Cerne pios fletus, laudatáque lumina terge.
Nam quis inexpleto rumpentem pectora queſtu,
Complexúmque rogos, incumbentémque fauillis
Aſpiciens, non aut primææ funera plangi
Coniugis, aut nati modo pubeſcentia credat
Ora rapi flammis: pater eſt qui fletur. adeſte
Dîque hominéſque ſacris. procul hinc, procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tacitum, feſſique ſenectus
Longa patris; ſi quis pulſatæ conſcius vnquam
Matris, & infernâ rigidum timet AEacon vrnâ.
Inſontes, caſtóſque voco. tenet ecce ſeniles
Leniter implicitos vultus, ſanctámque parentis
Caniciem ſpargit lachrymis, animæque ſupremum
Frigus amat. celeres genitoris filius annos,
(Mira fides) nigráſque putat properaſſe ſorores.
Exultent placidi Lethæa ad flumina manes.
Elyſiæ gaudete domus. date ſerta per aras,
Feſtáque pallentes hilarent altaria lucos.
Felix, heu nimium fœlix; ploratáque nato
Vmbra venit. longè furiarum ſibila, longè
Tergeminus cuſtos. penitus via longa pateſcat
Manibus egregiis. eat, horrendúmque ſilentis
Accedat domini ſolium, gratéſque ſupremas
Perferat, & totidem iuueni roget anxius annos.
Macte pio gemitu, dabimus ſolatia dignis
Luctibus, æternasque vltro ſacrabimus vmbris
Inferias Hetruſce ſenis. tu largus Eoa
Germina, tu meſſes Ciliciúmque, Arabúmque, ſuperbas
Merge rogis. ferat ignis opes heredis, & alto

Aggere miſſuri nitido pia nubila cælo
Stipentur cineres. nos non arſura feremus
Munera, venturóſque tuus durabit in annos
Me monſtrante dolor. neque enim mihi flere parentem
Ignotum: ſimilis gemui proiectus ad ignem.
Ille mihi tua damna dies compeſcere cantu
Suadet: & ipſe tuli, quos nunc tibi confero queſtus.
Non tibi clara quidem ſenior placidiſsime gentis
Linea, nec proauis demiſſum ſtemma. ſed ingens
Suppleuit fortuna genus, culpámque parentum
Occuluit: neque enim dominos de plebe tuliſti,
Sed quibus occaſus, pariter famulantur & ortus.
Nec pudor iſte tibi. quid enim terríſque, polóque,
Parendi ſine lege manet? vice cuncta geruntur,
Alterníſque premunt. propriis ſub regibus omnis
Terra. premit felix regum diademata Roma:
Hanc ducibus frenare datum, mox creſcit in illos
Imperium ſuperis: ſed habent & numina legem.
Seruit & aſtrorum velox chorus, & vaga ſeruit
Luna, nec iniuſſæ toties redit orbita lucis.
Et modo (ſi fas eſt æquare iacentia ſummis)
Pertulit & ſæui Tirynthius horrida regis
Pacta, nec erubuit famulantis fiſtula Phœbi.
Sed neque barbaricis Latio tranſmiſſus ab oris,
Smyrna tibi gentile ſolum, potúſque verendo
Fonte Meles, Hermíque vadum, quo Lydius intrat
Bacchus, & aurato reficit ſua cornua limo.
Læta dehinc series, variiſque ex ordine curis
Auctus honos, ſemperque gradu prope numina, ſemper
Cæſareum coluiſſe latus, ſacrisque Deorum
Arcanis hærere datum. Tibereia primum
Aula tibi, vix dum ora nouâ mutante iuuentâ,
Panditur. hic annis multa ſuper indole victis
Libertas oblata venit. nec proximus heres
Immitis, quanquam & furiis agitatus, abegit.
Hinc & in Arctoas tenuis comes vſque pruinas
Terribilem affatu paſſus, viſúque Tyrannum,
Immanémque ſuis vt qui metuenda ferarum

Corda domant, merſáſque iubent iam ſanguine tacto
Reddere ab ore manus, & nulla uiuere præda.
Præcipuos ſed enim merito ſurrexit in actus,
Nondum ſtelligerum ſenior demiſſus in axem
Claudius, & longo tranſmittit habere nepoti.
Quis ſuperos metuens, pariter tot templa, tot aras,
Promeruiſſe datur? ſummi Iouis aliger Arcas
Nuntius. imbrifera potitur Thaumantide Iuno.
Stat celer obſequio iuſſa ad Neptunia Triton.
Tu toties mutata ducum iuga rite tuliſti
Integer, inque omni felix tua cymba profundo.
Iámque piam lux alta domum, præcelſáque toto
Intrauit fortuna gradu. iam creditur vni
Sanctarum digeſtus opum, partæque per omnes
Diuitiæ populos, magníque impendia mundi.
Quidquid ab auriferis eiectat Iberia foſsis,
Dalmatico quod monte nitet, quod meſsibus Afris
Verritur, æſtiferi quidquid terit area Nili,
Quódque legit merſus pelagi ſcrutator Eoi,
Et Lacedæmonij pecuaria culta Galeſi,
Perſpicuæque niues, Maſſylæque robora, & Indi
Dentis honos, vni parent commiſſa miniſtro.
Quæ Boreas, quæque Eurus atrox, quæ nubilus Auſter
Inuehit. hybernos citius numeraueris imbres,
Siluarúmque comas. vigilis te animíque ſagacis
Exitus euoluit, quantum Romana ſub omni
Pila die, quantúmque Tribus. quid templa, quid alti
Vndarum curſus, quid propugnacula poſcant
Æquoris, aut longè ſeries porrecta viarum.
Quod domuum celſis niteat laquearibus aurum,
Quæ diuûm in vultus igni formanda liqueſcat
Maſſa: quid Auſoniæ ſcriptum crepet igne monetæ.
Hinc tibi rara quies, animóque excluſa voluptas,
Exiguæque dapes, & nunquam læſa profundo
Cura mero. ſed iura tamen genialia cordi,
Et mentem vincire toris, & iungere feſta
Connubia, & fidos domino genuiſſe clientes.
Quis ſublime genus, formámque inſignis Hetruſcæ

Neſciat? haudquaquam proprio mihi cognita viſu,
Sed decus eximium formæ par reddit imago,
Vultibus & ſimilis natorum gratia monſtrat.
Nec vulgare genus. faſces, ſummámque curulem
Frater, & Auſonios enſes, mandatáque fidus
Signa tulit, cum prima truces amentia Dacos
Impulit, & magno gens eſt damnata triumpho.
Sic quidquid patrio ceſſatum eſt ſanguine, mater
Reddidit, obſcurúmque latus clareſcere vidit
Connubio gauiſa domus. nec pignora longè,
Quippe bis ad partus venit Lucina, manúque
Ipſa leui grauidos tetigit fœcunda labores.
Felix ô ſi longa dies, ſi cernere vultus
Natorum, viridiſq́ue genas tibi iuſta dediſſent
Stamina. ſed mediâ cecidere abrupta iuuentâ
Gaudia, florenteſq́ue manu ſcidit Atropos annos.
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentéſque roſæ primos moriuntur ad Auſtros,
Aut vbi verna nouis expirat purpura pratis.
Illa ſagittiferi circumuolitaſtis amores
Funera, maternôſque rogos vnxiſtis amomo.
Nec modus aut pennis, laceris aut crinibus ignem
Spargere: collectæq́ue pyram ſtruxère pharetræ.
Quas tunc inferias! aut quæ lamenta dediſſes
Maternis Hetruſce rogis! qui funera patris
Haud matura putas, atque hos pius ingemis annos.
Illum, & qui nutu ſuperas nunc temperat arces,
Progeniem claram terris partitus, & aſtris,
Lætus Idumæi donauit honore triumphi.
Dignatúſque loco victricis, & ordine pompæ
Non vetuit, tenuéſque nihil minuere parentes.
Atque idem in cuneos populos cum duxit equeſtres,
Mutauítque genus, læuæq́ue ignobile ferrum
Exuit, & celſo natorum æquauit honore.
Dextra bis octonis fluxerunt ſæcula luſtris,
Atque æui ſine nube tenor: quàm diues in vſus
Natorum, totóque volens excedere cenſu,
Teſtis adhuc largi nitor inde aſſuetus Hetruſci

Cui tua non humiles dedit indulgentia mores.
Hunc ſiquidem amplexu ſemper reuocante tenebas
Blandus, & imperio nunquam pater: huius honori
Pronior, ipſe etiam gaudebat cedere frater.
Quas tibi deuoti iuuenes pro patre renato,
Summe ducum, grates, aut quæ pia vota rependant?
Tu ſeu tarda ſitu, rebúſque exhauſta ſenectus
Errauit, ſeu blanda diu fortuna regreſſum
Maluit, attonitum & venturi fulminis ictus
Horrentem, tonitru tantum, lenique procella
Contentus monuiſſe ſenem: cúmque horrida ſupra
Æquora, curarum ſocius procul Itala rura
Linqueret, hic molles Campani litoris oras,
Et Diomedeas conſedere iuſſus in arces.
Atque hoſpes, non exul erat. nec plura moratus
Romuleum reſeras iterum Germanice limen,
Mœrentémque foues, inclinatóſque penates
Erigis. haud mirum Ductor placidiſsime, quando
Hæc eſt quæ victis parcentia fœdera Catthis,
Quæque ſuum Dacis donat clementia montem.
Quæ modò Marcomanos poſt horrida bella, vagóſque
Sauromatas, Latio non eſt dignata triumpho.
Iamque in fine dies, & inexorabile penſum
Deficit. hic mœſti pietas me poſcit Hetruſci
Qualia nec Siculæ moderantur carmina rupes,
Nec fati iam certus Olor, ſæuíque marita
Tereos. heu quantis laſſantem brachia vidi
Planctibus, & prono fuſum ſuper oſcula vultu.
Vix famuli, comitéſque tenent. vix arduus ignis
Submouet. haud aliter gemuit periuria Theſeus
Littora, qui falſis deceperat Ægea velis.
Tunc immane gemens, fœdatúſque ora, tepentes
Affatur cineres. cui nos fidiſsime linquis
Fortuna redeunte pater? modo numina magni
Præſidis, atque breues ſuperûm placauimus iras,
Nec frueris: tantíque orbatus muneris vſu
Ad Manes ignare fugis. nec flectere Parcas,
Aut placare malæ datur aſpera numina Lethes.

Felix cui magna patrem ceruice vehenti
Sacra Mycenææ patuit reuerentia flammæ.
Quique gener ſæuis genitorem Scipio pœnis
Abſtulit, & Lydi pietas temeraria Lauſi.
Ergo Theſſalici coniux penſare mariti
Funus, & immitem potuit Phryga vincere ſupplex
Thracius. ah quanto melius pro patre liceret!
Non totus rapiere tamen. nec funera mittam
Longius. hic manes, hic intra tecta tenebo.
Tu cuſtos, dominúſque laris? tibi cuncta tuorum
Parebunt. ego rite minor, ſempérque ſecundus,
Aſſiduè libabo dapes, & pocula ſacris
Manibus, effigiéſque colam. te lucida ſaxa,
Te ſimilem doctæ referet mihi linea ceræ.
Nunc ebur, & fuluum vultus imitabitur aurum.
Inde viam morum, longæque examina vitæ,
Affatúſque pios, monituráque ſomnia poſcam.
Talia dicentem, genitor dulcedine læta
Audit, & immites lentè deſcendit ad vmbras.
Verbaque dilectæ fert narraturus Hetruſcæ.
Salue ſupremum genitor mitiſſime patrum,
Supremúmque vale: qui nunquam ſoſpite nato
Triſte Chaos, mœſtiſque ſitus patiere ſepulchris.
Semper odoratis ſpirabunt floribus aræ.
Semper & Aſſyrios felix bibet vrna liquores,
Et lachrymas, qui maior honos; hic ſacra litabit
Manibus, atque tua tumulum tellure leuabit.
Noſtra quoque exemplo meritis tibi carmina ſancit.
Hoc etiam gaudens cinerem donaſſe ſepulchro.

COMA EARINI.

ITE comæ, facilémque precor tranſcurrite pontum.
Ite, coronato recubantes molliter auro.
Ite, dabit curſus mitis Cytherea ſecundos,
Placabítque notos: fors & de puppe timenda
Transferet, inque ſua ducet ſuper æquora concha.
Accipe laudatos iuuenis Phœbeie crines,

Quos tibi Cæſareus donat puer, accipe lætus,
Intonſóque oſtende patri. ſine dulce nitentes
Comparet, atque diu fratris putet eſſe Lyæi.
Forſan & ipſe comæ nunquam labentis honorem
Proferet, atque alio clauſum tibi ponet in auro
Pergame, pinifera multum felicior Ida:
Illa licet ſacræ placeat ſibi nube rapinæ.
Nempe dedit ſuperis illum, quem turbida ſemper
Iuno videt, refugítque manum, nectárque recuſat:
At tu grata Deis, pulchróque inſignis alumno,
Miſiſti Latio, placida quem fronte miniſtrum
Iuppiter Auſonius pariter, Romanáque Iuno
Aſpiciunt, & vterque probant. nec tanta potenti
Terrarum Domino diuûm ſine mente voluptas.
Dicitur Idalios Ericis de vertice lucos
Dum petit, & molles agitat Venus aurea cycnos,
Pergameas intraſſe domus, vbi maximus ægris
Auxiliator adeſt, & feſtinantia ſiſtens
Fata, ſalutifero mitis Deus incubat angui.
Hic puerum egregiæ præclarum ſydere formæ
Ipſius ante Dei ludentem conſpicit aram.
Ac primum ſubita paulum decepta figura
Natorum de plebe putat: ſed non erat illi
Arcus, & ex humeris nullæ fulgentibus vmbræ.
Miratur puerile decus, vultúmque, comáſque
Aſpiciens, túne Auſonias ait ibis ad arces,
Neglectus Veneri? tu ſordida tecta, iugúmque
Seruitij vulgare feres? procul abſit. ego iſti
Quem meruit formæ dominum dabo. vade age mecum,
Vade puer, ducam volucri per ſydera curru
Donum immane duci, nec te plebeia manebunt
Iura; Palatino famulus deberis amori.
Nil ego, nil fateor, toto iam dulce ſub orbe
Aut vidi, aut genui. cedat tibi Latmius vltro,
Sangariúſque puer, quémque irrita fontis imago,
Et ſterilis conſumpſit amor. te cœrula Nais
Mallet, & apprenſa traxiſſet fortius vrna.
Tu puer ante omnes, ſolus formoſior ille,

Cui

Cui daberis. ſic orſa, leues ſecum ipſa per auras
Tollit, olorináque iubet conſidere biga.
Nec mora. iam Latij montes, veteréſque penates
Euandri, quos mole noua pater inclytus vrbis
Excolit, & ſummis æquat Germanicus aſtris.
Tunc proprior iam cura deæ: quæ forma capillis
Optima, quæ veſtis roſeos accendere vultus
Apta, quod in digitis, collo quod dignius aurum.
Norat cœleſtis oculos ducis, ipsáque tædas
Iunxerat, & plena dederat connubia dextra.
Sic ornat crines, Tyrios ſic fundit amictus.
Dat radios, ignémque ſuum. ceſſere priores
Delitiæ, famulûmque greges. hic pocula magno
Prima duci, myrrháſque graues, cryſtalláque portat
Candidiore manu. creſcit noua gratia Baccho.
Care puer! ſuperis qui prælibare verendum
Nectar, & ingentem toties contingere dextram
Electus, quam noſſe Getæ, quam tangere Perſæ,
Armeniíque, Indíque petunt. O ſydere dextro
Edite! multa tibi diuûm indulgentia fauit.
Olim etiam, ne prima genas lanugo nitentes
Carperet, & pulchræ fuſcaret gratia formæ,
Ipſe Deus patriæ, celſam trans æquora liquit
Pergamon. haud vlli puerum mollire poteſtas
Credita, ſed tacita iuuenis Phœbeius arte
Leniter, haud vllo concuſſum vulnere, corpus
De ſexu tranſire iubet. tamen anxia curis
Mordetur, puerique timet Cytherea dolores.
Nondum pulchra ducis clementia cœperat ortu
Intactos ſeruare mares: nunc frangere ſexum,
Atque hominem mutare nefas, gauiſáque ſolos
Quos genuit, Natura videt. nec lege ſiniſtra
Ferre timent famulæ natorum pondera matres.
Tu quoque nunc iuuenis, genitus ſi tardius eſſes,
Vmbratúſque genas, & adultos fortior artus,
Non vnum gaudens Phœbeia ad limina munus
Miſiſſes. patrias nunc vertex ſolus ad aras
Nauiget. hunc multo Paphie ſaturabat amomo.

Hunc noua tergemina pectebat Gratia dextra.
Huic & purpurei cedat coma ſaucia Niſi,
Et quam Sperchio tumidus ſeruabat Achilles.
Ipſi cum primum niueam præcerpere frontem
Decretum eſt, humeróſque modò nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres,
Expediúntque comas, & ſerica pectore ponunt
Pallia. tunc iunctis crinem incidere ſagittis,
Atque auro, gemmíſque locant. rapit ipſa cadentes
Mater, & arcanos iterat Cytherea liquores.
Tunc puer è turba, manibus qui fortè ſupinis
Nobile gemmato ſpeculum portauerat auro,
Hoc quoque demus ait: patriis nec gratius vllum
Munus erit templis, ipſóque potentius auro.
Tu modò fige aciem, & vultus hucuſque relinque.
Sic ait: & ſpeculum recluſit imagine rapta.
At puer egregius tendens ad ſydera palmas,
His mihi pro donis, hominum mitiſſime cuſtos,
(Si merui) longâ Dominum renouare iuuentâ,
Atque orbi ſeruare velis. hoc ſydera mecum,
Hoc vndæ, terræque rogant. eat oro per annos
Iliacos, Pylióſque ſimul: proprióſque penates
Gaudeat, & ſecum Tarpeia ſeneſcere templa.
Sic ait: & motas miratur Pergamos aras.

AD CLAVDIAM VXOREM.

QVID mihi mœſta die, ſociis quid noctibus vxor
Anxia, peruigili ducis ſuſpiria curâ?
Non metuo ne læſa fides, aut pectore in iſto
Alter amor. nullis in te datur ire ſagittis,
(Audiat infeſto licet hæc Rhamnuſia vultu)
Non datur, & ſi egomet patrio de littore raptus
Quattuor emeritis per bella, per æquora, luſtris
Errarem: tu mille procos intacta fugares,
Non intertextas commenta retexere telas:
Sed ſine fraude palam, thalamóſque armata negaſſes.
Dic tamen vnde alia mihi fronte, & nubila vultu?

Anne quod Euboicos feſſus remeare penates
Auguror, & patria ſenium componere terra?
Cur hoc triſte tibi? certè laſciuia cordi
Nulla, nec aut rapidi mulcent te prælia Circi,
Aut intrat ſenſus clamoſi turba Theatri.
Sed probitas, & opaca quies, & ſordida nunquam
Gaudia: quas autem comitem te rapto per undas?
Quamquam, & ſi gelidas irem manſurus ad Arctos,
Vel ſuper Heſperiæ vada caligantia Thules,
Aut ſeptemgemini caput haud penetrabile Nili,
Hortarere vias. Hæc mens tua nempe benigna,
Quam mihi forte Venus iunctam florentibus annis
Seruet, & in ſenium tua, quæ me vulnere primo
Intactum thalamis, & adhuc iuuenile vagantem
Fixiſti: tua frena libens, dociliſque recepi,
Et ſemel inſertas non mutaturus habenas
Vſque premo. ter me nitidis Albana ferentem
Dona comes, ſanctóque indutum Cæſaris auro,
Viſceribus complexa tuis, ſertíſque dediſti
Oſcula anhela meis. tu cùm Capitolia noſtræ
Inficiata lyræ, ſæuum, ingratúmque dolebas
Mecum victa Iouem: tu procurrentia primis
Carmina noſtra ſonis, totáſque in murmure noctes
Aure rapis vigili. longi tu ſola laboris
Conſcia, cúmque tuis creuit mea Thebais annis.
Qualem te nuper, Stygias modò raptus ad vndas,
Cum iam Lethæos audirem comminus amnes,
Aſpexi, tenuique oculos iam morte cadentes.
Scilicet exhauſti Lacheſis mihi tempora fati
Te tantum miſerata dedit, ſuperíque potentes
Inuidiam timuere tuam. poſt iſta propinquum
Nunc iter, optatóſque ſinus comes ire moraris?
Heu vbi nota fides, totque explorata per vſus!
Qua veteres Latias, Gratáſque Heroidas æquas.
Iſſet ad Iliacas (quid enim deterret amantes?)
Penelope gauiſa domos, ſi paſſus Vlyſſes.
Queſta eſt Ægiale, queſta eſt Melibœa relinqui,
Et quam quàm ſæui fecerunt Menada planctus.

Nec minor his, tu noſſe fidem, firmámque maritis
Reddere. ſic certè cineres, vmbrámque priorem
Quæris adhuc, ſic exequias amplexa canori
Coniugis, ingentes iteraſti pectore planctus.
Iam mea, nec pietas alia eſt tibi, curáque natæ,
Sic vt mater amas, ſic nunquam corde recedit
Nata tuo, fixámque animi penetralibus imis
Nocte, diéque tenes. non ſic Trachinia nidos
Alcyone vernos, non ſic Philomela penates
Circuit amplectens, animámque in pignora transfert.
Heu nunc illa terit viduo quod ſola cubili
Otia, iam pulchræ terit infœcunda iuuentæ.
Sed venient, plenis venient connubia tædis:
Sic certe formæq; bonis, animíque meretur.
Siue chelin complexa petit, ſeu voce paterna
Diſcendum Muſis ſonat, & mea carmina flectit:
Candida ſeu molli diducit brachia motus
Ingenium probitas, artémque modeſtia vincit.
Nonne leues pueros, non te Cytherea pudebat
Hoc ceſſare decus? nec tantum Roma iugales
Conciliare toros, feſtáſque accendere tædas
Fertilis, & noſtra generi tellure dabuntur.
Non adeo Veſuuinus apex, & flammea diri
Montis hyems, trepidas exhauſit ciuibus vrbes.
Stant, populiſque vigent. hic auſpice condita Phœbo
Tecta, Dicarchei portus, & littora mundi
Hoſpita. at hic magnæ tractus imitantia Romæ,
Quæ Capys, aduectis impleuit mœnia Teucris.
Noſtra quoque & propriis, tenuis nec rara colonis
Parthenope, cui mite ſolum trans æquora vectæ
Ipſe Dioneæ monſtrauit Apollo columbæ.
Has ego te ſedes (nam nec mihi barbara Thrace,
Nec Libye natale ſolum) transferre laboro.
Quas & mollis hyems, & frigida temperat æſtas:
Quas imbelle fretum torpentibus alluit vndis.
Pax ſecura locis, & deſidis otia vitæ,
Et nunquam turbata quies, ſomníque peracti.
Nulla foro rabies, aut ſcita Lycurgia: leges

Morum iura viris, ſolum & ſine faſcibus æquum.
Quid nunc magnificas ſpecies, cultúſque locorum,
Templáque, & innumeris ſpatia interſtincta columnis,
Et geminam molem nudi, tectíque theatri,
Et Capitolinis quinquennia proxima luſtris?
Quid laudem ritus, libertatémque Menandri,
Quam Romanus honos, & grata licentia miſcent?
Nec deſunt variæ circum oblectamina vitæ:
Siue vaporiferas blandiſsima littora Baias,
Enthea fatidicæ ſeu viſere tecta Sibyllæ
Dulce ſit, Iliacóque iugum memorabile Remo.
Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri,
Teleboumque domos, trepidis vbi dulcia nautis
Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula Lunæ,
Caraque non molli iuga Surrentina Lyæo,
Quæ meus ante alios habitator Pollius auget:
AEnariæque lacus medicos, Statináſque renatas.
Mille tibi noſtræ referam telluris amores.
Sed ſatis hoc coniux, ſatis hoc dixiſſe; creauit
Me tibi, me ſocium longos aſtrinxit in annos.
Nónne hæc amborum genitrix, altrixque videri
Digna? ſed ingratus qui plura adnecto, tuíſque
Moribus indubito. venies cariſsima coniux,
Præueniéſque etiam. ſine me tibi ductor aquarum
Tybris, & armiferi ſordebunt tecta Quirini.

PAPINII SVRCVLI STATII

SILVARVM LIBER QVARTVS AD MARCELLVM.

INVENI librum, Marcelle cariſſime, quem pietati tuæ dedicarem. Reor quidem aliter quam inuocato numine maximi Imperatoris nullum opuſculum meum cœpiſſe. Sed hic liber tres habet. Sequitur quarta, quæ ad honorem tuum pertinet. Primo autem ſeptimum decimum Germanici noſtri conſulatum adoraui. Secundo gratias egi ſacratiſſimis eius epulis honoratus. Tertio viam Domitianam miratus ſũ, qua grauiſſimam arenarum molem exemit. Cuius beneficio tu quoque maturius epiſtolam meam accipies, quam tibi in hoc libro à Neapoli ſcribo. Proximum eſt lyricum carmen ad Septimium Seuerum, iuuenem (vti ſcis) inter ornatiſſimos ſecundi ordinis: tuum quidem etiam condiſcipulum, ſed mihi contra hoc quoque ius, arctiſſimè carum. Iam Vindicis noſtri Herculem Epitrapezion, ſecundum honorem quem de me, & de ipſis ſtudiis meretur, imputare etiam tibi poſſum. Maximum Iunium dignitatis & eloquentiæ nomine à nobis diligi, ſatis eram teſtatus epiſtola, quam ad illum de editione Thebaidos meæ publicaui. Sed nunc quoque eum reuerti maturius è Dalmatia rogo. Iuncta eſt Ecloga ad municipem

meum Iulium Menecratem ſplendidum iuuenem, & Pollij mei generum. Cui gratulor quòd Neapolim noſtram numero liberorum honeſtauerit. Plocio Gryppo maioris gradus iuueni dignius opuſculum reddam, ſed interim hendecaſyllabos, quos Saturnalibus vna riſimus, huic volumini inſerui. Quare ergo plura in quarto Siluarum, quàm in prioribus? Ne ſe putent aliquid egiſſe, qui reprehenderunt(vt audio) quod hoc ſtili genus edidiſſem. Primum ſuperuacuum eſt diſſuadere rem factam. Deinde multa ex illis iam Domino Cæſari dederam. & quanto hoc plus eſt quàm edere! Exercere autem iocos non licet? ſic ſecreto inquit. ſed& ſpheromachias ſpectamus,&pilaris luſio admittitur. Nouiſſimè quiſquis ex meis inuitus aliquid legit, ſtatim ſe profitetur aduerſum. Itaque conſilio eius accedam. In ſumma, nempe ego ſum qui traducor. Taceat,&gaudeat. Hunc tamen librum tu Marcelle defendes, & ſi videtur hactenus, ſin minus, reprehendemur.

XIIIX CONSVLATVS
GERMANICI IMP.

LAETA bis octonis accedit purpura faſtis
Cæſaris, inſignémque aperit Germanicus annum.
Atq. oritur cum ſole nouo, cum grandibus aſtris,
Clarius ipſe nitens, & primo maior Eoo.
Exultent leges Latiæ: gaudete curules.
Et ſeptemgemino iactantior æthera pulſet
Roma iugo: plúſque ante alias Euandrius arces
Collis ouet. ſubiere noui Palatia faſces,
Et requiem bis ſextus honos, precibuſque receptis
Curia Cæſareum gaudet viciſſe pudorem.
Ipſe etiam immenſi reparator maximus æui
Attollit vultus, & vtroque à limine grates
Ianus agit. quem tu vicina pace ligatum
Omnia iuſſiſti componere bella, nouíque
In leges iurare fori. leuat ecce ſupinas
Hinc, atque inde manus, gemináque hæc voce profatur.
Salue magne Parens mundi, qui ſæcula mecum
Inſtaurare paras: talem te cernere ſemper
Menſe meo tua Roma cupit: ſic tempora naſci,
Sic annos intrare decet. da gaudia faſtis
Continua. hos humeros multo ſinus ambiat oſtro,
Et properata tuæ manibus prætexta Mineruæ.
Aſpicis vt templis alius nitor, altior aris
Ignis, & ipſa meæ tepeant tibi ſydera brumæ.
Moribus atque tuis gaudent turmæque, tribúſque,
Purpureíque Patres, lucémque à conſule ducit
Omnis honos. Quid tale precor prior annus habebat,
Dic age Roma potens? & mecum longa vetuſtas
Dinumera faſtos, nec parua exempla recenſe.

Sed quæ ſola meus dignetur vincere Cæſar.
Ter Latio deciéſque tulit labentibus annis
Auguſtus faſces, ſed cœpit ſero mereri.
Tu iuuenis prægreſſus auos & quanta recuſas,
Quanta vetas, flectêre tamen, precibúſque Senatus
Permittes hanc ſæpe diem. manet inſuper ordo
Longior, & totidem felix tibi Roma curules
Terque quaterque dabit. mecum altera ſæcula condes,
Et tibi longæui reuocabitur ara parentis.
Mille trophæa feres, tantum permitte triumphos.
Reſtant Bactra nouis, reſtat Babylona tributis
Frenari. nondum gremio Iouis Indica laurus,
Nondum Arabes, Seréſque rogant: nondum omnis honorem
Annus habet, cupiúntque decem tua nomina menſes.
Sic Ianus: clauſóque libens ſe poſte recepit.
Tunc omnes patuere fores, lætóque dederunt
Signa polo, longámque tibi Rex magne iuuentam
Annuit, atque ſuos promiſit Iuppiter annos.

EPVLVM DOMITIANI
EVCHARISTICON.

REGIA Sidoniæ conuiuia laudat Eliſæ,
Qui magnum AEneam Laurentibus intulit aruis:
Alcinoique dapes manſuro carmine monſtrat,
Aequore qui lento reducem conſumpſit Vlyſſem.
Aſt ego, cui ſacræ Cæſar noua gaudia cœnæ
Nunc primum, dominâque dedit conſurgere menſa,
Quâ celebrem mea vota lyrâ? quas ſoluere grates
Sufficiam? non ſi pariter mihi vertice læto
Nectat adoratas, & Smyrna, & Mantua lauros,
Digna loquar. mediis videor diſcumbere in aſtris
Cum Ioue, & Iliaca porrectum ſumere dextra
Immortale merum. ſteriles tranſmiſimus annos:
Hæc æui mihi prima dies, hæc limina vitæ.
Téne ego regnator terrarum, orbíſque ſubacti
Magne parens, te ſpes hominum, te cura deorum
Cerno iacens? datur hæc iuxta, datur ora tueri

Vina inter, menſáſque, & non aſſurgere fas eſt?
Tectum auguſtum, ingens, non centum inſigne columnis,
Sed quantæ ſuperos cælúmque Athlante remiſſo
Suſtentare queant. ſtupet hoc vicina Tonantis
Regia, téque pari lætantur ſede locatum
Numina. ne magnum properes aſcendere cœlum.
Tanta patet moles, effuſæque impetus aulæ
Liberior, campi multúmque amplexus aperti,
Æthereo & tantum domino minor: ille penates
Implet, & ingenti genio iuuat. æmulus illic
Mons Libys, Iliacuſque nitent, & multa Syene,
Et Chios, & glauca certantia Doride ſaxa,
Lunáque portandis tantum ſuffecta columnis.
Longa ſuper ſpecies feſſis vix culmina prendas
Viſibus, auratíque putes laquearia cœli.
Hic cum Romuleos proceres, trabeatáque Cæſar
Agmina mille, ſimul iuſſit diſcumbere menſis,
Ipſa ſinus accincta Ceres, Bacchúſque laborant
Sufficere. ætherei felix ſic orbita fluxit
Triptolemi: ſic vitifero ſub palmite nudos
Vmbrauit colles, & ſobria rura Lyæus.
Sed mihi non epulas, Indíſque innixa columnis
Robora, Maurorum famuláſue ex ordine turmas,
Ipſum, ipſum cupido tantum ſpectare vacauit,
Tranquillum vultu, ſed maieſtate ſerena
Mulcentem radios, ſubmittentémque modeſtè
Fortunæ vexilla ſuæ. tamen ore nitebat
Diſſimulatus honos. talem quoque barbarus hoſtis
Poſſet, & ignotæ conſpectum agnoſcere gentes.
Non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit
Dimiſſis Gradiuus equis, ſic lubrica ponit
Membra Terapnæa reſolutus gymnade Pollux.
Sic iacet ad Gangen Indis vlulantibus Euan.
Sic grauis Alcides poſt horrida iuſſa reuerſus
Gaudebat ſtrato latus acclinare Leoni.
Parua loquor, nec dum æquo tuos Germanice vultus.
Talis vbi Oceani finem, menſáſque reuiſit
Æthiopum ſacro diffuſus nectare vultus,

Dux ſuperum, ſecreta iubet dare carmina Muſas.
Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.
Di tibi (namque animas ſæpe exaudire minores
Dicuntur) patriæ bis, terque, exire ſenectæ
Annuerint fines, rata numina miſeris aſtris,
Templáque des, habitéſque domos, ſæpe annua pandas
Limina, ſæpe nouo Ianum lictore ſalutes:
Sæpe coronatis iteres quinquennia luſtris.
Qua mihi, felices epulas, menſæque dediſti
Sacra tuæ, talis longo poſt tempore venit
Lux mihi; Romanæ qualis ſub collibus Albæ,
Cum modo Germanas acies, modo Daca ſonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

VIA DOMITIANA.

QVIS duri ſilicis, grauíſque ferri
Immanis ſonus, æquori propinquum
Saxoſæ latus Appiæ repleuit?
Certè non Libycæ ſonant cateruæ,
Nec dux aduena peierante bello,
Campanos quatit inquietus agros.
Nec frangit vada, montibúſque cæſis
Inducit Nero ſordidas paludes.
Sed qui limina bellicoſa Iani
Iuſtis legibus, & foro coronat.
Qui caſtæ Cereri diu negata
Reddit iugera, ſobriáſque terras.
Qui fortem vetat interire ſexum,
Et Cenſor prohibet mares adultos
Pulchræ ſupplicium timere formæ.
Qui reddit Capitolio Tonantem:
Et pacem propria domo reponit.
Qui genti patriæ futura ſemper
Sancit limina, Flauiúmque culmen.
Hic cœno populi vias grauatas,
Et campis iter omne detinentes
Longos eximit ambitus, nouóque

Iniectu ſolidat graues arenas.
Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ,
Gauranóſque ſinus, & æſtuantes
Septem montibus admouere Baias.
Hic quondam piger axe vectus vno
Nutabat cruce pendula viator,
Rodebátque rotas maligna tellus,
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala nauigationis.
Nec curſus agiles, ſed impeditum
Tardabant iter orbitæ tacentes,
Dum pondus nimium querens ſub alta
Repit languida quadrupes ſtatera.
At nunc, quæ ſolidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.
Non tenſæ volucrum per aſtra pennæ,
Nec velocius ibitis carinæ.
Hic primus labor inchoare ſulcos,
Et reſcindere limites, & alto
Egeſtu penitus cauare terras,
Mox hauſtas aliter replere foſſas,
Et ſummo gremium parare dorſo,
Ne nutent ſola, ne maligna ſedes,
Et preſſis dubium cubile ſaxis.
Tunc vmbonibus hinc, & hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis.
O quantæ pariter manus laborant!
Hi cædunt nemus, exuúntque montes,
Hi ferro ſcopulos, trabéſque leuant,
Illi ſaxa ligant, opúſque texunt
Cocto puluere, ſordidóque topho:
Hi ſiccant bibulas manu lacunas,
Et longè fluuios agunt minores.
Hæ poſſent & Athon cauare dextræ,
Et mæſtum pelagus gementis Helles
Intercludere ponte non natanti.
His paruus (Lechiæ niſi vetarent)
Inous freta miſcuiſſet Iſthmos.

Feruent littora, nobiléſque ſiluæ.
It longus medias fragor per vrbes.
Atque Echo ſimul hinc, & inde fractam
Gauro Maſsicus vuifer remittit.
Miratur ſonitum quieta Cyme,
Et Linterna palus, pigérque Sauo.
At flauum caput, humidúmque latè
Crinem mollibus impeditus vlmis,
Vulturnus leuat ora, maximóque
Pontis Cæſarei reclinis arcu,
Pandis talia faucibus redundat.
Camporum bone conditor meorum,
Qui me vallibus auiis refuſum,
Et ripas habitare neſcientem,
Recti legibus aluei ligaſti.
Et nunc ille ego turbidus, minaxque,
Vix paſſus dubias prius carinas,
Iam pontem fero, peruiuſque calcor.
Qui terras rapere, & rotare ſiluas
Aſſueram, (pudet) amnis eſſe cœpi.
Sed grates ago, ſeruitúſque tanti eſt,
Quod ſub te duce, te iubente ceſsi,
Quod tu maximus arbiter, meæque
Victor perpetuus legêre ripæ.
Et nunc limite me colis beato,
Nec ſordere ſinis, malúmque latè
Deterges ſterilis ſoli putorem,
Ne me puluereum, grauémque cœno
Tyrrheni ſinus obruat profundi.
Qualis Cinyphius tacente ripa,
Pœnos Bagadra ſerpit inter agros.
Sed talis ferar, vt nitente curſu
Tranquillum mare, proximúmque poſsim
Puro gurgite prouocare Lyrim.
Hæc Amnis. pariterque ſe leuabat
Ingenti plaga marmorata dorſo.
Huius ianua, proſperúmque limen
Arcus belligeri Ducis trophæis,

Et totis Ligurum nitens metallis,
Quantus nubila qui coronat imbri.
Illic flectitur excitus viator:
Illic Appia ſe dolet relinqui:
Tunc velocior, acriórque curſus,
Tunc ipſos iuuat impetus iugales.
Ceu feſsis vbi remigum lacertis
Prima carbaſa ventilantur aura.
Ergo omnes age, quæ ſub axe primo
Romanani colitis fidem parentis,
Prono limite commeate gentes,
Eoæ citiùs venite laurus,
Nil obſtat cupidis, nihil moratur.
Qui primo Tyberim relinquit ortu,
Primo veſpere nauigat Lucrinum.
Sed quam fine viæ recentis imo,
Quà monſtrat veteres Apollo Cumas,
Albam crinibus, infuliſque cerno?
Viſu fallimur? an ſacris ab antris
Profert Chalcidicas Sibylla laurus?
Cedamus chely, iam repone cantus.
Vates ſanctior incipit: tacendum eſt.
En & colla rotat, nouíſque latè
Bacchatur ſpatiis, viamque replet.
Tunc ſic virgineo profatur ore.
Dicebam veniet, manete campi,
Atque amnis: veniet fauente cælo
Qui fœdum nemus, & putres arenas
Celſis pontibus, & via leuabit.
En hic eſt Deus, hunc iubet beatis
Prŏ ſe Iuppiter imperare terris,
Quo non dignior has ſubit habenas,
Ex quo me duce præſcios Auerni
AEneas auidè futura quærens
Lucos & penetrauit, & reliquit.
Hic paci bonus, hic timendus armis,
Naturâ melior, potentiorque.
Hic ſi flammiferos teneret axes,

Largis India nubibus maderet,
Vndaret Libye, teperet Aemus.
Salue Dux hominum, & parens deorum,
Præuiſum mihi, cognitúmque numen.
Nec iam putribus euoluta chartis
Solenni prece quindecim virorum
Perluſtra mea dicta, ſed canentem
Ipſam cominus (vt mereris) audi.
Vidi quam ſeriem morantis æui
Pronectant tibi candidæ ſorores.
Magnus te manet ordo ſæculorum,
Natis longior, abnepotibuſque.
Annos perpetua geres iuuenta,
Quos fertur placidos obiſſe Neſtor,
Quos Titonia computat ſenectus,
Et quantos ego Delium popoſci.
Iurauit tibi iam niualis Arctos.
Nunc magnos Oriens dabit triumphos.
Ibis quà vagus Hercules, & Euan,
Vltra ſydera, flammeúmque ſolem,
Et Nili caput, & niues Atlantis,
Et laudum cumulo beatus omni
Scandes belliger, obuióſque currus.
Donec Troicus ignis, & renatæ
Tarpeius pater intonabit aulæ.
Hæc donec via, te regente terras,
Annoſa magis Appia ſeneſcat.

AD MARCELLVM.

CVRRE per Euboicos non ſegnis epiſtola campos
Hac ingreſſa vias, qua nobilis Appia creſcit
In latus, & molles ſolidus premit agger arenas:
Atque vbi Romuleas velox penetraueris arces,
Continuo dextras flaui pete Tybridis oras,
Lydia qua penitus ſtagnum nauale coercet
Ripa, ſuburbaníſque vadum prætexitur hortis.
Illic egregium, formáque, animíſque, videbis

Marcellum, & celſo præſignem vertice noſces.
Cui primùm ſolito vulgi de more ſalutem,
Mox incluſa modis hæc reddere verba memento.
Iam terras, volucrémque polum, fuga veris aquoſi
Laxat, & Icariis cœlum latratibus vrit.
Ardua iam denſæ rareſcunt mœnia Romæ.
Hos Præneſte ſacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit vmbra:
Tiburis hi lucos, Aniendque frigora captant.
Te quoque clamoſæ quænam plaga mitior vrbi
Subtrahit? æſtiuos quo decipis aëre ſoles?
Quid tuus ante omneis, tua cura potiſsima, Gallus
Nec non noſter amor (dubium morúmne probandus,
Ingeniíue bonis) Latiis æſtiuat in oris?
Anne metalliferæ repetit iam mœnia Lunæ?
Tyrrhenáſque domos? quod ſi tibi proximus hæret,
Non ego nunc veſtro procul à ſermone recedo.
Certum eſt: inde ſonus geminas mihi circuit aures.
Sed tu, dum nimio poſſeſſa Hyperione flagrat
Torua Cleonei iuba ſideris, exue curis
Pectus, & aſsiduo temet furare labori.
Et fontes operit pharetras, arcúmque retendit
Parthus, & Elæis auriga laboribus actos
Alpheo permulcet equos. & noſtra fatiſcit
Laxaturque chelys, vires inſtigat alitque
Tempeſtiua quies. Maior poſt otia virtus.
Talis cantata Briſeide venit Achilles
Acrior, & poſitis erumpit in Hectora plectris.
Te quoque flammabit tacitè repetita parumper
Deſidia, & ſolidos nouus exultabis in actus.
Certè iam Latiæ non miſcent iurgia leges,
Et pacem piger annus habet, meſſeſque reuerſæ
Dimiſere forum. nec iam tibi turba reorum
Veſtibulo, querulique rogant exire clientes.
Ceſſat centeni moderatrix iudicis haſta.
Qua tibi ſublimi iam nunc celeberrima fama
Eminet, & iuuenes facundia præterit annos.
Felix curarum, cui non Heliconia cordi

Serta,

Serta, nec imbelles Parnaſſi è vertice laurus.
Sed viget ingenium, & magnos accinctus in vſus
Fert animus quaſcunque vices. nos otia vitæ
Solamur cantu, ventoſáque gaudia famæ
Quærimus. en egomet ſomnum, & geniale ſecutus
Littus, vbi Auſonio ſe condidit hoſpita portu
Parthenope, tenues ignauo pollice chordas
Pulſo, Maroneique ſedens in margine templi
Sumo animum, & magni tumulis adcanto magiſtri.
At tu ſi longi curſum dabit Atropos æui,
(Détque precor, Latiíque ducis ſic numina pergant,
Quem tibi poſthabito ſtudium eſt coluiſſe Tonante,
Quíque tuos alio ſubtexit munere faſces,
Et ſpatia antiquæ mandat renouare Latinæ)
Forſitan Auſonias ibis frenare cohortes,
Aut Rheni populos, aut nigræ littora Thules,
Aut Iſtrum ſeruare latus, metuendáque portæ
Limina Caſpiciacæ: nec enim tibi ſola potentis
Eloquij virtus, ſunt membra accommoda bellis,
Quíque grauem tarde ſubeant thoraca lacerti.
Seu campo pedes ire paras, eſt agmina ſupra
Nutaturus apex. ſeu frena ſonantia flectes,
Seruiet aſper equus. nos facta aliena canendo
Vergimur in ſenium: propriis tu pulcher in armis
Ipſe canenda geres, patriæque exempla parabis.
Magna geres. dignóſque etiamnum belliger actus
Poſcit auus, præſtátque domi nouiſſe triumphos.
Surge agedum, iuuenémque puer deprende parentem,
Stemmate materno felix, virtute paterna.
Iam te blanda ſinu Tirio ſibi gloria felix
Educat, & cunctas gaudet ſpondere curules.
Hæc ego Chalcidicis ad te Marcelle ſonabam
Littoribus: fractas vbi Veſbius egerit iras,
Æmula Trinacriis voluens incendia flammis.
Mira fides! crédetne virum ventura propago,
Cùm ſegetes iterum, cùm iam hæc deſerta virebunt,
Infra vrbes populoſque premi? proauitáque toto
Rura abijſſe mari? nec dum letale minari

Ceſſat apex. procul iſta tuis, Tifata, Teate ,
Nec Marrucinos agat hæc inſaniæ montes.
Nunc ſi fortè meis quæ ſint exordia Muſis
Scire petis, iam Sidonios emenſa labores
Thebais optato collegit carbaſa portu:
Parnaſiſque iugis, ſiluáque Heliconide feſtis
Thura dedit flammis, & virginis exta iuuencæ,
Pomiferáque meas ſuſpendit ab arbore vittas.
Nunc vacuos crines alio ſubit infula nexu.
Troia quidem, magnúſque mihi tentatur Achilles;
Sed vocat Arcitenens aliò pater, armáque monſtrat
Auſonij maiora ducis. trahit impetus illò
Iampridem, retrahítque timor. ſtabúntne ſub illa
Mole humeri? an magno vincetur pondere ceruix?
Dic Marcelle, ferat fluctus adſueta minores
Noſſe ratis, nondum Ionis credenda periclis?
Iamque vale, & penitus noti tibi vatis amorem
Corde exire veta. nec enim Tirynthius almæ
Pectus amicitiæ: cedit tibi gloria fidi
Theſeos, & lacerum qui circa mœnia Troiæ
Priamidem cæſo ſolatia traxit amico.

LYRICVM

AD SEPTIMIVM SEVERVM.

PARVI beatus ruris honoribus,
Qua priſca Teucros Alba colit lares,
Fortem atque facundum Seuerum
Non ſolitis fidibus ſaluto.
Iam trux ad Arctos Parrhaſias hyems
Conceſſit altis obruta ſolibus:
Iam pontus, ac tellus renident,
Iam Zephyris Aquilo refractus.
Nunc cuncta veris frondibus annuis
Crinitur arbos, nunc volucrum noui
Queſtus, inexpertúmque carmen,
Quod tacita ſtatuere bruma.
Nos parca tellus, peruigil & focus,

Culmènque multo lumine ſordidum
Solantur, exemptuſque teſta,
Qui modo ferbuerat Lyæus.
Non mille balant lanigeri greges,
Nec vacca dulci mugit adultero.
Vnique (ſi quando) canenti
Mutus ager domino reclamat.
Sed terra primis poſt patriam mihi
Dilecta curis, huic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæſareo perarauit auro.
Cum tu ſodalis dulce periculum
Conniſus omni pectore tolleres,
Vt Caſtor ad cunctos tremebat
Bebryciæ ſtrepitus arenæ.
Tene in remotis Syrtibus auia
Leptis creauit? iam feret Indicas
Meſſes, odoratiſque rara
Cynnama præripiet Sabæis.
Quis non in omni vertice Romuli
Reptaſſe dulcem Septimium putet?
Quis fonte Iuturnæ relictis
Vberibus neget eſſe paſtum?
Hæc mira virtus, protinus Auſonum
Portus, vadoſæ neſcius Africæ,
Intras, adoptatúſque Thuſcis
Gurgitibus puer innataſti,
Hic paruus inter pignora Curiæ
Contentus alto lumine purpuræ
Creſcis, ſed immenſos labores
Indole patricia ſecutus.
Non ſermo Pœnus, non habitus tibi,
Externa non mens, Italus, Italus:
Sunt vrbe, Romaniſque turmis,
Qui Libyam deceant alumni.
Eſt & frementi vox hilaris foro,
Venale ſed non eloquium tibi,
Enſiſque vagina quieſcit,

Stringere ni iubeant amici.
Sed rura cordi ſæpius, & quies:
Nunc in paternis ſedibus, & ſolo
Veiente, nunc frondoſa ſupra
Hernica, nunc Curibus vetuſtis.
Hic plura pones, vocibus & modis
Paſsim ſolutis. ſed memor interim
Noſtri, verecundo latentem
Barbiton ingeminas ſub antro.

VINDICIS
HERCVLES EPITRAPEZIOS.

FORTE remittentem curas, Phœbóque leuatum
Pectora, cùm patulis tererem vagus otia ſeptis,
Iam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis: hæc imos animi perlapſa receſſus
Inconſumpta manet. neque enim ludibria ventris
Hauſimus, aut epulas diuerſo è ſole petitas,
Vináque perpetuis æuo certantia faſtis.
Ah miſeri, quos noſſe iuuat quid Phaſidis ales
Diſtet ab hyberna Rhodopes grue: quis magis anſer
Exta ferat. cur Thuſcus aper generoſior Vmbro.
Lubrica qua recubent conchilia mollius alga.
Nobis verus amor, medióque Helicone petitus.
Sermo, hilareſque ioci, brumalem abſumere noctem
Suaſerunt, mollémque oculis expellere ſomnum,
Donec ab Elyſiis proſpexit ſedibus alter
Caſtor, & heſternas riſit Titonia menſas.
O bona nox, iunctáque vtinam Tirynthia luna:
Nox & Erythræis Thetidis ſignanda lapillis,
Et memoranda diu, geniúmque habitura perennem.
Mille vbi tunc ſpecies, æriſque eboriſque vetuſti,
Atque locuturas mentito corpore ceras,
Edidici. quis namque oculis certauerit vſquam
Vindicis, artificum veteres agnoſcere ductus?
Et non inſcriptis authorem reddere ſignis?
Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni

AEra, laboriferi viuant quæ marmora cœlo
Praxitelis, quod ebur Piſæo pollice raſum,
Quod Polycletæis viſum eſt ſpirare caminis,
Linea quæ veterem longè fateatur Apellem,
Monſtrauit namque hæc, quoties chelyn exuit ille,
Deſidia eſt, hic Aoniis amor auocat antris.
Hæc inter, caſtæ Genius tutelaque menſæ,
Amphitryoniades, multo mea cœpit amore
Pectora, nec longo ſatiauit lumina viſu:
Tantus honos operi, firmóſque incluſa per artus
Maieſtas. Deus ille Deus, ſeſeque videndum
Indulſit Lyſippe tibi, paruúſque videri,
Sentirique ingens: & cùm mirabilis intra
Stet menſura pedem, tamen exclamare libebit
(Si viſus per membra feras) hoc pectore preſſus
Vaſtator Nemees, hæc exitiale ferebant
Robur, & Argoos frangebant brachia remos.
Hoc ſpatio tam magna breui mendacia formæ.
Quis modus in dextra, quanta experientia docti
Artificis curis, pariter geſtamina menſæ
Fingere, & ingentes animo verſare coloſſos!
Tale nec Idæis quicquam Telchines in antris
Nec ſolidus Brontes, nec qui polit arma deorum
Lemnius, exigua potuiſſet ludere maſſa.
Nec torua effigies, epuliſque aliena remiſsis,
Sed qualem parci domus admirata Molorchi,
Aut Aleæ lucis vidit Tegeæa ſacerdos.
Qualis & Oetæis emiſſus in aſtra fauillis
Nectar adhuc torua lætus Iunone bibebat.
Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur menſas. tenet hæc marcentia fratris
Pocula, adhuc ſæuæ meminit manus altera cædis.
Suſtinet occultum Nemeæo tegmine ſaxum
Digna operi fortuna ſacro. Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile menſis,
Et comitem occaſus ſecum portabat & ortus:
Prenſabátque libens, modo quâ diademata dextrâ
Abſtulerat, dederátque, & magnas verterat vrbes,

Semper ab hoc animos in craſtina bella petebat.
Huic acies victor ſemper narrabat opimas.
Siue cathenatos Bromio detraxerat Indos,
Seu clauſam magna Babylôna refregerat haſta,
Seu Pelopis terras, libertatémque Pelaſgam
Obruerat bello. magnóque ex agmine laudum
Fertur Thebanos tantum excuſaſſe triumphos.
Ille etiam magnos fatis rumpentibus actus,
Cum traheret letale merum, iam mortis opaca
Nube grauis, vultus alios in numine caro,
Æráque ſupremis timuit ſudantia menſis.
Mox Naſamoniaco decus admirabile Regi
Poſſeſſum, fortiq́ue Deo libauit honores;
Semper atrox dextrâ, periuroq́ue enſe ſuperbus
Annibal, Italicæ perfuſum ſanguine gentis,
Diraq́ue Romuleis portantem incendia tectis,
Oderat. & cum epulas, & cum leneæa dicaret
Dona Deus, caſtris mœrens comes iſſe nefandis.
Præcipuè cum ſacrilegus face miſcuit arces
Ipſius, immeritáſque domos, ac templa Sagunti
Polluit, & populis furias immiſit honeſtas.
Nec poſt Sidonij letum ducis, ære potita
Egregio plebeia domus. conuiuia Syllæ
Ornabat ſemper claros intrare penates
Aſſuetum, & felix dominorum ſtemmate ſignum.
Nunc quoque (ſi mores, humanáque pectora curæ
Noſſe Deis) non aula quidem Tirynthia, nec te
Regius ambit honos: ſed caſta, ignaraq́ue culpæ
Mens domini, cui priſca fides, cœptæq́ue perenne
Fœdus amicitiæ: ſcit adhuc florente ſub æuo
Par magnis Veſtinus auis, quem nocte, dieq́ue
Spirat, & in caræ viuit complexibus vmbræ.
Hic igitur tibi læta quies fortiſsime Diuum
Alcide: nec bella vides, pugnáſque feroces,
Sed chelyn, & vittas, & amantes carmina laurus.
Hic tibi ſolenni memorabit carmine, quantus
Iliacas, Geticáſque domos, quantúſque niualem
Stymphalon, quantúſque iugis Erimanthon aquoſis

Terrueris, quem te pecoris poſſeſſor Iberi,
Quem tulerit ſæue Mareoticus arbiter aræ.
Hic penetrata tibi, ſpoliatáque limina mortis
Concinet, & flentes Libyæ, Scythiæue puellas.
Nec te regnator Macetum, nec barbarus vnquam
Annibal, aut ſæui poſſet vox horrida Syllæ,
His celebrare modis: certe tu muneris autor
Non alijs malles oculis Lyſippe probari.

LYRICVM
AD MAXIMVM IVNIVM.

IAMDIV lato ſatiata campo
Fortis herois Erato labores
Differ: atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.
Tuque regnator Lyricæ cohortis,
Da noui paulum mihi iura plectri,
Si tuas cantu Latio ſacraui
Pindare Thebas.
Maximo carmen tenuare tento.
Nunc ab intonſa capienda myrto
Serta, nunc maior ſitis, & bibendus
Caſtior amnis.
Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? vbi Dite viſo
Pallidus foſſor redit, erutóque
Concolor auro.
Ecce me natum propiore terrà
Non tamen portu retinent amœna
Deſides Baiæ, liticenuè notus
Hectoris armis.
Torpor eſt noſtris ſine te Camœnis,
Tardius ſueto venit ipſe Thymbræ
Rector, & primis meus ecce metis
Hæret Achilles.
Quippe te fido monitore noſtra
Thebais multâ cruciata limâ

Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.
Sed damus lento veniam, quod alma
Prole fundaſti vacuos penateis.
O diem lætum! venit ecce nobis
Maximus alter.
Orbitas omni fugienda niſu,
Quam premit votis inimicus heres,
Optimo poſcens (pudet heu) propinquum
Funus amico.
Orbitas nullo tumulata fletu:
Stat domo capta cupidus ſuperſtes
Imminens letiſpoliis, & ipſum
Computat ignem.
Duret in longum generoſus infans,
Perque non multis iter expeditum
Creſcat in mores patrios, auúmque
Prouocet actis.
Tu tuos paruo memorabis enſes,
Quos ad Eoum tuleris Orontem,
Signa frenatæ moderatus alæ
Caſtore dextro.
Ille vt inuicti rapidum ſecutus
Cæſaris fulmen, refugis amaram
Sarmatis legem dederit, ſub imo
Viuere cælo.
Sed tuas artes puer ante diſcat,
Omne quîs mundi ſenium remenſus
Orſa Salluſti breuis, & Timaui
Reddis alumnum.

AD IVLIVM MENECRATEM
OB PROLEM.

PANDE fores ſuperûm, vittatáque templa Sabæis
Nubibus, & pecudum fibris ſpirantibus imple.
Parthenope, clari genus ecce Menecratis auget
Tertia iam ſoboles: procerum tibi nobile vulgus

Creſcit,

Creſcit, & inſani ſolatur damna Veſeui.
Nec ſolum feſtas ſecreta Neapolis aras
Ambiat, & ſocij portus, dilectáque mitis
Terra Dicarchei, nec non plaga cara madenti
Surrentina Deo ſertis altaria cingat,
Materni quà littus aui: quem turba nepotum
Circuit, & ſimiles contendit reddere vultus.
Gaudeat & Libyca præſignis auunculus haſta:
Quæque ſibi genitos putat, adtollítque benigno
Polla ſinu. macte ô iuuenis! qui tanta merenti
Lumina das patriæ. dulci tremit ecce tumultu
Tot dominis clamata domus: procul atra recedat
Inuidia, atque aliò liuentia pectora flectat.
His ſenium, longæque decus Virtutis, & alba
Atropos, & patrius lauros promiſit Apollo.
Ergo quod Auſoniæ pater auguſtiſſimus vrbis
Ius tibi tergeminæ dederat lætabile prolis,
Omen erat. venit toties Lucina, piúmque
Intrauit repetita larem. ſic fertilis oro
Stet domus, & donis nunquam mutata ſacratis.
Macte! quod & proles tibi ſæpius aucta virili
Robore. ſe iuueni lætam dat virgo parenti.
Aptior his Virtus, citius dabit illa nepotes.
Qualis maternis Helene iam digna palæſtris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.
Vel qualis cœli facies, vbi nocte ſerena
Admouere iubar mediæ duo ſydera Lunæ.
Sed queror haud faciles, iuuenum cariſsime, queſtus,
Iraſcórque etiam, quantum iraſcuntur amantes.
Tantáne me decuit vulgari gaudia famâ
Noſcere? cúmque tibi vagitet tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia curſu
Littera, quæ feſtos cumulare altaribus ignes,
Et redimere chelyn, poſtésque ornare iuberet?
Albanóque cadum ſordentem promere fumo?
Et cantu ſignare diem? ſed tardus, inérſque
Nunc demum mea vota cano. tua culpa, tuúsque
Hic pudor. vlterius ſed enim producere queſtus

Non licet. en hilaris circumſtat turba tuorum,
Defenſatque patrem. quem non hoc agmine vincas?
Di Patrii, quos auguriis ſuper æquora magnis
Littus ad Auſonium deuexit Abantia claſsis,
Tu ductor populi longe emigrantis Apollo,
Cuius adhuc volucrem leua ceruice ſedentem
Reſpiciens blandi felix Eumelis adorat:
Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votiuam taciti quaſſamus lampada myſtæ:
Et vos Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, vmbroſæque magis coluere Terapnæ,
Hos cum plebe ſua patrii ſeruate Penates.
Sint qui feſſam æuo, crebríſque laboribus vrbem
Voce, opibúſque iuuent, viridíque in nomine ſeruent.
His placidus genitor mores, largúmque nitorem
Monſtrat auus, pulchræ ſtudium virtutis vterque.
Quippe & opes, & origo ſinunt, hac lampade prima
Patritias intrare fores, his pube ſub ipſa
(Si modo prona bonis inuicti Cæſaris adſint
Numina) Romulei limen pulſare ſenatus.

RISVS SATVRNALITIVS

AD PLOTIVM.

EST ſanè iocus iſte, quòd libellum
Miſiſti mihi Grippe pro libello.
Vrbanum tamen hoc poteſt videri,
Si poſt hoc aliquid mihi remittas.
Nam ſi ludere Grippe perſeueras,
Non ludis. licet ecce computemus.
Noſter purpureus, nouúſque chartâ,
Et binis decoratus vmbilicis,
Præter me, mihi conſtitit decuſsis.
Tu roſum tineis, ſitúque putrem,
Quales aut Libycis madent oliuis,
Aut thus Niliacum, pipérue ſeruant,
Aut Byzantiacos colunt lacertos:
Nec ſaltem tua dicta continentem,
Quæ trino iuuenis foro tonabas,
Aut centum propè iudices, (priuſquam
Te Germanicus arbitrum ſequenti

Annonæ dedit, omniúmque latè
Præfecit ſtationibus viarum)
Sed Bruti ſenis oſcitationes,
De capſa miſeri libellionis
Emptum plus minus aſſe Caiano,
Donas. vſque adeo ne defuerunt
Cæſis pilea ſuta de lacernis?
Vel mantilia? luridæue mappæ?
Chartæ Thebaicæue, Caricæue.
Nuſquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atque Coctanorum.
Non ellychnia ſicca, non replictæ
Bulborum tunicæ, nec oua tantum?
Non leues alicæ, nec aſperum far?
Nuſquam Cyniphiis vagata campis
Curuarum domus vda cochlearum?
Non lardum graue, debiliſúe perna.
Non Lucanica, non graues Phaliſci;
Non ſal, oxiporumue, caſeuſúe,
Aut panes viridantis aphronitri.
Vel paſſum Pſythiis ſuis recoctum,
Dulci defruta vel lutoſa cœno?
Quantum vel dare cereos nitentes,
Cultellum, tenueſúe codicillos?
Ollares rogo non licebat vuas,
Cumano patinas in orbe tortas,
Aut vnam dare ſyntheſin (quid horres?)
Alborum calicum, atque caccaborum?
Sed certa velut æquus in ſtatera,
Nil mutas, ſed idem mihi rependis.
Quid ſi cum bene mane ſemicrudus
Illatam tibi dixero ſalutem,
Et tu me vicibus domi ſalutes?
Aut cum me dape iuueris opima,
Expectes ſimiles & ipſe cœnas?
Iraſcor tibi Grippe. ſed valebis,
Tantum ne mihi quo ſoles lepore,
Et nunc hendecaſyllabos remittas.

PAPINII SVRCVLI STATII

SILVARVM LIBER QVINTVS

AD ABASCANTIVM.

OMNIBVS affectibus proſequenda ſūt bona exempla cùm publicè proſint. pietas, quam Priſcillæ tuæ præſtas, & morū tuorum pars, nulli nō conciliare te præcipuè marito poteſt. Vxorem enim viuā amare, voluptas eſt, defunctam religio. ego tamen huic operi non vt vnus é turba, nec tantum quaſi officioſus aſſilui. amauit enim vxorem meam Priſcilla, & amando fecit mihi illam probatiorem. poſt hoc ingratus ſum, ſi lachrymas tuas tranſeo. Præterea latus omne diuinæ domus ſemper demereri pro mea mediocritate connitor. nam qui bona fide deos colit, amat & ſacerdotes. ſed quamuis propriorem nexum amicitię tuæ iampridem cuperem, mallē tamen nondum interueniſſe materiam.

ABASCANTII
IN PRISCILLAM, PIETAS.

SI manus aut ſimiles docilis mihi fingere ceras,
Aut ebur, impreſsis aurumue animare figuris,
Hinc Priſcilla tuo ſolatia grata marito
Conciperem. namque egregia pietate meretur,
Vt vel Apellæo vultus ſignata colore,
Phidiaca vel nata manu, reddare dolenti.
Sic auferre rogis vmbram conatur, & ingens
Certamen cum morte gerit, curáſque fatigat
Artificum, inque omni te quærit amare metallo.
Sed mortalis honos agilis quem dextra laborat.
Nos tibi laudati iuuenis rariſsima coniux,
Longa, nec obſcurum finem latura, perenni
Tentamus dare iuſta lyra. modo dexter Apollo,
Quique venit iuncto mihi ſemper Apolline Cæſar,
Annuat. haud alio melius condere ſepulchro.
Sera quidem tanto ſtruitur medicina dolori,
Altera cum volucris Phœbi rota torqueat annum.
Sed cum plaga recens, & adhuc in vulnere primo
Nigra domus queſtu, miſerámque acceſſus ad aurem
Coniugis orbati, tunc flere & ſcindere veſtes,
Et famulos laſſare greges, & vincere planctus,
Fatáque, & iniuſtos rabidis pulſare querelis
Cælicolas, ſolamen erat. licet ipſe leuandos
Ad gemitus ſyluis comitatus, & amnibus Orpheus
Adforet, atque omnis pariter matertera vatem,
Omnis Apollineus tegeret, Bacchique ſacerdos,
Nil cantus, nil fila, deus pallentis Auerni
Eumenidúmque audita comis, mulcere valerent.
Tantus in attonito regnabat pectore luctus.

Fulmineóſque ignes, mediique pericula ponti,
Exciperet. melius quod non aduerſa probarunt
Quæ tibi cura tori, quantus pro coniuge pallor!
Sed meliore via dextros tua vota marito
Promeruere Deos: Dum nocte diéque fatigas
Numina, dum cunctis ſupplex aduolueris aris,
Et mitem Genium domini præſentis adoras,
Audita es. venítque gradu fortuna benigno.
Vidit quippe pij iuuenis rarámque quietem,
Intactámque fidem, ſuccinctáque pectora curis,
Et vigiles ſenſus, & digna euoluere tantas
Sobria corda vices. vidit qui cuncta ſuorum
Nouit, & inſpectis ambit latus omne miniſtris.
Nec mirum, videt ille ortus, obitúſque; quid Arctos,
Quid Boreas hibernus agat, ferríque togæque
Conſilia, atque ipſam mentem probat. ille ſubactis
Molem immenſam humeris, & vix tractabile pondus
Impoſuit: nec enim numeroſior altera ſacra
Cura domo, magnum latè dimittere in orbem
Romulei mandata Ducis, viréſque, modóſque
Imperij tractare manu. quæ laurus ab Arcto,
Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Iſtri,
Quid Rheni vexilla ferant: quantum vltimus orbis
Ceſſerit, & refluo circumſona gurgite Thule.
Omnia nam lætas pilæ attolentia frondes,
Multáque fumoſa ſignatur lancea penna.
Præterea fidos dominus ſi diuidat enſes,
Pandere quis centum valeat frenare maniplos
Intermiſſus Eques, quis præcepiſſe cohorti
Quem deceat clari præſtantior ordo tribuni:
Quiſnam frenigeræ ſignum dare dignior alæ.
Mille etiam prænoſſe vices. an merſerit agros
Nilus, an imbrifero Libye ſudauerit Auſtro.
Cunctaque ſi numerem, non plura interprete virga
Nuntiat è celſis ales Tegeaticus aſtris:
Quæque cadit liquidas Iunonia virgo per auras,
Et picturato pluuium ligat aëra gyro.
Quæque tuas laurus volucri Germanice curſu

Fama vehit prægreſſa diem, tardúmque ſub aſtris
Arcada, & in medio linquit Thaumantida cœlo.
Qualem te ſuperi Priſcilla, hominéſque benigno
Aſpexere die, cùm primum ingentibus actis
Admotus coniux? viciſti gaudia cœnæ
Ipſius, effuſo dum pectore prona ſacratos
Ante pedes, auidè domini tam magna merentis
Volueris. Aonio non ſic in vertice gaudes
Quem pater arcani præfecit hiatibus antri
Delius: aut primi cui ius venerabile thyrſi
Bacchus, & attonitæ tribuit vexilla cateruæ.
Non tamen hic mutata quies, probitáſue ſecundis
Intumuit: tenor idem animo, moréſque modeſti
Fortuna creſcente manent: fouet anxia curas
Coniugis, hortatúrque ſimul, flectítque labores.
Ipſa dapes modicas, & ſobria pocula tradit,
Exemplúmque ad herile monet. velut Appula coniux
Agricolæ parci: vel ſole infecta Sabino,
Quæ videt emeriti iam proſpectantibus aſtris
Tempus adeſſe viri, propere menſaſque toróſque
Inſtruit, expectátque ſonum redeuntis aratri.
Parua loquor. tecum gelidas comes illa per Arctos,
Sarmaticáſque hyemes, Iſtrúmque, & pallida Rheni
Frigora, tecum omnis animo durata per æſtus:
Et ſi caſtra darent, vellet geſtare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta,
Dum te puluerea bellorum nube videret
Cæſarei prope fulmen equi, diuináque tela
Vibrantem, & magnæ ſparſum ſudoribus haſtæ.
Hactenus alma chelys. tempus nunc ponere frondes
Phœbe tuas, mœſtáque comam damnare cupreſſo.
Quiſnam impacata conſanguinitate ligauit
Fortunam, Inuidiámque Deus? quis iuſſit iniquas
Æternum bellare deas? nullámne notauit
Illa domum? torno quam non hæc lumine figat
Protinus, & ſæuâ perturbet gaudia dextrâ.
Florebant hilares, inconcuſſique penates,
Nil mœſtum. quid enim, quamuis infida, leuiſque,

Cæſare

Cæſare tam dextro poſſet Fortuna timeri?
Inuenere viam liuentia fata, piúmque
Intrauit vis ſæua larem. ſic plena maligno
Afflantur vineta noto: ſic alta ſeneſcit
Imbre ſeges nimio: rapidæ ſic obuia puppi
Inuidet, & velis adnubilat aura ſecundis.
Carpitur eximium fato Priſcilla decorem.
Qualiter alta comam ſyluarum gloria pinus
Seu Iouis igne malo, ſeu iam radice ſoluta
Deficit, & nulli ſpoliata remurmurat auræ.
Quid probitas, aut caſta fides? quid numina proſunt
Culta Deûm? furuæ miſeram circum vndíque leti
Vallauere plagæ. tenuantur dura ſororum
Licia, & exacti ſupereſt pars vltima fili.
Nil famuli cœtus, nil ars operoſa medentum
Auxiliata malis. comites tamen vndíque ficto
Spem ſimulant vultu, flentem notat illa maritum.
Ille modo infernæ nequicquam flumina Lethes
Incorrupta rogat. nunc anxius omnibus aris
Illachrymat, ſignátque fores, & pectore terget
Lumina. nunc magni vocat exorabile numen
Cæſaris. Heu durus Fati tenor! eſt ne quod illi
Non liceat? quantæ poterant mortalibus annis
Acceſsiſſe moræ, ſi tu pater omne teneres
Arbitrium: cæco gemeret mors cluſa barathro,
Longius & vacuæ poſuiſſent ſtamina Parcæ.
Iamque cadunt vultus, oculiſque nouiſsimus horror,
Obtuſæque aures, niſi cum vox ſola mariti
Noſcitur. illum vnum media de morte reuerſa
Mens videt: illum ægris circundat fortiter vlnis
Immotas obuerſa genas. nec ſole ſupremo
Lumina, ſed dulci mauult ſatiare marito.
Tunc ſic vnanimum moriens ſolatur amantem,
Pars animæ victura meæ, cui linquere poſsim
O vtinam, quos dura mihi rapit Atropos annos.
Parce precor lachrymis, ſæuo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem coniugis vmbram.
Qua Tyrrhena vadis Laurentibus æſtuat vnda,
Tendentem curſus, vexantémque ilia nuda
Calce ferocis equi, vultu, dextráque minacem,
(Si qua fides dictis) ſtupui, armatúmque putaui.
Getulo ſic pulcher equo, Troianáque quaſſans
Tela, nouercales ibat venator in agros
Aſcanius, miſerámque patri flagrabat Eliſam.
Troilus haud aliter gyro leuiore minantes
Eludebat equos. aut quem de turribus altis
Arcadas Ogygio verſantem in puluere metas
Spectabant Tyriæ non toruo lumine matres.
Ergo age, nam magni Ducis indulgentia pulſat,
Certáque dat votis hilaris veſtigia frater.
Surge animo, & fortes caſtrorum concipe curas.
Monſtrabunt acies Mauors, Actæáque virgo.
Flectet Caſtor equos, humeris quatet arma Quirinus.
Quis tibi tam tenero permiſit plaudere collo
Nubigeros clypeos, intactáque cædibus arma?
Quáſnam igitur terras, quem Cæſaris ibis in orbem?
Arctoóſne amnes, & Rheni fracta natabis
Flumina? an æſtiferis Libyæ ſudabis in aruis?
An iuga Pannoniæ, mutatoréſque domorum
Sauromatas quaties? an te ſeptenus habebit
Iſter, & vndoſo circumflua coniuge Peuce?
An Solymum cinerem, palmetáque capta ſubibis,
Non ſibi felices ſyluas ponentis Idumes?
Quod ſi te magno tellus frenata parenti
Accipiat, quantum ferus exultabit Araxes,
Quanta Calidonios attollet gloria campos.
Cum tibi longæuus referet trucis incola terræ,

Hic ſuetus dare iura parens, hoc ceſpite turmas
Affari. nitidas ſpeculas, caſtelláque longè
Aſpicis, ille dedit, cinxítque hæc mœnia foſſa.
Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicauit.
Cernis adhuc titulos? hunc ipſe vacantibus armis
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.
Qualiter in Teucros victricia bella parentis
Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.
Felix qui viridi fidens optate iuuenta
Durabis quaſcunque vias: vallúmque ſubibis
Forſan & ipſe latus (ſic numina principis adſint)
Cinctus, & vnanimi comes indefeſſus amici.
Quo Pylades ex more pius, quo Dardana geſſit
Bella Menœtiades. quippe hæc concordia vobis,
Hic amor eſt, duretque precor. nos fortior ætas
Iam fugit: hinc votis animum, precibúſque iuuabo.
Hei mihi, ſed queſtus ſolitos ſi forte ciebo,
Et mea Romulei venient ad carmina patres,
Tu deeris Criſpine mihi, cuneóſque per omnes
Te meus abſentem circumſpectabit Achilles.
Sed venies melior. vatum non irrita currunt
Omina. quique aquilas tibi nunc, & caſtra recludit,
Idem omnes perferre gradus, cingetque ſuperbis
Faſcibus, & patrias dabit inſediſſe curules.
Sed quis ab excelſis Troianæ collibus Albæ,
Vnde ſuæ iuxta proſpectat mœnia Romæ,
Proximus ille Deus, fama velocior intrat
Nuntius, atque tuos implet Criſpine penates.
Dicebam certe, Vatum non irrita currunt
Auguria. en ingens reſerat tibi limen honorum
Cæſar, & Auſonij committit munia ferri.
Vade puer, tantiſque enixus ſuffice donis.
Felix, qui magno iam nunc ſub præſide iuras,
Cuique ſacer primum tradit Germanicus enſem.
Non minus hoc fortis, quàm ſi tibi panderet ipſe
Bellipotens aquilas, tortáque induceret ora
Caſſide. vade alacer, maioráque diſce mereri.

EPICE-

EPICEDION IN PATREM.

IPSE malas vires, & lamentabile carmen
Elyſio de fonte mihi, pulſúmque ſiniſtræ
Da genitor perdocte lyræ. neque enim antra moueri
Delia, nec ſolitam fas eſt impellere Cyrrham.
Te ſine Corycia quidquid modò Phœbus in umbra,
Quidquid ab Iſmariis monſtrabat collibus Euan,
Dedidici. fugere mei Parnaſia crines
Vellera, funeſtámque ederis irrepere taxum
Extimui, trepidámque (nefas) areſcere laurum.
Certe ego, magnanimum qui facta attollere regum
Ibam altum ſpirans, Martémque æquare canendo,
Quis ſterili mea corda ſitu, quis Apolline merſo
Frigida damnatæ produxit nubila menti?
Stant circum attonitæ vatem, & nil dulce ſonantes
Nec digitis, nec voce Deæ. dux ipſa ſilenti
Fulta caput cithara: qualis poſt Orphea raptum
Aſtitit Hebre tibi, cernens iam ſurda ferarum
Agmina, & immotos ſublato carmine lucos.
At tu ſeu membris emiſſus in ardua tendens
Fulgentéſque plagas, rerúmque elementa recenſes,
Quis Deus, vnde ignes, quæ ducat ſemita Solem,
Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem
Cauſa queat, doctíque modos extendis Arati.
Seu tu Lethæi ſecreto in gramine campi
Concilia Heroum iuxta, Manéſque beatos,
Mæonium, Aſcræúmque ſenem, non ſegnior vmbra
Accolis, alternúmque ſonas, & carmina miſces,
Da vocem magno pater ingeniúmque dolori.
Nam me ter relegens cælo, térque ora retexens
Luna videt reſidem, nulláque Heliconide triſtes
Solantem curas. tuus vt mihi vultibus ignis
Irrubuit, cinerémque oculis humentibus hauſi,
Vilis honos ſtudiis. vix hæc in munera ſolua
Primum animum, tacitiſque ſitum depellere curis,
Nunc etiam labente manu, nunc lumine ſicco

Ordior accliuis tumulo, quo molle quieſcis
Iugera noſtra tenens. vbi poſt Aeneia fata
Solatus, Latiis ingeſsit montibus Albam
Aſcanius, Phrygio dum pingues ſanguine campos
Odit, & infauſtæ regnum dotale nouercæ.
Hic ego te (nam Sicanij non mitius halat
Aura croci, dites nec ſic tibi rara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpſit ariſtas.)
Inſerui cum laude loci. ſed carmine plango
Pierio. ſumas gemitus, & vulnera nati,
Et lachrymas, rari quas nunquam habuere parentes.
Atque vtinam fortuna mihi dare Manibus aras,
Par templis opus, aëriámque educere molem
Cyclopum ſcopulos vltra, atque audacia ſaxa
Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco:
Illic & Siculi ſuperaſſem dona ſepulchri,
Et Nemees lucum, & Pelopis ſolemnia trunci.
Illic Oebalio non finderet aëra diſco
Graiorum vis vlla virûm, non arua rigaret
Sudor equûm, aut putri ſonitum daret vngula foſſa:
(Sed Phœbi ſimplex chorus, & frondentia vatum
Præmia) laudato genitor tibi rite dicarem.
Ipſe madens oculis, umbrarum, animæque ſacerdos
Præcinerem gemitum, cui te nec Cerberus omni
Ore, nec Orpheæ quirent auertere leges:
Atque tibi, moréſque tuos & facta canentem,
Fors & magniloquo non poſthabuiſſet Homero:
Tenderet & toruo pietas æquare Maroni.
Cur magis inceſſat ſuperos, & ſæua ſororum
Stamina, quæ tepido genitrix ſuper aggere nati
Orba ſedet? vel quæ primæui coniugis ignem
Aſpicit, obſtantéſque manus, turbámque tenentem
Vincit, in ardentem liceat moritura maritum?
Maior certè aliis ſuperos, & Tartara pulſem
Inuidia, externis etiam miſerabile viſu
Funus eat, ſed nec modo ſe natura dolenti,
Nec pietas iniuſta dedit. mihi limine primo
Fatorum, & viridi genitor ceu raptus ab æuo;

Tartara dura ſubis. nec enim Marathonia virgo
Parcius extinctum ſæuorum crimine agreſtum
Fleuerit Icarium, Phrygia quàm turre cadentem
Aſtyanacta parens. laqueo quin illa ſupremo
Incluſit gemitus. & te poſt funera magni
Hectoris, Hæmonio pudor eſt ſeruiſſe marito.
Non ego, quas fati certus ſibi voce canora
Inferias præmittit olor, nec rupe quod atra
Tyrrhenæ volucres nautis prædulce minantur,
In patrios adhibebo rogos. non murmure trunco
Quod gemit, & duræ queritur Philomela ſorori.
Nota nimis vati. quis non in funere cunctos
Heliadum ramos, lachrymoſáque germina dixit?
Et Phrygiúm ſilicem? atque auſum contraria Phœbo
Carmina? nec fiſſa gauiſſam Pallada buxo?
Te pietas oblita virûm, reuocatáque cælo
Iuſtitia, & gemina plangat facundia lingua,
Et Pallas, doctíque cohors Heliconia Phœbi.
Quîs honor Aonios ſeno pede ducere campos,
Et quibus Arcadia carmen teſtudine menſis
Cydæ labor, noménque fuit: quósque orbe ſub omni
Ardua ſeptena numerat Sapientia fama.
Qui furias, regúmque domos, auerſáque cælo
Sydera terrifico ſuperintonuere cothurno.
Et quîs laſciua vires tenuare Thalia
Dulce, vel heroos greſſu truncare tenores.
Omnia námque animo complexus, & omnibus auctor.
Qua fandi vis lata patet: ſiue orſa libebat
Aoniis vincire modis, ſeu voce ſoluta
Spargere, & effreno nimbos æquare profatu.
Exere ſemirutos ſubito de puluere vultus
Parthenope, crinémque afflato monte ſepulti
Pone ſuper tumulos, & magni funus alumni.
Quo non Munychiæ quidquam præſtantius arces,
Doctáque Cyrene, Spartéue animoſa creauit.
Si tu ſtirpe vetus, famáque obſcura iaceres,
Nil gentile tenens, illo te ciue probares,
Graiam, atque Euboico maiorum ſanguine duci.

Ille tuis toties præſtrinxit tempora ſertis,
Cum ſtata laudato caneret quinquennia verſu,
Ora ſupergreſſus Pylii ſenis, oráque regis
Dulichii, ſpeciéque comam ſubnexus vtráque.
Non tibi deformes obſcuri ſanguinis ortus,
Nec ſine luce genus (quanquam fortuna parentum
Arctior expenſis) etenim te diuite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus,
Stirpis honore datos, & nobile pectoris aurum.
Protinus exorto dextrum riſere ſorores
Aonides, pueróque chelyn ſubmiſit, & ora
Imbuit amne ſacro, iam tum tibi blandus Apollo.
Nec ſimplex patriæ decus, & natalis origo
Pendet, & ambiguo geminæ certamine terræ:
Te de gente ſuum Latiis aſcita colonis
Graia refert Selle: Graius qua puppe magiſter
Excidit, & mediis miſer euigilauit in vndis
Mæon, & inde ſuum longo probat ordine vitæ
Mæoniden, aliæque aliis natalibus vrbes
Diripiunt, cunctæque probant non omnibus. ille
Verſus alit victos immanis gloria falſi.
Atque ibi dum profers annos, vitámque ſalutas,
Protinus ad patrij raperis certamina luſtri
Vix implenda viris, laudum feſtina: ſed vt dux
Ingenii ſtupuit primæua ad carmina plebes
Eubæa, & natis te monſtrauere parentes:
Inde frequens pugnæ, nullóque ingloria ſacro
Vox tua. non toties victorem Caſtora gyro,
Nec fratrem cæſtu virides plauſere Terapnæ,
Sit pronum viciſſe domi. quid Achæa mereri
Præmia nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantæa protectum tempora pinu?
Cum totiens laſſata, tamen nuſquam auia frondes
Abſtulit, aut alium tetigit victoria crinem.
Hinc tibi vota patrum credi, generoſáque pubes
Te monitore regi, mores & facta priorum
Diſcere, quis caſus Troiæ, quàm tardus Vlyſſes,
Quantus equos pugnáſque virum decurrere verſu

Mæonides: quantúmque pios ditarit agreſtes
Aſcræus, Siculúſque ſenex: qua lege recurrat
Pindaricæ vox flexa lyræ: volucrúmque precator
Obſitus, & tetricis Alcman cantatus Amyclis,
Steſichorúſque ferox, ſaltúſque ingreſſa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho.
Quóſque alios dignata chelys. tu pandere doctus
Carmina Battiadæ, latebráſque Lycophronis atri,
Sophronáque implicitum, tenuíſque arcana Corinnæ.
Sed quid parua loquor? tu par aſſuetus Homero
Ferre iugum, ſenóſque pedes æquare ſolutis
Verſibus, & nunquam paſſu breuiore relinqui.
Quid mirum, patria ſi te petiere relicta,
Quos Lucanus ager, rigidi quos iugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectáque tellus
Alcidæ, vel quos è vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni ſpeculatrix virgo profundi:
Quos propiore ſinu lituo, remóque notatus
Collis, & Auſonij pridem laris hoſpita Cyme:
Quóſque Dicarchæi portus, Baianáque mittunt
Littora, qua mediis altè permiſſus anhelat
Ignis aquis, & operta domos incendia ſeruant.
Sic ad Auernales ſcopulos, & opaca Sibyllæ
Antra, rogaturæ veniebant vndique gentes.
Illa minas diuum, Parcarúmque acta canebat,
Quamuis decepto vates non irrita Phœbo:
Mox & Romuleam ſtirpem, proceréſque futuros
Inſtruis, inqúe patrum veſtigia ducere perſtas.
Sub te Dardanius facis explorator opertæ,
Qui Diomedei cælat penetralia furti,
Creuit, & inde ſacrum didicit puer. arma probare
Monſtraſti Salijs, præſagúmque æthera certis
Auguriis. cui Chalcidicum fas voluere carmen,
Lanea cui Phrygij eſt coma Flaminis, & tua multum
Verbera ſuccincti formidauere Luperci.
Et nunc ex illo forſan grege gentibus alter
Iura dat Eois, alter compeſcit Iberos,
Alter Achæmenium ſecludit Zeugmate Perſen.

Hi dites Aſiæ populos, hi Pontica frenant,
Hi fora pacificis emendant faſcibus, illi
Caſtra pia ſtatione tenent. tu laudis origo.
Non tibi certaſſet iuuenilia fingere corda
Neſtor, & indomiti Phœnix moderator alumni.
Quique tubas acres, lituóſque audire volentem
AEaciden, alio frangebat carmine Chiron.
Talia dum celebras, ſubitam ciuilis Erinnys
Tarpeio de monte facem, Phlegræaque mouit
Prælia: ſacrilegis lucent Capitolia tædis,
Et Senonum furias Latiæ ſenſere cohortes.
Vix requies flammæ, nec dum rogus ille deorum
Sederat, exciſis cum tu ſolatia templis
Impiger, & multum facibus velocior ipſis,
Concinis ore pio, captiuáque numina defles.
Mirantur Latii proceres, vltorque deorum
Cæſar, & è medio diuum pater annuit igni.
Iamque & flere pio Veſuuina incendia cantu
Mens erat, & gemitum patrijs impendere damnis,
Cum pater exemptum terris ad ſydera montem
Suſtulit, & latè miſeras deiecit in vrbes.
Me quóque vocales lucos, luſtratáque Tempe
Pulſantem, cum ſtirpe tua deſcendere dixi,
Admiſere deæ. nec enim mihi ſydera tantum,
Aequoráque & terras, quantum oſtendére parenti.
Sic decus hoc, quodcúnque lyræ, primúſque dediſti
Non vulgare loqui, & famam ſperare ſepulchro.
Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felíxque tui ſpectator adeſſes
Muneris? heu quali confuſus gaudia fletu
Vota, pióſque metus inter, lætúmque pudorem.
Qualis & illa dies, qua non mihi gloria maior:
Talis Olympiaca iuuenem cum ſpectat arena
Qui genuit, plus ipſe ferit, plus corde ſub alto
Cæditur, attendunt cunei: ſpectatur Aceſtes
Ille magis, crebro dum lumina pulueris hauſtu
Obruit, & prenſa vouet expirare corona.
Hei mihi quòd tantúm patrias ego vertice frondes,

Soláque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
Te ſub teſte tuli. qualem te Dardanus Albæ
Vix cepiſſet ager, ſi per me ſerta tuliſſes
Cæſarea donata manu: quod ſubdere robur
Illa dies, quantum potuit dempſiſſe ſenectæ?
Nam quòd me mixta quercus non preſſit oliua,
Et fugit ſperatus honos, cùm dulce parentis
Inuida Tarpeij caneret te noſtra magiſtro
Thebais. Vrgebant priſcorum exordia vatum.
Tu cantus ſtimulare meos: tu pandere facta
Heroum, bellique modos, poſitúſque locorum
Monſtrabas: labat incerto mihi limite curſus
Te ſine, & orbatæ caligant vela carinæ.
Nec ſolum larga memet pietate fouebas.
Talis & in thalamos, vnâ tibi cognita tædâ
Connubia, vnus amor. certè ſeiungere matrem
Iam gelidis nequeo buſtis, te ſentit, habétque,
Te videt, & tumulos, ortúque obitúque ſalutat.
Vt Pharios aliæ ficta pietate dolores,
Mygdonióſque colunt, & non ſua funera plorant.
Quid referam expoſitos ſeruato pondere mores?
Quæ pietas? quàm vile lucrum? quæ cura pudoris?
Quantus amor recti? rurſúſque vbi dulce remitti,
Gratia quæ dictis? animo quàm nulla ſenectus?
His tibi pro meritis, famam, laudéſque benignas
Vindex cura Deûm, nullóque è vulnere triſtem
Conceſſit. raperis genitor non indigus æui,
Non nimius, triniſque decem quinquennia luſtris
Iuncta ferens. ſed me pietas numerare, dolórque
Non ſinit: ô Pylias æui tranſcendere metas,
Et Teucros æquare ſenes: ô digne videre
Me ſimilem! ſed nec leti tibi ianua triſtis.
Quippe leues cauſæ, nec ſegnis labe ſenili
Exitus. inſtanti præmiſit membra ſepulchro.
Sed te torpor iners, & mors imitata quietem,
Explicuit, falſóque tulit ſub tartara ſomno.
Quos ego tunc gemitus, comitum manus anxia vidit:
Vidit & exemplum genitrix, gauiſáque nouit

Quæ lamenta tuli. veniam concedite manes;
Fas dixiſſe pater, non tu mihi plura dediſſes.
Felix ille patrem vacuis circumdedit vlnis:
Vellet, & Elyſia quamuis in ſede locatum,
Abripere, & Danaas iterum portare per vmbras.
Tentantem, & viuos molitum in tartara greſſus,
Detulit infernæ vates longæua Dianæ.
Si chelyn Odryſiam pigro tranſmiſit Auerno
Cauſa minor, ſi Theſſalicis Admetus in oris
Silua vna tetra Philaceida rettulit vmbram,
Cur nihil exoret genitor chelys aut tua Manes,
Aut mea? fas mihi ſit patrios contingere vultus,
Fas iunxiſſe manus, & lex quæcunque ſequatur.
At vos vmbrarum reges, Ætneáque Iuno
(Si laudanda precor) tædas auferte, comáſque
Eumenidum. nullo ſonet aſper ianitor ore.
Centauróſque, hydræque greges, Scyllæáque monſtra
Auerſæ celent valles, vmbrámque ſenilem
Inuitet ripis diſcuſſa plebe ſupremis
Vector, & in media componat molliter alga.
Ite pij manes, Graiûmque examina vatum,
Illuſtrémque animam lethæis ſpargite ſertis,
Et monſtrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys,
In quo falſa dies, celóque ſimillimus aer.
Inde tamen venias melior, qua in porta malignum
Cornea vincit ebur, ſomníque in imagine monſtra
Quæ ſolitus: ſic ſacra Numæ, ritúſque colendos
Mitis Aricino dictabat Nympha ſub antro.
Scipio ſic plenos Latio Ioue ducere ſomnos
Creditur Auſonius, & non ſine Apolline Sylla.

AD SOMNVM

CRIMINE quo merui iuuenis placidiſſime diuum,
Quóue errore miſer, donis vt ſolus egerem
Somne tuis? tacet omne pecus, volucréſque, feræque
Et ſimulant feſſos curuata cacumina ſomnos.
Nec trucibus fluuijs idem ſonus; occidit horror.

Æquoris,

Æquoris, & terris maria acclinata quieſcunt.
Septima iam rediens Phœbe mihi reſpicit ægras
Stare genas, totidem Oetææ, Paphiæque reuiſunt
Lampades, & toties noſtros Titonia queſtus
Præterit, & gelido ſpargit miſerata flagello.
Vnde ego ſufficiam? non ſi mihi lumina mille,
Quæ ſacer alterna tantum ſtatione tenebat
Argus, & haud vnquam vigilabat corpore toto.
At nunc heu aliquis longa ſub nocte, puellæ
Brachia nexa tenens, vltro te Somne repellit.
Inde veni, nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis (hoc turba precatur
Lætior) extremo me tange cacumine virgæ.
Sufficit: aut leuiter ſuſpenſo poplite tranſi.

EPICEDION IN FILIVM.

VE miſerum (neque enim verbis ſolemnibus vlla
Incipiam; nec Caſtaliæ vocalibus vndis
Inuiſus, Phœbóque grauis) quæ veſtra ſorores
Orgia Pieriæ, quas inceſtauimus aras?
Dicite. poſt pœnam liceat commiſſa fateri.
Numquid inacceſſa poſui veſtigia luco?
Num vetito de fonte bibi? quæ culpa? quis error,
Quem luimus tantis mœroribus? ecce lacertis
Viſcera noſtra tenens, animáque auellitur infans.
Non de ſtirpe quidem, nec qui mea nomina ferret,
Oráque: non fueram genitor, ſed cernite fletus,
Liuentéſque genas, & credite planctibus orbi.
Orbus ego. huc patres, & aperto pectore matres
Conueniant, cineréſque oculis, & carmina ferte:
Siqua ſub vberibus plenis ad funera natos
Ipſa gradu labente tulit, madidúmque cecidit
Pectus, & ardentes reſtinxit lacte fauillas.
Quiſquis adhuc teneræ ſignatum flore iuuentæ
Immerſit cineri iuuenem, primæque iacentis
Serpere crudeles vidit lanugine flammas,
Adſit, & alterno mecum clamore fatiſcat.

Vincetur lachrymis, & te Natura pudebit.
Tanta mihi feritas, tanta eſt inſania luctus.
Hoc quoque cum meditor terdena luce peracta
Accliuis tumulo, luctus in carmina verto,
Diſcordéſque modos, & ſingultantia verba
Molior. orſa dolor prohibet, atque ira tacendi
Impatiens. ſed nec ſolitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos. en taxea marcet
Sylua comis, hilaréſque hederas plorata cupreſſus
Excludit ramis. ignauo pollice chordas
Pulſo. ſed incertam digitis errantibus amens
Scindo chelyn. iuuat heu iuuat illaudabile carmen,
Fundere, & incomptè miſerum laudare dolorem.
Sic merui, ſic me cantúque habitúque nefaſtum
Aſpiciant ſuperi: pudeat, Thebáſque, nouúmque
AEaciden. nil iam placidum manabit ab ore.
Ille ego qui toties blandus, matrúmque patrúmque
Vulnera, qui viuos potui mulcere dolores;
Ille ego lugentum mitis ſolator, acerbis
Auditus tumulis, & deſcendentibus vmbris,
Deficio. medicáſque manus, fomentáque quæro
Vulneribus, ſed ſumma, meis. nunc tempus amici
(Quorum ego manantes oculos, & ſaucia terſi
Pectora) reddite opem, ſæuas exoluite grates.
Nimirum cùm veſtra domans ego funera, queſtus
Increpito, tunc damna dolens aliena, repono
Infelix lachrymas, & triſtia carmina ſeruo.
Verum erat. abſumptæ vires, & copia fandi
Nulla mihi, dignúmque nihil mens fulmine tanto
Repperit. inferior vox omnis, & omnia ſordent
Verba. ignoſce puer. tu me caligine mœſtum
Obruis. à duro viſo ſic vulnere caræ
Coniugis, inuenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce ſibi: ſic buſta Lini complexus Apollo
Non tacuit. nimius fortaſſe, auidúſque doloris
Dicor, & in lachrymis iuſtum exceſſiſſe pudorem.
Quiſnam autem gemitus, lamentáque noſtra reprendit?
O nimium felix, nimium crudelis & expers

Imperij fortuna tui, qui dicere legem
Fletibus, aut fines audet cenſere dolendi.
Incitat (heu) planctus. potius fugientia ripas
Flumina deuincas, rapidis aut ignibus obſtes,
Quàm miſeros lugere vetes. tamen ille ſeuerus
(Quiſquis is eſt) noſtræ cognoſcat vulnera cauſæ.
Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delitias, doctúmque ſui conuicia Nili
Infantem, linguáque ſimul, ſalibúſque proteruum
Dilexi. meus ille, meus tellure cadentem
Excepi, & vinctum genitali carmine foui.
Poſcentémque nouas tremulis vlulatibus auras,
Inſerui vitæ. quid plus tribuere parentes?
Quin alios ortus, libertatémque ſub ipſis
Vberibus tibi parue dedi. heu munera noſtra
Ridebas ignarus adhuc. properauerat ille,
Sed merito properabat amor, ne perderet vllam
Libertas tam parua diem. nónne horridus ipſos
Inuidia ſuperos, iniuſtáque tartara pulſem?
Nónne gemam te care puer? quo ſoſpite natos
Non cupij, primo gemitum qui protinus ortu
Implicuit, fixitque mihi, cui verba, ſonóſque
Monſtraui (queſtúſque, & vulnera cæca reſoluam)
Reptantémque ſolo demiſſus ad oſcula dextrâ
Erexi, blandóque ſinu, iam iámque natantes
Exercere genas, dulcéſque accerſere ſomnos:
Cui nomen vox prima meum, ludúſque tenello
Riſus, & è noſtro veniebant gaudia vultu.

* * *

ARGVMENTVM THEBAIDOS LIBB. XII.

Ex veteribus libris.

Adſociat profugum Primus Tydeo Polynicen.
Tydea legatum docet, inſidiáſque, Secundus.
Tertius Hæmonidem canit, & vates latitantes.
Quartus habet reges, ineuntes prælia, ſeptem.
Mox Furiæ Lenni Quinto narrantur, & anguis.
Archemori buſtum, Sexto, ludíque leguntur.
Dat Graios Thebis, & vatem Septimus vmbris.
Octauo cecidit Tydeus, ſpes fida Pelaſgis.
Hippomedon Nono quæritur, cum Parthenopeo.
Fulmine percuſſus Decimo Capaneus ſuperatur.
Vndecimo ſeſe perimunt per vulnera fratres.
Argiam flentem memorat Duodenus, & ignes.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER PRIMVS.

* Deeſt argumentum. *

*

FRATERNAS acies, alternáque regna profanis
Decertata odiis, ſontéſque euoluere Thebas,
Pierius menti calor incidit. vnde iubetis
Ire Deæ? gentíſne canam primordia diræ?
Sidonios raptus, & inexorabile pactum
Legis Agenoreæ? ſcrutantémque æquora Cadmum?
Longa retro ſeries, trepidum ſi Martis operti
Agricolam infandis condentem prælia ſulcis
Expediam, penitúſque ſequar quo carmine muris
Iuſſerit Amphion Tyrios accedere montes.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

FRATERNAS ACIES ALTERNAQVE REGNA PROPHANIS. Quia pacti erant fratres vt mutuis annis regnarent, & ſibi inuicem ſuccederent. hoc dicit, Narramus geſta certamina cauſa regnorum. ALTERNA. vt placuerat, non vt poſſeſſa fuerant. PROFANIS. quia per eos violata ſunt iura naturæ: & bene *profanis* quia nefas erat germanos odia retinere. ergo execrabilibus, contra naturam ſumptis.

SONTESQVE. vel propter bella præſentia, vel propter Oedipoden, qui cum matre concubuit. PIERIVS. muſicus. VNDE IVBETIS IRE DEAE. quia multa ſunt principia Thebanæ hiſtoriæ, vnde poſſimus inchoare narrationem. SIDONIOS RAPTVS. Europam dicit, quam Iuppiter rapuit & vitiauit. ET INEXORABILE PACTVM. Iuſſerat enim Cadmo filio ſuo Agenor, quem ad requirendam filiam Europam miſerat, vt non niſi inuenta ſorore rediret ad patrem. TREPIDVM SI

MARTIS. Quia Cadmus Europam quærens venit ad ea loca, in quibus poſt Thebæ conſtructæ ſunt, vbi inuento dracone qui Marti conſecratus erat, & eo perempto dentes draconis ſeuit: vnde terrigenæ nati ſunt, qui ſe mutuis vulneribus peremerunt. ergo *Martis operti* id eſt, pugnæ terrigenarum latentis. TREPIDVM AGRICOLAM. Cadmum. IVSSERAT AMPHION. hic filius Iouis fuit, vt alij dicunt Mercurij, cuius lyra accepta canens muros Thebanos dicitur conſtruxiſſe: vt eius cantu ſpontanea ſe ſaxa muris imponerent. Vnde Virgi. *Canto quæ ſolitus ſi quando armenta vocabat Amphion.* Et alibi Statius. *Aut triplices odio tibi carmine muros Amphion.* TYRIOS ACCEDERE MONTES. emphaticòs dixit montes, pro ſaxis.

Vnde graues iræ cognata in mœnia Baccho:
Quod ſæuæ Iunonis opus. cui ſumpſerit arcum
Infelix Athamas, cur non expauerit ingens
Ionium, ſocio caſura Palæmone mater.

VNDE GRAVES IRAE. Pentheus aſpernabatur Liberi patris myſteria. iratus ergo ei furorem matri immiſit, quæ armata furore Pentheum filium necauit. & bene dixit *cognata.* Agaue enim Semele, Autonoe, Ino ſorores fuerunt Thebanæ. QVOD SAEVAE IVNONIS OPVS. Iuno dum videret à Ioue Semelen diligi, in aniculam verſa decoratam, dolum meditans Semeles limen ingreſſa eſt, cui ita locuta eſt. Si te vt perhibent, integre amat Iupiter, hoc ab eo impetra, vt talis ad te veniat, qualis Iunoni ſolet videri: quæ inducta Iouem rogauit. qui cum negaret, & diceret aſpectum Dei nullo modo poſſe ferre mortalem, tandem promiſit tali ſe habitu ad eam eſſe venturum, quali ad Iunonem conſueuit: qui cùm veniſſet cum fulmine, Semele ſuſtinere non potuit & obiit. Iupiter verò aperto eius velociſſime vtero Liberum patrem aperto femori abdidiſſe dicitur, vt expletis nouem menſibus legitime naſceretur. CVI SVMPSERIT ARCVM INFOELIX ATHAMAS. Leucothoe, quæ Ino, Liberi patris nutrix fuiſſe dicitur. huius marito Athamanti talem furorem Iuno immiſit, vt filios ſuos vellet occidere, ſperans quod Liberum patrem inuenire póſſet, & ſimili ſorte perimeret. Qui Athamas vnum filiũ ſuum Learchum arcu vel ſagittis extinxit. Leucothoe verò vbi maritum ſuum furere conſpexit, cum Palemone filio ſuo ſe dedit in mare. quæ poſtmodum in marinam deam conuerſa eſt, & vocatur Mater Matuta, filius eius Deus Portumnus. Vnde Virgilius, *Manu magna Portumnus euntem impulit.* IONIVM quod ſe in Ionio mari Leucothoe præcipitauerit.

Atque adeo iam nunc gemitus, & proſpera Cadmi
Præterijſſe ſinam: limes mihi carminis eſto
Oedipodæ confuſa domus: quando Itala nondum
Signa, nec Arctoos auſim ſperare triumphos:
Biſque iugo Rhenum, bis adactum legibus Iſtrum:
Et coniurato deiectos vertice Dacos:
Aut defenſa prius vix pubeſcentibus annis
Bella Iouis. tuque ô Latiæ decus additæ famæ,
Quem noua maturi ſubeuntem exorſa parentis
Aeternum ſibi Roma cupit. licet arctior omnes
Limes agat ſtellas, & te plaga lucida cœli

Pleiadum, Boreæque, & hiulci fulminis expers
Sollicitet, licet ignipedum frenator equorum
Ipſe tuis altè radiantem crinibus arcum
Imprimat, aut magni cedat tibi Iuppiter æqua
Parte poli: mancas hominum contentus habenis,
Vndarum terræque potens, & ſydera dones.

GEMITVS ET PROSPERA. id eſt infelicitates Cadmi reticeo. LIMES MIHI. principium & finis dicitur limes. CONFVSA DOMVS. quia idem filius & maritus: eadem mater & vxor: iidem filii qui nepotes. SPERARE TRIVMPHOS. Ideo bella Græca ſcribo, quia Latina non poſſum. BISQVE IVGO RHENVM. per fluuium gentem Gallorum bis à Veſpaſiano victam oſtendit ET CONIVRATO. contra nos ſcilicet. BELLA IOVIS. pugnam quam in Capitolio Domitianus geſſit, quando patrem ſuum Veſpaſianum obſeſſum à Vitellio liberauit. ergo Veſpaſiano Imperatori ſui temporis adulatur. DECVS ADDITE FAMAE. Titum Domitianum filium Veſpaſiani dicit. SVBEVNTEM EXORSA PARENTIS. Admirationem patris. LICET ARCTIOR. quamuis denſentur aſtra, dum ſpatioſus tibi locus paretur in cœlo. Licet omnes ſtellæ ſe contrahant, vt tibi locum faciant, quem volueris: licet ſol velit te magis implere diei curricula quam ſe, & tibi cedat officiũ ſuum: aut tecum Iuppiter æqua parte cœlum partiri deſideret. Tamen melius tibi erit terra regnare quam cœlo: & ſis terræ vel maris dominus, & ſuperis cæleſte dones imperium. PLAGA. hoc eſt orientalis. BOREAEQVE. ſeptentrionalis. ET HIVLCI FVLMINIS. quia fulmen quicquid percuſſerit, hiare facit. EXPERS vero auſtralem partem dicit, quia ſemper fulmine caret. SOLLICITET. tuo ſcilicet amore. LICET IGNIPEDVM FRENATOR EQVORVM. id eſt ſol licet tibi cedat ſuam poteſtatem, & tradat tibi currus ſuos: vt Lucanus. *Seu te flãmigeros. p. c.* RADIANTEM CRINIBVS ARCVM. circulum in quo ſol ſuos curſus explet: quia veluti arcus videtur, quod ſol ab oriente naſcens, vſque in occidentalem partem definit. ET SYDERA DONES. concedas numinibus: vel locis ſuis eſſe ſinas.

Tempus erit, cum laurigero tua fortior œſtro
Facta canam. nunc tendo chelin, ſatis arma referre
Aonia, & geminis ſceptrum exitiale Tyrannis.
Nec furiis poſt fata modum, flammáſque rebelles
Seditione rogi, tumuliſque carentia regum
Funera, & egeſtas alternis mortibus vrbes:
Cœrula cùm rubuit Lernæo ſanguine Dirce,
Et Thetis arentes aſſuetum ſtringere ripas,
Horruit ingenti venientem Iſmenon aceruo.
Quem prius heroum Clio dabis? immodicum iræ
Tydea? laurigeri ſubitos an vatis hiatus?
Vrget & hoſtilem propellens cædibus amnem
Turbidus Hippomedon, plorandaque bella proterui
Arcados, atque alio Capaneus horrore canendus.

PIERIO, muſico. OESTRO. inſtinctu, ſtimulo: quem Romani aſylum dicunt, Græci œſtrum. Alii dicunt quod fons hoc nomine ſit apud Siculos, vbi Muſæ coluntur. TENDO CHELYN. Citharam, Græce enim chelys teſtudo dicitur, cuius neruis ſonantibus Apollo citharam dicitur inueniſſe. Nunc hoc dicit ſe adhuc Romana bella ſcribere non poſſe, niſi tunc cum maior pectore Phœbus aduenerit. SATIS, ſufficienter. ARMA REFERRE AONIA. Thebana, ab Aone Rege filio Neptuni: vel à monte Beotiæ. Nã ipſa eſt Aonia, quæ & Beotia, quæ & Thebe. ET GEMINIS SCEPTRVM. Etheoclis & Polynicis. NEC FVRIIS POST. vt Lucanus, *ſcinditur in partes geminoque ciſ. t. i. r.* hũc autẽ ſenſũ in duodecimo libro calcatus exequitur. ET EGESTAS. euacuatas, populis expoliatas. ALTERNIS MORTIBVS. Thebanorũ & Argiuorum. CIVITATES. vel vt Thebas vel Argos. QVEM PRIVS HEROVM. Ad inuocationem redit poeta. Interrogatiue quærit ex Muſa quem velit à ſe primum heroum deſcribi. figura diaporeſis, ideſt addubitatio. vt Horatius. *Quid prius dicam ſolitis parentis Laudibus.* CVM RVBVIT. ideſt, infecta eſt. HISMENON. fluuius eſt. IMMODICVM IRAE. Tydeus Oenei & Euribœæ filius, gener Adraſti. & bene *immodicum iræ*: quia auctoris ſuæ necis cerebro dicitur moriens paſtus. LAVRIGERI. hoc eſt Amphiarai, Lyncæi & Hipermeneſtræ filiũ dicit, qui hiatu terræ, dum curru dimicaret, abſumptus eſt: quẽ laurigerum dixit, eo quod Apollinis eſſet antiſtes. VRGET ET HOSTILEM PROPELLENS CAEDIBVS AMNEM. TVRBIDVS HIPPOMEDON. compellit ad ſcribendum. HIPPOMEDON Neſimachi & Naſicæ filius, qui dum in Hiſmeneta fluuio dimicaret extinctus eſt. PLORANDAQVE BELLA. miſeratione digna, & in puerili ætate præſumpta bella. PARTHENOI. Meleagri & Atalantes filii dicit. ALIO CAPANEVS HORRORE. bene *alio horrore*, maiore impetu dictionis. vt ipſe alibi de Capaneo: *grauioraque tela mereri.* Capaneus vt alii putant Hippotæ & Aſtimoniæ filius.

Impia iam merita ſcrutatus lumina dextra
Merſerat æterna damnatum nocte pudorem
Oedipodes, longáque animam ſub morte trahebat.
Illum indulgentem tenebris, imæque receſſu
Sedis, in aſpectos cælo, radiíſque penates
Seruantem, tamen aſſiduis circumuolat alis
Sæua dies animi, ſcelerúmque in pectore diræ.
Tunc vacuos orbes crudum, ac miſerabile vitæ
Supplicium oſtentat cælo, manibúſque cruentis
Pulſat inane ſolum, ſæuáque ita voce precatur.

IMPIA IAM. merito impia. DEXTRA. parricidæ benemerita quæ vindicauit. MERSERAT. Abſconderat pudorem. Omnis enim verecundia de aſpectu eſt. ILLVM INDVLGENTEM. operam dantem, vt Vir. *indulgent vino.* CIRCVNVOLAT ALIS SAEVA DIES ANIMI. lux conſcientiæ atque furiarum: nam quamuis cæcus eſſet, facinora ſua conſcientia arguente cernebat. PVLSAT INANE SOLVM. bene, inania tartara. vt Vir. *Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.*

Di ſontes animas, anguſtáque Tartara pœnis
Qui regitis, tuque vmbrifero Styx liuida fundo,
Quam video, multúmque mihi conſueta vocari
Annue Tiſiphone, peruerſáque vota ſecunda.

Si bene quid merui, ſi me de matre cadentem
Fouiſti gremio, & traiectum vulnere plantas
Firmaſti: ſi ſtagna petij Cyrrhæa bicorni
Interfuſa iugo: poſſem cùm degere falſo
Contentus Polybo, trifidæque in Phocidos arce
Longæuum implicui regem, ſecuique trementis
Ora ſenis, dum quæro patrem; ſi Sphyngos iniqu
Callidus ambages te præmonſtrante reſolui:
Si dulces furias, & lamentabile matris
Connubium gauiſus inij, noctémque nefandam
Sæpe tuli, natóſque tibi (ſcis ipſa) paraui:
Mox auidus pœnæ digitis cædentibus vltro
Incubui, miſeráque oculos in matre reliqui.

DII SONTES ANIMAS ANGVSTAQVE TARTARA POENIS. In hac prece orantis artem & ordinem ſeruat. primo meritum ſuum memorat, cum dicit. *Si bene quid merui* &c. Exponit iniuriã, *orbũ viſu regniſque carentem.* Vindictam quærit, *Tu ſaltem debita vindex huc ades* &c. *Anguſta* autẽ *tartara* merito: quippe cum ſcelera ſobolis ſuæ Etheoclis & Polynices pœnarum numerum vincant. TVQVE VMBRIFERO STYX LIVIDA. id eſt nigra. vt Vir. *Liuentis plumbi.* vnde & *liuidos* dixere inuidos & nigros. vt Horatius. *Hic niger eſt hunc tu Romane caueto.* QVAM VIDEO. pene oxymoron. quid enim cæcus videt? ſed tenebras ſe uidere credit. Nihil enim apud ſuperos cernere, hoc eſt reuera ſtygem videre.

PERVERSAQVE VOTA. ideſt mala quæ opto compleri, quia pater filiis imprecabatur. nam ipſi ſunt ſecunda, quæ ſunt aduerſa fœlicibus. SI BENE QVID MERVI. Se increpat, condemnat oracula, quia non contentus generis falſitate, reſponſa contempſit. nam ei cauſa diuinationis fuit occaſio parricidii. ET TRAIECTVM VVLNERE PLANTAS. reſponderat oraculum Laio, quod a filio ſuo poſſet occidi. Vnde natum Oedipum iuſſit proiici transfixis cruribus. harum omnium ſeriem fabularum in argumento digeſſimus. CYRRHAEA. iſta enim ciuitatas iuxta Parnaſum montem eſt, qui in duo iuga diuiditur, in Heliconem & Cytheronem. BICORNI. ideſt bicipiti Parnaſo. vt Perſius. *Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſo memini.* Itẽ Lucanus. *Vnoque iugo Parnaſe latebas.* POLIBO. Polybus rex Phocidis fuit qui Oedipũ pro filio ſuo aluit. TRIFIDAE IN PHOCIDOS. vel propter tria promontoria, quæ ſunt ibi. vel quia in confinio regionũ ipſa ciuitas eſt ſita: vel quia habet tres vias, quæ poſt multa ſpatia in vnam ſe iungant plateam. ideo ait *trifida.* LONGAEVVM IMPLICVI REGEM. bene regem. hoc enim ſolum parricidii tempore cognouit. SI SPHYNGOS INIQVAE CALLIDVS. non ignarus. Si Sphyngos videor ſolviſſe ambages o furia, vt bene de te merito paricidæ tuo inceſtum præmium dares. Dicta Sphynx, quod ita ſtringeret homines ſuis quæſtionibus, vt ſe expedire non poſſent. nam Græce σφίγγειν conſtringere dicitur, vel vincire. quod quaſi omnium mentes ſuis propoſitionibus ligaret. Sphynx monſtrum erat alas & vngues habens in ſimilitudinem harpyarum, quod inſidens ſcopulo viæ imminenti, inſolubilia enigmata tranſeuntibus proponebat, quæ cum ſoluere non poſſent, ex improuiſo veniens alis & vnguibus ad ſe in rupem trahebat. Cuius locutionis ambages Oedipodes ſua calliditate ſoluit: quod factum beneficio Furiæ imputat. alii dicunt quod Sphynx ſimia violoſa ſit. quod hoc loco non congruit. CONNVBIVM. concubitũ matris. *Dulces furias* dixit, & bene totum, etiam quod ignarus admiſit imputat furiæ: vt beneficiorũ aſſiduitate ſuffulta, tanquam ſuũ ſibi vindicet parricidam. GAVISVS. hic vis

ſceleris conſcientia probatur admiſſi: quod tali cõnubio ſit gauiſus. SAEPE TVLI. facilè enim purgatur, quicquid ſemel vel caſu committitur. MOX AVIDVS POENAE DIGITIS CAEDENTIBVS VLTRO INCVBVI. id eſt feſtinaui edere de me ipſe ſuppliciũ, ne vlterius tanta ſcelera cœlarẽ. nam cum cæderent digiti, pœnæ magis, quam mortis auidus, pronus incubui. nam deſideraſſe mortem hoc fuerat fugiſſe ſupplicium.

Exaudi, ſi digna precor, quæq́ue ipſa furenti
Subiiceres: orbum viſu, regniſque carentem
Non regere, aut dictis mærentem flectere adorti
Quos genui, quocúnque toro. quin ecce ſuperbi
(Prò dolor) & noſtro iamdudum funere reges,
Inſultant tenebris, gemitúſque odere paternos.
Hiſne etiam funeſtus ego? & videt iſta deorum
Ignauus genitor? tu ſaltem debita vindex
Huc ades, & totos in pœnam ordire nepotes.
Indue quod madidum tabo diadema cruentis
Vnguibus abrupi, votíſque inſtincta paternis
I media in fratres, generis conſortia ferro
Diſsiliant: da tartarei Regina barathri
Quod cupiam vidiſſe nefas. nec tarda ſequetur
Mens iuuenum, modo digna veni, mea pignora noſces.

EXAVDI SI DIGNA PRECOR QVAEQVE IPSA. id eſt, quæ tu ſuadere potuiſti. Furiarum enim eſt ſemper ſuadere crudelia. Virgilius. *Tu potes vnanimeis armare in prælia fratres.* ORBVM VISV REGNISQVE CARENTEM NON REGERE. id eſt orbatũ regnis & viſu non regere, vt cæcũ. QVOS GENVI QVOCVNQVE THORO. licet ſint de inceſto progeniti. IGNAVVS GENITOR. vel cum ſacrilegio optat audiri. vt Virgilius: *Ferus omnia Iupiter Argos.* TV SALTEM. vt Virg. *vos o mihi manes eſte boni, quoniam ſuperis auerſa voluntas.* HVC ADES. ET TOTOS IN POENAM ORDIRE NEPOTES. diſpone: hoc eſt proſequere genus meum omne vſque ad nepotes. Notandũ ſane quod totos pro omnibus dixit: cum numerum ſignificare volumus *omnes* dicimus. cum corpus *totum*. Vſurpatiue tamen poeta poſuit pro omnibus. vt Vir. *Hos tota armenta ſequuntur.* & econtra pro toto omne. vt *Omnẽque reuerti per Troiam.* atque, *omnis humo fumat Neptunia Troia.* INDVE QVOD MADIDVM TABO. indue liberis meis diadema, quod ego Laio abripui cruore pollutum. MEDIA FRATRES. ſignum eſt diſcordiæ. vt Vir. *Quos inter medius. v. ſ.* DISSILIANT. multi *diſſentiant* legunt. eſt autem ſenſus: aut ipſi filij germanitatem ſuam ferro diſſipent, aut ipſa germanitas ferro diſſipetur. TARTAREI REGINA BARATRI. Tartarus eſt profunditas inferorum. Baratrum vero ſqualoris altitudo. dicit autẽ hoc. fac vt tantum ſcelus filii audeant, quod optet etiam pater cæcus videre. MEA PIGNORA NOSCES. quos ad facinora ſcelerũ tam pronos inuenies, vt meos filios eſſe non dubites.

Talia dicenti crudelis Diua ſeueros
Aduertit vultus. inamœnum fortè ſedebat
Cocyton iuxta, reſolutáque vertice crines

Lambere ſulfureas permiſerat anguibus vndas:
Ilicet igne Iouis, lapſiſque citatior aſtris
Triſtibus exiliit ripis. diſcedit inane
Vulgus, & occurſus dominæ panet. illa per vmbras,
Et caligantes animarum examine campos,
Tenariæ limen petit irremeabile portæ.
Senſit adeſſe dies. piceo nox obuia nimbo
Lucentes turbauit equos. procul arduus Atlas
Horruit, & dubia cœlum ceruice remiſit.

SEVEROS. triſtes. vt Virg. *Amnémque ſeuerum.* ADVERTIT VVLTVS. bene *vultus* non *faciem* dixit. vultus enim mutatur ex animi qualitate, facies ſemper ſimplex. INAMOENVM. à quibuſdam Tapinoſis creditur, qui putant poëtam ſqualidiſſimum debuiſſe dicere. Inamœnum ergo dixit, ſine vlla amœnitate, & vna eſt orationis pars. vt Virg. *Triſtiſque palus inamabilis vnda.*

RESOLVTAQVE VERTICE CRINES. vt Virgili. *Crines effuſa ſacerdos.* SVLPHVREAS. ideſt ardentes. nunquam ſulphur defluit niſi de loco flagranti. Sulphur enim terræ bullientis ſpuma eſt. TRISTIBVS. bene ad nefas triſtibus locis exiluit: quia habent inferi etiam loca amœna. DISCEDIT INANE. Diſcedũt vmbræ quæ ſolidis corporibus carent. ET CALIGANTES. obſcuros campos illa petit in quibus eſt turba animarum. TAENARIAE LIMEN. Malea promõtorium eſt Laconiæ, in cuius radicibus locum quendam profundum Tænarum vocant, in quo dicitur eſſe aditus inferorum. Virg. *Tænareas etiam fauces alta oſtia ditis.* IRREMEABILE. eo quod ab inferis ad ſuperos mortalium nullus remeat naturaliter. Virg. *Sed reuocare gradum ſuperaſque euadere ad auras.* SENSIT ADESSE DIES. id eſt furiæ aſpectu turbatus eſt. PROCVL ARDVVS ATALS. longe eſt enim nimis occaſus a Theſſalia, in quo Atlas eſt poſitus. Atlas Iapeti filius & Clymenes, cum hoſpitio non ſuſciperet Perſeum Iouis & Danaes filium, qui a Polydecte rege miſſus fuerat ad Meduſam Gorgona occidendam (quam Minerua monſtrante Perſeus interfecit) rediens cum ab Atlante Libyæ finibus prohiberetur, monſtrato Gorgonis capite, in montem eum mutauit: qui poſteaquàm furiã vidit, territus eſt. ET DVBIA CAELVM. ad timorem rettulit furiæ venientis, quam dubiam metus fecerat: & deeſt prope. vt Virgilius. *Galli per dumos aderant*: nam prope tenuerant.

Arripit extemplo Maleæ de valle reſurgens
Notum iter ad Thebas. neque enim velocior vllas
Itque reditque vias, cognatave Tartara mauult.
Centum illi ſtantes vmbrabant ora Ceraſtæ,
Turba minor diri capitis. ſedet intus abactis
Ferrea lux oculis. qualis per nubila Phœbes
Atracia rubet arte labor. ſuffuſa veneno
Tenditur, ac ſanie gliſcit cutis, igneus atro
Ore vapor. quo longa ſitis, morbique, famésque,
Et populis mors vna venit. riget horrida tergo
Palla, & cœrulei redeunt in pectora nodi.
Atropos hos, atque ipſa nouat Proſerpina cultus.

Tum geminas quatit illa manus. hæc igne rogali
Fulgurat, hæc viuo manus aera verberat Hydro.

NOTVMITER. carum. vt Vir. *Hic inter flumina nota.* VELOCIOR. ad aſſiduitatem retulit veniendi. nam nouitas itineris moras ſolet afferre erroris. ITQVE REDITQVE. ad crimen pertinet Thebanorum, quorum pro ſuis furia finibus vtebatur. COGNATAQVE TARTARA MAVVLT. *Neque* bis accipiendum: hoc eſt, neque velocior, neque mauult. vt Vir. *nec miſero clypei mora profuit æris*: id eſt nec clypei, nec æris. MAVVLT. neque magis vult habitare tartara, quàm Thebas, poſtquam illic probauit parricidium, & inceſtum libenter admiſſum. CENTVM. pro innumerabilibus poſuit. SEDET. poliſemus ſermo eſt. ſignificat enim placet: vt, *ſedet hoc animo.* aliquando *cogito.* vt *Turnus ſecreta valle ſedebat.* aliquando poſitum eſt. vt hoc loco. & aliquando *curat.* vt, *celſa ſedet Æolus arce.* & reuera ſedet. talis, qualis erat lux illa: qualis & luna cum laborat magica arte. Nā pagani magicis artibus credebāt lunā poſſe mutari. Vnde Virgilius. *Carmina vel lunam cælo deducere poſſūt.* ATHRACIA. Athracies qui fuit* Theſſaliæ, pater Hippocatiæ, quam Perithous duxit vxorem, qui primus artem magicam apud Thraciam conſtituit. ergo *Athracia* eſt magica ſcientia. RVBET ARTE LABOR. hoc eſt qualis color eſt lunæ deficientis arte magica. QVO LONGA SITIS MORBIQVE FAMESQVE. quaſi in peſtilentia nulla ſit mortis diſcretio. vt Virgil. *nec ſingula morbi corpora Corripiunt, ſed tota æſtiua repente Spemque gregemque ſimul cunctamque ab origine gentem.* Trium ergo furiarum tres memorat poteſtates, ſitis, morbi, famiſque. POPVLIS MORS VNA VENIT. vt item Maro. *Si quando letum horrificum morboſque deum rex Molitur, meritas aut bello territat vrbes.* RIGET HORRIDA. *riget* eſt dura: *horrida* ſordida. vt Virgilius. *Palla ſuccincta cruenta.* REDEVNT IN PECTORA NODI. amictum ſignificat. vt idem Maro. *horridus ex humeris nodo dependet amictus. Redeunt* ad duplicationem retulit alterius nodi. ATROPOS. vt oſtenderet iuſtitiam Furiarum miniſterio, & Fatorum decreto compleri, & Proſerpinæ voluntate. NOVAT. nouas retexendo facit. TVM GEMINAS. vt fratres vtraque manu armaret. HAEC IGNE ROGALI FVLGVRAT. HAEC VIVO MANVS AERA VERBERAT HYDRO. vt Vir. *Continuo ſontes vltrix ſuccincta flagello Tiſiphone quatit inſultans, toruoſque ſiniſtra Intentans angues.*

Vt ſtetit, abrupta qua plurimus arce Cytheron
Occurrit cœlo, fera ſibila crine virenti
Congeminat, ſignum terris, vnde omnis Achæi
Ora maris latè Pelopeiáque regna reſultant.
Audiit & medius cœli Parnaſſus, & aſper
Eurotas, dubiámque iugo fragor impulit Oeten
In latus, & geminis vix fluctibus obſtitit Iſthmos.
Ipſa ſuum genitrix, curuo delphine vagantem
Arripuit frenis, gremióque Palæmona preſſit.
Atque ea Cadmæo præceps vbi culmine primum
Conſtitit, aſſuetáque infecit nube penates:
Protinus attoniti fratrum ſub pectore motus,
Gentileíſque animos ſubiit furor, ægráque lætis
Inuidia, atque parens odii metus. inde regendi
Sæuus amor. ruptæque vices, iuriſque ſecundi
Ambitus impatiens, & ſummo dulcius vnum
Stare loco, ſociiſque comes diſcordia regni.

VT STETIT

VT STETIT. poſteaquam ſtetit. PLVRIMVS. longus. vt Virg. *Plurima ceruix.* ARCE. altitudine, ſiue cacumine. CITHÆRON. mons Baccho ſacer. vt Maro. *Baccho Orgia nocturnúſque vocat clamore Citharon.* CRINE VIRENTI. venenato, ſiue anguibus texto, quem dicũt ſibilare. vt Virg. *Tot Erynnis ſibilat hydris.* VNDE OMNES ACHÆI. ſicut Vir. *Tartaream intendit vocem qua protinus omne Intremuit nemus, & ſyluæ ſonuere profundæ.* PELOPEIAQVE REGNA. Peloponeſum dicit & Argos. vnde Virg. *Magno Pelopea ad mœnia bello venturos.* AVDIT ET MEDIVS CAELI PARNASSVS. Bene *medius*: quia vmbilicus terræ Parnaſſus dicitur. Nam cum Iuppiter mundi medium locum vellet agnoſcere, ex ortu atque occaſu duas aquilas dimiſiſſe fertur, quæ volatu laſſæ in Parnaſſi vertice con ſederunt. Vel quod cataclyſmi tempore terræ fuerat diſcrimen & aſtris. vt Lucanus: *Hoc ſolum fluctu terras mergente cacumen Emicuit, pontoque fuit diſcrimen & aſtris.* ET ASPER EVROTAS. Aſper, quod bello acres procreet viros. vel propter μαςίγωσιν * quibus virtuti eſt in ſacris cædi verberibus, ſine corporis motu. Eurotas autem fluuius eſt Laconiæ. DVBIAMQVE IVGO. dubiam dixit Oetem, quia inter Theſſaliam & Thraciam hic mons interiacet: vt cuius eſſe videatur incertũ ſit. IMPVLIT. Hyperbole, quaſi caſurum impulit, ac dubiam fecit. ET VIX FLVCTIBVS GEMINIS OBSTITIT. Id eſt Cenchrei, Siletei, inter quos anguſto tractu in mare terra porrigitur, quam Iſthmon poeta ſignificat: huius contrarius Porthmos, quod latine fretum dicitur, inter vicinas terras anguſtum mare. Vnde Virg. *& crebris legimus freta concita terris.* Iſthmos dicitur terra anguſta in mari. vt Lucanus. *& gracilis medium ſeparat Iſthmos.* IPSA SVVM GENITRIX. Leucothoen dicit: & bene ipſam eligit hoc loco ponere, quia iam malum didicerat furiarum. & iracunde dictum PRESSIT. & a Thebanis numinibus non receſſit, quæ veluti præſcia magis metuunt patriæ, quam furiarum ſonitus perhorreſcunt. Et mire dicendo *Preſſit* affectionem maternam explicuit. CONSTITIT. Virg. *hic primum paulus nitens Cyllenius alis conſtitit.* ASSVETAQVE INFECIT NVBE PENATES. *Aſſueta nube* ſolito furore, quia multa ſcelera facta erant Thebis. PROTINVS ATTONITI. Hoc eſt ſtatim perturbationes diſcordiarum eſſe cœperũt. figura hypallage. Non attoniti motus, ſed attonito ſub pectore. vt Virgilius. *Ibant obſcuri ſola ſub nocte per vmbram.* GENTILES ANIMOS. Id eſt quaſi furore illi fuerunt de terra progeniti, qui ſe ipſos interimerunt, & eſt eiuſdem familiæ maximum ſignum, vt in ſe ſuorum furerent more maiorum. INVIDIA. Inuidia fratrum animos ſubiit, quæ ſemper lætis rebus infeſta eſt. vt Horat. *Inuidus alterius rebus emarceſcit opimis.* ATQVE PARENS AVDI METVS. Quia de timore ſemper odium naſcitur, eos enim odio habemus, quos timemus. vt Virg. *Conueniunt quibus aut odium crudele tyranni Aut metus acer erat.* SAEVVS AMOR. fortiſſimus: aut certe proprie dixit, quia reuera ſæuum eſt, imperare velle germano. DISCORDIA. In collegio namque duorum regum vix diſcordia abeſt. ſi vnius regni ſimul iura gubernent. Nam ſemper alter veretur ne ſe ſpreto alter ſingulatiter eligatur. Hæc enim inter Pompeium & Iulium Cæſarem ciuile bellum mouit: & hoc eſt quod ſequitur. SOCIISQVE COMES. Vt Lucan. *Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas Impatiens conſortis erit.*

Sic vbi delectos per torua armenta iuuencos
Agricola impoſito ſociare affectat aratro:
Illi indignantes, quîs nondum vomere multo
Ardua nodoſos ceruix deſcendit in armos,
In diuerſa trahunt, atque æquis vincula laxant
Viribus, & vario confundunt limite ſulcos:
Haud ſecus indomitos præceps diſcordia fratres
Aſſerat. alterni placuit ſub legibus anni
Exilio mutare ducem. ſic iure maligno

b

Fortunam tranſire iubent, vt ſceptra tenentem
Fœdere præcipiti ſemper nouus angeret heres.

ARDVA CERVIX IN ARMOS DESCENDIT. Secundũ Italiæ ſitum loquitur, vbi boues trahunt collo. Nam dum niſu trahendi anteriora petunt, ceruix in armos reflectitur. EXILIO MVTARE DVCEM. vt altero regnante alter eſſet extra vrbem in exilio conſtitutus, & completo anno rediret ad regnum, & cui ſucceſſum fuerat iret in exilium, rediturus anno completo. SIC IVRE MALIGNO. Iniqua commutatione fœlicitatem imperij exilij infœlicitate commutant.

Hæc inter fratres pietas erat: hæc mora pugnæ
Sola, nec in regem perduratura ſecundum.
Et nondum craſſo laquearia fulua metallo,
Montibus aut altè Graiis ſuffulta nitebant
Atria, congeſtos ſatis explicitura clientes.
Non impacatis Regum aduigilantia ſomnis
Pila, nec alterna ferri ſtatione gementes
Excubiæ, nec cura mero committere gemmas,
Atque aurum violare cibis. ſed nuda poteſtas
Armauit fratres: pugna eſt de paupere regno.

NEC IN REGEM PERDVRATVRA. Licet eſſet iniqua iſta diuiſio, tamẽ ad ſecundum regem peruenire non potuit: quia expleto anno cum Polynices repeteret regnum, regnante Etheocle mota ſunt bella. ET NONDVM CRASSO L. F. METALLO. Hæc cum ſtomacho pronunçianda. Lucanus. *Nec precium tanti tellus pontuſque furoris Tunc erat.* MONTIBVS AVT ALTE GRAIIS. Lacedæmonio marmore, & aliis Græciæ metallis. CONGESTOS SATIS. id eſt, venientum turbam, imitatus Virgil. vt eſt, *mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam.* EXPLICITVRA. Large admiſſura: quæ multos caperet clientes & extenderet. non dum enim erant. NON IMPACATIS REGVM. Quibus ſuſpectus dormiat Imperator, habens circa atria ſemper armatos. & eſt ſenſus. Non regum ſomnis impacatis pila vigilantia erant. ſc. ad cuſtodiã regum * pro ipſis qui vigilant, dixit metonomicῶs per id quod continet, id quod continetur. NEC CVRA MERO COMMITTERE GEMMAS. Nondum eis luxuria ſuaſerat pocula habere gemmata. vt Virg. *vt gemma bibat & Sarrano dormiat oſtro.* *Committere* autem mire dictum eſt, quaſi ad periculum: quæ poſſent frangi inter trepidantes miniſtros, & ſemigraues vino conuiuas. DE PAVPERE REGNO. Propter Etheocles & Polynices, qui ciuilia bella geſſerunt. dicit, regnum non eſſe idoneum, propter quod fratres odia ſuſcitauerunt. Exequitur potentiſſima regna varia deſcriptione.

Dúmque vter anguſtæ ſquallentia iugera Dirces
Verteret, aut Tyrij ſolio non altus ouaret
Exulis, ambigitur; periit ius, fáſque, bonúmque,
Et vitæ, mortíſque pudor. Quo tenditis iras
Ha miſeri? quid ſi peteretur crimine tanto
Limes vterque poli, quem Sol emiſſus Eoo

Cardine, quem portu vergens proſpectat Ibero?
Quáſque procul terras obliquo ſydere tangit
Auius, aut Borea gelidas, madidíue tepentes
Igne Noti? quid ſi Tyriæ Phrygiæue ſub vnum
Conuectentur opes? loca dira, arcéſque nefandæ
Suffecere odio, furiíſque immanibus emptum
Oedipodæ ſediſſe loco. Iam ſorte cadebat
Dilatus Polynicis honos. quis tum tibi ſæue,
Quis fuit ille dies? vacua cùm ſolus in aula
Reſpiceres ius omne tuum, cunctóſque minores,
Et nuſquam par ſtare caput? Iam murmura ſerpunt
Plebis Echioniæ, tacitúmque à principe vulgus
Diſsidet, & qui mox populis, venturus amatur.

DVMQVE VTER ANGVSTVM. Beotiam dicit Cadmi, qui à patre pulſus peracto exilio condidit Thebas. ergo dum vter * SQVALENTIA ARVA. inculta. vt Virg. *Squalent abductis arua colonis.* VERTERET. Araret. vt Virg. *Et campum horrentem fractis inuertere glebis.* NON ALTVS OVARET: *Altus* magnus. & eſt ordo, dum ambigitur vter fratrum ouaret in ſolio Tyrij exulis, hoc eſt Cadmi. NON ALTVS. quia modicum erat regnum. PERIIT IVS FASQVE BONVMQVE. *Ius* legum eſt, quia vnus læſit fœdus. *fas* hominum: quia fratres contra ſe arma ſumpſerunt: *bonum* quia vſque ad interitum pugnauerunt. ET VITAE MORTISQVE PVDOR. Quia mutuis periere vulneribus, & cremati ſunt rogorum diſcrepantibus flammis. QVO TENDITIS IRAS. Apoſtrophe ad fratres. QVID SI PETERETVR CRIMINE TANTO. Dicit non oportuiſſe à fratribus arma ſumi, nec ſi ideo pugnaretur, vt vnus orbis imperium poſſideret: vel ſi cœli poſſeſſio peteretur. CRIMINE. tanto bello. Inter fratres enim vel leue odium crimen eſt. VTERQVE POLI. Vtrunque complexus eſt mundum carmine. Nam ſol oriens occaſum reſpicit: cùm occidit proſpectat orientem. vt Lucan.

Vnde venit Titan, & nox vbi ſydera condit,
Quaque dies medius flagrantibus æſtuat oris,
Quaſque procul terras obliquo ſydere tangit.

AVIVS. vtique ſol auius, quaſi ſine via: quia ab hac mundi parte ſemotus eſt. AVT BOREA GELIDAS MADIDIVE. Gelidas & tepentes ſeptemtrionalis & meridianæ partes plagæ oſtẽdit. TYRIAEVE SVB VNVM CONVECTENTVR OPES. nõ ſi vnus poſſideat opes Phrygias & Tyrias. *Opes* autem *Tyrias* dixit, vt oſtenderet Tyrios ſemper diuites fuiſſe. ſecundum Virgilium dicentem. *Portantur auari Pigmalionis opes.* Item Horat. *Pingues Phrygiæ Mygdonias opes.* LOCA DIRA ARCESQVE NEFANDAE. Declamatio quæ ſignificat eas cauſas mouiſſe odia, quæ reſtinguere debuiſſent. Fugere enim debuerant hi fratres loca dira, & ſceptra Oedipi parricidæ potius, quam ad hæc bellorum crimina properarent. VACVA CVM SOLVS IN AVLA. non vere ſolus: ſed quia is pro turba eſt homo, qui aliis eſt odio ſolus. ET NVSQVAM PAR STARE CAPVT. Id eſt tui conſortem diadematis. IAM MVRMVRA SERPVNT. Thebani populi. Echionis enim & Agaues filius Pentheus, rex Thebanorum fuit. TACITVMQVE A PRINCIPE VVLGVS DISSIDET. *Tacitum*. i. tacite: ſiue *tacitum* dixit timore perculſum. ET QVI MOX POPVLIS VENTVRVS AMATVR. hoc vult intelligi. non præſens diligitur Etheocles, ſed deſideratur futurus Polynices.

Atque aliquis, cui mens humili læſiſſe veneno
Summa, nec impoſitos vnquam ceruice volenti
Ferre duces: hàncne Ogygiis, ait, aſpera rebus
Fata tulere vicem? toties mutare timendos,
Alternóque iugo dubitantia ſubdere colla!
Partiti verſant populorum fata, manúque
Fortunam fecere leuem. ſempérne viciſſim
Exulibus ſeruire dabor? tibi ſumme deorum,
Terrarúmque ſator ſociis hanc addere mentem
Sedit? an inde vetus Thebis extenditur omen,
Ex quo Sidonij nequicquam blanda iuuenci
Pondera, Carpathio iuſſus ſale quærere Cadmus
Exul Hyanthæos inuenit regna per agros?
Fraternáſque acies fœtæ telluris hiatu
Augurium ſeros dimiſit adúſque nepotes?

ATQVE ALIQVIS CVI MENS HVMILIS. vtique vnus ex plebe, cui erat mens lædendi ſumma. HVMILI VENENO. i. maledictionibus carpere meliores. vt apud Homerum. * dicit autem illum locutum, cui mos erat in dignitate regia poſitos maleloquij veneno perſtringere, & impoſitum iugum ſeruitutis indomita ceruice deiicere: cui eſt votũ vel modice lædere, id eſt, inuidere potentibus. HANC NE OGYGIIS. Ogyges, vt Var. docet in libris de gente Populi Ro. rex fuit Thebanorum, ſub quo primum diluuium factum eſt, longe antequam illud, quod ſub Deucalione factum eſſe narratur. aut certe ab Ogygio vno terrigena, Thebanorum primo rege, a quo Thebani antiquas res Ogygias nominabant: qui primus eis imperauit. TOTIENS MVTARE TIMENDOS. quia viciſſim placuerat imperare. Illi inquit vt imperent vices mutant, nos ſeruitia non mutamus. PARTITI VERSANT POPVLORVM FATA. ideſt ſub imperio & ditione habent. MANVQVE F. F. LEVEM. ideſt contẽptibilem, nam fortuna ſolet facere reges & exules. Iſti fecerũt vt circa reges & exules ea fortuna ſeruetur, vt ex illorum voluntate conſtitutum ſit, quã-do debeant exilium petere, quando ad imperium remeare: itaque in illis fortuna, quæ ſemper ſolet eſſe dubia, non habet poteſtatem. quippe cum de futuris certi ſint, & ipſi regunt fata populi, dum excluſerunt fortunam. SEMPERNE VICISSIM. quia ſemper dux erat mutandus exilio. & licet ſit grauis omnis ſeruitus, grauior tamen eſt quæ ſub-iacet indignis. *Viciſſim*, rerum mutabilitate, aut vice ſeruiendi. nam vicem pro pœna po-ſuit. SOCIIS. propter Harmoniam, quæ fuit Martis & Veneris filia. SEDIT. placuit. EX QVO SYDONII NEQVICQVAM BLANDA IVVENCI. Non Sydonius iuuencus, ſed Sydo-nium pondus. De Sydone enim fuit Europa, quam pater Agenor Cadmo inquirendam mandauit. Ille cum pererraſſet mare Carpathium, ideſt AEgyptium (nam Carpathus inſula eſt inter Ægyptum & Rhodum) cum nec ſororem reperire potuiſſet, ſecundum præcepta patris in exilio remanſit, & duce Apolline peruenit ad Thebas Beotiæ: quas Hyanteas vocant, a nympha quæ illic colitur: vel eò quod illic draco fuerit interfectus, cuius ſeuit dentes. AVGVRIVM. vt Horatius. *Acerba facta Romanos premunt ſceluſque fraterna necis.*

Cernis vt erectum toruá ſub fronte minetur
Sæuior aſſurgens dempto conſorte poteſtas?
Quas gerit ore minas? quanto premit omnia faſtu?
Hicne vnquam priuatus erit? tamen ille precanti
Mitis, & affatu bonus & patientior æqui.
Quid mirum? non ſolus erat. nos vilis in omnes
Prompta manus caſus domino cuicumque parati.
Qualiter hinc gelidus Boreas, hinc nubifer Eurus,
Vela trahunt, nutat mediæ fortuna carinæ.
Heu dubio ſuſpenſa metu, tolerandáque nullis
Aſpera ſors populis. hic imperat: ille minatur.

ERECTVM. nomen pro aduerbio. ad Iouem hoc autem, aut ad aliquem de plebe, quaſi Etheoclẽ oſtendat, loquitur. ORE MINAS. aut ore loquitur cum ſuperbia: aut minas gerit in facie. AFFATV BONVS. *erat* ſubaudimus. Vbique iam hoc queritur, quod nemo ſuccedit, cum ſuperius vices gemeret ſeruitutis: & dicit Etheoclen quondam circa rogantes fuiſſe clementem, quæ laus imperatoris eſt maxima: quæ omnia dicit eſſe conuerſa, quia ſucceſſor excluſus eſt, qui iuſticiam pateretur; & eſſet in ſermone comis. QVID MIRVM NON SOLVS ERAT. ideo bonus, quia non erat ſolus. NOS VILIS IN OMNES. vt Virg. *Nos animæ viles.* CVICVNQVE. non lecto. QVALITER HINC GELIDVS BOREAS. Optima comparatio, ſed ignotæ rei deſcriptio, per ſimilitudinem notæ: & egregie remp. naui iactatæ tempeſtatibus ſimilat. ſicut Tull. *ad gubernacula reip.* & Horat. *O nauis referent in mare te noui fluctus.* ita & iſte fecit comparationẽ, contra artẽ poeticam. nam comparatio à perſona poetæ debet induci. ſimul ventos fratribus comparauit, nauem reip. cum bellis ciuilibus turbaretur. HIC IMPERAT ILLE MINATVR. id eſt, imperat Etheocles, quia fidem fregit. minatur Polynices, quia amiſit imperium. & neceſſe eſt populis Thebanorum, ſub vnius imperio, duorum timere ſæuitiam: quoniam alter ſperatur venire. Aut generaliter explicuit *minatur*, modo hic: modo ille.

At Iouis imperio rapidi ſuper atria cæli
Lectus concilio diuum conuenerat ordo
Interiore polo. ſpatiis hinc omnia iuxta
Primæque occiduæque domus: effuſa ſub omni
Terra, atque vnda die. mediis ſeſe arduus infert
Ipſe deis, placido quatiens tamen omnia vultu,
Stellantique locat ſolio. nec protinus auſi
Cælicolæ, veniam donec pater ipſe ſedendi
Tranquilla iubet eſſe manu: mox turba vagorum
Semideûm, & ſummis cognati nubibus amnes,
Et compreſſa metu ſeruantes murmura venti
Aurea templa replent. mixta conuexa deorum
Maieſtate tremunt, radiant maiore ſereno
Culmina, & arcano florentes lumine poſtes.

RAPIDI SVPER ATRIA CAELI. concilium deorum deſcribit. *rapidi* autem *cæli*.i.volubilis. vt Virg. *Rapidiue potentia ſolis*. ATRIA CAELI. poetice. vt eſt, *Domus omnipotẽtis olympi*. INTERIORE POLO. id eſt ſecretiore. vt Virgil. *Tu ſecreta pyram tecto interiore ſub auras Erige*. ſiue medio, vt ab ortu & occaſu conuenturis numinibus ſpatiorum eſſet æqua diſtantia: quaſi ad quoddam cæli ſecretum numinũ ordo conueniat. SPATIIS HINC OMNIA IVXTA. vt oſtendat ad cũ cæli locum numina conueniſſe, cui iuxta ſunt omnia. id eſt, vnde ſic videantur omnia, tanquam iuxta: ergo medium cæli locum dixit. PRIMAEQVE OCCIDVAEQVE DOMVS. orientis occaſusque loca deſcribit. EFIVSA SVB OMNI TERRA. *Effuſa* patens. SVB OMNI DIE. id eſt ſub omni cælo.

MEDIIS SESE ARDVVS. id eſt Iuppiter. vt Virg. *Medio dux agmine Turnus vertitur arma gerens*. Et *toto vertice ſupra eſt Medius*. & vt idem. *Cælicolæ medium quem ad limina ducunt*. CAELICOLAE VENIAM. ideſt donec Iuppiter protenſa manu hortaretur veniam ſedendi, id eſt beneficium. vt Virgil. *Orantes veniam*. SEMIDEVM. Quia in inferioribus zonis degunt. vel id eſt, qui nec mortales, nec ſuperi ſunt. ET SVMMIS COGNATI NVBIBVS AMNES. ſecundum Lucretium, qui dicit ex vdore terræ nebulas oriri, ex nebulis nubes, ex nubibus pluuias: ex quibus amnes augentur. hinc Virgil. *cæli grauiſſimus amnis*. Dicit enim occulto tractu aquas in cælum reuerti, & inde in nubibus imbrem eſſe.

ET COMPRESSA METV SERVANTES MVRMVRA VENTI. vt Virgil. *Tum venti poſuere omnes repente*. ſ. t. RADIANT MAIORE SERENO. quaſi ſerenitas cælo maior illuxerit.

Poſtquam iuſſa quies, ſiluitque exterritus orbis,
Incipit ex alto: graue & immutabile ſanctis
Pondus adeſt verbis, & vocem fata ſequuntur.
Terrarum delicta, nec exuperabile diris
Ingenium mortale queror. quonam vſque nocentum
Exigor in pœnas? tædet ſæuire coruſco
Fulmine. iam pridem Cyclopum operoſa fatiſcunt
Brachia, & Aeoliis deſunt incudibus ignes.
Atque ideo tuleram falſo rectore ſolutos
Solis equos, cœlúmque rotis errantibus vri,
Et Phaëtontæa mundum ſquallere fauilla.
Nil actum eſt, neque tu valida quod cuſpide latè
Ire per illicitum pelago germane dediſti.

ET VOCEM FATA SEQVVNTVR. quaſi quicquid dixerit Iuppiter fata ſint. vt Lucan. *Siue canit fatum, ſeu quod iubet ille canendo Sit fatum*. TERRARVM DELICTA. quæ homines deliquerunt. DIRIS. furiis. vnde & furiæ *Diræ* ſunt appellatæ. Queritur ergo Iuppiter de hominum peccatis, quos dicit ſuperaſſe ſe malis. nam fortiores illos dicit eſſe ad committenda peccata, quàm ſe ad vindicandum: & commemorat quæ mala commiſerint. QVONAM VSQVE. id eſt, quouſque cogor laborare, dum ſuppliciis criminoſos afficio. IAM PRIDEM CYCLOPVM. hyperbole. dixerat vel fulminibus non libere, addidit augmentum, vt dicat deeſſe fulmina. Cyclopes enim fatigati ſunt ſuggerendo fulmina, ergo hoc tædet. & quod intulit deſunt * FATISCVNT autem laſſata ſunt. ET AEOLIIS DESVNT INCVDIBVS IGNES. Ad fulmina fabricanda negat ignem poſſe ſufficere. ATQVE IDEO TVLERAM. dicit patienter: vt mundum Phaeton incendio concremaret. SOLVTOS SOLIS EQVOS. non ſine frenis, ſed quia regi non poterant, licenter errantes. ROTIS ERRANTIBVS. quaſi à legitimo curſu deuiantibus. dicit ergo Iuppiter nil illud incendium profuiſſe, quo humanum genus emendari non potuit. ET PHAETONTEA

MVNDVM. Phaeton Solis & Climenes filius patris currus petiuit; quos cum regere non potuiſſet, fulmine eſt præcipitatus in Padum. NIL ACTVM. neque illud profuit ad emẽdationem humani generis, quod diluuium factum eſt. Neptunus enim impulſu cuſpidis coegit excedere fluctus littorum legem, & vniuerſas terras obruere. dicit ergo Iuppiter, nil emendationi humani generis profuiſſe ſupplicia, cum nihilominus peccare non deſinant.

Nunc geminas punire domos, quîs ſanguinis author
Ipſe ego, deſcendo. Perſeos alter in Argos
Scinditur, Aonias fluit hic ab origine Thebas.
Mens cunctis impoſta manet. quis funera Cadmi
Neſciat? & toties excitam à ſedibus imis
Eumenidum bellaſſe aciem? mala gaudia matrum,
Erroréſque feros nemorum, & reticenda deorum
Crimina? vix lucis ſpatio, vix noctis abacta,
Enumerare queam mores, gentémque profanam.
Scandere quin etiam thalamos hic impius heres
Patris, & immeritæ gremium inceſtare parentis
Appetiit, proprios (monſtro) reuolutus in ortus.
Ille tamen ſuperis æterna piacula ſoluit,
Proiecitque diem. nec iam amplius æthere noſtro
Veſcitur. at nati (facinus) ſine more cadentes
Calcauere oculos. iam iam rata vota tuliſti
Dire ſenex. meruere tuæ, meruere tenebræ
Vltorem ſperare Iouem. noua ſontibus arma
Iniiciam regnis, totúmque à ſtirpe reuellam
Exitiale genus. belli mihi ſemina ſunto
Adraſtus ſocer, & ſuperis adiuncta ſiniſtris
Connubia. hanc etiam pœnis inceſſere gentem
Decretum, neque enim arcano de pectore fallax
Tantalus, & ſeuæ periit iniuria menſæ.

NVNC GEMINAS PVNIRE DOMOS. Duas familias ſignificat, Thebanorum & Argiuorum, quorum ſe originem dicit exſtere. Argiuorum a Perſeo. Perſeus autem Iouis & Danaes filius fuit. Thebanorum per Cadmum, qui per Epaphum originem ducit a Ioue. Conſtat ergo vtrique genti Iouem eſſe auctorem. PERSEOS ALTER IN ARGOS. Perſeos pro Perſeios, principale pro deriuatiuo. atque ideo media ſyllaba producta; quã tis & alio ordine produci poſſe videatur. vt *Ilionea petit*. nam penultima huius nominis longa eſt, quæ ſecundum regulam communem breuis eſſe debuerat. MALA GAVDIA MATRVM. aut propter Agauen, quæ parricidio ſuo inſana gaudebat: aut propter Iocaſtã, quæ cum filio læta concubuit. ERRORESQVE FEROS NEMORVM. Athamantis. ſ. qui furiata mẽte cum Learchum filium iugularet, leonem ſe putauit occidere. ET RETICENDA DEORVM CRIMINA. Amphibolon. aut quæ homines in deos commiſerunt: aut quæ

dei irrogauere mortalibus. Si hominum in deos, hæc ſunt: quia prætulit ſe in pulchritudine Niobe Latonæ, Pentheu Libero, Semele Iunoni. vel propter Tantalum: qui volens deorum mentes inquirere, Pelopen filium ſuum diis poſuit epulandum. Hæc enim deorum crimina, quæ à Pentheo inlata ſunt in Liberum, vt Ouidius refert. VIX LVCIS SPATIO. vt Virgil. *Ante diem clauſo, componet veſper olympo.* HIC IMPIVS HERES. Oedipum dicit, qui matris gremium vt inceſtaret, appetiit. PROPRIOS MONSTRO. nomine vſus pro aduerbio. id eſt *monſtro* pro monſtruoſe: quia reuocauit ſeminā inortus ſuos. PROIECITQVE DIEM. induxit ſibi cæcitatem, vt cito vindicta ſequeretur. AETHERE NOSTRO. id eſt luce, quàm nos largimur. vt eſt: *Aetherea veſcitur aura.* FACINVS SINE MORE. facinus ſeparandum, vt ſit iraſcentis exclamatio. SINE MORE. iniuſte, ſine exemplo. CALCAVERE OCVLOS. inſultauere cæcitati patris. IAM IAM RATA. anaſtrophe ad ipſum Oedipum, RATA VOTA ſenſu vocis regentem. ADRASTVS SOCER. qui pro genero Polynice pugnauit. atqui adhuc non erat ſocer, ſed quia deus eſt, futura prædicit. ADIVNCTA SINISTRIS. *adiuncta* pro adiungenda: nondum enim adiuncta erant. SINISTRIS. infenſis numinibus & contrariis: quia morituri ſunt. NEQVE ARCANO. reddit cauſas cur etiam Argiuos velit euertere: ſcilicet propter Tantali ſcelus, qui decipere ſe credidit deos, quando epulandum his appoſuit filium. vel quod epulando cum diis ſecreta eorum mortalibus prodidit: ob quod facinus dignas apud inferos pœnas ſoluit. FALLAX. quia deorum prodebat conſilia,

Sic pater omnipotens. aſt illi ſaucia dictis
Flammato verſans inopinum corde dolorem.
Talia Iuno refert. mene ô iuſtiſſime diuum
Me bello certare iubes? ſcis ſemper vt arces
Cyclopum, magnique Phoroneos inclyta fama
Sceptra viris, opibúſque iuuem. licet improbus illic
Cuſtodem Phariæ, ſomno letóque iuuencæ
Extinguas, ſeptis & turribus aureus intres.
Mentitis ignoſco toris. illam odimus vrbem
Quam vultu confeſſus adis: vbi conſcia magni
Signa tori tonitrus agis, & mea fulmina torques.
Facta luant Thebæ, cur hoſtes eligis Argos?
Quin age ſi tanta eſt thalami diſcordia ſancti,
Et Samon, & veteres armis excinde Mycenas.
Verte ſolo Sparten, cur vſquam ſanguine feſto
Coniugis ara tuæ, cumulo cur thuris Eoi
Læta calet? melius votis Mareotica fumat
Coptos, & ærisoni lugentia flumina Nili.

SAVCIA. pro ſauciata. FLAMMATO VERSANS. vt Virg. *talia flāmato ſecum dea corde volutans,* INOPINVM. quia Thebarum gaudebat exilio, de ſuis vrbibus iam ſecura. MENE O IVSTISSIME DIVVM. inuidioſe pro Argis dixit, vt Virgilius, *Nos tua progenies cæli quibus annuis arcem.* SCIS SEMPER VT ARCES CYCLOPVM. quia Iuno ſemper fauet Argiuis. vt Virgil. *Prima quod ad Troiam pro charis geſſerat Argis.* *Cyclopum* autem aut quas Cyclopes fecerunt, aut magni ac miri operis. nam quicquid magnitudine ſua nobile eſt, Cyclopum manu dicitur fabricatum. MAGNIQVE PHORONEOS. Phoroneus

Rex Ar-

Rex Argiuorum, qui primus dicitur Iunoni templa dicaſſe, & ſacrificiorum inſtituiſſe ſolemnia. CVSTODEM PHARIAE. bene prius *ſomno.* nam homo qui centum habebat oculos niſi ſomno oppreſſus occidi non poterat. Argum ergo deſcribit, quem Mercurius dicitur occidiſſe. RESTINGVAS. perimas. bene *reſtinguas*, quia anima ignea eſt. vt Terentius in Adelph. *Primo ipſi ſeni animam extinguerem.* & Virgilius, *Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo.* SEPTIS ET TVRRIB. AVREVS. Acryſius pater Danaes, qui oraculum accepit cauſam mortis ſibi futuram, quia ex filia naſceretur * Sed Iuppiter conuerſus in imbrem aureum vitiauit Danaen, ex quo coitu Perſeus natus dicitur. qui Acryſium obiecto Gorgonis capite conuertit in ſaxum. MENTITIS IGNOSCO THORIS. id eſt, non iraſcor illi ciuitati, vbi mutatus adulteria commiſiſti. cum aliis enim maieſtate diſſimulata cõcũbis, ad Semolẽ vero profeſſus numen intraſti. VBI CONSCIA MAGNI SIGNA THORI. id eſt, quibus mecũ coire conſueſti. *Tonitrus* genere maſculino protulit, cum Lucanus neutro. vt *Fractáque tonitrua in fulmen quæ cogitur aer.* ET MEA FVLMINA TORQVES. id eſt, inſignia matrimonij mei, quæ debui ſola ſentire. vel mihi ſoli nota, & mihi tantum obnoxia. MEA FVLMINA. phyſicum eſt: nam ſimplici ratione ſi intelligis, vxorem reſpicis. Cæterum fulmen eſſe ſine aere non poteſt, quia ipſe aer Iuno eſt. etenim ſi non fuerint nubes aëre colliſæ, fulmen nullum eſt. vt Lucanus. *Qualiter expreſſum ventis. p. n. f.* MEA FVLMINA. hoc eſt ſecundum pontifices, qui aiunt certa cuique fulmina Deo aſcripta: in quibus & Mineruæ. QVIN AGE. figurate concedimus quod fieri nolumus. vt Virgilius. *Quin age & ipſe manu falices erue ſiluas.* ET SAMON ET VETERES ARMIS EXCINDE MYCENAS. Samos, & Mycenæ, atque Spartæ, Græciæ ciuitates, Iunoni ſacratæ ſunt. Samos enim chara Iunoni: hæc enim prima Iunonis nuptias vidiſſe dicitur. Ideo chara inſula, atteſtante etiam Virgilio. *Poſthabita coluiſſe Samo.* Spartam vero dixit Laconiæ ciuitatem regionis. vt Virgil. *Spartana vel qualis equos Trahiſſa fatigat.* SANGVINE FESTO. victima ſacrificiorum. THVRIS EOI. id eſt Sabæi. vt Virgil.

——*Centumque Sabæo Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.*

COPTOS. ciuitas Mareotica AEgypti, in qua Io uerſa in Iſidem colitur: cuius ſacris ſiſtro cælebratis Nilus exæſtuat. ET AERISONI LVGENTIA. de ſacris Iſidis tractum: quia prouentum fructuum quærunt AEgyptii vſque ad ueros planctus. Nam irrigatio Nili ſupradictorum fletibus imploratur. ſiue *lugentia* dicit propter Oſirim: quem planctibus quærunt, & inueniunt: eundemque Solem dicunt. Martial, *Iſaum Seraphin, Nilus veneratur Oſyrim.* AERISONI ait, æris ſonum dantis propter ſiſtrum.

Quod ſi priſca luunt authorum crimina gentes,
Subuenitque tuis ſeria hæc ſententia curis
Percenſere æui ſenium, quo tempore tandem
Terrarum furias abolere, & ſecula retro
Emendare ſat eſt? iamdudum à ſedibus illis
Incipe, fluctiuaga quà præter labitur vnda
Sicanios longe relegens Alpheos amores.
Arcades hic tua (nec pudor eſt) delubra nefaſtis
Impoſuere locis. illic Mauortius axis
Oenomai, Geticóque pecus ſtabulare ſub Haemo
Dignius. abruptis & nunc inhumata procorum
Relliquiis trunca ora rigent, tamen hic tibi templi
Gratus honos. placet Ida nocens. mentitáque manes
Creta tuos, me Tantaleis conſiſtere tectis,

Quæ tandem inuidia eſt? belli deflecte tumultus,
Et generis miſereſce tui. ſunt impia latè
Regna tibi, melius generos paſſura nocentes.

SVBVENIT. In mentem venit. *furias* pro criminibus poſuit & peccatis. vt, *furias Aiacis Oilei.* SVBTERLABITVR VNDA. fabulam tangit. nam dicunt Alpheum fluuium Elidis & Piſarum, quæ ſunt ciuitates Arcadiæ, ad Arethuſam nympham Siciliæ per occultos maris meatus venire. ideoque dicit. *præterlabitur vaga vnda.* Alii autem dicunt quod Arethuſa venatrix fuit, quæ cum ſe in flumine Alpheo poſt laborem ablueret, ab eo adamata eſt: & diu fugiens, deorum miſeratione in fontem mutata, ad Siciliam per ſecretos meatus venit, quã Alpheus dicitur perſequi vſque in Siciliam. quod Virg. exequens ait. *Et tandem velox poſitis Arethuſa ſagittis.* Ideoque Iuno precatur Iouem, vt ſi placeat tibi emendare ſæcula, retro ideſt a ſedibus illis incipiat, parcens interim Argiuis. ILLIC MAVORTIVS AXIS OENOMAI. Eliden dicit & Piſas, vbi Oenomaus regnauit, Rex crudeliſſimus. Notiſſima fabula Oenomai. GETICOQVE PECVS STABVLARE SVB HAEMO DIGNVS. id eſt, equi qui digni erant ſtabulari in Thracia, vbi equi Diomedis erant, qui humana carne paſcebantur. Notandum autem quia equos illos, quibus prouocabantur proci ad curule certamen, poeta *pecus* vocat, quod eſt generale nomen omnium animalium, effigie humana carentium: quos equos dicit Iuno digniores eſſe ad ſtabuandum in Hæmo, monte frigidiſſimo Thraciæ, quam in præfatis locis. MELIVS GENEROS PASSVRA NOCENTES. Polynicen, propter patris inceſtum; & Tydeum, qui fratrem ſuum Toxeum occiderat.

Finierat miſcens precibus conuitia Iuno.
At non ille grauis dictis, quanquam aſpera motu,
Reddidit hæc: equidem haud rebar te mente ſecunda
Laturam, quodcunque tuos, (licet æquus,) in Argos
Conſulerem, neque me (ſi detur copia) fallit
Multa ſuper Thebis Bacchum, auſurámque Dionen
Dicere, ſed noſtri reuerentia ponderis obſtat.
Horrendos etenim latices, Stygii æquora fratris,
Obteſtor manſurum, & non reuocabile verum,
Nil fore quo dictis flectar. quare impiger ales
Portantes præcede Notos Cyllenia proles:
Aera per liquidum, regníſque illapſus opacis
Dic patruo: ſuperas ſenior ſe tollat ad auras
Laius, extinctum nati quem vulnere nondum
Vlterior Lethes accepit ripa profundi
Lege Erebi: ferat hæc diro mea iuſſa nepoti:
Germanum exilio fretum, Argolicíſque tumentem
Hoſpitiis, quod ſponte cupit, procul impius aula
Arceat, alternum regni inficiatus honorem.
Hinc cauſæ irarum. certo reliqua ordine dicam.

AVSVRAMQVE DIONEN. Veneris matrem dicit ſollicitam futuram propter Hermionem, Veneris & Martis filiam, Cadmi vxorem. REGNISQVE ILLAPSVS OPACIS. vmbro-

ſis,ſine ſole. Virg. *Et triſtes ſine ſole domos.* LEGE HEREBI. quia dicuntur inhumatorum animæ multis errare temporibus. Virg. *Centum errant annos.* TVMENTEM. iactantem ſe exilio, propter cognationem Adraſti. & hoc quaſi Deus ad Deum dicit. nam futura ſunt hæc. Virg. *Qua ſpe in gente inimicâ moraris*

Paret Atlantiades dictis genitoris, & inde
Summa pedum properè plantaribus illigat alis,
Obnubitque comas, & temperat aſtra galero.
Tum dextræ virgam inſeruit, qua pellere dulces
Aut ſuadere iterum ſomnos, qua nigra ſubire
Tartara, & exangues animare aſſueuerat vmbras.
Deſiluit: tenuíque exceptus inhorruit aura.
Nec mora, ſublimes raptim per inane volatus
Carpit, & ingenti deſignat nubila gyro.

PARET ATLANTIADES. non reſpondet, quia numen inferius: ſed paruit iuſſis. SVMMA PEDVM. petaſum dixit, & alatum calciamentum Mercurij. Virg. *Pedibus talaria nectit aurea.* OBNVBITQVE COMAS. ordo eſt. Obnubitque comas galero, & temperat aſtra. quaſi vniuſcuiuſque dei caput aſtrum ſit. legitur *obnubit.* obſcurat: ne nudo capite deſcendens, terras fulgore percuteret. & *temperat.* Vel quia benefica ſtella Mercurij maleficarum temperat flammas. vel certe occulte nobis exponit quinque plagas cæli ex iſtis conſtare ſyderibus, Saturni. Iouis. Martis. Mercurij. Veneris. Saturni frigida eſt ſtella, id eſt, nocens. vt *Frigida Saturni quæ ſeſe ſtella receptet.* & *Frigidus* nocens. vt *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.* Martis calida. Mercurij frigida. Iouis & Veneris temperata. ergo quia per mediã zonam volabat, Iouis & Veneris vicina ſydera frigido tranſitu tẽperabat. GALERO. pileo. vt Virg. *Fuluóſque lupi de pelle galeros.* TVM DEXTRAE VIRGAM INSERVIT. vt Virg. *Tum virgam capit.* QVA PELLERE DVLCES. mortis ſomnos *dulces* dixit, nam in vita dulces non ſunt. vt Cicero. *Hoc iter iure tam confragoſum putamus, vitam plenam eſſe iniuriarumq; ac miſeriarum, & laborum.* vt Virg. *Quæ lucis miſeris tam dira cupido.* DESILVIT. cum ſaltu deſcendit. vt *deſiluit Turnus biiugis.* TENVIQVE EXCEPTVS. tenui aura, qua mortales fruuntur. vt Virg. *auras vitales carpis.* nam aer craſſior eſt in æthere. *Inhorruit* autem, quia ab aere calido in aerem frigidum deſcendit. alij *inhorruit* ad ſtridorem referunt alarum. CARPIT. tranſit. DESIGNAT NVBILA GYRO. quaſi more auium, vt volatus ipſius videretur eſſe deſcenſus in gyrum. ſiue *gyrum* Irim dicit. Tranſitus enim nubium neceſſe eſt, vt leuem concitet rorem. Nubilum autem ex tranſitu nubium fit, & aſtrorum motu. Sol vero cum aduerſam tetigerit radiis nubem aquoſam irim facit. nam ipſa eſt tranſitus deorum.

Interea patriis olim vagus exul ab oris
Oedipodionides furtim deſerta pererrat
Aoniæ. iam iámque animis malè debita regna
Concipit, & longum ſignis cunctantibus annum
Stare gemit. tenet vna dies noctéſque recurſans
Cura virum, ſi quando humilem decedere regno
Germanum, & ſemet Thebis, oribúſque potitum
Cerneret: hac æuum cupiat pro luce paciſci.

Nunc queritur ceu tarda fugæ diſpendia. ſed mox
Attollit flatus ducis, & ſediſſe ſuperbus
Deiecto ſe fratre putat. ſpes anxia mentem
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.

OLIM VAGVS EXVL. quia ſuperius dixit. *Iam ſorte carebat Delatus Polynicis honos.* hinc ergo incipit poeta deſcribere, quemadmodum exul ad Adraſtum per uenerit. FVRTIM. clam. Exulem enim niſi furtim non licebat eos fines attingere, a quibus fuerat expulſus. AONIAE. Thebanæ regionis. vt Virgilius. *Aonios in montes.* MALE DEBITA REGNA. non indebita, vt *male ſana*, ſed *male debita* dixit, quæ eſſet præliorum incommodis petiturus. aut certe male concipit animo regna ſibi debita, quæ ſciebat Germanum nunquam redditurum ſponte. SIGNIS CVNCTANTIBVS. tarde procedentibus: ad deſiderium rettulit ſpem gerentis. CVRA VIRVM. recurſans. ad cogitationem eius rettulit, non ad diem. HAC AEVVM CVPIAT PRO LVCE PACISCI. id eſt, pro illo die, quo cupit ſe videre regnantem, libenter totius vitæ ſuæ offerret tempora. Virgilius. *Vitamque volunt pro laude paciſci.* NVNC QVERITVR CEV TARDA FVGAE. Deſcriptio hominis anxij. nunc ſuperbiam ſecum regnantis reputat fratris, modo votis erigitur in ſpiritu regio. ET SEDISSE SVPERBVS. effectum voti compotem fruſtra gaudebat. CONSVMIT GAVDIA VOTA. Semper optando regnum, conſumit gaudium. De rebus enim inopinatis magis lætamur, quam de his quæ ſemper mente tractauimus.

Tunc ſedet Inachias vrbes, Danaiáque arua,
Et caligantes abrupto ſole Mycenas,
Ferre iter inpauidum. ſeu præuia ducit Erinnys,
Seu fors illa viæ, ſiue hac immota vocabat
Atropos: Ogygiis vlulata furoribus antra
Deſerit, & pingues Bacchæo ſanguine colles.
Inde plagam, quà molle ſedens in plana Cytheron
Porrigitur, lapſúmque inclinat ad æquora montem
Præterit. hinc arctè ſcopuloſo in limite pendens
Infames Scyrone petras, Scyllæáque rura
Purpureo regnata ſeni, mitémque Corinthon
Linquit, & in mediis audit duo littora campis.

TVNC SEDET INACHIAS VRBES. *ſedet* placet.. vt *ſedet hoc animo.* INACHIAS ſine præpoſitione, *ad Inachias* vrbes. vt *Inachiis ſeſe referebat ab Argis.* DANAIAQVE ARVA. campi, id eſt, agricolæ. Danaus & Egyptus fratres fuerunt, Beli filii. Danao fuit virilis ſexus quinquaginta numerus filiorum, e diuerſo Egypto par numerus filiarum. Voluit ergo Danaus fratris filias liberis ſuis matrimonio ſociare. & Egyptus oraculo cognouerat quod generi ſui manibus interiret. iuſſit ergo filiabus vt ſponſos occiderent. Sola Hypermneſtra, dum cæteræ facinus perpetraſſent, Linceo pepercit. ET CALIGANTES ABRVPTO SOLE. De Atreo & Thyeſte notiſſima hiſtoria, quod vnus alterius liberos epulas fecit, quo aſpectu ſol dicitur refugiſſe. vnde Vir. *Nec tam auerſus equos Tyria ſol iungit ab vrbe. Abrupto* autẽ *ſole* dixit, ſubducto lumine, & a curſu ſuo reuocato. FERRE ITER IMPAVIDVM. non *iter impauidum,* ſed ipſe impauidus. PRAEVIA DVCIT. *præuij* enim dicuntur duces

viarum. SEV FORS ILLA VIAE. hoc eſt, illud iter aut furor ſuaſit, aut caſus, aut fatum. VLVLATA FVRORIBVS ANTRA. in quibus Liber pater colitur vlulatu Baccharũ. deſcriptio itineris illius. *Vlulata.* participium ſine verbi ſubſtantia. vt *regnata. triumphata. nupta.* BACCHAEO SAN. COLLES. ſanguine, quem perempto Pentheo Agaue mater effudit: Cytheronem ſignificat, vbi ſe Bacchæ ſecant in honorem Liberi. vt Virg. *Orgia nocturnuſque vocat clamore Cytheron.* INDE PLAGAM. id eſt, regionem. QVA MOLLE SEDENS. paulatim tumores collium in planum relaxans. *Molle* pro molliter. vbi in campum effunditur nimis extenſum. LASSVM. vtique fluctibus cæſum. vel quia in hanc partem deuexus, amiſerit in excelſa vires creſcendi. ARCTE. anguſte: ſiue *arte* doctrina. id eſt, quadã ſolertiæ leuitate id faciens. PENDENS. quicquid enim in præcipiti ſtat videtur pendere. nam qui per anguſtias ardui montis incedit, quaſi pendeat eminus cernentibus ſic videtur. INFAMES SCYRONE PETRAS. nota, dixit *infames.* vt eſt *infames ſcopulos Acroceraunia.* hic Scyron hoſpites ſuos vel tranſeuntes ſaxo reſidens cogebat pedes ſibi lauare, & eos ex improuiſo præcipitabat: quem tandem Theſeus dicitur peremiſſe.

SCYLLEAQVE RVRA. Megaram ſignificat ciuitatem, in qua Niſus regnaſſe dicitur, crinem purpureum atque fatalem habens, quem dormienti patri Scylla filia ſecuit. nam vt Virgil. vtrumque monſtraret, ait. *Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.* Item alibi. *Quid loquar aut Scyllam, niſi aut quam fama ſecuta eſt.* MITEMQVE CORYNTHON. tranquillum ſiue ocioſum. ET IN MEDIIS AVDIT. Iſthmon ſignificat, qui inter duo maria ſit conſtitutus. vt Horatius. *Bimariſque Corynthi mœnia.* id eſt, inter Ionium & Ægeum deſcribit Corynthum poſitam ciuitatem.

Iámque per emeriti ſurgens confinia Phœbi
Titanis, latè mundo ſubuecta ſilenti
Rorifera gelidum tenuauerat aëra biga.
Iam pecudes, volucréſque tacent: iam ſomnus auaris
Inſerpit curis, pronúſque per aëra nutat
Grata laboratæ referens obliuia vitæ.
Sed nec puniceo rediturum nubila cœlo.
Promiſere iubar, nec rareſcentibus vmbris
Longa repercuſſo nituere crepuſcula Phœbo.
Denſior à terris, & nulli peruia flammæ
Subtexit nox atra polos. iam clauſtra rigentis
Aeoliæ percluſa ſonant, venturaque rauco
Ore minatur hyems. venti tranſuerſà frementes
Confligunt, axémque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum ſibi quiſque rapit. ſed plurimus Auſter
Inglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet,
Diffunditque imbres, ſicco quos aſper hiatu
Perſolidat Boreas: nec non abrupta tremiſcunt
Fulgura, & attritus ſubita face rumpitur æther.

IAMQVE PER EMERITI SVRGENS CONFINIA PHAEBI. à re militari: quaſi & ſol dici militare videatur. EMERITI. occidentis. CONFINIA. bene dixit: quia iuxta ipſum oritur. Quomodo *emeritos* dicimus, ſimili labore donatos: ſic *emeritus ſol* occidens dicitur

poſt laborem, cui noctis aſtra ſuccedunt. vt Virgil. *Emeritaque expectant premia palme.* TITANIS. luna. vt Virgil. *Lucentemque globum lune Titaniáque aſtra.* Sic autem Titan titanis dicitur, quemadmodum Phœbus & Phœbe. MVNDO SVBIECTA. id eſt, ſuperiecta. vt Virgil. *& corpora ſaltu ſubiiciunt in equos.* TENVAVERAT AERA BIGA. bene tenuauerat: quia diei aer craſſior eſt, tenuis noctis. IAM PECVDES. Sic Virgil. *Cum tacet omnis ager pecudes pictaque volucres.* IAM SOMNVS AVARIS INSERPIT CVRIS. *Auaris*, indefeſſis. Auarus enim animus difficile fatigatur. vt Horat. *Addunt auaro diuitias mari.*

NVTAT. pendet. LABORATAE VITAE. per laborem peractæ. SED NE PVNICEO. Hic vult poeta monſtrare ſerenum diem non contigiſſe Polynici. nec enim vlla ſerenitatis ſigna præmiſerat ſolis occaſus. *Puniceo* ergo ſereno dixit. vt Virgil. *Caruleus pluuiam denunciat, igneus Euros.* NITVERE CREPVSCVLA PHOEBO. *Crepuſculum* dicitur quod inter finem diei eſt, & exordium noctis. vnde & *decrepiti ſenes* dicuntur iam prope occaſum ſalutis, & initium mortis. Vtrumque enim tempus oſtendit, & diei initium, & extremum noctis: ſiue *crepuſcula*, quia præcedentis ſolis radii percutiuntur à crepuſculo, id eſt, ab extrema parte noctis. DENSIOR A TERRIS. denſiorem noctem nebulam dicit: quod quando ima petunt nebulæ, ſerenitas eſt. Virgil. *At nebula magis ima petunt campóque recumbunt.* quando altum, ſine dubio imbres futuros oſtendunt.

ET NVLLI PERVIA FLAMMAE. Quam neque ſolis, neque auroræ valeat flamma penetrare. IAM CLAVSTRA RIGENTIS ÆOLIAE frigidæ, quia prope eſt vbi habitãt venti. PERCLVSA SONANT. certamina ventorum exire volentium. VENTI TRANSVERSA FREMENTES. vt Virgil. *Mutatis tranſuerſa fremunt.* CONFLIGVNT. vt *confligunt Zephirúſque Notuſque.* DVM COELVM. pro nubibus poſuit. vt Virgil. *Aduerſi rupto ceu quondam.* &c. SICCO QVOS ASPER HIATV. phyſicam rationem ſecutus eſt. nam ſi primo auſter pluuias facit, mox ſequitur Boreas, qui eaſdem aut in niuem, aut in grandinem mutat. Vnde Ouid. *Vſque fi:runt imbres gelidis concreſcere ventis*: id eſt, congelari.

NEC NON ABRVPTA TREMISCVNT FVLGVRA. corruſcationes enim quaſi ruptis nubibus tremunt. *fulgura* à fulgore dicta ſunt. RVMPITVR AETHER. quaſi ex colliſione nubium.

Iam Nemea, iam Tænareis contermina lucis
Arcadiæ capita alta madent. ruit agmine facto
Inachus, & gelidas ſurgens Eraſinus ad Arctos.
Puluerulenta prius, calcandáque flumina nullæ
Aggeribus tenuere moræ, ſtagnóque refuſa eſt
Funditus, & veteri ſpumauit Lerna veneno.
Frangitur omne nemus, rapiunt antiqua procellæ
Brachia ſyluarum, nulliſque aſpecta per æuum
Solibus, vmbroſi patuere æſtiua Licæi.
Ille tamen modò ſaxa iugis fugientia ruptis
Miratur, modò nubigenas è montibus amnes
Aure pauens, paſſimque inſano turbine raptas
Paſtorum, pecorúmque domos. non ſegnius amens,
Incertúſque viæ, per nigra ſilentia, vaſtum
Haurit iter. pulſat metus vndique, & vndique frater.

IAM NEMEA. ſylua vel mons iuxta Cleonam, Græciæ ciuitatem, vbi Hercules leonem vicit. vt Lucan. *Ille Cleonei proiecit terga leonis.* & Virgil. *Et vaſtum Nemea ſub rupe leonem.*

Notandum autem quod nomen A littera terminatum, longum latinitas non habet, ſed ideo quia eſt nomen Græcum: in quo melius Græca ratio conſiderabitur.

CONTERMINA LVCIS. confinia atque vicina lucis montium Argiuorum.

ARCADIAE CAPITA ALTA MADENT. quinque montium cacumina Arcadiæ regionis oſtendit, id eſt, Cylleni, Lycæi, Licornis, Argolionis, Mænali. RVIT. feſtinat impetu exire. vt Virgil. *Qua data porta ruunt.* AGMINE. multitudine aquarum. vt Virgil. *Ruit agmen aquarum.* INACHVS. fluuius regionis Argiuæ. ERASINVS. fluuius in Septentrione. CALCANDAQVE FLVMINA NVLLAE. ſi in his fluminibus, quæ ante aquæ penuria calcabantur, hoc eſt pedibus tranſire poterant, riparum aggeſtiones opponeres, quo minus effunderentur, nullam faceres moram. REFVSA. commota. vt Virgil. *Stagna refuſa vadis.* LERNA. palus eſt apud Argos, in qua hydram ſuperaſſe Hercules dicitur. Ait ergo in hoc ſtagno tantam vim vndarum fuiſſe, vt iterum venis ſcatere videretur. Notandum autem quod *veteri* dixerit, cum omne nomen generis neutri, quod in *us* exit, nunquam niſi E littera terminetur: vt *pecus pecore, nemus nemore.*

RARIVNT ANTIQVA. vt Virg. *cum ſtabulis,* &c. BRACHIA SILVARVM. ramos arborũ dixit. vt Virgil. *In medio ramos annoſáque brachia pendent.* NVLLISQVE ASPECTA PER AEVVM SOLIBVS. hoc eſt inuiſa ſoli multis temporibus. vt eſt, *Solis in aſpectum radiis.*

VMBROSI PATVERE. ſcilicet arboribus Licæi, montis Arcadiæ, æſtiua patuerunt. *æſtiua* autem dicuntur pecorum ſtabula, tempore æſtatis vmbroſa.

FVGIENTIA. dilabentia. NVBIGENAS. qui pluuiis augentur. vt *Et ſummis cognati nubibus amnes.* AVRE PAVENS. auditu timens. vt Virgil. *Sonus excitat omnis ſuſpenſum.*

NON SEGNIVS AMENS. id eſt, non ſegnior. PER NIGRA SILENTIA. terribilia. vt Virgil. *Nunc ipſa ſilentia terrent.* HAVRIT ITER. conſumit.

METVS VNDIQVE ET VNDIQVE FRATER. aut cuius ſolius timet inſidias: aut cuius inuidet regno. *Haurit* ergo, accipit. id eſt, terribile iter oculis, auribus, & omni percipit ſenſu, & vbique ſic terretur tanquam vbique ſit frater. vt eſt. *Quicquid increpuerit Catilinam timeri aut videri.*

Ac velut hyberno deprenſus nauita ponto,
Cui neque temo piger, neque amico ſydere monſtrat
Luna vias, medio cœli, pelagíque tumultu
Stat rationis inops: iam iamque aut ſaxa malignis
Expectat ſubmerſa vadis, aut vertice acuto
Spumantes ſcopulos erectæ incurrere proræ:
Talis opaca legens nemorum Cadmeius heros
Accelerat, vaſto metuenda vmbone ferarum
Excutiens ſtabula, & prono virgulta refringit
Pectore: dat ſtimulos animo vis mœſta timoris,
Donec ab Inachiis victa caligine tectis
Emicuit lucem deuexa in mœnia fundens
Lariſſæus apex. illò ſpe concitus omni
Euolat. hinc celſæ Iunonia templa Proſymnæ
Leuus habens, hinc Herculeo ſignata vapore
Lernæi ſtagna atra vadi. tandemque recluſis
Infertur portis. actutum regia cernit
Veſtibula. hic artus imbri, ventóque rigentes

Proiicit, ignotæque acclinis poſtibus aulæ
Inuitat tenues ad dura cubilia ſomnos.

HYBERNO PONTO. id eſt tempeſtiuo. vt Virgil. *emiſſamque hyemem ſenſit Neptunus*. id eſt, tempeſtatem. CVI NEQVE TEMO PIGER. *pigrum temonem* ſeptentrionem dixit, qui nunquam mergitur. vt Virgil. *Arctos oceani metuentes æquore tingi.* MALIGNIS. latentibus ſiue dubiis. vt Virgil. *ſub luce maligna.* TALIS OPACA. id eſt qualis nauta, timens tantum ſine vlla ſegnitie, vir fortis ingreſſum iter emetiebatur. VASTO METVENDA VMBONE. pro clypeo, a parte totum. vt Virg. *Summo clipei necquicquam vmbone pependit.* FERARVM EXCVTIENS STABVLA. id eſt ſyluas: nunc clypeo ferarum luſtra diſcutit, nunc pectoris impulſu ſtabula, ideſt, ſyluas. vt Vir. *Pars denſa ferarũ excutiens ſtabula.* *v. ſ.* DAT STIMVLOS ANIMO. ideſt, nimiũ timendo nõ timet, ſic eni tũc timẽt, dũ nõ timẽt: vt Cicero *ne non timere ſine aliquo timore poſſimus.* VIS MOESTA TIMORIS. eſt triſtitia: huic loco cõgruit illud Virg. *Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutẽ.* DONEC AB INACHIIS. Argiuis, ab Inacho fluuio. vt Virgil. *Ecce autem Inachus ſeſe referebat ab Argis*, dicit tam diu erraſſe Polynicen, quam diu de Inachiis tectis. i. de Argiua ciuitate victis tenebris lux emicuiſſet: de ciuitatis arce, quæ Laryſſa nominatur. nõ nos autem debet confundere, quod & Theſſaliæ ciuitas Laryſſa dicitur, a qua et Laryſſeus Achilles: hæc enim quam nunc commemorat, arx eſt ciuatis Argiuæ, quæ Laryſſa dicitur. DEVEXA IN MOENIA FVNDENS. quaſi imaginem lucis accipere debeat. vt Virg. *Deuexo interea propior fit veſper olympo.* DEVEXA. in latere montis poſita. LARYSSEVS APEX. arx ciuitatis Argiuæ: vt eſt ſuperius annotatũ. ILLO SPE CONCITVS OMNI. ideſt, ad illam partem, vnde poſteaquam lumen emicuiſſe videt, deſiit timere. IVNONIA TEMPLA PROSYMNAE. Proſymna ciuitas eſt vbi colitur Iuno. LAEVVS HABENS. i. ſiniſtro latere præteriens. HIC HERCVLEO VAPORE SIGNATA. ad dextrum latus Lernæ ſtagna Herculeo vapore ſignata, quaſi infamia dimiſſa. Si veram quæramus hiſtoriam: Lerna palus fuit, quæ cum frequenter ſiccaretur, & denuo impleretur aquis, Hercules deprehendit venas terræ incendio poſſe præcludi, atque ideo poſteaquam exhauſit eam, ignem adhibuit: & ſi qua vnda prorumpebat, obſtruxit. nam hydram monſtrum fuiſſe ἀπὸ τοῦ ὕδατος fabulæ nomen obtinuit. TANDEMQVE RECLVSIS. ſignum eſt pacificæ ciuitatis. ACTVTVM. confeſtim. vt Teren. *Actutum aperite aliquis*, TENVIS. leues, ſubtiles. In paupere magnus eſt ſomnus. Lucanus. *In quorum pectora ſomno Dat vires fortuna minor.* Iuuenal, *Conſilium Syllæ dedimus priuatus vt altum dormiret.*

Rex ibi tranquillæ medio de limite vitæ
Inſenium vergens populos Adraſtus habebat
Diues auis, & vtroque Iouem de ſanguine ducens.
Hic ſexus melioris inops, ſed prole virebat
Fœminea, gemino natarum pignore fultus.
Cui Phœbus generos (monſtrum exitiabile dictu!
Mox adaperta fides) æuo ducente canebat
Setigerúmque ſuem, & fuluum aduentare leonem.
Hæc voluens, non tu ipſe pater, non docte futuri
Amphiarae vides, etenim vetat author Apollo.
Tantum in corde ſedens ægreſcit cura parentis.

REX MEDIO DE LIMITE VITAE. i. cum eſſet ætatis mediæ. ADRASTVS. Talai filius & Eurynomes. DIVES AVIS. hoc eſt, a maioribus nobilis. vt Virg. *Turnus auis atauiſque*

viſque potens. ET VTROQVE IOVEM DE SANGVINE DVCENS. paterni materníque ſanguinis nobilitatem explicuit. HIC SEXVS MELIORIS INOPS. vt Virgil. *Filius huic fato diuum proleſque virilis nulla fuit.* ſed & alibi. *Sola domum & tantas ſeruabat filia ſedes natorum. n. d.* AEGRESCIT CVRA PARENTIS. ægritudinem producit. vt Virg. *ægreſcitque medẽdo.* hoc eſt, reſponſi quidem neſciebat euentum, cura autem torquebatur ancipiti.

Ecce autem antiquam fato Calydona relinquens
Olenius Tydeus (fraterni ſanguinis illum
Conſcius horror agit) eadem ſub nocte ſopora
Luſtra terit, ſimileſque notos dequeſtus & imbres,
Infuſam tergo glaciem, & liquentia nimbis
Ora, comaſque gerens, ſubit vno tegmine, cuius
Fuſus humo gelida partem prior hoſpes habebat.
Hic verò ambobus rabiem fortuna cruentam
Attulit, haud paſſi ſociis defendere noctem
Culminibus. paulum alternis in verba mináſque
Cunctantur. mox vt iactis ſermonibus iræ
Intumuere ſatis, tum verò erectus vterque
Exertare humeros, nudámque laceſſere pugnam.
Celſior ille gradu procera in membra, ſimúlque
Integer annorum, ſed non & viribus infra
Tydea fert animus, totóſque infuſa per artus
Maior in exiguo regnabat corpore virtus.
Iam crebros ictus ora & caua tempora circum
Obnixi ingeminant, telorum, aut grandinis inſtar
Rhipheæ, flexóqꝫ genu vacua ilia tundunt.

ECCE AVTEM ANTIQVAM FATO CALIDONA RELINQVENS. Calydõ, Pleuros, & Olenos, ciuitates ſunt AEtoliæ, vnde fuit Tydeus, atque ideo modo Olenium dicit, modo Calydoniũ, modo Pleuroniũ. hic autẽ Tydeus fratrẽ ſuũ interemit. Moris autẽ fuit antiquis, ſicut etiã Homerus dicit, vt reus homicidii exularet. ergo Tydeus conſcius parricidii dimiſit paternum regnum, & caſu eadem nocte hiſdem confectus imbribus, quibus Polynices, Argos venit. *Calydoniam* vero vrbem eſſe AEtoliæ Virg. loquitur dicendo. *Quod ſcelus aut Lapythis tantum aut Calydona merentem.* FRATERNI SANGVINIS. quia occiderat auunculum ſuum Thoantem, matris fratrem, vel vt quidam volunt Apharea. Manifeſtius tamen eſt quod Menalippum fratrem ſuum, dum venaretur, occidit. AGIT. inſequitur. EADEM SVB NOCTE. pari tempeſtate vexatus. LVSTRA. hoc eſt ferarum cubilia. vt Virg. *Luſtra domoſque traho, vaſtoſque a rupe cyclopas.* LIQVENTIA. diſtillantia. VNO TEGMINE. tecti ſcilicet quo Polynices. RABIEM. litem. DEFENDERE NOCTEM. prohibere iniuriam tempeſtatis non paſſi ſunt. vt Virg. *Hunc oro defende furorem.* ideſt. prohibe. ALTERNIS. mutua vice verborum, aduerbium pro inuicem. Virgil. *Alternis dicetis &c.* VT IACTIS SERMONIBVS. quaſi qui vulnus facerent. vt Sall. *Iugurtha inter alias res iacit.* EXERTARE. nudare. vt *exerta manus veſana Cethegi.* NVDAMQVE. ſine ſcuto. CELSIOR ILLE GRADV. Polynices pedibus longior, & membris decorus. INTEGER ANNORVM. id

d

eſt, iuuentute firmiſsima. Virg. *Atque integer aui Aſcanius.* MAIOR IN EXIGVO. vt Virg. *Ingentes animos anguſto in pectore verſans.* Viribus ergo compēſauit, quod proceritati natura non conceſſit, vt paruo corpori ingens robur infunderet. TELORVM : propterea quod vulnera inſligebat GRANDINIS. quod aſſidue RHYPHAEAE. ideſt Scythica Rhyphæ mons Scythiæ, in quo ſemper nimiæ tempeſtates. vt Virg. *Rhyphæo tunditur Euro.* FLEXQVE GENV. duplicato, quod Græci ἀντλογόνατον vocant.

Non aliter quàm Piſæo ſua luſtra Tonanti
Cùm redeunt, crudíſque virum ſudoribus ardet
Puluis; at hinc teneros caueæ diſſenſus ephœbos
Concitat, exclúſæque expectant præmia matres.
Sic alacres odio, nulláque cupidine laudis
Accenſi incurrunt, ſcrutatur & intima vultus
Vnca manus, penituſque oculis cedentibus inſtat.
Forſan & accinctos lateri (ſic ira ferebat)
Nudaſſent enſes, meliuſque hoſtilibus armis
Lugendus fratri iuuenis Thebane iaceres,
Ni rex inſolitum clamorem, & pectore ab alto
Stridentes gemitus noctis miratus in vmbris,
Mouiſſet greſſus; magnis cui ſobria curis
Pendebat ſomno iam deteriore ſenectus.

NON ALITER QVEM PISAEO. Piſæ ciuitas Elidis, vbi Olympica corona eſt; ideſt agon in honorem Olympici Iouis celebratur, finito quinquennio. CRVDIS SVDORIBVS. duris aut magnis, ſiue vehemētibus. TENEROS EPHOEBOS. imprudētes. CAVEAE DISSENSVS. ideſt fauor populi diſſidentis inſtigat ephœbos. & expreſſit fauentium ſtudia. EXCLVSAEQVE EXPECTANT PRAEMIA MATRES. Sacrorum lege prohibitum eſt Olympicum certamen ſpectare mulieres. NVLLAQVE CVPIDINE LAVDIS. non pecunia aut præmii nimietate certabant, ſed laudis auidi ſolius erat virtutis contentio. INTIMA VVLTVS. genitiuus eſt ſingularis. IVVENIS THEBANE. Apoſtrophe ad Polynicen.

MAGNIS CVI SOBRIA CVRIS PENDEBAT. ſollicita erat. vt Virg. *Suſpenſi pœnam expectant.* SOMNO IAM DETERIORE SENECTVS. deficiente calore ſanguinis, nimium quietis ſenectus capit. Ordo, cui magnis curis pendebat ſomnus. Quia in ingenti cura minor eſt ſomnus.

Iſque vbi progrediens numeroſa luce per alta
Atria, dimotis aduerſo limine clauſtris
Terribilem dictu faciem, lacera ora, putréſque
Sanguineo videt imbre genas. quæ cauſa furoris
Externi iuuenes? (neque enim meus audeat iſtas
Ciuis in vſque manus) quiſnam implacabilis ardor
Exturbare odiis tranquilla ſilentia noctis?
Vſque adeóne anguſta dies? & triſte, parumper

Pacem animo, ſomnumque pati? ſed prodite tandem
Vnde orti, quo fertis iter, quæ iurgia, nam vos
Haud humiles tanta ira docet, generiſque ſuperbi
Magna per effuſum clareſcunt ſigna cruorem.

NVMEROSA LVCE. cum multis lápadibus. EXTERNI IVVENES. Alterius generis. vt Virg. *Non me tibi tibi Troia externum tulit.* aut certe illud vult magis intelligi, tantam ciuiũ ſuorum metu regis eſſe formidinem, vt nullus audeat manu litẽ conſerere. Talis eſt ordo. Externi eſtis ô iuuenes, nam ciuis meus nunquam vſqueadeo finem litis ſuæ audet extendere, vt transferat in manus furorẽ. ANGVSTA DIES. ad diſcordiam conſerendã.

TRISTE. triſtis res. PARVMPER PACEM ANIMO. id eſt, animo triſti pacem paulifper pati. adeo dies veſtræ pugnæ non ſufficit, vt noctem quieti non detis. PRODITE. dicite. HAVD HVMILES. Ignobiles. vt Virgil. *Degeneres animos timor arguit.* Quiſquis enim timet, in certamine degener eſt. Econtra, qui imperterritus fuerit, generoſi ſanguinis indolem profitetur.

Vix ea: cum mixto clamore obliqua tuentes
Incipiunt vnà. Rex ô mitiſsime Achiuûm
Quid verbis opus? ipſe vndantes ſanguine vultus
Aſpicis. hæc paſsim turbatis vocis amaræ
Confudere ſonis. inde orſus in ordine Tydeus
Continuat; mœſti cupiens ſolatia caſus,
Monſtriferæ Calydonis opes, Acheloiaque arua
Deſerui. veſtris hic me ecce in finibus ingens
Nox operit. tecto cœlum prohibere quis iſte
Arguit? an quoniam prior hæc ad limina fortè
Molitur greſſus? pariter ſtabulare bimembres
Centauros, vnáque ferunt Cyclopes in AEtna
Compoſitos, ſunt & rabidis iura inſita monſtris,
Faſque ſuum; nobis ſociare cubilia terræ,
Sed quid ego? haud hodie ſpoliis gauiſus abibis
Quiſquis es his. aut me ſi non effœtus oborto
Sanguis hebet luctu, magni de ſtirpe creatum
Oeneos, & Marti non degenerare paterno
Accipies. Nec nos animi, nec ſtirpis egemus,
Ille refert contra; ſed mens ſibi conſcia fati
Cunctatur proferre patrem. tunc mitis Adraſtus;
Immo agite, & poſitis, quas nox inopináque ſuaſit
Aut virtus, aut ira minis; ſuccedite tecto.
Iam pariter coeant animorum in pignora dextræ.
Non hæc incaſſum, diuiſque abſentibus acta;

D ij

Forſan & has venturus amor præmiſerit iras,
Vt meminiſſe iuuet. nec vana voce locutus
Fata ſenex: ſi quidem hanc perhibent poſt vulnera iunctis
Eſſe fidem, quanta partitum extrema proteruo
Theſea Pirithoo, vel inanem mentis Oreſtem
Oppoſito rabidam Pylade vitaſſe Megeram.

OBLIQVA TVENTES. id eſt, inuicem ſe iuuenes male obliquis oculis intuentes. CONFVDERE SONIS. pariter dicendo ſignificationem turbauere verborum. IN ORDINE. iam non turbato ſono. SOLATIA CASVS. quia fratrem occidit. *Caſus* quia parricidium ignarus admiſit. dicitur enim fortuito venationis peremiſſe germanum. MONSTRIFERAE CALYDONIS. propter aprum, qui illic monſtri ſimilis natus eſt ex iracũdia Dianæ, qui regionem Calidoniam totam vaſtabat, quem poſtea Meleager occidit. ACHELOIAQVE ARVA. Achelous amnis in Theſſalia oriens Oetoliã præterfluit, Thetidis filius, qui primus vinum poculis miſcuit. Vt Virgil. *Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis.* CAELVM PROHIBERE. Cælum pro aere & nimbis poſuit: id eſt pluuiam tecto declinare. QVIS ISTE. deeſt quam gerit poteſtatem, qui hoſpitalitatis communionem ſic prohibet. BIMEMBRES. duplicium membrorum. vt Iuuenal. *egregium ſanctumque virum ſi cerno, bimembri, hoc monſtrum puero.* COMPOSITOS. ex variis gentibus. SVNT ET RABIDIS. Iuuenal. *Indica tigris agit rabida cum tigride pacem.* FASQVE SVVM. iura humanitatis atque concordiæ. SOCIARE CVBILIA TERRAE. deeſt *non licuit propter iracundiam.* iratis enim ſermo deficit. Virg. *Quos ego.* HAVT HODIE SPOLIIS GAVISVS ABIBIS. Spolia illa. vt Virgil. *haut hodie victor ſpolia illa cruenta, & caput Aeneæ referes.* SANGVIS HEBET. ſtupet originis victus horrore parricidij perpetrati. DE STIRPE CREATVM OENEOS. Mars Meleagri pater. Meleager Oenei. Oeneus Tidei. quamuis plæriſque dicant eum Marte procreatum, conuerſo in vultum Oenei. Ordo talis. Accipies non degenerare me à patria virtute. ACCIPIES. ſenties, ſiue experieris. ILLE REFERT CONTRA. Polynices reſpondet iniuriis, ſed inceſti conſcius cælauit nomen parentis. Ergo ſi accuſabis *ſacti* legis, ſi purgas *fati.* CVNCTATVR PROFERRE PATREM. timet Oedypum nominare, quia frater & pater eſt. COEANT DEXTRAE. hæc apud veteres fœdera fuiſſe Virgilius teſtatur, vt *Excepitque manu, dextráque amplexus inhæſit.* FATA SENEX. bene dixit *fata.* quicquid enim ſenex loquitur propemodum fatum eſt. & reuera quaſi inſtinctu numinis locutus eſt. nam ex diſcordia magna familiaritas conflata eſt inter Tydeum & Polynicem. EXTREMA. extreme. nomen pro aduerbio. PROTERVO. quod amore Proſerpinæ inferos penetrare nõ timuit. *Eſſe* ergo pro *fuiſſe* dixit & recte. nã omnia quæ nimis mala & bona ſunt, pro præſentibus adſcribuntur. *Extrema* ergo: quia fides extrema erat vſq. ad inferos, id eſt quanta fide perhibent fuiſſe extrema. PARTITVM EXT. P. THESEA PIRITHOO. hanc talem fidem vult eſſe, qualem colebat antiquitas. Quatuor namque amicitiarum exempla fuiſſe certiſſimum eſt, Theſei & Pirithoi, Oreſtis & Pyladæ, Achillis & Patrocli. Tydei & Polynicis. Theſeus & Pirithous conſpirauerunt filias Iouis vxores ducere, Theſeus rapuit Helenam adhuc paruam: Pirithous cum filiam Iouis quæreret, & non inueniret, quia apud inferos erat Proſerpina, coniurauerum vt deſcenderent pariter, qui depræhenſi pœnas dederunt. Oreſtes poſt necem matris furias paſſus. vt Virgil. *Et ſcelerum furiis agitatus Oreſtes*: huic Pylades tulit in calamitate ſolatium, cuius auxilio furiis liberatus eſt. Patroclus de fide Achille cauſa Briſeidis, armis ipſius indutus venit ad Troiam, atque ibi manu procubuit Hectoris. Tydeus vero cauſa Polynicis pergit ad Thebas, ibique dimicans periit. RABIDAM. id eſt, contra eum furentem. nam tres eſſe Furiæ dicuntur Plutoni deſeruientes, quarum prima Alecto, quæ impauſabilis dicitur; altera Tiſiphone, quaſi τίσιν φωνὴ, id eſt, iſtarum vox; tertia Megera, quaſi μεγάλη ἔρις. Primum ergo eſt non pauſando furiam concipere, ſecundum eſt in vocem prorumpere, tertium iurgium protelare.

Tunc quoque mulcentem dictis corda aſpera regem
Iam faciles (ventis vt decertata reſidunt
Aequora, laxatíſque diu tamen aura ſuperſtes
Immoritur velis.) paſſi ſubiere penates.
Hic primum luſtrare oculis, cultúſque virorum
Teláque magna vacat. tergo videt huius inanem
Impexis vtrinque iubis horrere leonem,
Illius in ſpeciem, quem per Theumeſia Tempe
Amphitryoniades fractum iuuenilibus armis
Ante Cleonæi veſtitur prælia monſtri.
Terribiles contra ſetis, ac dente recuruo,
Tydea per latos humeros ambire laborant
Exuuiæ Calydonis honos. ſtupet omine tanto
Defixus ſenior, diuina oracula Phœbi
Agnoſcens, monitúſque datos vocalibus antris,
Obtutu gelida ora premit, lætúſque per artus
Horror iit: ſenſit manifeſto numine ductos
Affore, quos nexis ambagibus augur Apollo
Portendi generos, vultu fallente ferarum
Ediderat. tunc ſic tendens ad ſydera palmas.

VENTIS VT DECERTATA. Parentheſis per ſimilitudinem. Lucanus, *vt timidus Boreas poſt flamina ventus rauca gemit.* LAXATIS. id eſt, ceſſante vento diſtentis. PASSI SVBIERE PENATES. ordo eſt, tunc paſſi ſubiere penates, id eſt, tunc promiſerunt ſibi, vt pariter Adraſti domum ſubirent. INANEM LEONEM. hoc eſt pellem leonis: vt ipſe alibi. *Inanem tigridem* dicit. IMPEXIS. compoſitis aut non compoſitis. VTRINQVE. ex vtroque humero. QVEM PER THEVMESIA TEMPE. oppidum Theſſaliæ, aut loca amœna à cœli temperamento dicta: aut Beotiæ montem deſignat. ILLIVS. leonis. ſ. quem in Theumeſia Hercules occidit. nam idem duos ſuperaſſe dicitur. primum Theumeſium, ſecundum Cleoneum. Theumeſus mons Beotiæ eſt. Nemeus mons Arcadiæ: qui etiam Cleoneus. AMBIRE. velare ſeu cingere. CALYDONIS HONOS. quaſi ipſe aper Calydonius eſſet appellatus. VOCALIBVS ANTRIS. fatidico Apollinis ſpecu reſponſa promentibus. OBTVTV. fixo aſpectu, id eſt aut ſtupore animi, aut ſenectute. vt *obtutu tenet ora ſolóque immobilis hæret.* HORROR IIT. medie dictum: *horror* enim aut gaudiorum aut mœroris. ſed modo gaudii intelligendum. Timoris horror eſt quem Virgilius dicit. *Horror vbique animum ſimul ipſa ſilentia terrent.* Lætitiæ, vt Terent. *Totus Parmeno tremo horreóque poſtquam aſpexi hanc.* AFFORE. adeſſe. NEXIS AMBAGIBVS. obſcuris reſponſis. Virgil. *obſcuris vera inuoluens.* VVLTV FALLENTE. ſuperficie ſola.

Nox, quæ terrarum cœlíque amplexa labores
Ignea multiuago tranſmittis ſydera lapſu,
Indulgens reparare animum, dum proximus ægris
Infundat Titan agiles animantibus ortus,

Tu mihi perplexis quæſitam erroribus vltro
Aduehis alma fidem. veteriſque exordia fati
Detegis. adſiſtas operi, tuaque omina firmes.
Semper honoratam dimenſis orbibus anni
Te domus iſta colet. nigri tibi, diua, litabunt
Electa ceruice greges, luſtraliáque exta
Lacte nouo perfuſus edet Vulcanius ignis.
Salue priſca fides tripodum, obſcurique receſſus,
Deprendi fortuna Deos. ſic fatus, & ambos
Innectens manibus tecta vlterioris ad aulæ
Progreditur. canis etiamnum altaribus ignes
Sopitum cinerem, & tepidi libamina ſacri
Seruabant. adolere focos, epuláſque recentes
Inſtaurare iubet. dictis parere miniſtri
Certatim accelerant. vario ſtrepit icta tumultu
Regia, pars oſtro tenues auróque ſonantes
Emunire toros, altóſque inferre tapetas,
Pars teretes leuare manu, ac diſponere menſas.
Aſt alij tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreßi, tendunt auratis vincula lychnis.
His labor inſerto torrere exanguia ferro
Viſcera cæſarum pecudum. his cumulare caniſtris
Perdomitam ſaxo cererem. lætatur Adraſtus
Obſequio feruere domum. iámque ipſe ſuperbis
Fulgebat ſtratis, ſolióque effultus eburno.

NOX QVAE TERRARVM. laus noctis, quia habet officium ſuum, cœlum, lunam, vel curſus ſyderum diſponere. AMPLEXA. vt Maro. *Inuoluens vmbra magna terrámque polumque.* TRANSMITTIS SYDERA. aut tranſire facis per te, aut cum ipſa tráſis; quia fixa ſunt ſydera. INDVLGENS REPARARE ANIMVM. dixit quid ſyderibus præſtet, quid etiam mortalibus præbeat dicit. hoc eſt indulgens ocium, quo animus reparatur. vt Ouid. de ſomno libro. xj.

Somne quies rerum, placidißime ſomne deorum.
Pax animi quem cura fugit: qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparáſque labori.

AGILES. celeres. ſumma enim eſt celeritas illis redeundi: celeres ergo in noſtro officio quo agimur. TV MIHI PERPLEXIS Q. ERRORIS. quia oraculum de generis erat obſcurum. ADVEHIS ALMA FIDEM. reſponſa Apollinis ſoluis. VETERIS FATI. Præteriti reſponſi. ADSISTAS OPERI PRECOR. vt nuptiarum beneficium compleas.

DIMENSIS ORBIBVS. finitis annis ſingulis anniuerſarium illi ſacrum pollicetur. vt Virgil. *Annua vota tamen.* LVSTRALIAQVE EXTA. pinguia. *Luſtralia* ergo *pecora* ſunt, quæ per quinquennale tempus deuota ſacrificiis nutriuntur: & ideo pinguia.

SALVE PRISCA. F. TRIPODVM. *Tripos* ſpecies eſt lauri, tres habens radices, Apollini

conſecrata, propter triplicẽ vim diuinationis. nam & ſol præterita videlicet & præſentia cernit, & futura viſurus eſt. Eſt etiam *tripos* menſa Apollinis, corio Pytonis ſerpentis tecta. PRISCA. magna. OBSCVRIQVE RECESSVS. pro voluntate deorum aut oraculi fide latente: metonimia, per id quod efficit, id quod efficitur. DEPRENDI FORTVNA DEOS. agnoui oraculum. CANIS. albis. vt Horat. *Canis albicat ora pruinis.* Virg. *Canis cum montibus humor liquitur.* ADOLERE FOCOS. verbum proprie eſt ſacra reddentium: quod ſignificat votis vel ſupplicationibus numen auctius fieri. Ergo *adolere* accumulare. Virg. *Adolet dum altaria.* INSTAVRARE IVBET. renouare, ſacrificium celebrare: vt intelligamus ſuperiore die vota Apollini perſoluta, quæ nunc aduentu iuuenum præcipit renouari, in honorem Apollinis. VARIO. vt Maro. *Centum aræ totidémque pares ætate miniſtri.* EMVNIRE THOROS. inſtruere. TAPETAS. genere maſculino. vt Virgil. *Pulchroſue tapetas.* Tertio declinatur hoc nomen *Tapetum ti.* & hoc *tapetis.* vnde eſt, *Qui forte tapetibus altis extructus.* declinatur & Græce ὁ τάπης τάπητος, à qua declinatione eſt hic accuſatiuus. *Leuare.* lucidas facere. vt Virgil. *Leuato lucida ferro.* MENSAS. pro vaſculis poſuit. TENDVNT AVRATIS VINCVLA LYCHNIS. vitandæ humilitatis aucupio lucernas noluit dicere. Sic Maro. *Dependent lychni laquearibus aureis.* Indignum enim hoc heroo carmine fuerat.

Parte alia iuuenes ſiccati vulnera lymphis
Diſcumbunt: ſimul ora notis fœdata tuentur,
Inque vicem ignoſcunt. tunc rex longæuus Aceſten
(Natarum hæc altrix, eadem & fidiſſima cuſtos
Lecta ſacrum iuſtæ Veneri occultare pudorem)
Imperat acciri, tacitáque immurmurat aure.

SICCATI VVLNERA LYMPHIS. Secundum Virgil. lota aqua vulnera ſiccata dixit. vt *Vulnera ſiccabat lymphis.* ALTRIX. nutrix. IVSTAE VENERI. legitimas nuptias dixit. TACITA. Nomen pro aduerbio, tacite aut fideliter.

Nec mora præceptis. cùm protinus vtraque virgo
Arcano egreſſæ thalamo (mirabile viſu)
Pallados armiſonæ, Pharetratáque ora Dianæ
Aequa ferunt, terrore minus. noua deinde pudori
Viſa virûm facies; pariter pallórque, rubórque,
Purpureas hauſere genas, oculíque verentes
Ad ſanctum rediere patrem. poſtquam ordine menſæ
Victa fames, ſignis perfectam, auróque nitentem
Iaſides pateram famulos ex more popoſcit,
Qua Danaus libare deis, ſeniórque Phoroneus
Aſſueti. tenet hæc operum cælata figuras.
Aureus anguicomam præfecto Gorgona collo
Ales habet. iam iámque vagas (ita viſus) in auras
Exilit, illa graues oculos, languentiáque ora
Penè mouet, viuóque etiam palleſcit in auro.

Hinc Phrygius fuluis venator tollitur alis.
Gargara deſidunt ſurgenti, & Troia recedit.
Stant mœſti comites, fruſtráque ſonantia laxant
Ora canes, vmbrámque petunt, & nubila latrant.
Hanc vndante mero fundens, vocat ordine cunctos
Cælicolas. Phœbum ante alios, Phœbum omnis ad aras
Laude ciet comitum famulúmque euincta pudica
Fronde manus. cui feſta dies, largóque refecti
Thure vaporatis lucent altaribus ignes.

TERRORE MINVS, id eſt, ſine terrore. pulchritudinem potuit dare deæ, poteſtatem vero non potuit præbere mortali. Senſus vero talis eſt. Quantum ad pulchritudinem, Mineruæ & Dianæ ſimiles erant, quantum ad terrorem minores. NOVA DEINDE PVDORI. noua facies, id eſt, peregrinorum viſa eſt pudicis virginibus: quæ propter pudorē & palluerunt, & rubuerũt. PVRPVREAS. pulchras. HAVSERE. conſumpſere: quia deſierunt eſſe purpureæ. VERENTES. verecundiam patientes. AD SANCTVM REDIERE PATREM. Primo patrem, poſt iuuenes, & item patrem aſpexerunt. mores expreſſit erubeſcentium: qui ſi nouam viderint faciem, ſtatim ſuos oculos ad notam ſibi perſonam retorquent. IASIDES. patronymicum, ab antiquis ducibus dictum, qui ante Danaum fuit, Iaſi filius. Iaſus & Phoroneus antiqui reges Argiuorum fuere, qui primi Iunoni ſacrificauerunt. popoſcit ergo Adraſtus ex more pateram, qua aſſueuerant Argiuorum antiqui principes diis libare. vt Virgil. *Impleuitque mero pateram quam Belus, & omnes à Belo ſoliti.* CAELATA. inſculpta. AVREVS. Perſeus ſignificatur, *aureus* ideo, quia in auro erat ſculptus, qui volatu dicitur veniſſe ad interficiendum Gorgona. quod ideo fingitur, quia nauigio venit. Nam hæc duo inter ſe reciprocantur: vt Virg. *Velorum pandimus alas.* Idem alibi: *Nare per æſtatem.* ITA VISVS IN AVRAS. ad probationem rei tanquam verum eſſet expoſuit. GRAVES OCVLOS. morituros: & quia omnem vim nocendi in oculis habebat, quærebat occiſa ſectorem. ad admirationem finxit & ſenſum. VIVO. fuluo. quod viui colorem habebat, quum pallidus mortui habeat colorem. admiratur autem quod cum in viuo ſit picta mors, tamen pallore torpeſcat. HINC PHRYGIVS VENATOR. Ganymedes Troeli regis & Callirhoes filius, quem Iuppiter dilexit, & per aquilam rapuit, & adhibitus eſt miniſterio Deorum, remota Hebe Iunonis filia. hinc Virgil. *Et rapti Ganymedis honores.* GARGARA. ſummæ partes Idæ montis, quaſi Carcara, id eſt capitis: caput. κάρη enim Græce caput vocatur. STANT MOESTI COMITES. vt Virgil. *Longæui palmas nequicquam ad ſydera tendunt.* COMITVM FAMVLVMQVE MANVS. id eſt amicorum & ſeruorum multitudo. PVDICA FRONDE. id eſt lauro pulchra, propter Daphnen, quæ virgo permanſit. fuit autē filia Penei, fluminis Theſſaliæ, quam cum Apollo amaret, & illa fugeret, Deorum miſeratione in laurum conuerſa eſt, quæ in tutela Apollinis eſſe dicitur. CVI FESTA DIES. Apollinis ſ. vt eſt, *feſta velamus fronde per vrbem.*

Forſitam ô iuuenes quæ ſint ea ſacra, quibúſque
Præcipuum cauſis Phœbi obteſtemur honorem,
Rex ait, exquirunt animi. non inſcia ſuaſit
Relligio; magnis exercita cladibus olim
Plebs Argiua litant; animos aduertite, pandam.
Poſtquàm cærulei ſinuoſa volumina monſtri
Terrigenam Pythona Deus ſeptem orbibus atris

Amplexum

Amplexum Delphos, ſquammiſque annoſa terentem
Robora, Caſtaliis dum fontibus ore triſulco
Fuſus hiat, nigro ſitiens alimenta veneno,
Perculit, abſumptis numeroſa in vulnera telis,
Cyrrhæique dedit centum per iugera campi.
Vix tandem explicitum; noua deinde piacula cædis
Perquirens, noſtri tecta haud opulenta Crotopi
Attigit. huic primis, & pubeſcentibus annis
Mira decore pio, ſeruabat nata penates.
Intemerata toris; felix, ſi Delia nunquam
Furta, nec occultum Phœbo ſociaſſet amorem.
Namque vt paſſa Deum Nemeæi ad fluminis vndam,
Bis-quinos plena cùm fronte reſumeret orbes
Cynthia, ſydereum Latonæ fœta nepotem
Edidit: ac pœnæ metuens (neque enim ille coactis
Donaſſet thalamis veniam pater) auia rura
Eligit, ac natum ſepta inter ouilia furtim
Montiuago pecoris cuſtodi mandat alendum.

Forsitan o ivvenes. Senſus talis eſt. Credo ſanctiſſimi iuuenes, vnde nobis ſint ſacrorum iſta ſolemnia, animos veſtros velle cognoſcere. Sinvosa volvmina. ſpacioſa. longum hyperbaton, *Poſtquam perculit.* Terentem. crebris amplexibus tenuantem. Castaliis. magnæ arbores iuxta Caſtalium fontem ſunt, qui in Beotia eſſe dicitur, Muſis conſecratus. Nigro sitiens alimenta veneno. quærens accipere alimenta, vt augeret venena. Veneno enim proficit, quicquid acceperit ſerpens bibendum: vt ſupra, *Sulphureas permiſerat anguibus vndas.* Crotopi. hic rex Argiuus fuit, qui Apollinem Typhonis cæde pollutum expiauit: huic filia Pſamate fuit, cum qua Apollo concubuit, de quo compreſſu edidit, ac mox editum partum expoſuit. quod Apollo indignanter accipiens, in vindictam iniuriæ ſuæ iniecit monſtrum, quod Chorœbus occidit. Decore pio. ex natura venienti, non fucis aut cura decorato. Servabat nata penates. Pſamaten dicit Crotopi filiam. Servabat. poſſidebat. vt Virgil. *Sola domum & tantas ſeruabat nata penates.* Foelix si Delia nvnqvam fvrta. id eſt, felix ſi nunquam fuiſſet Apollinis perpeſſa concubitus. Ad flvminis vndam. morem habent poetæ, vt ex diis genitos, ſuper fluminum ripas memorent eſſe conceptos, vt facilis nimirum poſſit eſſe ablutio. Virgil. *Tu ne ille Aeneas quem Dardanio Anchiſæ, Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad vndas.* Bis qvinos. vult poeta monſtrare legitime editum partum puerperæ: auctore Virgilio, *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.* Terent. *virgo ex eo compreſſu grauida facta eſt: menſis hic decimus eſt.* Nepotem. qui ex Apolline naſcebatur. Cvstodi. huius in hiſtoria Heleni nomen inuenitur.

Non tibi digna puer generis cunabula tanti
Gramineos dedit herba toros, & vimine querno
Texta domus. clauſa arbutei ſub cortice libri
Membra tepent, ſuadétque leues caua fiſtula ſomnos,

Et pecori commune ſolum. ſed fata nec illum
Conceſſere larem. viridi nam ceſpite terræ
Proiectum temere, & patulo cœlum ore trahentem
Dira canum rabies, morſu depaſta cruento,
Diſsicit. hic verò attonitas vt nuntius aures
Matris adit, pulſi ex animo genitórque, pudorque,
Et metus. ipſa vltro ſæuis plangoribus amens
Tecta replet, vacuúmque ferens velamine pectus
Occurrit confeſſa patri. nec motus, & atro
Imperat infandum cupientem occumbere leto.
Sero memor thalami, mœſtæ ſolatia morti
Phœbe paras. monſtrum infandis Acheronte ſub imo
Conceptum Eumenidum thalamis: cui virginis ora,
Pectoráque, æternum ſtridens à vertice ſurgit
Et ferrugineam frontem diſcriminat anguis.
Hæc tam dira lues nocturno ſquallida paſſu
Illabi thalamis, animáſque à ſtirpe recentes
Arripere altricum gremiis, morſuque cruento
Deueſci, & multum patrio pingueſcere luctu.

Clavsa arbvtei. quaſi indumenta eius eſſent ex libris & arbuto. *Arbuteis* ergo pro ligneis poſuit. nam arbutus tegmen non habet. Et pecori commvne. vt oſtenderet pecori paſtorique domum eſſe communem. vt Iuuenal. *Et pecus & dominos communis clauderet vmbra.* Sed fata nec illvm concessere larem. id eſt, fatorum neceſſitas puerum viuere nec in indigno loco permiſit. vt Virg. *Oſtendunt terris hunc tantum fata, nec vltra eſſe ſinunt.* Temere. caſu, periculoſe. Et patvlo coelvm ore trahentem. vt Virg. *Et patulis captauit naribus auras.* Pvlsi ex animo. Conſcientiæ hæc ſunt tria ſupplicia. verecundia, pudor, & ſupplicii metus. hæc omnia mortui filii dolor excluſit. Vacvvmqve ferens velamine pectvs. id eſt, ſciſſis veſtibus nudauerat pectus. Nec motvs. vel paterna admonitione, vel luctu. Infandvm. abſolutè dixit. vt Virgil. *Pecudéſque locutæ infandum.* Sero memor thalami. bene *ſero*, quia poſt mortem eius iniuriam vindicauit: ſiue quod eam vlciſci magis voluerit, quam tueri. Solatia morti. *ſolatia* pro vltione poſuit. Æternvm. aduerbium eſt, id eſt, ſemper. Ferrvgineam. nigram. ſenſus eſt: ferrugineam frontem anguis diſcriminat, quaſi à media fronte conſurgat; vt quod facit vitta in crinibus fœminarum, hoc in monſtri capite anguis faciat. Noctvrno. quod noctu incederet. nam quaſi infernum monſtrum vitabat aſpectum lucis. A stirpe recentes. mox natas, id eſt, pueriles animas. vt oſtenderet quam rem dolor Apollinis vindicaret.

Haud tulit armorum præſtans, animíque Chorœbus,
Séque vltro lectis iuuenum, qui robore primi
Famam poſthabita faciles extendere vita,
Obtulit. illa nouos ibat populata penates

Portarum in biuio. lateri duo corpora paruũm
Dependent, & iam vnca manus vitalibus hæret,
Ferratique vngues tenero ſub corde tepeſcunt.
Obuius huic, latus omne virum ſtipante coronâ,
It iuuenis, ferrúmque ingens ſub pectore diro
Condidit: atque imas animæ mucrone coruſco
Scrutatus latebras, tandem ſua monſtra profundo
Reddit habere Ioui. iuuat ire, & viſere iuxta
Liuentes in morte oculos, vterique nefandam
Proluuiem, & craſſo ſquallentia pectora tabo,
Qua noſtræ cecidere animæ. ſtupet Inacha plebes,
Magnáque poſt lachrymas etiamnum gaudia pallent.
Hic trabibus duris, ſolatia vana dolori,
Proterere exanimes artus, aſpróſque molares
Deculcare genis: nequit iram explere poteſtas.
Illam & nocturno circùm ſtridore volantes
Impaſtæ fugiſtis aues, rabidámque canum vim,
Oráque ſicca ferunt trepidorum inhiaſſe luporum.

POSTHABITA. quibus facile eſt famam morte mercari. vt Virg. *En hic eſt animus lucis contemptor, & iſtam qui vitam bene credat emi*, quaſi dicat: qui enim vitam ſpernit, famam acquirit. NOVOS. quos nondum vaſtauerat. IN BIVIO. aditus ex illa parte & hinc patens. Virg. *Vt biuias armato obſidant milite fauces.* PARVVM. pro paruorũ. ET IAM VNCA MANVS VITALIBVS HAERET. Horum viſcera lacerare iam cœperat. FERRATIQVE VNGVES. duri. PROFVNDO. inſatiabili, qui ſemper mortuos rapit. HABERE IOVI. vtique Plutoni. vt *Sacra Ioui ſtygio.* VISERE IVXTA. quia viuo monſtro cominus accedere non licebat. PROLVVIEM. cadaueribus humanis vteri confectam proluuiem.

QVA NOSTRAE CECIDERE ANIMAE. Ad ſuperiora reſpondit. id eſt, qua aluo. PALLENT. aut propter monſtrum, quia horrore ſui etiam poſt mortem timeri cœperat. aut pallor, qui ex luctu & timore inerat hominibus, tantus fuit, vt nec poſt gaudia ſedaretur, quæ ſolent immutare hominum vultus. MOLARES. id eſt, natos ad molarum vſum lapides. eo quod natura ſunt aſperi. Virg. *Vaſtiſque molaribus inſtant.* DECVLCARE. de alto illidere, ſiue deprimere. NEQVIT IRAM EXPLERE POTESTAS. licentia ſecuri aſpectus ſatiari irâ non poterat. IMPASTAE FVGISTIS AVES. eleganter *impaſtæ* per hyperbolen dixit. Nec etiam eſurientes abſtinuiſtis, ne ſatiatæ abſtinuiſſe crederentur. hic ergo aut propter formam, aut propter fœtorem fugiſſe impaſtas volucres dixit.

Sæuior in miſeros fatis vltricis ademptæ
Delius inſurgit, ſummáque biuerticis vmbra
Parnaſſi reſidens, arcu crudelis iniquo
Peſtifera arma iacit, campóſque, & celſa Cyclopum
Tecta, ſuperiecto nebularum incendit amictu.
Labuntur dulces animæ. mors fila ſororum

Enſe metit, captámque tenens fert manibus vrbem.
Quærenti quæ cauſa duci, quis ab æthere leuus
Ignis, & in totum regnaret Sirius annum?
Idem author Pæan rurſus iubet ire cruento
Inferias monſtro iuuenes, qui cæde potiti.

BIVERTICIS PARNASSI. qui in duos diuiditur colles. INIQVO. irato. CYCLOPVM TECTA. velut cyclopum. Idonee enim omnia conſtructa ædificia, *Cyclopæa* dixit antiquitas. NEBVLARVM INCENDIT AMICTV. id eſt, morbo vitiauit ſeu polluit. *amictu nebularum*, aëre peſtilenti. MORS FILA SORORVM ENSE METIT. Non iam pollice fila rumpuntur, ſed ad ſæuiendum in facinus, ferro exſecantur. Tanta feſtinatio mortis fuerat. vt Lucan. *Sed languor cum morte venit.* FERT MANIBVS VRBEM. hoc eſt, in vrbe dominatur, DVCI. Crotopo. LEVVS IGNIS. iniquiſſimus peſtilentiæ furor: ſiue Syrius, qui temporibus certis videri peſtilens ſolet, nunc ſibi anni ſpatia vindicaret. IVVENES QVE CAEDE POTITI. id eſt, qui peremerant monſtrum.

Fortunate animi, longúmque in ſæcula dignè
Promeriture diem! non tu pia degener arma
Occulis, aut certæ trepidas occurrere morti.
Comminus ora ferens Cyrrhæi in limine templi
Conſtitit, & ſacras ita vocibus aſperat iras.

FORTVNATE ANIMI. apoſtrophe ad ipſum iuuenem, qui pro patria optauit mori. DIGNE PROMERITVRE DIEM. *digne* aduerbium eſt. COMINVS ORA FERENS. cum ob declinandam mortem poſſet ſe Chorœbus occulere, propior tamen ſe Apollini furenti obtulit, de pœna ſecurus.

Non miſſus Thymbræe tuos ſupplexue penates
Aduenio. mea me pietas, & conſcia virtus
Has egere vias. ego ſum qui cæde ſubegi
Phœbe tuum mortale nefas; quem nubibus atris,
Et ſqualente die, nigra quem tabe ſiniſtri
Quæris inique poli. quod ſi monſtra effera magnis
Cara adeo ſuperis, iactúraque vilior orbi
Mors hominum, & ſæuo tanta inclementia cælo eſt,
Quid meruere Argi? me me, diuum optime, ſolum
Obieciſſe caput fatis præſtabit. an illud
Lene? magis cordi, quod deſolata domorum
Tecta vides? ignique datis cultoribus omnis
Lucet ager? ſed quid fando tua tela, manúſque
Demoror? expectant matres, ſupremáque fiunt
Vota mihi. ſatis eſt, merui ne parcere velles.

NON MISSVS TYMBRAEE TVOS. Tymbræus dicitur Apollo, ab herba tymbra, quæ in templo Troados abundat. MISSVS. humilis, deiectus, aut coactus. ſed ſponte huc veni, non ad ſupplicium, ſed magis ad iracundiam tuam laceſſendam.

PENATES. pro templo poſuit. nam penates hominum ſunt, deorum templa: ſed hic per diffinitionem *templum* domus deorum. MEA ME PIETAS. pietatem poſuit, quia ciues ſuos internectione monſtri ſeruauerat. VIRTVTEM. quia non timebat interitum: aut quia virtute monſtrum occiderat. NEFAS MORTALE. Eleganter oſtendit ſe culpa carere peccati, ſiquidem nil ſanctum violauerit: cum conſtet nefas peremptum fuiſſe mortale. SINISTRI POLI. corrupti aëris, ſiue nullum habentis remedium ſanitatis.

INIQVE. iniuſtè, quod pro aliena culpa alios punis. VILIOR ORBI. cui orbis iactura vilior eſt: id eſt diis, quibus vilius damnum ſit homines perire, quam monſtra. INCLEMENTIA. iracundia. vt Virg. *Inclementia diuum.* QVID MERVERE ARGI. cur pro aliena culpa punis innoxios. ME ME DIVVM OPTIME. pro ſalute ciuium ſe obtulit puniendum. vt Virgil. *Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum. Diuum optime.* per ironiam dictum. non enim conueniebat, vt quem ſupra iniquum dixerat, nunc præconio laudis efferret. LENE MAGIS CORDI. iucundum, id eſt, ſi tibi cordi ſunt monſtra magis, quam homines. QVOD DESOLATA DOMORVM. id eſt, orbitatibus vacuas domos & tecta iam penè inania. LVCET AER. ex rogis. ſcil. EXPECTANT MATRES. vt morbus ciuium meo finiatur interitu. SATIS EST MERVI NE PARCERE VELLES. hoc eſt, ſufficit mihi, quod talibus te prouocaui conuiciis, vt dignus veniæ tuæ eſſe non debeam.

Proinde moue pharetras, arcúſque intende ſonoros,
Inſignémque animam leto dimitte. ſed illum
Pallidus Inachiis qui deſuper imminet Argis,
Dum morior, depelle globum. fors æqua merentes
Reſpicit. ardentem tenuit reuerentia cædis
Latoïdem, triſtémque viro ſubmiſſus honorem
Largitur vitæ. noſtro mala nubila cælo
Diffugiunt. at tu ſtupefacti à limine Phœbi
Exoratus abis. inde hæc ſtata ſacra quot annis
Solemnes recolunt epulæ, Phœbeáque placat
Templa nouatus honos. has fortè inuiſitis aras,
Vos quoque progenies. quamquam Calydonius Oeneus,
Et Parthaoniæ, dudum ſi certus ad aures
Clamor iit, tibi iura domus. tu pande quis Argos
Aduenias, quando hæc variis ſermonibus hora eſt.

PROINDE MOVE PHARETRAS. Meretur reus veniam, cum ſibi eligit pœnam. SONOROS. Grauiter ſonantes. *Sonat* enim quod leuiter ſtrepit, *Sonorat* quod grauiter. Vtrunque aduertimus docente Virgil. leuiter, *ſonus excitat omnis ſuſpenſam*: grauiter, *tempeſtatéſque ſonoras.* INSIGNEMQVE ANIMAM. Artificioſa conceſſio, quæ habet quandam correctionem. Si inſignis eſt non meretur vt pereat: & eſt apud Virgil. iſta conceſſio, id eſt. *ſequere Italiam ventis.* addidit terrorem. *pete regna per vndas.* PALLIDVS. Globum peſtilentiæ, antequam moriar diſcute. MERENTES. Bene promeritos ſemper reſpicit æqua fortuna. Nam cum paratus veniſſet ad mortem, Apollinis fauore ſeruatus eſt, quia non merebatur occidi. ARDENTEM. Sæuientem. TENVIT. Repreſſit.

REVERENTIA. Quia iuſtum virum, non ſine pudoris ſui iactura, potuiſſet occidere. SVMMISSVS. Flexus, ſiue miſericordia inclinatus. HONOREM. Id eſt, præmium donatæ vitæ, quod vir fortis, qui ſe ſaluti vouerat ciuium, non libẽter accipit. STVPEFACTI. Virtutis tuæ mirantis audaciam. EXORATVS. *Orare* eſt preces fundere, *exorare* orata meruiſſe. vt Terent. *Orator ad vos venio, ſinite exorator ſiem.* ergo poeta hoc vult intelligi, inuitum Choræbum precibus ciuium a mortis diſceſſiſſe propoſito. STATA SACRA. conſtituta, quæ differri nefas eſt. *Stata* ab eo quod ſtent, neque mutentur, neque differri poſſint. vt Virg. *annus quo differre nefas eſt.* FORTE INVISITIS ARAS. Duce fortuna ad hæc ſacra venitis. OENEVS. Tydeum dicit, Oenei & Altheæ filium. PARTHAONIAE. Regionis AEtholiæ, in qua Prœtus Tydei patruus regnauit. Senſus Oeneus Calydonius & Parthaoniæ tibi iura domus. & ad Polynicem verſus: tu quis ſis indica, quis ad Argos veneris. SI CERTVS AD AVRES. id eſt, ſi bene te audiſſe memini. QVIS. ex quo ſanguine, vel ex quo genere procreatus. QVANDO. Quoniam.

Deiecit mœſtos extemplo Iſmenius heros
In terram vultus, tacitéque ad Tydea læſum
Obliquare oculos. tum longa ſilentia mouit.
Non ſuper hos diuûm tibi ſum quærendus honores
Vnde genus, quæ terra mihi, quis defluat ordo
Sanguinis antiqui, piget inter ſacra fateri.
Sed ſi præcipitant miſerum cognoſcere curæ,
Cadmus origo patrum, tellus Mauortia Thebæ,
Et genitrix Iocaſta mihi. tum motus Adraſtus
Hoſpitiis, (agnouit enim) quid nota recondis?
Scimus ait. nec ſic auerſum fama Mycenis
Voluit iter. regnum & furias, oculóſque pudentes
Nouit, & Arctois ſi quis de ſolibus horret,
Quique bibit Gangen, aut nigrum occaſibus intrat
Oceanum, & ſi quos incerto littore Syrtes
Deſtituunt. ne perge queri, caſúſque priorum
Annumerare tibi. noſtro quoque ſanguine multum
Errauit pietas. nec culpa nepotibus obſtat.
Tu modo diſsimilis rebus mereare ſecundis
Excuſare tuos. & iam temone ſupino
Languet Hyperboreæ glacialis portitor Vrſæ:
Fundite vina focis, ſeruatorémque parentum
Latoiden votis iterúmque iterumque canamus.

DEIECIT. Signum verecundiæ. erubuit Polynices propter parricidium, & matris inceſtum. Indoles venerandi pudoris! agnoſcit crimen familiæ, erubeſcit ne ſimilis iudicetur. ISMENIVS HEROS. Polynices, a fluuio Thebarum. OBLIQVARE OCVLOS. Verecundia cœpit opprimi: quoniam neceſſe erat, vt dedecus generis ſui inimicus agnoſceret. INTER SACRA FATERI. Piaculum eſt ſi audias genitorem. SED SI PRAECIPITANT

CVRAE. Virg. *Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros.* CADMVS ORIGO PATRVM. Eleganter patrem propter infamiam tacuit, auum ſignificaſſe contentus. TELLVS MAVORTIA THEBAE. *Mauortiam* dixit aut propter Martis & Veneris filiam Harmionem: aut fortem ſignificat. vt *ſi patrii quid Martis habes.* aut ad terrigenas referendum eſt, quos conſtat draconis dentibus genitos, qui fuerat in tutela Martis. TVM MOTVS ADRASTVS Motus affectu, quo quis circa hoſpites ſuos ſolet moueri. SCIMVS AIT. Aut quod ipſe Oedipodem aliquando ſuſceperat: aut quod ipſe ab Oedipode fuerat aliquando ſuſceptus. NEC SIC ADVERSVM FAMA MYCENIS. Non ita a nobis ſol aduerſum voluit iter, vt ea quæ longe conſtituti compererint, nos finitimi neſciamus. Virg. *Nec tam auerſus equos Tyria ſol iungit ab vrbe.* REGNVM ET FVRIAS. egregie dictum. qui conſiderato commiſſo iudicarunt ſe dignos eſſe ſupplicio. HORRET. propter nimium frigus. hoc eſt, qui ſub ſeptentrionali plaga ſint conſtituti. GANGEN. fluuius Indiæ. AVT NIGRVM. quaſi eo loci domicilium noctis ſit, vbi eſt ſolis occaſus. SVRTES. ἀπὸ τοῦ σύρειν: Græce σύρειν, id eſt * INCERTO. quia ſubito de mari ſiccus fit locus. DESTITVVNT. Reciprocis meatib⁹ deſerũt CASVSQVE PRIORVM. Non habes notis maculam. Culpa eſt prioris fortunæ, non tua. ERRAVIT PIETAS. In noſtro etiam genere aberrauit. hoc propter Tantalum dicit, ſceleribus nec ſuos quidem caruiſſe maiores. TV MODO DISSIMILIS. Vt non ſis criminoſus, MERERARE SECVNDIS. Senſus: enitendum tibi eſt, vt factis tuis non ſolum parentibus videare diſſimilis, ſed etiam illos facias innocentes. ET IAM TEMONE SVPINO LANGVET. Ophiuchũ ſignificat, qui ſub vrſa eſt; adventu enim diei incipiunt ſydera ſeptentrionis albeſcere. SERVATOREMQVE PARENTVM. Cum reſponſum accepiſſet Thyeſtes, aliter malorum remedium inueniri non poſſe, niſi cum Pelopeia filia concubuiſſet; paruiſſetque reſpõſis, natus eſt ex ea AEgyptus, Clitẽneſtræ adulter, Agamẽnonis parricida.

Phœbe parens, ſeu te Lyciæ Pataræa niuoſis
Exercent dumeta iugis, ſeu rore pudico
Caſtaliæ flauos amor eſt tibi mergere crines:
Seu Troiam Thymbræus habes, vbi fama volentem
Ingratis Phrygios humeris ſubiiſſe molares:
Seu iuuat AEgæum feriens Latonius vmbra
Cynthus, & aſsiduam pelago non quærere Delon:
Tela tibi, longéque feros lentandus in hoſtes
Arcus, & æthereij dono ceſſere parentes
AEternum florere genas. tu doctus iniquas
Parcarum prænoſſe manus, fatúmque quod vltra eſt,
Et ſummo placitura Ioui. quis letifer annus,
Bella quibus populis, mutent quæ ſceptra Cometæ.
Tu Phryga ſubmittis citharæ: tu matris honore
Terrigenam Tityon Stygiis extendis arenis.
Te viridis Python, Thebanaque mater ouantem,
Horruit in pharetris: vltrix tibi torua Megera
Ieiunum Phlegiam ſubter caua ſaxa iacentem
Aeterno premit accubitu, dapibuſque profanis
Inſtimulat: ſed mixta famem faſtidia vincunt.

PHOEBE PARENS. Inuocatio ſiue hymnus Apollinis. LYCIAE PATARAEA. Lyciæ ciuitas eſt Patara, Apollini conſecrata. Vnde Hor. *Lycius & Patareus Apollo*. CASTALIAE. vbi quondam virgo Caſtalia fuit, quam cum Apollo vnice amaret, & vim vellet inferre, in fontem ſe præcipitauit. TYMBRAEVS. Tymbra locus eſt Troiæ; ab herba cognominatus, quam latine puleium dicimus: illic Admeti regis pecus pauit. VOLENTEM. Bene *volentem*, ne putaretur inuitus. IVVAT. Vir. *Saxaque ſubuectare humeris Troiana iuuabit*. LATONIVS VMBRA CYNTHVS. mons Deli, cuius tantam vult eſſe magnitudinem, vt vmbra ſua AEgei maris ambitum protegat. Ipſe enim Latonam ſuſceperat cum adhuc Delos erraret. & eſt ſenſus. Si te non iuuat eſſe in Delo, quæ inſtabilitate ſua hoſpes eſt littorum diuerſorum. LENTANDVS. flectendus. vt Virg. *Lentandus remus in vnda*. DONO CESSERE PARENTES. Apollinem inberbem Philoſophi tradunt, eò quod ipſe ſit ſol. Sol autem ignis eſt, qui nunquam ſeneſcit. Et eſt ſenſus, donò ceſſere ætherei parentes genas æternum florere. PARCARVM PRAENOSCE MANVS. Quia quæcunque fata parant tu noſti, & omne futurum tibi patet. PLACITVRA IOVI. id eſt, quia adhuc decreta non ſunt, quæ ſummo Ioui diſplicere non potuerunt. QVIS LETIFER ANNVS. *Letiferum annum*, famem, morbum, mutationemque regnorum: multa complexus eſt. Quæ mala & ſi diuerſis modis diſtincta ſunt, vnius tamen peſtilentis anni eſſe noſcuntur. TV PHRYGA SVBMITTIS CITHARAE. Marſiam dicit, qui victus ſubmiſſus eſt pœnæ. ſiue inferiorem facis. TYTION. Terræ filius, Latonam Apollinis matrem amaſſe dicitur: ſed ne ſacrilegæ libidinis commento impune potiretur, ab Apolline victus eſt, & deductus ad tartara, cuius iecura vulture tunditur, in æternitatem ſupplicii pullulantibus fibris. Virg. *Nec fibris requies datur vlla renatis*. TE VIRIDIS PYTHON. Aut epitheton eſt ſerpentum, quia virides ſunt, aut veneni plenus. THEBANAQVE MATER. Nioben dicit Tantali filiam, Amphionis vxorem fœcundam, antequam Latonam ſperneret. Nam cum quatuordecim mater filiorum fuiſſet, ingreſſa templum Latonæ, ſe prætulit illi, quæ tantummodo duos peperit. Vnde Apollo iratus filios ſagittis necauit. Diana autem filias: ad vltimum vero matrem. Iuuenal. *Atque eadem ſcropha fecundior alba*. PHLEGIAM. Phlegias filius Martis, qui apud Delphos templum Apollinis incendit: cuius Virgil. meminit, *Phlegiaſque miſerrimus omnis admonet*. AETERNO PREMIT ACCVBITV. Id eſt, ſuper ipſum accumbit, ne quando poſſit requiem capere. INSTIMVLAT. iniicit illi cupiditatem. fames quidem vrget vt capiat, ſed comedere timore faſtidit. Comeſſe enim non ſinitur, cui faſtidium irrogatur. Virg. *Furiarum maxima iuxta accubat, & manibus prohibet contingere menſas*.

Adſis ô memor hoſpitii, Iunoniáque arua
Dexter ames. ſeu te roſeum Titana vocari
Gentis Achimeniæ ritu: ſeu præſtat Oſyrin
Frugiferum: ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mytram.

MEMOR HOSPITII. propter Crotopum. ADSIS. Faueas. SEV TE ROSEVM TITANA VOCARI. dicit Apollinem a diuerſis gentibus variis appellari nominibus. apud Achemenios enim *Titan*, apud AEgyptios *Oſyris*, apud Perſas vbi in antro colitur, *Mytra* vocatur.

SEV PRAESTAT OSYRIN. Secundum Aegyptios, qui *Oſyrin* Solem interpretantur, per quem prouentum frugibus exiſtimant poſſe contingere. quæ ſacra primum Perſæ habuerunt, à Perſis Phryges, à Phrygibus Romani. Apud Perſas Sol proprio nomine *Mytra* dicitur, vt Hoſtanes refert. SEV PERSEI SVB RVPIBVS ANTRI. Perſei ab Achemene, Perſei & Andromedæ filio, qui ibi imperauit; nunc Achemenii. vbi Apollinem *Solem* dicunt, cuius & ſacrorum ritus inueniſſe dicuntur. SVB RVPIBVS. Perſæ in ſpelæis coli Solem primi inueniſſe dicuntur. eſt enim in ſpelæo Perſico habitu cum thyara, vtriſque manibus bouis cornua comprimens; quæ interpretatio ad Lunam dicitur. Nam

indignata

indignata ſequi fratrem occurrit illi, & lumen ſubtexit. His autem verſibus ſacrorum myſteria patefecit. Sol enim, lunam minorem potentia ſua & humiliorem docens, taurum inſidens cornibus torquet. quibus dictis Statius lunam bicornem intelligi voluit, non animalia quibus vehitur. Quod autem dicitur, TORQVENTEM CORNVA, ad illud pertinet, quod ſimulachrum eius fingitur reluctantis tauri cornua retentare: quo ſignificatur lunã ab eo lumen accipere, cum cœperit ab eius radiis ſegregari. INDIGNATA SEQVI TORQVENTEM CORNVA MYTRAM. Prius ordinem dicit, poſtmodum dicit ſenſum. Seu Mytram vocari præſtat ſub Perſei antri rupibus torquentem cornua, indignata ſequi. ſenſus talis eſt, Perſæ in ſpelæis ſolem colunt. & hic ſol proprio nomine vocatur Mytra, quique eclypſin patitur, ideo intra antrum colitur. eſt autem ipſe ſol leonis vultu cum thyara Perſico habitu, & vtriſque manibus bouis cornua comprimens. quæ interpretatio ad lunam dicitur, quæ indignata ſequi fratrem occurrit illi, & lucem ei obſcurat. Nudauit autem myſteriorum partem. Sol ergo quaſi lunam minorem docens, ideo taurum torquet. Mire autem cornua poſuit. vt lunam manifeſtius poſſet exprimere non animal, quo illa vehi figuratur. Sed quia locus non eſt deorum iſtorum ſecreta iuxta tenorem internæ philoſophiæ diſſerere, de figuris tamen quibus creditur, paucis dicamus. Sol eſt ineffabilis, quia principale ſignum inculcat, & frenat leonem ſcilicet, iccirco & ipſe hoc vultu fingitur: vel quod hic Deus cæteros ſui numinis & potentiæ impetu excellat, vt inter reliquas feras leo: vel quia ſit rapidum animal. Luna vero quia propius tauro adhæret adducitque, ideo vacca luna figurata eſt. Cæterum diuini & regij iſti dij, vt comparentur in orbe, ſic ſunt expertes mortalis figuræ, tam hominis, quam belluæ; non habentes initium, terminum, vel quod interpoletur medium; vt dii minores, & reliqui, vt ſuprà ipſe ait, *Mox turba vagorum ſemideûm*. Id enim ratio æternitatis expoſtulat.

EXPLICIT

THEBAIDOS LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI THEBAIDOS.

AT maia genitus ſuperas remeabat ad auras,
Excitúſque Erebo iam ſæuus Laius ibat,
Tireſiæ vultum in ſomnis mentitus & ora,
Armari in fratrem dirum Etheocla perurget:
Perfoſſúmque ſenis iugulum faciémque recludit.
Móxque ſuas thalamis natas ſociauit Adraſtus:
Deiphilen Thydei, Argiam Polynicis amati.
Sed cupidus regni fortem Cadmeius heros
Tydea legatum mittit, qui fœdera fratrem
Poſceret imperij. ille ſuæ non immemor iræ,
Quinquaginta viros legatum obſidere iuſſit,
Quos ſtrauit telis, victor patriámque reuiſit.

INTERPRETATIO.

REDITVS Mercurij cum vmbra Laij per Tænarum, Laconiæ promontorium. Aduentus ipſius vmbræ ad Thebas. Immutatio eius in Tireſiam, & admonitio, vt contra fratrem bella ſuſcipiat. Deſcriptio orientis diei. Pollicitatio Adraſti filiarum ſuarũ in coniugio Polynicis & Tydei. Illorum gratulatoria reſponſio. deſcriptio nuptialis aſcenſus puellarum in Mineruæ templum, vbi & augurium factum futuri belli. Deſcriptio monilis Harmiones, quod gerebat Argia. Polynicis de regno deſiderium. Allocutio coniugis hoc deprehendentis. Mariti conſolatio. Tydei legatio & allocutio apud Etheoclem, de regno repetendo. Allocutio regis negantis. Reſponſio ad bellum inuitantis. Regreſſio eius. Quinquaginta à rege miſſi, qui redeuntem Tydeum occiderent. Deſcriptio rupis Sphyngos. Immiſſi ab Etheocle Tydeo inſidias collocarunt. Pugna Tydei cum omnibus, & eorum interitus. Mineruæ allocutio ad Tydeum. Meonis vnius dimiſſio, ad indicium communis belli. Trophæum Mineruæ factum à Tydeo, eiuſque in laudem Mineruæ hymnus.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER SECVNDVS

Incipit.

INTEREA gelidis Maia ſatus aliger vmbris
Iuſſa gerens magni remeat Iouis. vndique pigræ
Ire uetant nubes, & turbidus implicat aër.
Nec zephyri rapuere gradum, ſed fæda ſilentis
Aura poli: Styx inde nouem circumflua campis,
Hinc obiecta vias torrentum incendia claudunt.
Pone ſenex trepida ſuccedit Laius vmbra
Vulnere tardus adhuc: capulo nam largius illi
Tranſabiit coſtas cognatis ictibus enſis
Impius, & primas furiarum pertulit iras.
It tamen, & medica firmat veſtigia virga.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

INTEREA GELIDIS. Reditũ Mercurij ab inferis poeta deſcribit impeditum, quia nulla re volatus eius adiuuari poterat, craſſioris poli aëre tardante. STYX CIRCVMFLVA. Remeantis numinis impediebat regreſſum. In primo enim libro Iupiter Mercurio vt inferos peteret imperauit, euocarétque vmbram Laii, qua innitente nepotibus furor belli increſceret. GELIDIS VMBRIS. Bene *gelidis*, quia calor in vita eſt, frigus in morte. Virg. *Dilapſus calor atque in ventos vita receſſit.* NEC ZEPHYRI. Zephyros pro omnibus poſuit. *zephyri* ſunt venti, iuxta Græcorum voluntaté nati ex Aſtræo & Aurora, inde Titanes duce Atlante originem trahunt, quos Iuno cauſa Epaphi ex Ioue nati cõtra Iouem excitauit arma ſuſtollere. vnde victi pœnas dederunt adiuuãtibus diis, & Atlãti cœli onus impoſuit. Vnde Vir. *Tanta ne vos generis tenuit fiducia noſtri.* hi auté appel-

lantur diuerſis nominibus tam à Græcis, quam à nobis. Illi *zephyrum*, nos *fauonium* vocamus. Nos *aquilonem*, illi *boream* dicũt. Illi *eurum*, nos *africum* vocamus. AVRA POLI. *Polus* eſt circuitus, qui in ſe totum continet. TORRENTVM INCENDIA. Tardius ab inferis Mercurius remeabat, propter craſſum aera & ſine vento, & propter Stygis impedimenta, & fluuios ardentia fluenta voluentes. PONE. Retro. vt *pone ſubit coniunx*. CAPVLO TENVS. Totus enſis merſus eſt in vulnere Lai, quod ei Oedipus intulit. vt Virgil. *capulo tenus abdidit enſem*. PRIMAS FVRIARVM. id eſt, Exordium furoris filij pater pertulit primus. inflexio. per quod intelligi vult, quæ ſecuta ſunt poſtea fuerunt multo peiora. Iocaſtæ concubitus, Oedipi cæcitas. ET MEDIA. F. V. VIRGA. Caduceũ oſtendit inſigne Mercurii, quo illi medeatur, qui nequeat ambulare. Virg. *hac animas ille euocat Orco pallentes*. VESTIGIA FIRMAT. vt idem. *trunca manum pinus regit & veſtigia firmat*.

Tum ſteriles luci, poſſeſſáque manibus arua,
Et ferrugineum nemus aſtupet, ipſaque tellus
Miratur patuiſſe retro. nec liuida tabes
Inuidiæ, functis quanquam, & lumine caſsis
Defuit. vnus ibi ante alios, cui leua voluntas
Semper, & ad ſuperos (hinc & grauis exitus æui)
Inſultare malis, rebúſque ægreſcere lætis,
Vade, ait, ô felix quoſcunque vocaris in vſus,
Seu Iouis imperio, ſeu maior adegit Erinnys
Ire diem contra, ſeu te furiata ſacerdos
Theſſalis arcano iubet emigrare ſepulchro.
Heu dulces viſure polos, ſolémque relictum,
Et virides terras, & puros fontibus amnes,
Triſtior has iterum tamen intrature tenebras.

ET FERRVGINEVM NEMVS. Horridum. Virgil. *ferruginea ſubuectat corpora cymba*. MIRATVR PATVISSE RETRO. Nouitatem: cum introeuntibus ſolis pateat, deeſſe ipſum iter redeuntibus. vt Virg.

—— Facilis deſcenſus Auerni.
Sed reuocare gradum ſuperáſque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

NEC LIVIDA TABES. Mores inuidentium tangit: & bene *liuorem* dixit, ad animi enim qualitatẽ adiecit. ET LVMINE CASSIS. quaſi nec mortuis defuit, vnde poſſet eſſe inuidia. Non illi defuit qui redeunti inuideret. Ordo hic eſt, Nec liuida tabes inuidiæ defuit defunctis, hoc eſt, mortuis. non recedit à naturæ malo liuor inuidiæ. vt Virgil. *Inuidia infœlix furias amnemque ſeuerum Cocyti metuet*. GRAVIS EXITVS AEVI. Quaſi hoc accipiendum Poeta voluerit, vt intelligamus hunc neſcio quem pro morum ſuorum meritis occidiſſe. & votum eius malæ mentis oſtendit, quod eſſet etiam apud inferos reſeruatum. REBVSQVE AEGRESCERE LAETIS. id eſt, de aliorum felicitate torqueri. Nam cum malis paſceretur alienis, proſperitate tabeſcebat. Terent. *Vt malis gaudeant, atque incommodis alienis ſua vt comparent commoda*. QVOSCVNQVE VOCARIS IN VSVS. In quæcunque obſequia vel remedia vocaris excitus. FVRIATA SACERDOS. Furore correpta maga. qualis deſcribitur à Lucano. ARCANO SEPVLCHRO. Proprio, ſiue inferno. HEV. Interiectio dolentis, ſiue inuidentis alienis bonis. SOLEMQVE RELICTVM. Quem moriens reliquiſti: aut certè nos omnes animæ, dum ad inferos veniremus. VIRIDES

TERRAS. Apud inferos ſteriles ſunt terræ, & cœnoſi fluuij. PVROS FONTIBVS. *puros* dixit, quia ex ſplendidiſſimis fontibus generantur. TRISTIOR. Quod natura humana non tantum gaudet in bonis fruendis, quantum dolet cum his priuata fuerit. INTRATVRE TENEBRAS. Et hoc quaſi inuidus imprecatur. id eſt, non tam diu apud ſuperos moraberis.

Illos vt cœco recubans in limine ſenſit
Cerberus, atque omnes capitum ſubrexit hiatus,
Sæuus & intranti populo: iam nigra tumebat
Colla minax, iam ſparſa ſolo turbauerat oſſa,
Ni Deus horrentem Lethæo vimine mulcens
Ferrea tergemino domuiſſet lumina ſomno.
Eſt locus, Inachiæ dixerunt Tænara gentes,
Quà formidatum Maleæ ſpumantis in auras
It caput, & nullos admittit culmine viſus.
Stat ſublimis apex, ventóſque, imbréſque ſerenus
Deſpicit, & tantum feßis inſiditur aſtris.
Illic exhauſti poſuere cubilia venti,
Fulminibuſque iter eſt. medium caua nubila montis
Inſumpſere latus: ſummos nec præpetis alæ
Plauſus adit colles, nec rauca tonitrua pulſant.
Aſt vbi prona dies longos ſuper æquora fines
Exigit, atque ingens medio natat vmbra profundo,
Interiore ſinu frangentia littora curuat
Tænarus, expoſitos non audax ſcandere fluctus.
Illic Aegæo Neptunus gurgite feſſos
In portum deducit equos. prior haurit arenas
Vngula, poſtremi ſoluuntur in æquora piſces.
Hoc, vt fama, loco pallentes deuius vmbras
Trames agit, nigríque Iouis vacua atria ditat
Mortibus. Arcadij perhibent ſi vera coloni,
Stridor ibi, & gemitus pœnarum, atroque tumultu
Feruet ager. ſæpe Eumenidum vocéſque, manúſque,
In medium ſonuere diem, letíque triformis
Ianitor agricolas campis auditus abegit.

ATQVE OMNIS CAPITVM SVBREXIT HIATVS. Et ad ipſius canis capita referendum eſt. & ad ſerpentum, qui capita eius cingunt. id eſt omnis hiatus horum capitum, quia Cerberus eſt: aut omnis hiatus ſerpentum, quibus caput eius collaque velantur, vt Virgil. *Horrere videns iam colla comaſque.* SAEVVS ET INTRANTI POPVLO. Vt feritatem circa exeuntos exprimeret addidit, *intrantibus ſæuus.* IAM SPARSA SOLO TVR-

BAVERAT. ideſt ſparſa fecerat, hypallage. & hoc iraſcentis eſt. Virgil. *Oſſa ſuper recubans.* Gygantum ſcilicet oſſa inſepultorum. fingitur enim Cerberus cadaueribus paſci. Vt Lucan. *Qui viſcera ſaeuo ſpargis noſtra cani.* FERREA TERGEMINO. Propter trina lumina triũ capitum, quaſi tot illi ſomnos immiſerit, quot capita luminibus armarentur. EST LOCVS INACHIAE. Hæc *topotheſia* dicitur. id eſt fictus locus ſecundum poeticam licentiam. Nam in eiuſmodi deſcriptione, vbi veri loci facies demonſtratur, *topographia* dicitur. vbi fictũ quid venit, *topotheſia*: *coſmographia* dicitur mũdi deſcriptio. MALEAE SPVMANTIS. *Maleum*, promõtoriũ eſt Laconiæ. IN AVRAS IT CAPVT. erigitur. SERENVS. quia nubes excedit, & infra ſe deſpicit. ET TANTVM FESSIS INSIDITVR ASTRIS. ſuper ipſum feſſa aſtra conſidunt. id eſt per eminentiam ſui ſedem præſtat aſtris, rapido curſu fatigatis. Altitudinem voluit exprimere, quaſi illic aſtra requiem ſumant. INTERIORE SINV. Dicit neſcio in qua parte Tænarũ recuruari ad vicẽ portus: in quo refert equos ſuos cõſueuiſſe ſtabulari Neptunũ. eſt hyperbatõ, talis vt ſit ordo: *Et tantũ feſſis inſiditur aſtris. Interiore ſinu frangentia littora curuat Tænarus, expoſitos nõ auſus ſcãdere fluctus. Aſt vbi prona dies lõgos ſuper æquora fines Exigit, atq; ingens medio natat vnda profũdo, Illic AEgeo Neptunus gurgite feſſos In portũ deducit equos.* Conſequens eſt non vt appropinquante nocte Tænarus curuet ſinũ, quia eſt natura montis immobilis: ſed vt illo equos Neptunus ad requieſcendum adducat. ATQVE INGENS MEDIO NATAT. In tantum Tænarum montem elatum dicit, vt meridianis horis, quibus ſol occidui cæli occupat partem, eius vmbra inumbret medium mare. FRANGENTIA LITTORA CVRVAT. Epitheton: quia in littoribus ſolent fluctus frangi. TAENARVS EXPOSITOS. Choriographia. Tænarus locus Laconiæ in quo aditus dicitur eſſe inferorum. vt, *Tænarias etiam fauces alta oſtia Ditis.* & eſt ordo: locus Maleæ ſpumantis. id eſt, iuxta Maleum fluctibus concitatum, eo quod ibi mare ſæuum ſit, vbi eſt promontorium Maleum. Vnde Virgil. *Maleæque ſequacibus vndis.* Inde mons exurgit, qui Tænaros dicitur. NON AVDIENS. Non vltra fines littorum progrediẽs. EVECTI FLVCTVS. Intra Tænarũ. ergo, Tænarus nõ eſt altior fluctibus, vt euectos fluctus & euitet & repellat. ILLIC. in eadem regione. AEGEO GVRGITE. Mari ab AEgeo Neptuni filio Theſei patre. HAVRIT. Ferit. Virg. *latus haurit apertũ.* quo quaſi per tranſitum Neptuni equos mira ratione deſcripſit. DEVIVS VMBRAS TRAMES AGIT. *Trames* itinẽris compẽdium. NIGRI IOVIS. Stygij. hac animæ mortuorum deſtinantur ad Tartara. *deuium* autẽ *tramitem* dixit, quod ſit viuis deuius trames. ET GEMITVS POENARVM. Quas apud inferos nocentes perſoluunt. ATROQVE TVMVLTV. Quia tumultus, qui fit apud inferos, auditur in illo loco. *atro* ergo, quaſi infernali. VOCESQVE MANVSQVE. *manus*, quod flagellis perſonant, dum noxios cædunt: *voces*, ſecundum Maronem, qui ait: *vocat agmina ſæua ſororum.* AGRICOLAS CAMPIS AVDITVS ABEGIT. Quaſi iuxta habitantes terrore ſuo fugauit agricolas.

Hac & tunc fuſca volucer deus obſitus vmbra
Exilit ad ſuperos, infernáque nubila vultu
Diſcutit, & viuis afflatibus ora ſerenat.
Inde per Arcturum, mediæque ſilentia Lunæ
Arua ſuper, populóſque meat. ſopor obuius illi
Noctis agebat equos, trepidúſque aſſurgit honori
Numinis, & recto decedit limite cæli.
Inferior volat vmbra deo, præreptáque noſcit
Sydera, principiúmque ſuum. iamque ardua Cyrrhæ
Pollutámque ſuo deſpectat Phocida buſto

EXILIT. Auræ vitalis afflatu lætior factus eſt. INDE PER ARCTVRVM. Id eſt ſuperior

tibus; *per aclusum*, id eſt per ſeptentrionem. per arctō enim ſolet volare Mercurius, quia ibi maior eſt ventus, & citatiores facit eius volatus. MEDIALQVE SILENTIA LVNAE. Philoſophi lunam eſſe terrā dicunt, quæ circa noſtrum hoc ſolum circulo altiore ſuſpenſa eſt. hæc autē omnia corpora gignit, vtpote quæ vicina ſit cælo. poetæ denique omnes aſſerunt leonem de his polis ortum, quem Hercules proſtrauit, vt etiam Olympus ait, quaſi proximus ſit terris & vltimus. De lunari autem globo apud mortalium genus cæli ratio ignoratur. leuiorem perſtringam, quod hoc diuinum lumen animas tam de aſtris omnibus, quā de omni materia mundi, ſubtracta parte ſuperna, excipit & decipit, quaſi lunam, quæ poſtea ter quinis diebus, vt collegerat, totidem refundit in fratrem. ARVA SVPER. Vt Virgil. *terras inter cælumque volabat.* DECEDIT LIMITE CAELI. Quaſi non ſolū obuius Mercurio ſomnus aſſurgat, ſed veniente tramite certo declinet. INFERIOR. Quia ſuper lunares polos dixerat ire Mercuriū. PRAEREPTAQVE. Nō enim naturæ lege, ſed ferro vita defunctus eſt. POLLVTAMQVE SVO. Illam tangit hiſtoriam: cum deus ſcilicet Mercurius ſomnum caperet, quidam cuius nomen fabulæ tenent, dormienti tetendit inſidias, qui conata peregiſſet, niſi eū filia Palæſtra excitauiſſet: qui cū odio terræ migraſſet ad cælum, creditus eſt obiiſſe: quo facto iniurioſam meruit ſepulturam. ſed melius de Laio creditur, qui cum ad Polybum hoſpitem Phocidis pergeret, occiſus a filio eſt. DESPECTAT PHOCIDA. De iugo Cyrrhæ vidit buſtum ſuum, quod fuerat in Phocide. *Cyrrha* Beotiæ planities eſt, in quo campo Apollini luſtrum datur. *Phocis* ergo in Beotia eſt.

Ventum erat ad Thebas. gemuit prope limina nati
Laius, & notos cunctatur inire penates.
Vt verò excelſis ſuamet iuga nixa columnis
Vidit, & infectos etiamnum ſanguine currus,
Penè retro turbatus abit. nec ſumma Tonantis
Iuſſa, nec Arcadiæ retinent ſpiramina virgæ.
Et tunc fortè dies noto ſignata Tonantis
Fulmine, prærupti cùm te tener Euie partus
Tranſmiſere patri. Tyriis ea cauſa colonis
Inſomnem ludo certatim educere noctem
Suaſerat. effuſi paſſim per tecta, per agros,
Serta inter, vacuóſque mero crateras anhelum
Proflabant ſub luce deum. tum plurima buxus,
Aeráque taurinos ſonitu vincentia pulſus.
Ipſe etiam gaudens nemoroſa per auia ſanas
Impulerat matres Baccho meliore Cithæron.

PENE RETRO. ſignificare voluit: quia vt fama eſt, timet vmbra, quæ paſſa eſt. ET TVNC FORTE DIES. Id eſt, primus natalis Liberi quo fulminata eſt Semele, & execto vtero Liber Iouis fœmori inſertus eſt. ſecundus enim dies natalis Dionyſii ille dicitur, quo exactis menſibus legitimi partus, Iouis eſt productus ex fœmore: quem diem homini ſcire fas non eſt. Qui dithyrābus ideo dicitur. id eſt bis genitus. TYRIIS. Propter Cadmum Tyrium, qui conditor eſt Thebarum. EDVCERE NOCTEM. Vt Virgil. *Noctem cuſtodia ducit inſomnem ludo.* ANHELVM DEVM. ſomnum. Vt Virgil. *multoque iacebat membra deo victus.* AERAQVE TAVRINOS. Nam tympanis, quæ ſunt ex taurina pelle, plus ſonāt cymbala quæ ſunt ex ære. acutiore enim ſunt tinnitu: vt eſt, *tympana vos buxuſque vo-*

cant. BACCHO MELIORE CITHERON. Non ſic irato Baccho, vt cum Agaue occidit filiũ furens: vel meliore, vt ſi qua deliquerit. propter diem ipſe Liber ignoſcat. *Citheron* mons Beotiæ, vbi Liberi patris ſacra celebrantes matres Pentheum diſcerpſerunt. nunc ergo *ſanus* dicit ſine furore.

Qualia per Rhodopen rapido conuiuia cœtu
Biſtones, aut mediæ ponunt conuallibus Oſſæ.
Illis ſemianimum pecus, excuſſæque leonum
Ore dapes, & lacte nouo domuiſſe cruorem
Luxus: at Ogygij ſi quando afflauit Iacchi
Sæuus odor, tunc ſaxa manu, tunc pocula pulchrum
Spargere, & immerito ſociorum ſanguine fuſo
Inſtaurare diem, feſtáſque reponere menſas.

QVALIA PER RHODOPEN. mons Thraciæ. OSSA. mons inter Thraciam & Theſſaliam. BYSTHONES. Thraces a Byſtone rege, vnde Orpheus fuit. aut certe ipſi Thraces. OGYGII. Thebani, ab Ogyge rege aut amne. *Ogygiis* ait *aſpera rebus fata tulere vicem.* ſic Pindarus in ſomniis* opite IωC ΔΕ ΕΥΡΕΝΟΤΟΝ ΝΗΤΗΕ ΤΑΝΕΣΣΙΤΥ.

AFFLAVIT. non apte hic poſuit proprie fulminis verbũ: vt *fulminis afflauit ventis & contigit igni.* IACCHI. Bacchi. Hoc eſt vinum hauſerint. Horat. *Natis in vſum lætitiæ ſcyphis pugnare Thracum eſt.* SAEVVS ODOR. Qui ducit ad facinus.

Nox ea, cùm tacita volucer Cyllenius aura
Regis Echionij ſtratis adlapſus, vbi ingens
Fuderat Aſſyriis extructa tapetibus alto
Membra toro. prò gnara nihil mortalia fati
Corda ſui! capit ille dapes, habet ille ſoporem.
Tunc ſenior quæ iuſſus agit, neu falſa videri
Noctis imago queat, longæui vatis opacos
Tireſiæ vultus, vocémque, & vellera nota
Induitur. manſere comæ, propexáque mento
Canicies, pallórque ſuus. ſed falſa cucurrit
Infula per crines, glaucæque innexus oliuæ
Vittarum prouenit honos. dehinc tangere ramo
Pectora, & has viſus fatorum expromere voces.

NOX EA. Id eſt, talis nox erat tunc Thebanis, qualia conuiuia ſolét Thraces exercere. REGIS ECHIONII. Etheoclis, a rege Thebanorum Echione. CAPIT ILLE DAPES. Aut quia rex, aut quia regnum deſtruxit, aut quia perfidus. ideo quietem capere non deberet. HABET ILLE SOPOREM. Exclamatio: vt *neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ.* quod futurus parricida munera ſecuritatis amplectitur. OPACOS TIRHESIAE VVLTVS. Tirheſias Pericli filius, genere Thebanus, vates: qui fertur in feminam verſus, cum diſceptantibus Ioue & Iunone, vtrum mas an femina maiorem ſentiret coitus voluptatem, nouem

partibus

partibus libidinis dixit fœminam potiorem, & vna virum: ob quod cæcatus eſt a Iunone. eſt & alia talis fabula. In monte Cyllenio Tirheſias dracones coeuntes calcaſſe dicitur. ob id in mulieris figuram verſus, vt Ouid. refert. deinde monitus ſortibus in eundẽ locum * rediit in figuram priſtinam. Eo tempore, vt diximus, inter Iouem & Iunonem fuit certatio, in quo ſexu eſſet maior libido, Tirheſia iudice, qui expertus fuerat vtrumque ſexum: cum Ioui iudicaſſet, illa irata manus eius præcidit & excæcauit. Iupiter fecit, vt ſeptẽ ætates viueret, vateſque præter ceteros mortales veraciſſimus haberetur. VELLERA NOTA INDVITVR. qui ſiniſtra Tirheſiæ videri poterant, non mutauit. vt Virg. *alas exuit & vultu gaudens incedit Iuli.* FALSA CVCVRRIT. id eſt nõ ſua, quaſi vatẽ ſola infula mẽtiretur. OLIVAE. ipſe honos vittarũ glaucæ innexus oliuæ. TANGERE RAMO PECTORA. Etheoclis dormientis.

Non ſomni tibi tempus, iners, qui nocte ſub alta
Germani ſecure iaces: ingentia dudum
Acta vocant, rerúmque graues ignaue paratus.
Tu, veluti magnum ſi iam tollentibus Auſtris
Ionium nigra iaceat ſub nube magiſter,
Immemor armorum, verſantiſque æquora claui,
Cunctaris: iamque ille nouis (ſic fama) ſuperbit
Connubiis, vireſque parat quis regna capeſſat,
Quis neget. inque tua ſenium ſibi deſtinat aula.
Dant animos ſocer augurio fatalis Adraſtus,
Dotaleſque Argi, nec non in fœdera vitæ
Pollutus placuit fraterno ſanguine Tydeus.
Hinc tumor, & longus fratri promitteris exul.
Ipſe deûm genitor tibi me miſeratus ab alto
Mittit; habe Thebas, cæcúmque cupidine regni,
Auſurúmque eadem germanum expelle. nec vltra
Fraternos inhiantem obitus ſine fidere cœptis
Fraudibus, aut Cadmo dominas inferre Mycenas.
Dixit, & abſcedens (etenim iam pallida turbant
Sydera lucis equi) ramos ac vellera fronti
Diripuit, confeſſus auum, dirique nepotis
Incubit ſtratis: iugulum mox cæde patentem
Nudat, & vndanti perfundit vulnere ſomnum.

¶ TV VELVTI MAGNVM. hyperbaton eſt. id eſt, tu cunctaris ita quietem agẽs, vt gubernator dormiens, ventis mare verſantibus. SIC FAMA. id eſt, Fama de eo loquitur: vel notum eſt quod dico omnibus. CAPESSAT. Quaſi perpetuo retenturus. Saluſt. *Expergiſcimini aliquando, & capeſſite rempub.* QVIS NEGET. Id eſt viribus quis neget ibi regnum. DESTINET AVLA. In aula in qua tu iaces, in eadem tuus frater ſibi ſenectutem te pollicetur expulſo. NEC NON IN FOEDERA VITAE. id eſt amicitiarum fœdus. POLLVTVS PLACVIT. Id eſt. Tydeus aduerſum te pactus eſt fœdus. pollutus autem ſan-

guine Menalippi fratris ſui, quem in venatu incautus occiderat, vt Peleus Phocum, vnde reiecta poſt terga manu pingitur, & ille nihilominus talia cogitat, qui tales ſibi quærit auctores. AVSVRVMQVE EADEM GERMANVM. Quæ nunc hortor vt tu facias, ille auſurus eſt. id eſt repetenti regnum nega, quod te exule facturus eſt. AVT CADMO DOMINAS INFERRE MYCENAS. *Cadmo* pro Thebis. *Mycenas* pro Argis. PALLIDA TVRBANT SYDERA LVCIS EQVI. pallentia Solis aduentu. *lucis* id eſt ſolis. PERFVNDIT VVLNERE SOMNVM. *vulnere* pro ſanguine poſuit: non ſomnum perfundere, ſed Etheoclen ipſum dormientem. vulnere ergo ſuo, id eſt Lai ſanguine Etheoclen perfudit, vt eum pollutum ſceleribus imbueret.

Illi rupta quies: attollit membra, toróque
Erigitur plenus monſtris, vanûmque cruorem
Excutiens: ſimul horret auum, fratrémque requirit.
Qualis vbi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, ſomnóſque excuſsit inertes,
Bella cupit, laxátque genas, & temperat vngues,
Mox ruit in turmas, natiſque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum: ſic excitus ira
Ductor, in abſentem conſumit prælia fratrem.

MONSTRIS. pro terroribus poſuit. EXCVTIENS. putans ſe uero ſanguine eſſe perfuſum. HORRVIT IN MACVLAS. quaſi ſæuitiam feritatis macularum præmonſtret horrore. vt Virgil. *comaſque arrexit & hæret Viſceribus ſuperincumbens.* aut certe maculas quæ in retibus texuntur. & explicuit de reticulo variis minutis maculis pleno in horrorē. IN ABSENTEM CONSVMIT PRAELIA FRATREM. vt Virgil. *Et ſperatam præripit hoſtem*: quia iam videbatur peregiſſe bella cum fratre, & ad animum retulit Etheoclis, belli auidum.

Et iam Mygdoniis elata cubilibus alto
Impulerat cælo gelidas Aurora tenebras,
Rorantes excuſſa comas, multúmque ſequenti
Sole rubens: illi roſeus per nubila ſeras
Aduertit flammas, alienúmque æthera tardo
Lucifer exit equo, donec pater igneus orbem
Impleat, atque ipſi radios vetet eſſe ſorori.
Cùm ſenior Talaonides, nec longa morati
Dircæúſque gradum, paritérque Acheloius heros,
Corripuere toris. illos poſt verbera feſſos,
Exceptámque hyemem cornu perfuderat omni
Somnus. at Inachio tenuis ſub pectore regi
Tracta quies. dum mente deos, incæptáque verſat
Hoſpitia, quæ ſint generis aſcita repertis
Fata mouet. poſtquam mediis in ſedibus aulæ

Congreſsi, inque vicem dextras iunxere, locúmque,
Quo ſerere arcanas aptum atque euoluere curas,
Inſidunt. prior his dubios compellat Adraſtus.

MYGDONEIS. Lydiis vel Phrygiis. Titonus enim Lydius fuit, maritus Auroræ. Vnde Virgil. *Titoni croceum linquens aurora cubile.* eſt ergo Mygdonia regio in finibus Aſiæ, a rege Mygdono. SERAS FLAMMAS. Hoc eſt Auroræ flammas, Lucifer ſerus. Siue ad comparationem dixit cæterorum ſyderum, quia omnibus ſtellis tardius occidit Lucifer. ADVERTIT. Id eſt ad eam, & contra eam vertit. LVCIFER EXIT EQVO. nam verſo cælo ad aduentum auroræ, cum cætera ſint apud antipodas, Lucifer ſolus apud nos inuenitur, hoc eſt, alienum æthera, qui eſt diei, quod cælum ſtellis nocte conceſſum eſt. ergo Lucifer officio ſuo nocte non fungitur, cum eum oriri conſtet prope lucis aduentum: hinc alieno æthere videtur exoriens. RADIOS VETAT ESSE SORORI. Vt Virg. *& fratris radiis obnoxia ſurgere luna.* DYRCEVS. Polynices, a Dirco fonte Thebanorum. ACHELOIVS HEROS. Tydeus, ab Acheloo fluuio, qui per AEtholos fluit in Calydonem. CORRIPVERE THORIS. cauſa cur tardius Tydeus & Polynices a ſomno ſurrexerint, Adraſtus vero celerius. AT INACHIO. Notanda elegantia poetæ, qui tres duces fluuiorum cognominibus deſignauit. Dyrceum, Polynicem, Acheloum. Tydeum, Inachum, Adraſtum. ARCANAS APTVMQVE. Venerunt ad locum aptũ, & ſecretũ fabulis vel curis. Nã ideo, quod in ſecretis locis curæ publicæ differãtur, ad hoc electa loca *curias* nominauit antiquitas.

Egregij iuuenum, quos non ſine numine regnis
Inuexit nox atra meis, quibus ipſe per imbres
Fulminibus mixtos, intempeſtúmque tonantem
Has meus vſque domos veſtigia fecit Apollo:
Non equidem obſcurum vobis, plebíque Pelaſgæ
Eſſe reor, quantis connubia noſtra procorum
Turba petat ſtudiis. geminæ mihi namque, nepotum
Læta fides, æquo pubeſcunt ſydere natæ.
Quantus honos, quantúſque pudor (ne credite patri)
Et ſuper heſternas licuit cognoſcere menſas.
Has tumidi ſolio, & latè dominantibus armis
Optauere viri. longum enumerare Phareos
Oebalióſque duces, & Achæa per oppida matres
Spem generis. nec plura tuus deſpexerat Oeneus
Fœdera, Piſæiſque ſocer metuendus habenis.
Sed mihi nec Sparta genitos, nec ab Elide miſſos
Iungere fas generos. vobis hic ſanguis, & aulæ
Cura meæ, longo promittitur ordine fati.
Di bene, quod tales ſtirpémque animóſque venitis,
Vt reſponſa iuuent. hic duræ tempore noctis
Partus honos. hæc illa venit poſt verbera merces.

INVEXIT NOX ATRA MEIS. Quos per imbres & per fulmina non ſine fato in regnum meum Apollo perduxit. INTEMPESTIVMQVE TONANTEM. Hoc eſt vehementer tempeſtiuum, hyemalem. & contra Virg. cum clemẽtiam verni temporis vellet oſtendere ait: *Iuppiter & læto deſcendit plurimus imbri.* LAETA FIDES. Ordo, Argia & Deiphile geminæ mihi natæ pubeſcunt; nepotum læta fides. NE CREDITE PATRI. Ne laudare magis videretur, quam verum dicere, fidem ſuam voluit ipſis teſtibus approbare. HONOS. Pulchritudo. vt Virg. *Lætos oculis afflauit honores.* SVPER. Pro inter. HAS TVMIDI SOLIO. Imperio ſuperbi; & artificioſe, ne videatur hos procerum inopia generos elegiſſe, ait ſe multos repudiaſſe & honore præſtantes. LONGVM ENVMERARE PHEREOS OEBALIOSQVE. Accipiamus Laconicos. Oebalus enim rex Laconum fuit. ACHAEA PER OPPIDA MATRES. Athalantem ſignificat Parthenopei matrem. TVVS DESPEXERAT OENEVS. Oeneus Tydei pater, cuius Deianira filia à multis in coniugium exoptata procis: pro qua Hercules & Achelous Aetholiæ amnis certaſſe dicuntur. Deianiram ergo Oenei & Aetheſiæ filiam, vno tempore in coniugium petebant Hercules & Achelous, acceptaque lege ab Oeneo, vt qui virtute ſuperaſſet, Deianiram duceret. Congreſſi in certamine cum ſuperaretur Achelous ab Hercule, per diuerſas mutatus eſt figuras. Oeneus Tydei pater, ideo ait *tuus*. PISEISQVE. Enomaus Martis filius, propter Hippodamiam filiam procos ſuos victos curuli certamine morte afficiebat, ad reliquorum terrorem. ideo hunc metuẽdum dixit. STIRPEMQVE ANIMOSQVE VENITIS. Figura Græca vſus eſt. Illi enim ſic dicunt, *venit doctus ſapientiam.* TALES. Quaſi fortes & nobiles. VT RESPONSA IVVENT. Vt me delectet tales generos Apollinis reſponſo meruiſſe.

Audierant: fixóſque oculos per mutua paulum
Ora tenent, viſique inter ſeſe ordine fandi
Cedere. ſed cunctis Tydeus audentior actis
Incipit. ô quàm te parcum in præconia famæ
Mens agitat matura tuæ, quantúmque ferentem
Fortunam virtute domas. cui cedit Adraſtus
Imperiis? quis te ſolio Sicyonis auitæ
Excitum infrenos componere legibus Argós
Neſciat? atque vtinam his manibus permittere gentes
Iuppiter æque velis, quas Doricus alligat vndis
Iſthmos, & alterno quas margine ſummouet infra,
Non fugeret diras lux interciſa Mycenas,
Sæua nec Eleæ gemerent certamina valles.
Eumenidéſque aliis aliæ ſub regibus, & quæ
Tu potior Thebane queri. nos verò volentes,
Expoſitique animis. ſic interfatus, & alter
Subijcit; anne aliquis ſoceros accedere tales
Abnuat? exulibus quamquam patriáque fugatis
Nondum læta Venus, tamen omnis corde reſedit
Triſtitia, affixique animo ceſſere dolores.
Nec minus hæc læti trahimus ſolatia, quàm ſi
Præcipiti conuulſa noto, proſpectet amicam

Puppis humum. iuuat ingreſſos felicia regni
Omina, quod ſupereſt fati vitæque laborum
Fortuna tranſire tua. nec plura morati,
Conſurgunt, dictis impenſius aggerat omne
Promiſſum Inachius pater, auxilióque futurum,
Et patriis ſpondet reduces inducere regnis.

SED CVNCTIS TYDEVS AVDENTIOR ACTIS. Talis vbique monſtrabitur, etiam tempore quo ei moriendum eſt. Senſus talis eſt: dum ſibi inuicem detulerunt, pendebat amborum ore loquendi principium. dubitabant ergo quis prior deberet incipere. quod intellectum eſt ex eo, quod mutuis ſe intuebantur aſpectibus. O QVAM TE PARCVM IN PRAECONIA FAMAE MENS AGITAT. ordo, ô quã te parcũ agitat mens matura in præconia famæ tuæ. Hoc eſt pudore nimio plurimum tuis laudibus detrahis. FERENTEM Feliciter præcedentem. FORTVNAM DOMAS. quæ ſolet alios ſecundis rebus extollere. Virg. *Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis*. CVI CEDIT ADRASTVS. quippe quo nullus potior inuenitur. QVIS TE SOLIO SICYONIS AVITAE. Ciuitas Achaiæ, in qua primo regnauit, & vnde Argos rogatus Adraſtus aduenit, vt mores barbaros naturæ ſuæ lenitate componeret. ISTHMOS. Peloponeſum ſignificat. Omne enim quod ſummouet Helladen à Sicyonia * adhuc enim illis locis Theſei vatem legunt, vbi eſt Peloponeſus Sicyonia. Senſus ergo talis eſt. Si tua manſuetudo illis gentibus præſideret, nunquam Mycenæ fraterno ſcelere potuiſſent fugam ſolis ſcire. INFRA. intus. & infra Aegeum dicit mare & Ionium, quæ Iſthmos diuidit. id eſt, alias gentes, quæ ſunt intra & extra Iſthmon. SAEVA NEC ELEAE. Elea ciuitas eſt Oenomai, cuius crudelitatem deteſtatur, quod in petitores filiæ ſuæ Hippodamiæ crudelis extiterit. ET QVÆ. de quibus impietatibus & tu Thebane Polynices queri poteris. NONDVM LAETA VENVS. Quod ſuperius deeſt, hic redditur. Iuuat læta Venus. docet poeta infelices felicibus iunctos fortunam ſuperare, & incõmoda vitæ contra fata poſſe tranſire. Sic Cicero in Philippicarum primo. *Multa etiam contingunt præter naturam, præterque fatum.* Et hoc diuerſum eſt: Nam qui putant quod infelices felicibus iunctu immutant fortunã fatave ſuperant: vel ipſius felicitatis factos ſe ſine fato eſſe participes, hoc non eſt. Nã vt miſer iungeretur felici homini per quem ad bonũ ſtatum peruenire potuiſſet, id ipſum fati fuit. vt Virg. *fata per Ænea, & Lauſo Parcæ fila legunt*, & alibi totum iunxit fatum præpoſito. *fatáque fortunáſque virum moréſque manúſque.* denique infinitos ſcimus fidos caróſque potentibus, cùm eſſent humiles laborum, potentia omni priuatos fato prohibente. & alios nuper agnitos, & nullius rei fructu, multa bona ab eiſdem meruiſſe. NONDVM LAETA VENVS. quia felicium iſta ſunt vota. RESEDIT TRISTITIA. Bene præſentibus gaudiis præterita oblitus eſt, quo oſtenditur humana varietas. NEC MINVS HAEC LAETI. Notandum quod comparationem miſcet allocutioni, vt ſuprà. *Tu veluti magnum ſi iam tollentibus auſtris Ionium.*
PROSPECTET AMICAM. Suffecerat addidiſſe *humum*, niſi iungeret *amicam*. vt Plautus in Menechm. *Voluptas nulla eſt nautis Meſſenio*
Maior, meo animo, quam quando ex alto procul
Terram proſpiciunt. Maior eſt, non dicam dolo,
Quam ſi aduenient terram conſpiciat, quæ fuerit tua.

FORTVNA TRANSIRE TVA. Sub tutela fortunæ tuæ; hoc eſt iunctos felicibus infelices poſſe aduerſa ſuperare. dicunt ergo lætari ſe, quod futuras ærumnas ſuas felicitatis eius proſperitate valeant euitare.

Ergo alacres Argi, fuſo rumore per vrbem
Aduenisse duci generos, primíſque Hymenæis

Egregiam Argiam, nec formæ laude ſecundam
Deiphilen, tumida iam virginitate iugari
Gaudia mente parant. ſocias it fama per vrbes,
Finitimíſque agitatur agris, procul vſque Lycæos,
Parthenióſque ſuper ſaltus, Ephyræáque rura:
Nec minus Ogygias eadem dea turbida Thebas
Inſilit. hæc totu perfundit mœnia pennis:
Labdaciúmque ducem præmiſſæ conſona nocti
Territat, hoſpitia, & thalamos, & fœdera regni,
Permixtúmque genus. (quæ tanta licentia monſtro?
Quis furor eſt?) iam bella canit. diffuderat Argos
Expectata dies. læto regalia cœtu
Atria complentur. ſpecies eſt cernere auorum
Cominus, & viuis certantia vultibus æra.
Tantum auſæ proferre manus. pater ipſe bicornis
In læuum prona nixus ſedet Inachus vrna.
Hunc tegit Iaſiúſque ſenex, placidúſque Phoroneus,
Et bellator Abas, indignatúſque Tonantem
Acriſius, nudóque ferens caput enſe Corœbus,
Toruáque iam Danai facinus meditantis imago.
Exin mille duces. foribus cùm immiſſa ſuperbis
Vnda fremit vulgi. procerum manus omnis, & alto
Quîs propior de rege gradus, ſtant ordine primi.
Interior ſacris calet, & ſonat aula tumultu
Fœmineo. caſta matres cinxere corona
Argolides. pars virginibus circùm vndique fuſa
Fœdera conciliant noua, ſolantúrque timorem.

PRIMIS HYMENEIS. Virg. *cui pater intactam dederat primíſque iugarat ominibus.* TVMIDA IAM VIRGINITATE. matura. GAVDIA MENTE PARANT. id eſt, dum votis deos exagitant, videntur parare quod gaudeant. ordo ergo, alácres Argi gaudia mente parant. LYCAEOS PARTHENIOSQVE. montes Arcadiæ. & in Lycæo templum eſt Panos, in quo natus aſſeritur. Vnde Virgil. *Panos de more Lycæi.* famam ergo ait in hæc loca penetraſſe. EPHYRAEAQVE RVRA. Corynthiorum regioni confinia, extrema poſuit. Corynthus namque à mari Arcadiã, à terra Peloponeſum claudit. EADEM DEA TVRBIDA. Velox fama. OGYGIAS. Thebas, non montes Ogygios, ſed locum vbi Thebæ ſunt conſtitutæ. PERFVNDIT. rumoribus implet. LABDACIVM. Etheoclem: patronymicum ab auo Oedipi, huius proauo. CONSONA NOCTI. Conuenientia, vt nihil à ſomniis diſcreparent. conueniens ergo cum ſomno præcedentis noctis, qua à Laio in Tireſiæ effigiem mutato, Etheocles fuerat admonitus: vel ipſa fama conſona præmiſſæ nocti, id eſt quæ nuper exacta eſt, qua Laius auus futura viſus eſt commonere. Conſona inter conuenientem famam cum præmiſſis Laii, qui ait ſuperius: *dant animos ſocer, augurio fatalis Adra-*

ſtis dotaléſque Argi. IAM BELLA CANIT. Canit vbique ſubaudiendum de eo, quod dicturus eſt. *Quis furor eſt iam bella canit.* CERNERE AVORVM. Cominus imagines auorum cernere eſt operæ-precium. deſcriptio eorum, quorum ſtatuæ in domo Adraſti fuerant conſtitutæ: vt Virg. *Quinetiam veterum effigies ex ordine auorum, Antiqua cedri. d. i p. ſ.* CERTANTIA VVLTIBVS AERA. Virgil. *Et viuos ducunt de marmore vultus.* TANTVM AVSAE PROFERRE MANVS. vt imitatentur vitam. quaſi contra naturam feciſſent, quod addidiſſent æti ſpiritum. PLACIDVSQVE PHORONEVS. Quod primus Iunoni ſacrificaſſet. IASIVSQVE SENEX. Etiam hic rex Argiuorum fuit. ET BELLATOR ABAS. Abantis filius Prœtus, cuius filiæ Prœtides furore immiſſo à Venere boues ſibi ſunt creditæ: quas Melampus expiauit. COROEBVS. Hic eſt, qui ne Argi peſtilentia laborarent, Apollini ſe perimendum obtulit, & veniam meruit. FERENS CAPVT. Vel ſuum altius ferens, vel illius quod occiderat monſtri. TORVAQVE IAM DANAI. Danaus Beli filius ex pluribus coniugibus quinquaginta filias habuit, totidemque Ægyptus frater eius filios, qui Danaum fratrem filias ſuis filiis in matrimonium poſtulauit. Danaus reſponſo comperit, quod generi ſui manibus interiret, Argos profectus eſt, & primum dicitur nauem feciſſe, à cuius nomine *Argo* dicta eſt nauis. Ægyptus miſit filios ſuos ad perſequendum fratrem, hiſque præcepit vt aut Danaum interficerent, aut ad ſe non redirent (vt Agenor filio imperauerat) qui poſteaquam venerunt Argos, cœperunt patruum oppugnare. Danaus poſteaquam vidit ſe reſiſtere non poſſe, filias ſuas fratris ſui filiis ſpopondit vxores. quæ patris iuſſu viros vniuerſæ ſuos interfecerunt, ſola Hypermneſtra Lynceo pepercit. INDIGNATVSQVE TONANTEM. Acriſius rex Argiuorum fuit, qui filiam habuit nomine Danaen, quam, poſteaquam eſt à Ioue vitiata, pater intra arcam incluſam in mare præcipitauit: quæ delata ad Italiam inuenta eſt à piſcatore cum Perſeo, quem illic enixa fuerat, & oblata eſt regi, qui eam ſibi fecit vxorem, cum qua etiá Ardeam condidit. QVIS PROPRIOR DE REGE GRADVS. Quiſquis regem affinitate contingit, id eſt, proceres, & illi qui regibus genere iungebantur, & ſtabant primi vt ſingulorum ordo poſcebat, & generis gradus. STANT ORDINE PRIMI. alto ordine ſtant primi. hos autem dicit, quos Tullius ſic nominauit, qui viuunt in regnis, id eſt, qui regibus obſecundantur. STANT PRIMI. Illi etiá proximi regi ſtabant qui ornabantur generis dignitate. CASTA MATRES. Multitudine religioſa: id eſt, pars matrum virginibus nupturis admixta. FOEDERA CONCILIANT. id eſt ſponſas commendant, & docent eas fœdera nuptiarum.

Ibant inſignes vultúque, habitúque verendo,
Candida purpureum fuſæ ſuper ora pudorem,
Deiectæque genas: tacitæ ſubit ille ſupremus
Virginitatis amor, primæque modeſtia culpæ
Confundit vultus. tunc ora rigantur honeſtis
Imbribus, & teneros lachrymæ iuuere parentes.
Non ſecus ac ſupero pariter ſi cardine lapſæ
Pallas, & aſperior Phœbi ſoror, vtraque telis,
Vtráque torua genis, flauòque in vertice nodo,
Illa ſuas Cyntho comites agat, hæc Aracintho.
Tunc, ſi fas oculis, non vnquam longa tuendo
Expedias, cui maior honos, cui gratior, aut plus
De Ioue; mutatóſque velit tranſumere cultus,
Et Pallas deceat pharetras, & Delia criſtas.
Certant lætitia, ſuperoſque in vota fatigant

Inachidæ ; quæ cuique domus , ſacríque facultas,
Hi fibris , animáque litant , hi ceſſite nudo,
Nec minus auditi,ſi mens accepta meretur,
Thure deos ; fractiſque obtendunt limina ſiluis.

VERENDO. Virginali. DEIECTAEQVE GENAS. In terram intuentes præ pudore. PRIMAEQVE MODESTIA CVLPAE. Culpam putant amiſſionem virginitatis. TENEROS PARENTES. Timidos,quia delectauerunt Adraſtum filiarum lachrymæ. erat etiam pudoris inſigne in vota trepidare. ET ASPERIOR PHOEBI SOROR. fratre aſperior, quia ille citharæ,illa venatibus operam dedit. ILLA SVAS CYNTHO COMITES AGAT. *Cynthus* Deli mons eſt,Dianæ ſacer,vnde *Cynthia* Diana dicta eſt. ARACYNTHVS. Atticæ regionis mons,Mineruæ ſacer. TVNC SI FAS. id eſt ſi liceat.quoniam mortalibus conceſſum non eſt videre cœlicolas. FATIGANT. diu inuocant. vnde Horat. *preceque fatigent virgines ſancta minus audientem carmina Veſtam.* FACVLTAS. vnuſquiſque pro viribus ſuis vota faciebat. NEC MINVS AVDITI. Senſus, nec minus auditi ſunt illi, qui thure Deos placant, illis qui hoſtias immolarent. Victimarum enim loco ſola etiam bona conſcientia Diis litatur. Sicut Perſius. *Compoſitum ius faſque animi , ſanctóſque receſſus mentis, & incoctum generoſum pectus honeſto.*

Ecce metu ſubito(Lacheſis ſic dura iubebat)
Impulſæ mentes , excuſſáque gaudia vulgi,
Et turbata dies. innuptam limine adibant
Pallada , Monichiis cui non Argiua per vrbes
Poſthabita eſt Lariſſa iugis.hic more parentum
Iaſides, thalamis vbi caſta adoleſceret ætas,
Virgineas libare comas,primóſque ſolebant
Excuſare thoros.. celſam ſubeuntibus arcem
In gradibus ſummi delapſus culmine templi,
Arcados Euhippi ſpolium,cadit æreus orbis,
Præmiſſáſque faces,feſtum nubentibus ignem,
Obruit, eque adytis ſimul exaudita remotis,
Nondum auſos firmare gradum, tuba terruit ingens.
In regem conuerſi omnes formidine prima,
Mox audiſſe negant; cunctos tamen omina rerum
Diræ mouent, variíſque metum ſermonibus augent.
Nec mirum. nam tu infauſtos donante marito
Ornatus Argia geris, dirúmque monile
Harmiones; longa eſt ſeries, ſed nota malorum,
Proſequar vnde nouis tam ſæua potentia donis.

LACHESIS. Vnam pro omnibus poſuit. PALLADA MONICHIIS. Quæ Pallas non minus diligit Lariſſam, quam Monichiam. *Lariſſa* autem opidum Adraſti,in quo nunc

nuptiæ fiunt, non illa Theſſaliæ, vnde Achilles dicitur natus. LIBARE. vel conſecrare, vel aliquid templis appendere. Virgil. *ſacrum tibi paſcere crinem*, id eſt nutrire. PRIMOSQVE SOLEBANT EXCVSARE TOROS. Vel in templo Mineruæ ſolebant virgines nupturæ placare deam, quæ ſit fautrix virginitatis & excuſare quod neceſſitate & lege naturali nubere cogebantur. ARCADOS EVHIPPI SPOLIVM. Euhippus rex Argiuorum miræ felicitatis fuit, cuius clypeum qui apud Argos nobiliter rem geſſiſſet accipiebat, vt illo per vrbem incedens honeſtaretur. Vnde prouerbium apud illos, cum alicuius ignauiam irriderét, vt Callimachus ait.* ΑΞΙΟΣ ΑΣΠΙΔΟΣ ΤΗΣ ΕΝ ΑΡΓΕΙ. Hoc nunc ſpolium dicit faces nuptiales extinxiſſe, cum careret vera ominis ratione: quia nuptias bella dirimerent. EQVE ADYTIS SIMVL. Virgil. *& mugire adytis cortina recluſis*. MOX AVDISSE NEGANT. Vt homines ſuſpicioné ſedarent, more vulgi potentibus blandientes, audiſſe ſe negant, quæ conſtabant gaudiis obfutura. ORNATVS ARGIA GERIS. Dicit non eſſe admirandum, quod aduerſum omen accideret. ſiquidem Argia vxor Polynicis funeſtum monile acceperit, quod Thebis veniens ad Argos extulerat: & repetit originé huius muneris, quod à Vulcano Veneri fabricatum fuiſſe dicitur, & deinde Hermonies fuit, poſtremo reginarum omnium, quæ Thebis vixerunt, quas iſtius monilis omine dicit infeliciter deperiſſe.

Lemnius hæc, vt priſca fides, Mauortia longum
Furta dolens, capto poſtquam nihil obſtat amori
Pœna, nec vltrices caſtigauere cathenæ,
Harmonies dotale decus ſub luce iugali
Struxerat. hoc docti, quamquam maiora laborant
Cyclopes, notique operum Thelchines amica
Certatim iuuere manu. ſed plurimus ipſi
Sudor. ibi arcano florentes igne ſmaragdos
Cingit, & infauſtas percuſſum Adamanta figuras,
Gorgoneóſque orbes, Siculáque incude relictos
Fulminis extremi cineres, viridúmque draconum
Lucentes à fronte iubas: hic flebile germen
Heſperidum, & dirum Phrixei velleris aurum.
Tum varias peſtes, raptúmque interplicat atro
Tiſiphones de crine ducem, & quæ peſſima Ceſton
Vis probat. hæc circum ſpumis lunaribus vngit
Callidus, atque hilari perfundit cuncta veneno.

HARMONIES DOTALE DECVS. Vt illa puniretur quæ ex adulterio Martis & Veneris nata eſſet: huiuſmodi enim venenis infecerat illud monile Vulcanus, vt neceſſe eſſet hoc monile geſtanti ærumnarum mole opprimi. hoc eſt enim vſa eſt Harmonie, Agaue, Iocaſta, Semele, Argia, vltimo Eriphile. Nam ad Polynicen hoc hereditario iure peruenerat. Quæcunque ergo hoc ornatu vſæ ſunt, graui exitu & ærumnis ſunt affectæ. Sub luce iugali. Id eſt, ſub die nuptiarum quo Cadmo nupſerat. *Docti*. quamquam maiora docti ſunt facere, tamen hoc laborioſe fecerunt. NOTIQVE THELCHINES. Hi tres fratres dicuntur fuiſſe inuidia liuidi, qui cum vicinorum agros viderent prouentu fertiles, natura felices, hos ſparſiſſe dicuntur aquis ſtygiis, vt redderent infœcundos: qua culpa pœnam metuentes, ſolum verterunt, ſeque ad Cyclopas contulerunt. & eſt ſenſus, in hoc

plurimus eſt Vulcano ſudor, quamuis & Cyclopes in hoc laborauerunt, ipſique Thelchines. Thelchines ergo inuidos ad hoc monile faciendum concordaſſe dicit, vt fieret. PLVRIMVS IPSI SVDOR. Vulcano ſcilicet, vt qui facienda aliqua imperare conſueuerat, perſonam ſumeret fabricantis. Vnde Virgil. *enſem quem Dauno ignipotens Deus ipſe parenti fecerat*, id eſt, per ſe, non per miniſtros. IGNE SMARAGDOS. Virides lapides, quemadmodum *glaucum* pro viridi, ſic *ignem* pro ſplendore poſuit. PERCVSSVM ADAMANTA. id eſt characteribus nocentiſſimis ſculptum. GORGONEOSQVE ORBES. Ita execrandum monile deſcribit, vt huic pulchritudinem conferat atque terrorem. Nam Gorgoneos orbes poſuit inſtar oculorum, vt ad monſtri ſpeciem ſtupefaceret intuentes magnitudo & pulchritudo gemmarum. FVLMINIS EXTREMI CINERES. Hoc eſt, qui perfecto fulmine ſuperfuiſſent, quaſi hoc perniciosiores eſſent. Conſtat enim hoc monile poſt fulmina fabricatum de fragmentis. VIRIDVMQVE DRACONVM. Id eſt, iuuenum, vel venenoſorum. HIC FLEBILE GERMEN HESPERIDVM. In Æthiopia ſpecioſiſſimum pomarium Atlanti fuit, in quo naſcebantur mala aurea, quæ Heſperides cuſtodiebant, Ægle, Aretuſa, Heſperie, & draco peruigil (acceperat autem reſponſum vt ea quandoque ex Ioue genitus raperet) nihilominus tamen fides reſponſi explicata eſt: miſſúſque eſt ab Euriſteo rege Hercules Iouis filius, qui ea mala abſtulit, occiſo peruigili Dracone. Diximus poetam omnia contuliſſe, quæ gratiam facerent & timorẽ. ideo etiam aurum vult infame fuiſſe, quo monile compoſitum eſt, vt iure confirmet malũ fuiſſe. PHRYXEI VELLERIS. Phryxus & Helles inſania à Libero obiecta cùm in ſilua errarent, Nebula mater eorũ dicitur veniſſe, & arietem vellere aureo inſignitum exhibuiſſe: in quo prædictos filios ſuos iuſſit aſcendere, & in Colchos ad regem Oetam tranſire, ibique arietem immolare. qui cũ ex præcepto matris aſcendiſſent, illos in pelagus detulit. Helles lapſa nomen ponto dedit. Phryxus matris præcepto parens arietem immolauit, pellémque auream Martis templo dicauit. quam Iaſon, Æſonis filius, cum Argonautis dicitur petiiſſe. hunc Oeta rex libens recepit, filiámque ei dedit vxorem. Et cùm ex ea liberos ſuſcepiſſet, veritus eſt Oeta ne ſe regno deiiceret, quod ei reſponſum ex prodigiis fuerat, vt ab aduena Aeoli progenie mortem caueret, Phryxum interfecit. At filii eius ratem aſcenderunt, vt ad auum Athamãtem tranſirent: quos naufragos Æſon excepit. ET QVAE PESSIMA CAESTON. Etiam vim illam monili permiſcuit, quæ vix cæſton probat: id eſt cuius ſit poteſtatis oſtendit. *Ceſton* enim cingulum dicitur Veneris, quo vtitur ad honeſtas nuptias: & quando virgo Cadmo nupſerat Harmonie, ideo hoc iunxit. Nam ad turpes nuptias Venus dicitur non venire. Ideo *inceſtum* dicitur, quod ſacrato illo Veneris cingulo non fuerit vinctũ. ATQVE HILARI. Id eſt lucido, vt poſſit exinde aliquid fingi lætitiæ, vt eſſet facile, & delectabile, & gratum, latenter autem nocuum & peſtiferum.

Non hoc Paſithea blandarum prima ſororum,
Non decor, Idaliúſque puer, ſed luctus, & iræ,
Et dolor, & tota preſſit diſcordia dextra.
Prima fides operi Cadmum comitata iacentem
Harmonie, verſis in ſibila dira querelis,
Illyricos longo ſulcauit pectore campos.
Improba mox Semele, vix dona nocentia collo
Induit, & fallax intrauit limina Iuno.
Teque etiam infelix perhibent Iocaſta decorum
Poſſediſſe nefas. vultus hac laude colebas,
Heu quibus, heu placitura toris! poſt longior ordo.
Tum donis Argia nitet, viléſque ſororis

Ornatus ſacro præculta ſuperuenit auro.
Viderat hoc coniux perituri vatis, & aras
Ante omnes, epulásque trucem ſecreta coquebat
Inuidiam, ſæuis detur ſi quando potiri
Cultibus, heu nihil auguriis adiuta propinquis.
Quos optat gemitus! quantas cupit impia clades!
Digna quidem, ſed quid miſeri decepta mariti
Arma? quid inſontes nati meruere furores?

NON HOC PASITHEA. Eſt vna Gratiarum. nomina autẽ Graiarum ſunt tria, Paſithea, Aglaie, Euphroſine, Iouis & Harmiones filiæ, Veneris famulæ. PRIMA FIDES OPERI. Periculum huius monilis fidem fecit Harmonie quæ proxime experta eſt. Nam in angues verſa eſt cum marito, ob hanc cauſam, quod Agenoris & Agriopes filius draconem Martis, qui fontem cuſtodiebat occidit. Ideo vult hoc contigiſſe, quia nuptialibus donis hoc monile poſſederat. IMPROBA MOX SEMELE. Vult etiam Semelen infelicitate huius monilis extinctam, & magis ornatus inuidia a Iunone, quam pellicatus inductam, vt a Ioue improbe poſceret, quod nefas eſſet corpus ſuſtinere mortale. Optime autem Semelen improbam dixit, quod voti fuit immodica, vt Iouem vellet videre cum fulmine. TEQVE ETIAM INFELIX. Bene infelix, Quæ non impoſuit per malorum experimenta finem cupiditati. Nam hoc monile Iocaſtam poſt Agauen certum eſt habuiſſe. SACRO AVRO. Execrabili. Virg. *auri ſacra fames.* VIDERAT HOC CONIVNX. Eriphylen dicit, Amphiarai vatis vxorem. ET ARAS ANTE OMNES. Quia apud antiquos ante aras numinum celebrabant iura nuptiarum. & eſt ordo. ante aras & epulas nuptiarum. NIHIL AVGVRIIS ADIVTA PROPINQVIS. *Propinquis* ſiue quia auguris vxor eſt. vel his prodigiis, quæ paulo ante clypei caſu contigerant. nihil proderat inquit quod augurem habebat maritum. nam infauſta cupit. ſecundum illud Virgil. *ſed non augurio potuit depellere peſtem.* QVANTAS CVPIT IMPIA CLADES. Mariti mortem, furorem filij, interitum ſuum. INSONTES NATI MERVERE FVRORES. Alcmæonẽ dicit, qui poſt mortem matris conuerſus eſt in furorem, patre mandante. vt. Iuuenal. *nil pueri faciunt, ipſam configite matrem.* Item Lucan. *Crimine quo parui cædes potuere mereri.*

Poſtquam regales epulas, & gaudia vulgi
Biſſeni cluſere dies, Iſmenius heros
Reſpicere ad Thebas, & iam ſua quærere regna.
Quippe animum ſubit illa dies, qua ſorte benigna
Fratris Echionia ſteterat priuatus in aula:
Reſpiciens deſciſſe deos, trepidoque tumultu
Dilapſos comites, nudum latus omne, fugamque
Fortunæ. namque vna ſoror producere triſtes
Exulis auſa vias, etiam hanc in limine primo
Liquerat, & magna lachrymas incluſerat ira.
Tunc quos excedens hilares, quis cultus iniqui
Præcipuus ducis, & profugo quos ipſe notarat
Ingemuiſſe ſibi, per noctem, ac luce ſub omni

Digerit. exedêre animum dolor iráque demens:
Et quâ non grauior mortalibus addita cura,
Spes vbi longa venit. talem ſub pectore nubem
Conſilio voluens, Dircen, Cadmíque negatas
Apparat ire domos. veluti dux taurus amata
Valle carens, pulſum ſolito quem gramine victor
Iuſsit ab erepta longe mugire iuuenca,
Cum profugo placuere tori, ceruixque recepto
Sanguine magna redit, fractæque in pectore vires,
Bella cupit, ſaltusque, & capta armenta repoſcit,
Iam pede, iam cornu melior. pauet ipſe reuerſum
Victor, & attoniti vix agnouere magiſtri.

HISMENIVS HEROS. Polynices, qui a fluuio Thebano nomen accepit, quem poeta fluuium frequẽter appellat. IAM IAM SVA QVAERERE REGNA. Elegãter ſua, quia & apud Argos ex coniunctione regia imperabat. DESCISSE DEOS. Quaſi dii non innocentes, ſed potentes & feliciores ſequantur: ſic a ſe ad fratrem eſſe traductos. deſciſſe ergo quaſi ab amicitiis, vt ciuitas quæ ad hoſtes decurrit *deſciſſe* dicitur. vt Lucan: *Laſſa triumphis deſcuit fortuna tuis.* NVDVM LATVS. ab amicis deſertum: regum enim ſemper latera ſtipatorum ſatellitumque corona claudebat. NAMQVE VNA SOROR. Antigonem dicit, quã frater ſepeliuit. Nam & Hiſmelen aliam ſororem habuit Polynices. PRODVCERE. Proſequi: vt Virg. *comes produxit.* ET MAGNA LACHRYMAS INCLVSERAT IRA. Id eſt dolore nimio ſiue iracundia lachrymarum clauſerat curſum. vt Virg. *Incluſitque dolor lachrymas.* TVNC QVOS EXCEDENS HILARES. Cogitat diſceſſu ſuo qui gauiſi ſunt, qui doluerunt; omnia inquit hæc in animo reuoluebat, & fratris cultum, & quos ſibi profugo gemuiſſe proſpexerat: ergo ſi aliquibus potuit exilium diſplicere, reuertentem tanto magis poterunt adiuuare. SPES VBI LONGA VENIT. Qua nulla grauior mortalibus cura eſt. Saluſt. *Animo cupienti nihil ſatis feſtinatur.* Cicero, *eripis etiam ſpẽ, quæ ſola homines in miſeriis conſolatur.* hanc enim curarum omnium conſtat eſſe poſtremam. Graue enim tormẽtum eſt ſpes, quæ longa expectatione differtur. Terent. *ſpem precio non emo.* NVBEM. Cogitationum multitudinem, quæ animum ſollicitudinis mole confundunt. DIRCEN. Fontẽ Thebanum, per quem Beotiam debemus accipere. Cadmi autẽ domos, Thebas dicimus. RECEPTO SANGVINE. Id eſt recepta virtute. Lucan. *dum ſanguis inerrat;* dum vis materna peregi. ET CAPTA ARMENTA REPOSCIT. Ab inimico victore.

Non alias tacita iuuenis Theumeſius iras
Mente acuit; ſed fida vias, arcanaque coniux
Senſerat. vtque toris primo complexa iacebat
Auroræ pallore virum: Quos callide motus,
Quamue fugam molirus, ait. nil tranſit amantes.
Sentio, peruigiles acuunt ſuſpiria queſtus;
Nunquam in pace ſopor. quoties hæc ora natare
Fletibus, & magnas latrantia pectora curas
Admota deprendo manu? nil fœdere rupto,

Connubiiſue ſuper moueor, viduáque iuuenta.
(Etſi crudus amor, necdum poſt flammea tori
Intepuere tori) tua me, properabo fateri,
Angit amata ſalus. tune incomitatus, inermis,
Regna petes? poterisque tuis decedere Thebis
Si neget? atque illum ſolers deprendere ſemper
Fama duces tumidum narrat, raptóque ſuperbum,
Difficilémque tibi. nec dum conſumſerat annum.
Me quoque nunc vates, nunc exta minantia diuos,
Aut auium lapſus, aut turbida noctis imago
Territat. ha, memini, nunquam mihi falſa per vmbras
Iuno venit. quo tendis iter? quò conſcius ardor
Ducit, & ad Thebas melior ſocer? hic breue tandem
Riſit Echionius iuuenis, tenerúmque dolorem
Coniugis amplexu ſolatur, & oſcula mœſtis
Tempeſtiua genis poſuit, lachrymásque repreſſit.

MENTE ACVIT. Exercuit, vel in maioré rabiem concitauit. FIDA. Proprium vxoris epitheton. SENSERAT. Argia diſpoſitiones mariti ſenſerat, primo ortu auroræ complexa virum. *Pallorem* dixit coloré croceum. primo enim aurora cum luciferi candore palleſcit, deinde fulgore roſei ſolis afflatur. NIL TRANSIT AMANTES. Virg. *Quis fallere poſſet amantem.* NVNQVAM IN PACE SOPOR. Id eſt dormiens ſemper inquietaris curis. aut hoc dicit: quod noctu cum ſolent homines in quiete eſſe, tu peruigilas, nec admittis ſoporem. pacem enim hic proprie nocturnam quietem aſſeruit. PECTORA CVRAS. Ex magnis curis tumultuantia. ADMOTA DEPREHENDO MANV. lachrymas tantum, an pectoris motus & pulſus? NIL FOEDERE RVPTO. Oratorie: cur enim metuit ſi ſe dicit poſſe contemnere. Virg. *Nil ſuper imperio moueor.* CONNVBIISVE SVPER. figura ſyneresis oratorie facta, quæ euenire timebat hortabatur. vt Virgil. *I ſequere Italiam ventis.* &, *non iã coniugium antiquum quod prodidit oro.* ETSI CRVDVS AMOR. Recens, immaturus, nec dũ temporis longinquitate firmatus. ergo talis eſt ordo: etſi nec dum primis nuptiis calefactus eſt thorus mariti, nec temporis prolixioris acceſſibus feruescit; adeo pauci dies ſunt, ex quo ſunt nuptiæ celebratæ. VIDVAQVE IVVENTA. Id eſt, non propter me dico hoc, licet ſim iuuenilis ætatis, & licet vidua tam cito deſerrar a te, tantum propter tuam ſalutem, ne in aliquo damneris timeo. ANGIT AMATA SALVS. Sic ait vt vincat: quia propter ſuum commodum nil ſuadet, ſed aſſerit ſe angere cauſa mariti, & hoc totum quod ad cautelam mariti proficit, ſibi putat acquiri. INERMIS. aut facultatibus quæ deſunt. aut *Inermis*, non tu inermis, ſed armatorum multitudine deſtitutus. SI NEGET. Ergo ſi negauerit ſubſequens eſt, vt fratris inſidiis pereas. ATQVE ILLVM SOLLERS. ſenſus. Atque illum fama tumidum narrat, quæ ſolet ducum indicare mores. ordo autem; atque illum tumidum narrat fama quæ ſollers eſt reges deprehendere. fama enim ſemper ſtudia illuſtrat, ſemperque maiore diſſimulatione celebrantur. NEC DVM CONSVMPSERAT ANNVM. Qui nec dum conſumpto anno inimicus tibi atque infeſtus fuit, quid cenſes eum nunc moliturũ quippe cum deponendi eum imperii cura ſollicitet. EXTA MINANTIA DIVOS. Quæ deos minãtur iratos. NVNQVAM MIHI FALSA. Iuno enĩ qua Argis præſidet, nec poteſt fallere quos deprehendit. & dicit ſomnum de experimento eſſe vt maritus terreatur. NI CONSCIVS ARDOR DVCIT. Vel alterius coniugis, vel amicæ Inuidioſe quaſi mulier. credidit enim Polynicen aliam Thebis coniugem reliquiſſe. Ni-

hil enim putat niſi amorem vxori præferri poſſe. RISIT ECHIONIVS. riſit Polynices, quod obiecit illi amorem alterius coniugis, more & leuitate muliebri. Quoniam ſemper familiare vxoribus eſt, ſuſpicari maritos ſuos aliarum mulierum illecebris detineri. docet autem poeta obiectis falſis criminibus ridendum potius, quam dolendū. TEMPESTIVA. Oportuna, quaſi tempori conuenientia. LACHRYMASQVE REPRESSIT. Incertum eſt cuius, coniugis an ſuas. ſi ſuas, ne fleret. ſi vxoris, vt eum non fleret.

Solue metus animo, dabitur, mihi crede, merentum
Conſiliis tranquilla dies. te fortior annis
Nondum cura decet. ſciat hæc Saturnius olim
Fata parens, oculósque polo dimittere ſi quos
Iuſtitia, & rectum terris defendere curat.
Fors aderit lux illa tibi, qua mœnia cernes
Coniugis, & geminas ibis Regina per vrbes.
Sic ait. & caro raptim ſe limine profert.
Tydea iam ſocium cœptis, iam pectore fido
Aequantem curas (tantus poſt iurgia mentes
Vinxit amor) ſocerúmque affatur triſtis Adraſtum.
Fit mora conſilio, cum multa mouentibus, vna
Iam potior cunctis ſedit ſententia. fratris
Pertentare fidem, tutóſque in regna precando
Explorare aditus. audax ea munera Tydeus
Sponte ſubit. nec non & te fortiſſime gentis
Aetolum, multum lachrymis conata morari eſt
Deiphile, ſed iuſſa patris, tutique regreſſus
Legato, iuſtæque preces vicere ſororū.

MERENTVM CONSILIIS. Eorum conſiliis, qui merētur imperia gubernare, dabitur mihi regnum. deſiſte inquit de mœrore modo eſſe ſollicita. bene ſic cœpit, quia vxor hoc ſe ſolum timere dixerat, quod pro ipſo faceret.

TE FORTIOR ANNIS. Ordo, te non decet cura quæ tuis annis eſt fortior. SCIAT HAEC SATVRNIVS. Quod futurum ſit Iuppiter nouerit. OCVLOSQVE POLO DIMITTERE. Senſus. hæc ad iuſtitiam cura pertineat, ſi tamen reſpicit terras, id eſt, futura noſtra ſciunt fata & iuſticia, ſi reuera reſpicit terras, aut homines curat. FORS ADERIT LVX ILLA TIBI. Bonus ordo: vt metum coniugis in fine felicitatis promiſſionibus ſolaretur. AFFATVR TRISTIS ADRASTVM. Ordo; Tydea & Adraſtum affatur triſtis. cætera per parentheſin inſerta ſunt. FIT MORA CONSILIO. Id eſt, diu habito tractatu cunctati ſunt, vt multum cogitantibus placeret vna ſententia. id eſt, vtrum bello an legatis peteret regnum Polynices. NAM POTIOR CVNCTIS. Id eſt, melior omnibus ſententia placuit, Etheoclis fidem legatione tentare. EA MVNERA. Legationis officia. TVTIQVE REGRESSVS LEGATO. Quod legatum nefas eſſet interfici. Sacro-ſancta enim ſunt legationis officia, vt inquit Cicero, vt etiam inter hoſtium tela incolumis verſaretur.

Iámque emenſus iter ſyluis ac littore durum,
Qua Lernea palus, ambuſtáque ſontibus alte
Intepet Hydra vadis, & qua vix carmine raro
Longa ſonat Nemea nondum paſtoribus auſis;
Qua latus Eoos Ephyres quod vergit ad Euros,
Siſypheique ſedent portus: iratáque terræ
Curua Palæmonio ſecluditur vnda Lecheo.
Hinc prætervectus Niſum, & te mitis Eleuſis
Leuus habet: iámque arua gradu Theumeſia, & arces
Intrat Agenoreas. ibi durum Etheoclea cernit
Sublimem ſolio, ſeptúmque horrentibus armis,
Iura ferens populo, trans legem ac tempora regni,
Iam fratris de parte dabat, ſed & omne paratus
In facinus, queritúrque fidem tam ſero repoſci.
Conſtitit in medijs: ramus manifeſtat oliuæ
Legatum, causáſque viæ nomenque rogatus
Edidit. vtque rudis fandi, pronúſque calori
Semper erat, iuſtis miſcens tamen aſpera, cœpit.

SYLVIS AC LITTORE. Id eſt, ſyluis quæ erant in littore. aut quia difficile eſt iter per ſyluas & littora. INTEPET HYDRA VADIS. Hic enim in Lernea palude Hydram Hercules igni perdomuit, damnis capitum & vulneribus pullulantem. *Intepuit* ideo, quia cum ferro vinci non poſſet, vulneribus eſt ignis admotus. tepet ergo adhuc quaſi flamma victrice. ET QVAMVIS CARMINE RARO. Senſus: quamuis Nemeeum leonem conſtet Herculis virtute proſtratum, tamen prioris metu periculi interrupit paſtorum timidas cantileuas. QVA LATVS EOOS. Corynthi latus emenſus eſt: & orientem dixit *Eoos*, occidentem *Euros*. SISYPHEIQVE SEDENT PORTVS. Cum inter duo maria montem poſitum crudeli latrocinio Siſyphus occupaſſet (hac enim pœna mortalium paſcebatur, homines prægrauans ingenti ſaxo necare) tãdem ab accolis deorum lege punitus, apud inferos ſaxi quod voluit pœnas exoluit pondere. Portus Corynthus ex vtraque parte duos habet, Siſypheum & Licheum, quos nunc poeta commemorat. IRATAQVE TERRAE. Iſthmon ſignificat, vbi ſe Ino cum Palæmone præcipitauit. *Lycheum* vero promontoriũ Corynthiorum. NISVM. Megaram dixit, in qua Niſus regnauit. Quidam Niſum montem Megarenſium dicunt, in quo Niſus eſt ſepultus, quem ferunt crinem habuiſſe purpureum. ELEVSIS. Oppidum eſt Athenis vicinum, in quo Ceres eximie colitur: vnde ſacra Cereris *Eleuſina* vocantur. Virg. *Tardáque Eleuſiniæ matris voluentia plauſtra.* Ceres cum Proſerpinam filiam ſuam quæreret, venit ad Eleuſinum regem, cuius vxor Cothonea puerum peperit Triptolemum, ſeque nutricem ſimulabat. hanc regina libens nutricem filio ſuo recipit, datque ei nutriendum. Ceres dum alumnum ſuum vellet immortalem reddere, interdiu lacte diuino nutriebat, noctu clam igne eum obruebat. Itaque præterquam ſoliti erant mortales creſcebat. Cum hoc pater miraretur, nocturno tempore obſeruauit; & cum Ceres puerum igne obrueret, pater exclamauit. Illa irata Eleuſinum exanimauit, ac Triptolemo alumno ſuo æternum beneficium contulit. Nam fruges ei propagandas, & currum draconibus iunctum tradidit: quibus ille vectus, orbem terrarum frugibus obſeuit. Poſteaquam domum rediit, Cepheus rex eum tanquam æmulus interficere conatus eſt. Sed re cognita, iuſſu Cereris Triptolemo regnum tradidit, ibique oppidum conſtituit, quod ex patris ſui nomine appellauit Eleuſinum. Cereri ſacta primus

inſtituit, quæ Theſmophoria Grecè appellantur. THEVMESIA. Vel oppidum Tænarum, vel promontorium dicit. de quo ſe Ino cum Melicerto filio præcipitem dedit: quia Græcè Palæmon, Latinè Portumnus dicitur. Arua ergo Theumeſia à campo eiuſdem regionis, Thebis vicino. ET ARCES AGENOREAS. Propter Cadmum conditorem Thebarum, Agenoris filium. TRANS LEGEM. Id eſt, vltra anni ſpatia, quæ ſortitus fuerat, vt primo ipſe regnaret. QVERITVRQVE FIDEM. Oratorie Etheocles in ſuum fratrem tranſtulit crimen, quod tunc demum Polynices depoſcat imperium. dolet ergo quod ceſſantibus legatis, tam ſero frater, viciſſitudinis fidem repoſcat, quod iamdudum negare potuiſſet: vel quod tardius ei perpetrandi parricidii detur occaſio. PRONVSQVE CALORI. Militaribus armis imbutus, ordinem ac modum orationis ignorat. IVSTIS MISCENS TAMEN ASPERA COEPIT. Non blanda locutus eſt, quæ poſſent perſuadere, ſed aſpera quæ magis ad iram accenderent: & oſtendit Tydeum virum fortem militiæ magis quam eloquentiæ operam tribuiſſe.

Si tibi plena fides, ſi dicti cura maneret
Fœderis, ad fratrem completo iuſtius anno
Legatos hinc ire fuit, téque ordine certo
Fortunam exuere, & lætum diſcedere regno:
Vt vagus ille diu, paſſúſque haud digna per vrbes
Ignotas, pactæ tandem ſuccederet aulæ.
Sed quia dulcis amor regni, blandúmque poteſtas,
Poſceris: aſtriferum velox iam circulus orbem
Torſit, & amiſſæ redierunt montibus vmbræ
Ex quo frater inops, ignota per oppida triſtes
Exul agit caſus: & te iam tempus aperto
Sub Ioue ferre dies, terrenáque frigora membris
Ducere, & externos ſummiſſum ambire penates.
Pone modum lætis: ſatis auro diues, & oſtro
Conſpicuus, tenuem germani pauperis annum
Riſiſti. moneo regnorum gaudia temet
Dedoceas, patiénſque fugæ mereare reuerti.

SI TIBI PLENA FIDES. Quia vt ſuprà edoctum eſt, hoc iurauerant fratres, vt annis ſingulis imperium gubernarent. ergo queritur, quod contra legem, aut ſacramentum germano negaret regnum. FORTVNAM EXVERE. Hoc eſt deponere dignitatem. ET LAETVM. non inuitum. PACTAE TANDEM SVCCEDERET AVLAE. Hoc eſt inter vos partitæ. quam ex pacto debitam iam accipere debebat. SED QVIA DVLCIS AMOR REGNI. Id eſt, ſed quia omnibus dulce eſt regnum, vltro rogaris. non dicit quia Polynices cupiditate regnandi coactus eſt te rogare, ne videretur illi maledicere; ſed dicit vitium hoc generale eſt. aut certe illud exequitur. Ignoſcimus tibi quod cupiditate regnandi minime imperium exuiſti; nam hoc vicium commune eſt omnium. Generalia enim vicia veniam facile promerentur. Lucan. *Quicquid multis peccatur inultum eſt.* REDIERVNT MONTIBVS VMBRAE. id eſt, in loco illo ſunt vmbræ, in quo fuerunt illo tempore, quo adeptus es imperium: vt ex conuerſione temporum iam annum tranſiſſe monſtraret. EXVL AGIT CASVS. Oratorie præſens tempus amplexus eſt. AGIT CASVS. hypallage. pro *agitur caſibus*. Virg. *Tot voluere caſus.* SVB IOVE. ſub cælo. Horat. *manet ſub Ioue frigido venator.*

do venator. tamen Iouis non recte cælum dicitur. nam ſi Saturnus pater eiuſdem, cæli & terræ eſt filius; cælum ſic dici poteſt auus ipſius eſſe Iouis potius, quam ipſe Iupiter. AMBIRE. circuire. TENVEM. in quo tenuis fuit & inops. MONEO. iucunda concluſio. moneo inquit vt regnorum gaudia ſponte dediſcas. & dum pateris te aula recedere, propter hanc ipſam patientiam dignus eſſe dicaris, qui recipias dignitatem. Qui enim ſponte accipit & non reddit, cum vi perdiderit, qua audebit fronte repetere? MEREARE REVERTI. id eſt, vt ſis exemplo fratri, & tu profugus videaris ad regnum redire.

Dixerat: aſt illi tacito ſub pectore dudum
Ignea corda fremunt. iacto velut aſpera ſaxo
Comminus erigitur ſerpens, cui ſubter inanes
Longa ſitis latebras, totóſque agitata per artus
Conuocat in fauces & ſquammea colla venenum.
Cognita ſi dubiis fratris mihi iurgia ſignis
Ante forent, nec clara odiorum arcana paterent,
Sufficeret vel ſola fides, qua toruus, & illum
Mente gerens, ceu ſepta nouus iam mœnia laxet
Foſſor, & hoſtiles inimicent claſſica turmas,
Præfuris? in medios ſi comminus orſa tuliſſes
Biſtonas, aut refugo pallentes ſole Gelonos,
Parcior eloquio, & medij reuerentior æqui
Inciperes. neque te furibundæ crimine mentis
Arguerim, mandata refers. nunc omnia quando
Plena minis, nec ſceptra fide, nec pace ſequeſtra
Poſcitis, & capulo propior manus: hæc mea regi
Argolico, nondum æqua tuus, vice dicta reporta.

IGNEA CORDA FREMVNT. more peccantium, qui audire vera non poſſunt. CVI SVBTER INANES. id eſt, quaſi ſerpens diu ſub concauis terrarum latebris ſitim perpeſſa, atrocius gerit venenum. CONVOCAT IN FAVCES. Virus ex omnibus artubus colligit in fauces, & in fauces proprie, quia & hic contrario eiecturus eſt venena verborũ. COGNITA SI DVBIIS. Senſus, ſi mihi eſſent iurgia fratris incognita, orationis tuæ proſecutione, qualis erga me eſſet futurus agnoſcerem. NEC CLARA ODIORVM. quod aperte oſtendit ſuum odium contra me. SVFFICERET VEL SOLA FIDES. id eſt, niſi fratris in me odia, ex orationis tuæ furore agnoſcerem, ad reddenda quæ repoſcis potui fidẽ compelli. QVA TORVVS. id eſt, quanquam deeſt iuſta defenſio loquendi, tamen inuenitur occaſio. vt in Terent. validæ propoſitioni lenonis, quia reſpondere adoleſcens non potuit, minatus eſt cædem. Leno enim dixerat. *Quid ſi illam ego nolo vendere coges me?* contra adoleſcens iuſto argumento lenonis incluſus, calumnioſa ac multum diuerſa reſpondit. *ante ædes non feciſſe erit melius hic conuitium. Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intro arripiere atque ibi vſque ad necem opperiere loris.* LAXET. commoueat, diruat. Talem ſe gerit quaſi iam teneat vrbis ſtatum & euertat. FOSSOR. *foſſores* dicuntur in exercitu cuniculatores, qui cuniculos faciunt, per quos introgreſſi milites murorum fundamenta conuellunt. dicit ergo Tydei orationem illi tempori conuenire, quo iſta fiunt. Ideo ait *Præfuris* id eſt, ante furis. cum adhuc quæ dixerat non agantur. Hucúſque ergo principii tenditur ſenſus. ſi quid de iurgiis fratris odiiſque dubitarem, ſufficeret mihi fides qua præfuris, id eſt, in qua tu valde furis. Nunc autem quid neceſſe

eſt minari, cùm odiorum arcana nudata ſint? AVT REFVGO PALLENTES SOLE GELONOS, *Refugo.* deuio, quia dicuntur Scythæ, quos nunc Gelonos appellat, non habere aëris temperamenta, quia longe à ſole ſubmoti ſunt. hi ſub Septentrione degunt, ad quos vix ſol peruenit, ideo *pallentes.* ET MEDII REVERENTIOR AEQVI nihil enim magis medium eſt quam iuſtitia. Conſiderata ergo reuerentia iuſtitiæ parcior eſſes alloquio. NEQVE TE FVRIBVNDAE. id eſt, non te arguo propter crimina gentis tuæ, agnoſco enim fratris eſſe quæcunque tua proſecutione complecteris. PACE SEQVESTRA. id eſt, media. ET PROPIOR CAPVLO MANVS. hoc dicendo ſignificauit ad bellum potius eſſe vicinos, cum regna magis debuerunt fide repoſcere. Vnde quidam in principio hoc accipiunt non abſurde. *ſufficeret vel ſola fides.* ARGOLICO. dicendo Argolico & non Thebano, inuidioſe fratri præſcripſit, quaſi ibi imperare debeat non Thebis. NONDVM AEQVA. quaſi in comparatione perſecutionis Tydei leuiora mandentur.

Quæ ſors iuſta mihi, quæ non indebitus annis
Sceptra dicauit honos, teneo, longúmque tenebo.
Te penes Inachiæ dotalis regia dono
Coniugis, & Danaæ (quid enim melioribus actis
Inuideam?) cumulentur opes. felicibus Argos
Auſpiciis, Lernámque regas. nos horrida Dirces
Paſcua, & Euboïcis arctatas fluctibus oras,
Non indignati miſerum dixiſſe parentem
Oedipoden. tibi larga Pelops, & Tantalus author,
Nobilitas propiórque fluat de ſanguine iuncto
Iuppiter. anne feret luxu conſueta paterno
Hunc regina larem? noſtræ cui iure ſorores
Anxia penſa trahant, longo quam ſordida luctu
Mater, & ex imis auditus forte tenebris
Offendat ſocer ille ſenex; iam pectora vulgi
Aſſueuere iugo, pudet heu, plebiſque, patrúmque
Ne toties incerta ferant, murentque gementes
Imperia, & dubio pigeat parere tyranno.
Non parcit populis regnum breue. reſpice quantus
Horror, & attoniti noſtro in diſcrimine ciues.

QVAE SORS IVSTA MIHI, *Iuſta* quia maior natu erat. & ideo dicit ſe priorem regnare debuiſſe, quippe natu maiorem: licet placitum fuiſſe dixerimus, vt viciſſim imperium gubernarent, tamen ſorte perfectum eſt, vt aliquis primus acciperet poteſtatem. Sed oratorie Etheocles, quoniam ſcit in ſorte eſſe caſum non iudicium, ſtringit ad hoc, vt merito accidiſſe videatur, non fortuito. ideo ait *iuſta.* TE PENES. Ordo. te penes eſt regia Inachia dono coniugis, hoc eſt quam Danae Argiua poſſideat. hoc autem ideo dictum, vt doceat fratrem habere, quod repetit. INVIDEAM. nolo enim maioribus verbis cumulare, ne videar inuidere. LERNAMQVE REGE. Amymone Danai filia, dum ſtudioſe in ſylua iaculo exerceretur, imprudens Satyrum percuſſit. eam cum Satyrus violare vellet, illa Neptuni implorauit auxilium. quo Neptunus cum veniſſet, fugato Satyro ip-

ſe eam compreſſit, ex quo coitu natus eſt Nauplius. ex Nauplio Palamedes. vnde Virgil. proſapiam repetens ait. *Belide nomen Palamedis.* Neptunus vero cuſpide dicitur, in quo loco Amymonem compreſſerat, terram percuſſiſſe, vnde cum aqua flueret Lernæus fons dictus eſt, & fluuius Amymoni*. HORRIDA DIRCES. memor poeta ſuperiorũ. nam ait. *Dumque vter anguſta ſqualentia iugera Dyrces Verteret.* NON INDIGNATI. oratorie diſputat, quaſi Polynices indignetur felicitate elatus. Senſus ergo, & licet miſerum Oedipum, non tamen indignor patrem vocare. TANTALVS AVCTOR. Tantalus Iouis & Plotidis nymphæ filius. ideoque ait, *Propiórque fluat de ſanguine iuncto Iuppiter.* propter Perſeum vnde Danaes origo maxime trahitur. HVNC LAREM. exiguum & pauperem. OFFENDIT SOCER ILLE SENEX. quaſi ſuperbe & indignaturus talem ſocerum dixit. IAM PECTORA VVLGI. tertia cauſa validior, quare non reddat imperium, in fine eſt collocata, non ſine aliqua ſpecie veritatis. certatur magna cum commendationis ſcema. dicit enim perfidum ſe velle dici, dummodo ſuis ciuibus proſit. PLEBISQVE PATRVMQVE. more Romano locutus eſt, vt primo plebem diceret, poſt patres. REGNVM BREVE. id eſt, breuis adminiſtratio ſucceſſori imperium ſeruare non patitur. & in primo ideo querelam populi induxit, poſſe ambos perdere. QVANTVS HORROR. cum de me agitur, quaſi Thebani timere cœpiſſent, ſi Polynici redderetur imperium.

Hos ne ego, quîs certa eſt ſub te duce pœna, relinquam?
Iratus germane venis. fac velle: nec ipſi
(Si modo notus amor, meritique eſt gratia) Patres
Reddere regna ſinent. Non vltra paſſus, & orſa
Iniecit medius ſermonibus obuia. Reddes,
Ingeminat reddes. non ſi te ferreus agger
Ambiat, aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat. nil tela, nec ignes
Obſtiterint, quin auſa luas, noſtriſque ſub armis
Captiuo moribundus humum diademate pulſes.
Tu merito: aſt horum miſeret, quos ſanguine viles
Coniugibus, natiſque infanda ad prælia raptos
Proiicis excidio bone rex. ô quanta Cithæron
Funera, ſanguineiſque vadis Iſmene rotabis!
Hæc pietas, hæc magna fides: nec crimina gentis
Mira equidem duco. ſic primus ſanguinis author,
Inceſtique patrum thalami, nec fallit origo,
Oedipodes tu ſolus eris: hæc præmia morum
Ac ſceleris violente feres. Nos poſcimus annum.

QVIS CERTA EST SVB TE DVCE POENA RELINQVAM. id eſt, hos tibi ego ad ſupplicium tradam, ſi tamen fueris adeptus imperium, quibus certa eſt pœna meritorũ. merentur enim ſupplicia quod mihi paruerint. FAC VELLE. fac me ad fratrem velle regnũ traducere, ciues non ſinunt. INGEMINAT REDDES. Tydeus tantum hac inuidia orationis egit, vt licet legatus eſſet, iuſte tamẽ mereretur occidi. NON SI TE FERREVS AGGER. nec tibi blandiaris, quod ſis firmiſſimo muro vallatus. Quicquid enim obuium fuerit ſuperabitur noſtra virtute. AMPHION. Amphion Iouis & Anthiopæ filius, lyræ carmi-

nibus ad Thebanos ædificandum muros dicitur ſaxa duxiſſe. DIADEMATE PVLSES. Oratorie. vt felicior pœna ſit mori cum dignitate, quam fraude, poſſedit. AST HORVM MISERET. ciuium. i. tuorum. conciliauerat Ethcocles ſibi animos militum, quos rurſus Tydeus omnes infenſos regi facit, dum dicit ipſum cauſam eſſe bellorum. QVOS SANGVINE VILES. ad mortem faciles. vt Virgil. *Nec animæ viles.* SANGVINIS AVCTOR. primum auctorem eſſe generis Oedipum. nam cuius atrocitatem reprehendimus, maiorum vituperationem ad exaggerandum inuehimus. vt Virgil. *Laomedontiadæ bellum ne inferre paratis.* SED FALLIT ORIGO. Ex diſſimilitudine & bonitate morum, Polynices Oedipi filius non putatur. HAEC PRAEMIA MORVM, id eſt, pœnas & captiuitatem tuorum. NOS POSCIMVS ANNVM. ſubaudi, *ſed tu regna perpetua.* vt Lucan. *Arma tenenti omnia dat, qui iuſta negat.*

Sed moror. hæc audax etiamnum in limine retro
Vociferans, iam tunc impulſa per agmina præceps
Euolat Oenides. vindex ſic ille Dianæ
Erectus ſetis, & adunca fulmine malæ
Cum premeret Pelopæa phalanx, ſaxa obuia voluens,
Fractáque perfoſſis arbuſta Acheloia ripis,
Iam Telamona ſolo, iam ſtratum Ixiona linquens,
Te Meleagre ſubit, ibi demum cuſpide lata
Hæſit, & obnixo ferrum laxauit in armo.
Talis adhuc trepidum linquit Calydonius Heros
Concilium, infrendens ipſi ceu regna negentur:
Feſtinátque vias, ramúmque precantis oliuæ
Abiicit. attonitæ tectorum ex culmine ſummo
Proſpectant matres, ſæuóque infanda precantur
Oenidæ, tacitóque ſimul ſub pectore Regi.

RETRO VOCIFERANS. Senſus, hæc cum egrederetur dicebat, reſpectans in limine. FVLMINE MALAE. propter aduncos dentes, quos more ictus fulmine proſtrauiſſet. PELOPEA PHALANX. Argiua quæ auxilio venerat, vt Ouid. refert. ergo Peloponeſus vicina Oetholiæ. IXIONA. Perithoum ſignificare videtur, Ixionis filium. MELEAGRE. Metatheſis pro *Meleager.* CALYDONIVS HEROS. Tydeus, propria ratio. Calydonius, propter patrum mores & tegumentum. OENIDAE. Oeneus Parthaonis filius, Ætholiæ rex, cuius ciuitas Calydon nobiliſſima; eius ſummam poteſtatem regni turbauit negligentia ſacrorum. annua ſiquidem vota pro imperii fructibus celebrans; numen Dianæ contempſit, propter quod nimia indignatione oppreſſus eſt. vt videretur omnes placaturus, & illam ſolam adoraſſet. ea aprum magnitudinis ſummæ in regionem eius immiſit, qui vaſtatis Calydonis terris, ab vrbe gentis Calydonius appellatus eſt: cuius feritate Oeneus fractus, edictum tale propoſuit, vt dimidiam regni partem caperet, qui monſtrum interemiſſet. Meleagri virtus periculum non expauit. Siquidem is vndique iuuentutem collectam ad illam noui generis expeditionem vocauit, inter quos etiam Atalanta conuenit, Iaſi filia, ſumma venatrix: quæ in ſaltibus prima omnium prædictum aprum ſagitta percuſſit. poſtea Meleager in ſe venientem feram excepit, interemítque. & gratus aduerſus puellam futurus, quæ inter viros ſucceſſu virtutis enituerat, pellem monſtri illius cum capite ei dedit, ad teſtimonium laudis. ſed munus paratum fortitudine, inuidia perdidit. Plexippus namque & Agenor, Meleagri auunculi, indignati ſunt ſibi prælatam fuiſſe vir-

ginem, & eam dono ſpoliauerunt: qua conditione fata ſibi maturauere. Id enim indignatus Meleager, conſanguinitate calcata matris ſuæ fratrem Plexippum occidit, ſibique matris affectum abſtulit. Althæa ſiquidem dum ſæuit in vltionem germanorum, titionē quem habebat occultum (qui cum Meleager naſceretur in regia ſubito traditus fuit à Parcis, vt iuuenis tam diu viueret, quoad is eſſet ſeruatus) mater ignibus merſit, eúmque cum filii fatis extinxit. Quæ poſteaquàm admiſſum nefas agnouit, laqueo vitam finiuit.

Nec piger ingenio ſcelerum, fraudíſque nefandæ
Rector eget. iuuenum fidos lectiſſima bello
Pectora nunc pretio, nunc ille hortantibus ardens
Sollicitat dictis, nocturnáque prælia ſæuus
Inſtruit, & ſanctum populis per ſæcula nomen
Legatum, inſidiis tacitóque inuadere ferro.
Quid regnis non vile cupit? quas quæreret artes
Si fratrem fortuna dares? ô cæca nocentum
Conſilia! O ſemper timidum ſcelus! exit in vnum
Plebs ferro iurata caput. ceu caſtra ſubire
Apparet, aut celſum crebris arietibus vrbis
Inclinare latus. denſi ſic agmine facto
Quinquaginta altis funduntur in ordine portis.
Macte animi! tantis dignus qui crederis armis.

NEC PIGER INGENIO. id eſt, qui ſemper ſolers fuit & peritus ſcelerum, quia inuidioſe aggreſſus fuerat Etheoclen Tydeus, legatus miſſus à Polynice; inde iam cogitat, quemadmodum inſidias præparet. ET SANCTVM. diffinitio legati. & cum exclamatione pronunciandum. vt ſenſum exaggerationis adiuuaret, ſanctum legationis nomen adiecit. QVID REGNIS NON VILE CVPIT. id eſt, putat. Indignatio poetæ auxeſin fecit. dicit enim. quid non vile ducit regnandi cupiditas. O SEMPER TIMIDVM SCELVS. Antea quā fiat de potentia aduerſantis, timidum poſt de conſcientia; iuxta Tull. dicentem. vt, *nihil timeant, qui nihil commiſerint: & pœnā ante oculos verſari putent, qui peccauerint.* TIMIDVM SCELVS. quod niſi à timentibus non committitur. Sed vtrum hoc ad Etheoclen refert, qui quia ſceleratus eſt, Tydeum timet? an ad illos quinquaginta, quos ideo parauerat, quia timebat. denique hoc ſequitur. EXIT IN VNVM PLEBS FERRO. quia inſidiis agitur, & hoc ideo timidum, vt ſit catalogus. *plebs* autem dixit, vt inuidiam numeroſo hoc nomine compararet. EXIT IN VNVM. quia ſcelus commiſſuri pauci timebant, idcirco plures armauerat. At contra vnius Tydei caput plebs iurata conſurgit. MACTE ANIMI. laus Tydei, cuius virtus non vnius inſidiantis dextram poſcit.

Fert via per dumos propior quà calle latenti
Præcelerant, denſæque legunt compendia ſiluæ.
Lecta dolis ſedes. gemini procul vrbe malignis
Faucibus vrgentur colles, quos vmbra ſuperni
Montis, & incuruis claudunt iuga frondea ſiluis
Inſidias natura loco, cæcámque latendi

Struxit opem, mediáſque arctè ſecat aſpera rupes
Semita, quam ſubter campi, deuexáque latis
Arua iacent ſpatiis. contra importuna crepido
Oedipodioniæ domus alitis. hic fera quondam
Pallentes erecta genas, ſuffuſáque tabo
Lumina, concretis infando ſanguine plumis
Relliquias amplexa virum, ſemeſáque nudis
Pectoribus ſtetit oſſa premens, viſóque frementi
Colluſtrat campos. ſiquis concurrere dictis
Hoſpes inexplicitis, aut comminus ire viator
Audeat, & diræ commercia iungere linguæ,
Nec mora, quin acuens exertos protinus vngues,
Liuentéſque manus, fractóſque in vulnere dentes
Terribili applauſu circum hoſpita ſurgeret ora.
Et latuere doli, donec de rupe cruenta
Heu ſimili deprenſa viro, ceſſantibus alis
Triſtis inexpletam ſcopolis affligeret aluum.
Monſtrat ſilua nefas, horrent vicina iuuenci
Gramina. damnatis auidum pecus abſtinet herbis.
Non Dryadum placet vmbra choris, non commoda ſacris
Faunorum, diræque etiam fugere volucres
Prodigiale nemus. tacitis huc greſſibus acti
Deueniunt peritura cohors. hoſtémque ſuperbum
Annixi iaculis, & humi poſita arma tenentes
Expectant, denſáque nemus ſtatione coronant.

FERT VIA PER DVMOS PROPIOR. hoc eſt, ducit via cõpendioſior latente calle. vt Virg. *Olli per dumos qua proxima meta viarum armati tendunt.* PROPIOR. diſtat inter propiorem & viciniorem * vt *Propius res aſpice noſtras.* Cicero in Verr. *Nec quicquid eſt propius factum, qui vt illud exemplum recuſat, de Adriano referetur.* QVA CALLE LATENTI. Docet per compendium inſidiatores proceſſiſſe. GEMINI PROCVL. topographia. MALIGNIS. non his qui obſidere poſſunt, ſed illis quorum cauſa obſidetur. VRGENTVR ARCTE. ſtrictim, aduerbium eſt. IMPORTVNA CREPIDO. feralis, luctuoſa; contra campum trepido erat, id eſt ſaxum eminens. Saxum illud dicit in quo Sphynx fuit: & quærendum vtrum *importuna*, execrandã dixerit. an *importuna*, non conueniens. quia ex ipſo ſaxo inſidiæ videri poterant præparatæ. HIC FERA QVONDAM. Sphynga dicit, quæ in hoc aliquando inſederat ſaxo. ERECTA GENAS. erectas genas habens. SVFFVSAQVE TABO LVMINA. eorum cruore, quos occiderat, orbes oculorum habens ſuffuſos. CONCRETIS. ſolidatis & in vnum redactis abundantia ſanguinis: vt Virg. *Concretos ſanguine crines.* INEXPLICITIS. inexplicabilibus, ſiue obſcuris vocibus habens cõfabulationem. vt Virg. *Varioque viam ſermone leuabãt.* COMMERCIA. ænigmatis illius quod Sphynx propoſuit. *Cõmercium* autẽ proprie eſt mutare inuicem, aut emere, aut vendere: hic nunc iucunde commercium deriua-

nit, vt diceret audire voces & reddere. QVIN ACVENS. ſi non ſoluiſſet præpoſitam quæſtionem. LIVENTESQVE MANVS. peremptorum. ſ. cruore perfuſas. TERRIBILI APPLAVSV. alarum ſonitu. vt Virg. *Plauſumque exterrita pennis dat tecto ingentē.* dicit ergo, Sphynga alarum ſtrepitu deuictos circumuolare conſuetam. HEV SIMILI DEPREHENSO VIRO. vel tam callido, vel tam ſcelerato. hoc eſt, crudeli parricidæ matris marito, qui meruit vt ſe ſponte cæcaret. ergo hoc dixit, ſimili errore, pariter cōſecrando CESSANTIBVS ALIS. motus alarum ſuſpendit. volatum ergo Sphynx alis ceſſantibus diſtulit. AVIDVM PECVS. quamuis auidum. vt Lucan. *Impaſtæ fugiſtis aues.* PRODIGIALE NEMVS. illud quod oſſibus humanis albebat. PERITVRA COHORS. Illos iuuenes dicit, quos Tydeus eſt occiſurus.

Cœperat humenti Phœbum ſubtexere palla
Nox, & cœruleam terris infuderat vmbram.
Ille propinquabat ſyluis, & ab aggere celſo
Scuta virum, criſtaſque videt rutilare comantes.
Qua laxant rami nemus, aduerſáque ſub vmbra
Flammeus æratis Lunæ tremor errat in armis.
Obſtupuit viſis. ibat tamen, horrida tantum
Spicula, & incluſum capulo tenus admouet enſem.
Ac prior, vnde viri? quidue occultatis in armis?
Non humili terrore rogat. nec reddita contra
Vox, fidamque negant ſuſpecta ſilentia pacem.
Ecce autem vaſto Chromij contorta lacerto,
Quo duce freta cohors, fuſcas interuolat auras
Haſta, ſed audenti Deus & Fortuna receſsit.
Per tamen Olenij tegmen ſuis, atráque ſetis
Terga, ſuper leuos humeros vicina cruori
Effugit, & viduo iugulum ferit irrita ligno.
Tunc horrere comæ, ſanguíſque in corde gelari,
Huc ferus, atque illuc animum, pallentiáque ira
Ora ferens, nec tanta putat ſibi bella parari.
Ferte gradum contra, campoque erumpite aperto.

HVMENTI PALLA. roſcido velamine. QVA LAXANT RAMI NEMVS. pro ex qua parte rariores arbores ſteterāt. ADVERSAQVE SVB VMBRA. luci, quæ eſſe aduerſa venientibus videbatur. OBSTVPVIT, furore potius quam timore. ADMOVET ENSEM. vt ſit paratus ad cædem manu tractat auxilium, id eſt euaginationem parat. NON HVMILI TERRORE ROGAT. interrogat non territus. QVO DVCE FRETA COHORS, id eſt qui armis præerat. DEVS ET FORTVNA. *Deus*, ad victoriam retulit.

FORTVNA RECESSIT. id eſt fruſtratus eſt eius ictus. OLENII TEGMEN SVIS. Olenos AEtholiæ regio eſt, in qua ſus Calydonius dicitur intereptus, cuius exuuiis Tydeus nūc, tegitur & armatur. SVPER LEVOS HVMEROS, id eſt, ſuper ſiniſtri humeri partem haſta imminens pœnè vulnus inuenit. ET VIDVO LIGNO. cuſpide ab ea parte quæ ferro caret; ac per hoc infirmo. Metaphora a muliere, vt quæ ſi auxilio mariti caret infirma eſt, ita

lignum quod non habet ferrum, vnde vulnus infligat, infirmum eſt. IRA. furore, non mente. BELLA PARARI. paucos eſſe credidit, nec putauit quinquaginta ſibi virorum fortium inſidias comparari.

Quis timor audendi? quæ tanta ignauia? ſolus
Solus in arma voco. neque in his mora. quos vbi plures
Quàm ratus innumeris videt excurſare latebris,
Hos prodire iugis, illos è vallibus imis
Creſcere, nec paucos campo. totúmque ſub armis
Collucere iter (vt clauſas indagine profert
In medium vox prima feras) quæ ſola medendi
Turbata ratione via eſt, petit ardua diræ
Sphyngos, & abſciſsis infringens cautibus vncas
Exuperat iuga dira manus, ſcopulóque potitus
Vnde procul tergo metus, & via prona nocendi,
Saxum ingens, quod vix plena ceruice gementes
Vertere humo, muriſque valent inferre iuuenci,
Rupibus auellit: dein toto ſanguine nixus
Suſtinet, immanem quærens librare ruinam.
Qualis in aduerſos Lapythas erexit inanem
Magnanimus cratera Pholus. ſtupet obuia leto
Turba ſuper ſtantem, atque emiſsi turbine montis
Obruitur. ſimul ora virum, ſimul arma, manúſque,
Fractáque commixto ſederunt pectora ferro.

QVIS TIMOR AVDENDI. Quis pauor veſtram frenauit audaciam? Hos DEIRE IVGIS. Anaſtrophe, hos de iugis ire. VT CLAVSAS INDAGINE PROFERT IN MEDIVM. hæc comparatio ad ſuperiora referenda eſt. Dicit enim ſic illos aut de iugis prodiiſſe, aut de vallibus, quemadmodum de retibus feræ, quas in medium vox venantium & clamor expellit. Tunc enim licet ſcire quam multæ ſint, cũ terrore clamoris coactæ fuerint non latere. eſt ergo ordo. Sic illos excurſare e latebris videt, vt clauſas indagine feras vox prima in medium profert. *Indago* autem eſt, cum ſiluam venantium corona vallat, vt feræ euadere nõ poſſint. QVE SOLA MEDENDI TVRBATA RATIONE VIA EST. id eſt, quæ ſola via ſalutis eſt, in hoſtes incidentem ardua petere. ET ABSCISSIS. ordo eſt. Et abſciſſis cautibus infringẽs vncas manus iuga dura exuperat. VNDE PROCVL TERGO METVS. qui locus eſſet facilior ad nocẽdũ, & a periculo defenderet terga pugnantis. hoc eſt delonge eſſet timor, ne a tergo circumueniretur, in quo ſaxo ſtans interim poſt ſe hoſtes timere non poterat. QVOD VIX PLENA CERVICE. perfecta ætate. *plena ceruice.* bona. auxeſis. bene *iuuenci* vt ætati robur adiũgeret. DEIN TOTO SANGVINE NIXVS. ex toto corporis nixu. vt Virg. *Quibus integer aui ſit ſanguis.* QVALIS IN ADVERSOS LAPYTHAS. Lapythæ gentes Theſſaliæ, omniũ virorum ſublimes patiẽtia, cum cæteris diis immortalibus annua ſacra conficerent, in ipſa religione genus ſacrilegij commiſſum eſt. cum enim Perithoi regis ſui nuptiæ celebrarentur, & ſacrificia omnibus diis facerent, Martis ſolius incultas aras reliquerunt, ſiue ignorantia, ſiue contemptu numinis, habetur incertum. quæ res manifeſto punita eſt exitu. Mars namque fecit vt aduerſus Centauros bellarent, a quibus victi ſunt

ſunt, ciuitas damno intellexit religionis virtutem. vnde Virg. *Mars perdere gentem immanẽ Lapythum potuit.* STVPET OBVIA LETO. Iam a comparatione diſceſſit, & ad fatum Tydei redit. potuit enim ambiguitas circumuenire lectorem.

Quatuor hic adeò deiecti mole ſub vna
Congemuere, fuga tremefactum protinus agmen
Excutitur cœptis. neque enim temnenda iacebant
Funera, fulmineus Dorylas quem regibus ardens
AEquabat virtus, Martíſque è ſemine Theron
Terrigenas confeſſus auos. nec vertere cuiquam
Frena ſecundus Halys, ſed tunc pedes occubat aruis
Pentheúmque trahens nondum te Phædimus æquo
Bacche genus: quorum vt ſubitis exterrita fatis
Agmina, turbatam vidit laxare cateruam:
Quæ duo ſola manu geſtans acclinia monti
Fixerat, intorquet iacula, & fugientibus addit.
Mox in plana libens, nudo ne pectore tela
Inciderent, ſaltu præceps defertur, & orbem
Quem procul oppreſſo vidit Therone volutum
Corripuit, tergóque, & vertice tegmine noto
Septus, & hoſtili propugnans pectora parma
Conſtitit. inde iterum denſi glomerantur in vnum
Ogygidæ, firmantque gradum. trahit ocius enſem
Byſtonium Tydeus, Mauortia munera magni
Oeneos: & partes pariter diuiſus in omnes
Hos obit, atque illos, ferróque micantia tela
Decutit. impediunt numero, ſéque ipſa vicíſsim
Arma premunt. nec vis conatibus vlla, ſed ipſa
In ſocios errare manus, & corpora turba
Inuoluit prolapſa ſua. manet ille cruentis
Anguſtus telis, & inexpugnabilis obſtat.

TREMEFACTVM. In honorem occidentis laudantur occiſi. TEMNENDA. aphæreſis, pro contemnenda. TERRIGENAS CONFESSVS AVOS. Qui gloriaretur auos ſe promeruiſſe terrigenas, de Cadmi ſationibus originem ducens, qui mutuis vulneribus perierunt. SECVNDVS. inferior, id eſt equitandi arte peritus. PENTHEVMQVE TRAHENS. velut a Pẽtheo originẽ trahens generis. NONDVM TE PHAEDIMVS. Phædimus nomine, nondum te propter Penthei nomen Liber habens propitium Tydei armis occubuit. LIBENS. ne videretur ab hoſtibus loco in quo ſteterat pulſus. ORBEM. ſcutũ obuolutũ. bene ſubdidit *orbem*, ſunt enim ſcuta oblonge facta. TEGMINE NOTO. id eſt. terga ſua & caput muniuit apri Calydonii tegmine. OGYGIDAE. Thebani ab Ogygio terrigena. ENSEM BYSTHONIVM. Tydei enſẽ. vnde Tydeo Byſthonius enſis? niſi quia Oenius Martis eſt filius.

primum quia vicina eſt AEtholia Thraciæ, aut quia Mars apud Byſthonas colitur. Enſem vero Byſthonium Thraciarum dixit, quia Byſthona gens Thraciarum eſt. DECVTIT. ab ictu depellit ſcuti. IN SOCIOS ERRARE MANVS. vt ex conſtipatione iaculari volentes, ſeſe invicem vulnerarent. ANGVSTVS TELIS. optime dixit *anguſtus*, id eſt quia aditum vulnerantibus non daret. INEXPVGNABILIS. quia in multos facilis iactus eſt, multis in vnum difficilis. Saluſt. in Iugurth. *Pauci in pluribus minus fruſtabantur.*

Non aliter Geticæ (ſi fas eſt credere) Phlegræ
Armatum immenſus Briareus ſtetit æthera contra
Hinc Phœbi pharetras, hinc toruæ Palladis angues,
Inde Peletroniam præfixa cuſpide pinum
Martis, at hinc lapſo mutata Pyracmone temnens
Fulmina, cum toto nequicquam obſeſſus Olympo
Tot queritur ceſſare manus. non ſegnius ardet
Huc illuc clypeum obiectans. ſeque ipſe recedens
Circuit, interdum trepidis accurrit, & inſtat
Spicula diuellens, clypeo quæ plurima toto
Fixa tremunt, armantque virum: ſæpe aſpera paſſum
Vulnera, ſed nullum vitæ in ſecreta receptum,
Nec mortem ſperare valet. rotat ipſe furentem
Deilochum, comitemque illi iubet ire ſub vmbras
Phegea. ſublata minitantem bella ſecuri,
Dircæumque Gyan, & Echionium Lycophontem.
Iam trepidi ſeſe quærunt, numerántque, nec idem
Cædis amor, tantámque dolent rareſcere turbam.

NON ALITER. Briareum bello gigantum conſtat contra Iouem ſenſiſſe. ſed hic *contrā* ſic poſuit, quemadmodum Virg. *Iouis cum fulmina contra me habeat.* Contempta ab hoc etiam fulmina. videbatur enim ſuis ſibi tantum manibus fortiter dimicare. Fabula. Terra procreauit Thyphonem miræ magnitudinis, cui centum capita draconum ex humeris nata erant. Hic Iouem prouocauit, vt ſi vellet ſecum de regno certaret. Quare Iuppiter pectus eius fulmine percuſſit. qui cum flagraret, AEthnam ei ſuper-inpoſuit, & ex eō dicitur ardere adhuc. ipſe etiā alio nomine Bryareus & AEgeon. de quo Virg. *AEgeon qualis centum cui brachia dicunt.* INDE PELETRONIAM. Thraciam ſiue Theſſaliam, vt Virg *Frena Peletronii Lapytæ.* ipſæ enim regiones dicatæ ſunt Marti. MVTATA. refecta ſiue ad prælium renouata. PYRACMONE. quia Virg. docente cognouimus etiam hunc fulminū fabricatorem fuiſſe. ait enim. *Et nudus membra Pyracmon.* NEQVICQVAM. aut nequicquā obſeſſus, aut nequicquam queritur multitudini manuum ſuarum hoſtes deeſſe, cum fuerit victus. HVC ILLVC CLYPEVM. Circumſpectat omnes partes, ne ab hoſtibus circumuentus occumbat. ARMANTQVE VIRVM. nam ipſa tela in hoſtes retorquet, quia aliorū telorum impetus retunditur, cū tela impingit. Lucan: *totaq. viro dum tela ruinæ.* NEC MORTEM. ita fuerat vulneratus, vt mortem timere non poſſet. COMITEMQVE ILLI IVBET. *Iubet* facit. eſt enim πολύσημος ſermo. aliquādo ſignificat vult. vt Virg. *Infandum regina iubet.* aliquando imperat, aliquando facit, vt hoc loco.

Ecce Chromis, Tyrij demiſſus origine Cadmi,
Hunc vtero quondam Dryope Phœniſſa grauato

*Rapta repente choris, onerí*ſ*que oblita ferebat:*
Dumque trahit prenſis taurum tibi cornibus Euan,
Procidit impulſus nimiis conatibus infans.
Tunc audax iaculis, & capti pelle leonis
Pinea nodoſa quaſſabat robora claua,
Increpitans: Vnuſne viri tot cædibus, vnus
Ibit ouans Argos? vix credet fama reuerſo.
Heu ſocij, nullæ ne manus? nulla arma valebunt?
Hæc regi promiſſa Cydon, hæc Lampe dabamus?
Dum clamat, ſubit ore cauo Theumeſia cornus,
Nec prohibent fauces. atque illi voce repleta
Intercepta natat prærupto in ſanguine lingua.
Stabat adhuc, donec tranſmiſſa morte per artus
Labitur, immorſáque candens obmutuit haſta.
Vos quoque Theſpiadæ, cur inficiatus honora
Arguerim fama? fratris moribunda leuabat
Membra ſolo Periphas (nil indole clarius illa,
Nec pietate fuit) leua marcentia colla
Suſtentans, dextráque latus; ſingultibus arctum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coercent
Vndantem fletu galeam, cùm multa gementi
Pone grauis curuas perſtrinxit lancea coſtas,
Exit & in fratrem, cognatáque pectora telo
Conſerit. ille oculos etiamnum in luce natantes
Siſtit, & aſpecta germani morte, reſoluit.
At cui vita recens, & adhuc in vulnere vires,
Hos tibi complexus, hæc dent, ait, oſcula nati.
Procubuere pares fatis (miſerabile votum
Mortis) & alterna clauſerunt lumina ·vaixəp

DEMISSVS. fluens. PROCIDIT INPVLSVS. dicit illum furore genitum dolere. dum enim Pryope mater eius prægnans furore bacchatur, reluctántem taurum cornibus traxit. dicit ergo. hunc non naſcendi ordine procreatum, ſed conatu nimio vtero matris expulſum. VNVSNE VIRI. Virg. *Vnus homo è veſtru ô ciues vndique ſeptus* VIX CREDAT FAMA REVERSO. quod vnus tantos occiderit. THEVMESIA CORNV. Thebana. Teumeſon mõs Thebanorum, ideo quod Tydeus Thebana haſta & ſpoliis hoſtium armatus fuerat. ATQVE ILLI VOCE REPLETA. Ordo. atque illi voce intercepta porupto in ſanguine natat repleta lingua. CVI INFICIATVS HONORA ARGVERIM FAMA. *Cur vos arguerim,* id eſt priuauerim. HONORA FAMA. id eſt honeſta, honorifica. INDOLE CLARIVS ILIA. *Indolem* corporis dixit, *pietatem* animi. SINGVLTIBVS ARCTVM. anguſtum. Singultibus enim anguſtatur latus. EXHAVRIT. concauum facit, vacuat. NEC VINCLA COERCENT. Inundatio lachrymarum galeæ vincla rumpebat. CVM MVLTA GEMENTI. cum.

multa gemeret a tergo percuſſus eſt, & hoſtili gladio corpori fratris affixus. CONSERIT. coniungit. ILLE OCVLOS. qui prior fuerat vulneratus oculos aperuit: vt in vtraque morte fratrum ambo iũgerent ſe invicem morientes, VOTVM MORTIS. votum iniquæ mortis, quia & vno telo gemini, & eodem momento periere.

Protinus idem vltro iaculo, parmáque Menœten
Proterrebat agens, trepidis veſtigia retro
Paſsibus vrgentem, donec defecit iniqua
Lapſus humo, pariterque manus diſtractus in ambas
Orat, & à iugulo nitentem ſuſtinet haſtam.
Parce per has ſtellis interlabentibus vmbras,
Per ſuperos, noctemque tuam. ſine triſtia Thebis
Nuntius acta feram, vulgique per ora paventis
Contempto te rege canam. ſic irrita nobis
Tela cadant, nullique tuum penetrabile ferro
Pectus, & optanti victor reueharis amico.

IDEM VLTRO. Iam ipſe vult hoſtes inſequi, a quibus ante appetebatur. VESTIGIA RETRO. ſua retro veſtigia vrgebat fugiendo imminente Tydeo. INIQVA. quæ fuerat ſanguine madefacta. hic autem iniqua proprie dixit. DISTRACTVS. extenſus. hic vero ſub ea ſignificatione ponendus eſt. vt Virg. *Turbatis diſtractus equis.* quamuis Cicero in Philipp. de Varronis bonis: *Rem illam eſſe deſtractam.* ſed etiam illic ingenio legentis poſſumus diuiſam accipere. *Diſtractus* ergo hic ait extenſis manibus, vt rogaret. NITENTEM. conantem, ab eo quod eſt *nitor. eris.* INTERLAB. VMBRAS. ſenſus quæ vmbræ ſunt eo tempore quo ſtellæ labuntur. NOCTEMQVE TVAM. hoc eſt quæ tibi fauet, quam tu tuam effeciſti vincendo. VVLGIQVE PER ORA PAVENTIS. dum tua facta refero perculſi. CONTEMPTO TE REGE CANAM. id eſt, virtutis tuæ facta referam, quæ aures Eteoclis ſatis offendunt.

Dixerat, ille nihil vultum mutatus, inanes
Perdis ait lachrymas. & tu, ni fallor, iniquo
Pollicitus mea colla duci, nunc arma, diemque
Proiice. quid ſequeris timidæ compendia vitæ?
Bella manent, ſimul hæc, & craſſum ſanguine telum
Iam redit. ille ſuper dictis inſenſus amaris
Proſequitur victos. non hæc Trieterica vobis
Nox patrio de more venit: non Orgia Cadmi
Cernitis, aut auidas Bacchum ſcelerare parentes.
Nebridas, & fragiles thyrſos portare putaſtis
Imbellem ad ſonitum? maribuſque incognita veris
Fœda Celenæa committere prælia buxo?
Hic aliæ cædes, alius furor: ite ſub vmbras
O timidi, paucique. hæc intonat, at tamen illi

Membra negant, laſſúſque ferit præcordia ſanguis.
Iam ſublata manus caſſos defertur in ictus.
Tardatique gradus: clypeum non ſuſtinet vmbo
Mutatum ſpoliis, gelidus cadit imber anhelo
Pectore, tum crines, ardentiáque ora cruentis
Roribus, & tetra morientum aſpergine manant.

NIHIL VVLTVM MVTATVS. nimirum, quia qui ignoſcentis animum gerunt, primum frontis ſuæ nubilum deſerenant. Lucan. *At Cæſar facilis vultum mentemque ſerenus.* QVID TIMIDE SEQVERIS COMPENDIA VITAE. iucunde, conſolatur & terret. namque hoc pollicetur, nullos ſi ad bella venerint euaſuros. In hac autem parte ſi conſideres prorſum ubi eſt quod nunc morieris, ne grauiori ſupplicio reſeruetis. BELLA MANENT. Lucan. *Non hæc ciuilia bella vt viuamus agunt.* IAM REDIT. corpore, iam reuulſum telum. neque enim poterat gladiū vagina recōdere, niſi hoste iam perempto. TRIETERICA. dixerat enim ea nocte Tydeum Thebas intraſſe, qua Libero patri ſacra celebrabantur. *Trieterica* ergo & *Orgya* Liberi ſacra ſunt, quæ exacto triennio mos eſt celebrari: ſicut Olympiaci Iouis ſacrum redit intermiſſo quinquennio. SCELERARE PARENTES. id eſt, crudelitate ſua ſceleſtos facere: quia Bacchæ inſaniunt vſque adeo, vt crudelis Bacchus in illarum furore fuiſſe videatur; quia Agaue homicidium neſcia perpetrauit. & ideo hoc deo potius aſcribitur, quam furori. NEBRIDAS. pelles damarum, quæ Græcè νεβρίδες appellantur. Ac per hoc Baccharum indumenta ſignificat, quibus ſacrificiorum tempore vti conſueuerunt. vt Virg. *Pellibus in morem cincti.* IMBELLEM. ad ſonitum tympani & ſaltationis Baccharum imbelis. MARIBVSQVE INCOGNITA VERIS. In comparatione Thebanorum veris maribus dicit. INCOGNITA PRAELIA. Luxurioſæ ſaltationis. quaſi hi qui aduerſus ſe pugnauerunt, ſacrorum conſuetudine fuerint effœminati. CELENEA. Celene Marſiæ ciuitas, vbi primum dicitur tibiarum vſus inventus, quibus Apollinem prouocare auſus eſt, à quo victus temeritatis ſuæ pœnas exoluit. Marſias enim Celeneus fuit, vt ipſe infra. *Et illuſtres Satyro pendente Celenæ.* FOEDA PRAELIA. ſtupra. Virg. *At non in Venerem ſegnes nocturnáque bella.* HIC ALIAE CAEDES. non patricidiales, contra illas, qua matres intuliſſe dicunt. & hic increpat. PAVCIQVE. in comparationem virtutis meæ. HAEC INTONAT. quippe plenus furore virtutis. NEC SVSTINET VMBO. hic umbonem pro humero poſuit, aut pro manu. MVTATVM SPOLIS. Theronis ſcil. cuius clypeum eum perfodiſſet, acceperat. aut certe *mutatum ſpoliis* infectum ſanguine ſociorum. Itaque per cruorem ſuum mutauerat iam colorem. vt Lucan. *Perdiderat vultum rabies.* RORIBVS. cruentis aſperſionibus. vt Lucan. *Sanguineis ſtillauit roribus arbor.*

Vt leo, qui campis longè cuſtode fugato
Maſſylas depaſtus oues, vbi ſanguine multo
Luxuriata fames, ceruixque, & tabe grauatæ
Conſedere iubæ, mediis in cædibus aſtat
Aeger hians, victúſque cibis: nec iam amplius iræ
Crudeſcunt, tantum vacuis ferit aëra malis,
Molliáque eiecta delambit vellera lingua.
Ille etiam Thebas ſpoliis, & ſanguine plenus
Iſſet, & attonitis ſeſe populóque, ducique

Oſtentaſſet ouans, ni tu Tritonia virgo
Flagrantem, multáque operis caligine plenum
Conſilio dignata virum. Sate gente ſuperbi
Oeneos, abſentes cui dudum vincere Thebas
Annuimus, iam pone modum, nimiúmque ſecundis
Parce deis. huic vna fides optanda labori,
Fortuna ſatis vſus abi. Reſtabat acerbis
Funeribus, ſocióque gregi non ſponte ſuperſtes
Hæmonides (ille hæc præuiderat omnia doctus
Aëris, & nulla deceptus abalite) Mæon,
Nec veritus prohibere ducem. ſed fata monentem
Priuauere fide. vita miſerandus inerti
Damnatur, trepido Tydeus immitia mandat.

MASSYLAS. id eſt, Mauras. vt Virg. *Maſſylique ruunt æquales.* ET TABE GRAVATAE. *tabes* dicitur recentis cadaueris fætor. Lucan. *Longúſque carcere in fætor.* & humor qui diſtillãs cadaueribus corrumpit terram. vnde Virg. *Et terram tabo maculant.* ET SANGVINE PLENVS. Senſus hic de Homero venit: vt tunc demum caſtris Dolonis Diomedes excedat, cum eſſet admonitus à Minerua. nam Virg. hunc ſenſum in Niſi & Euryali perſonis ſeruauit. *Acceleremus, ait, nam lux inimica propinquat.* CALIGINE PLENVM. id eſt, nimia felicitate mentis obcæcatum. caligine dixit, quia non proſpiciebat futura pericula.

SVPERBI OENEOS. Oeneos genitiuus Græcus, vt Memnon Memnonos. VINCERE THEBAS. nam in iſtis quinquaginta, quod omnes lectiſſimæ virtutis fuerant, abſentes victæ ſunt Thebæ. PARCE DEIS. nam qui immoderate ſua felicitate vtitur, fauentes ſibi deos fatigat. elatus enim animus rebus ſecundis vtilia minime reſpicit. Virg. *Et ſeruare modum rebus laſſata ſecundis.* HVIC VNA FIDES. vt tantæ virtutis gloriam ſolus conſecutus fuiſſe videaris. NEC VERITVS. hoc dicit. Nec veritus eſt augur prohibere ducem, id eſt, Etheoclen, ne morituros tot mitteret: ſed inſtantia morituris fata fidem auguri derogauere. vt Virg. *Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris.* DAMNATVR. liberatur.

Quiſquis es Aonidum, quem craſtina munere noſtro
Manibus exemptum medius aurora videbit,
Hæc iubeo perferre duci. cinge aggere portas.
Tela noua. fragiles æuo circunſpice muros.
Præcipuè ſtipare viros, denſáſque memento
Multiplicare acies, fumantem hunc aſpice latè
Enſe meo campum. tales in bella venimus.
Hæc ait, & meritæ pulchrum tibi Pallas honorem
Sanguineæ de ſtrage parat, prædámque iacentem
Comportat gaudens, ingentiáque acta recenſet.
Quercus erat, teneræ iam longum oblita iuuentæ,
Aggere camporum medio, quam plurimus ambit

Frondibus incuruis, & crudo robore cortex:
Huic leues galeas, perfoſſáque vulnere crebro
Inſerit arma ferens, huic truncos ictibus enſes
Subligat, & fractas membris ſpirantibus haſtas.
Corpora tunc, atque arma ſimul cumulata ſuperſtans
Incipit, oranti nox, & iuga longa reſultant.

AONIDVM. Thebanorum. Virg. *Aonas in montes.* FRAGILES. vetuſtate corruptos. TALES IN BELLA VENIMVS. & in Romana hiſtoria hoc Porſena Mutius dixiſſe fertur, cum dextra focis impoſita diceret: *Sue patientia ſimiles viros atque virtutis à ſenatu plures in eius exitium deſtinatos.* HVIC LEVES GALEAS. in hoc conſecrando ſecutus eſt Virgil. nam ille dum Marti offerret exuuias ait. *Aptat rorantes ſanguine criſtas Telaque trunca virum.*

Diua ferox, magni decus, ingeniúmque parentis:
Bellipotens, cui torua genis horrore decoro
Caſsis, & aſperſo crudeſcit ſanguine Gorgon,
Nec magis ardentes Mauors, haſtatáque pugnæ
Impulerit Bellona tubas, huic annue ſacro.
Seu Pandionio noſtras inuiſere cædes
Monte venis, ſiue Aoniâ diuertis Ithone
Læta choris, ſeu tu Libyco Tritone repexas
Lota comas, quà te biiugo temone frementem
Intemeratarum volucer rapit axis equarum:
Nunc tibi fracta virum ſpolia, informéſque dicamus
Exuuias. at ſi patriis Parthaonis aruis
Inferar, & reduci pateat mihi Martia Pleuron,
Aurea tunc mediis vrbis tibi templa dicabo
Collibus, Ionias qua deſpectare procellas
Dulce ſit, & flauo tollens vbi vertice pontum
Turbidus obiectas Achelous Echinadas exit.
Hic ego maiorum pugnas, vultúſque tremendos
Magnanimûm effingam regum, figámque ſuperbis
Arma tholis: quæque ipſe meo quæſita reuexi
Sanguine, quæquè dabis captis Tritonia Thebis.
Centum ibi virgineis votæ Calidonides aris
Actæas tibi rite faces, & ab arbore caſta
Nectent purpureas niueo diſcrimine vittas.
Peruigilémque focis ignem longæua ſacerdos

Nutriet, arcanum nunquam inſpectura pudorem.
Tu bellis, tu pace feres de more frequentes
Primitias operum, non indignante Diana.
Dixerat, & dulces iter inſtaurabat ad Argos.

INGENIVMQVE PARENTIS. bene *ingenium*, quæ de capite nata dicitur Iouis. & hoc antiqui bene figuratum eſſe dixerunt. vt quia naturæ ratione prudentia omnis in capite eſt, Minerua quæ ſapientia dei, nata de Iouis capite crederetur. Eſt vero myſterinm, quod lucis incaminata, atque armis munita virgo, de vertice dei maximi & ſecreti orta dicatur. HORRORE DECORO. ipſe quidem terror vultus pulchritudine mitigatur. Specioſus terror, pulchritudo terribilis. CRVDESCIT. crudelior fit: zeugma ab inferioribu s HASTATA. haſtis armata, ſiue haſtifera. id eſt, magis bellicoſa quam Mars aut Bellona. IMPVLERIT. pro impellit. mutauit modum. SEV PANDIONIO. Pandionium moutem dicit, à Pandionio filio Ericthonij. Tereus Martis filius Thrax. ITHONE. *Ithone* ciuitas Beotiæ Mineruæ ſacra. vt ipſe ait. *Ducit Ithoneus atque Achemonea Mineruæ Agmina.* Bacchilides Mineruam Ithoniam dicit, ab Ithone. ergo Mineruam ab oppido cognominauit, quod eſt in Macedonia, vbi eius antiqua eſt ædes, vicina Beotiæ, in qua regnauit Antinous!, Herculis filius & Paphies. TRITONE. fluuius vel palus in Libya, in qua Minerua dicitur nata. ſicut Lucan. affirmat: vnde Græci eam Tritogeniam vocant. INTEMERATARVM. participium ſine verbi origine. PARTHAONIS. Parthaon Oenei pater fuit, auus Tydei. conſtat Tydei genus à Marte defluere, vt idem ait. *Martis non degenerare paterno.* nam Meleager Martis filius fuit. PLEVRON. Ætholiæ ciuitas prope Calydonem, Marti conſacrata. Alij regionem Calydoniorum dicunt. PLEVRON MARTIA. quia ibi maxime Mars colitur. AVREA TVNC. in media vrbe vbi ædem dicavero in tantum templi altitudo tolletur, vt Ioniũ mare, & Echinadas inſulas, Acheloũque deſpicias. Harum inſularũ Lucan. meminit, vt. *oblimat Echinadas vndis.* in Acheloo enim fluuio tres inſulas his nominibus natura conſtituit: *Artemites, Aggalia, Megale.* Ouidii quoque carminibus celebratas.

HIC EGO MAIORVM PVGNAS. maiorum ſui generis. ſ. ARMA THOLIS. Virgil. *Suſpendive tholo.* *Tholum* eſt in media templi camera locus, in quo vouentium primitiæ aut exuuiæ figebantur. ACTEAS. Athenienſes, quia Athenarum iuxta littus ſita ſunt ſecreta nemorum loca. vt Virg. *In ſola ſecreta Troadas acta.* ET AB ARBORE CASTA. oliua ſiue lauro; pro inuentore id quod inuentum eſt. nam caſta non eſt olea, ſed Minerua. aliter caſtam arborem dixit, quæ poſt quinquennium Athenis Mineruæ offerebatur, * tam peſtilentiæ ciuitatem * quam verbenam nominant, in qua omnium frugum pomorúmque primitias obligabãt, vt Cratinus ait. Hanc igitur caſtã arborem dicit, id eſt, in qua purpureis nexibus omnia ſupradicta pendebant. quæ tamen interiectis duobus pedibus candida fila diſcriminant. ARCANVM NVNQVAM INSPECTVRA PVDOREM. *Arcanum pudorem* dicit, aut eius ſimulachrum verum, id eſt, Palladium, quod illicitum erat cernere. quo quidam quondum viſo priuatus eſt viſu; Aut virginitatem eius. Ergo ſi ſic eſt *inſpectura* pro rimatura vel inquiſitura accipitur. TV BELLIS TV PACE FERES. bellorum potens: quod poprium eſt Mineruæ. NON INDIGNANTE DIANA. ſemper tibi de primitiis ſacrificabo. nec mihi ſicut ſolet Diana indignabitur. occulte hiſtoriam tangit, vbi Diana contempta in ſacrificio immiſit aprum, qui Calydoniam regionem vaſtaret.

EXPLICIT
THEBAIDOS LIBER SECVNDVS.

ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI TERTII THEBAIDOS.

PErfidus interea miſſorum ſera virorum
Tempora dum queritur, dum ſpectat colla reciſa
Tydeos inuiſi. tunc tanta ex cæde relictus
Aduenit Hemonides ſociorum funera pandens.
Iuppiter hinc Martem ſtimulis flammauit amaris
Spargeret vt Thebis, Argíſque, incendia belli.
At Venus Hermonien memorat Thebáſque tuetur.
Tunc duo gliſcentes pugnæ præſagia vates
Explorant diuos, cernúntque inſtare futuras
Crudeli populo ſtrages, ſed dicere muſſant.
Hic ferus inſiſtit Capaneus, bellúmque laceſſit
Vociferans, ſpernítque deos, ſocióſque fatigat.

INTERPRETATIO.

COnqueſtio Etheoclis de tarditate quinquaginta miſſorum. Mæonis aduentus & cædis nuntium. Indignatio regis. Mors Mœonis, & eius à rege interdicta ſepultura. Profectio lugentium matrum ad locum cædis, & cadauerum funeratio. de Thebanis malis conqueſtio. & regis iniuſtitia. Iouis imperium Marti, vt Thebana bella ſuſcipiat. Veneris querela de Thebanis apud Martem. Martis reſponſio pro Thebanis. Regreſſio Tydei vulnerati, & eius hortatio ad bellum Polynicis. Allocutio pro iniuria Tydei affectionis obliquæ. Curatio Tydei. Deſcriptio ſolis occidentis, & orientis noctis. Deſcriptio Martis bellum mouentis. Captatio auguriorum ab Amphiarao & Menalippo in monte Apheſante: & omnium ſignorum deſcriptio. Allocutio Capanei iniurioſa contra Amphiaraum, & religionem. Argiæ apud patrem allocutio, & belli poſtulatio. Patris reſponſio permulcentis.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER TERTIVS

Incipit.

AT non Aoniæ moderator perfidus aulæ,
Nocte ſub ancipiti, quamuis humentibus aſtris
Longus ad Auroram ſuperet labor, otia ſomni
Accipit. inuigilant animo, ſceleriſque parati
Supplicium exercent curæ. tunc plurima verſat
Peßimus in dubiis augur timor. hei mihi clamat
Vnde moræ? (nam prona ratus, facilemque tot armis
Tydea, nec numero virtutẽ, animumq; rependit)
Num regio diuerſa viæ? num miſſus ab Argis
Subſidio globus? an ſceleris data fama per vrbes
Finitimas? paucóſne pater Gradiue, manúue
Legimus indecores? at enim fortißimus illic
Et Chromis, & Dorylas, & noſtris turribus æqui
Theſpiadæ, totosq; raperent mihi funditus Argos.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

PERFIDVS. aut quia regnum negauit, aut quia contra ius gentium legato parauit inſidias. Docet enim poeta malorum conſcientiam eſſe peruigilem; quippe Etheocles, quamuis adhuc ſtellis labor ſuperſit, vt aſcenſo axe perueniatur ad lucem, tamen ocia non accepit. Ouid. ii. vbi deſcribit inuidam.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.

Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes.
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi mouere dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum: carpítque & carpitur vna.

ANCIPITI. vel propter noctem, cum ipſe anceps eſſet: vel *ancipiti* media. notanda figura anacoluton, ſecundum Sal. *qua nocte ipſe fiebat anceps. SCELERISQVE PARATI. prima enim noſtri ſceleris pœna eſt cogitatio. vt Iuuenal. *Prima eſt hæc vltio quod ſe iudice nemo nocens abſoluitur.* conſtat ergo malorum conſcientiam ſemper eſſe peruigilem. HEI. interiectio timentis. ANIMVMQVE REPENDIT. non cogitabat contra numerum tantorum vnius ſubſiſtere poſſe virtutem. NVM REGIO DIVERSA VIAE. proponit ſibi quod fieri potuit aliter quam ipſe mandauerat. ideo autem laudandus Tydeus. quia quod fecit nec metuens potuerit ſuſpicari. AN SCELERIS DATA. id eſt, violatæ legationis ſanctimonia: vel quod religioſum officium legati peteretur inſidiis. Tertium quod ſuſpicatur tale eſt: dicit quippe à finitimis ciuitatibus Tydeo aduerſus inſidiantes eſſe ſubuentum. ET CHROMIS ET DORYLAS. Dorylas ſaxo periit inter illos, quos vno ictu dicit eſſe proſtratos. Chromis inter ſacra vulnere proſtratus occubuit.

Nec tamen ille meis reor impenetrabilis armis
Aere gerens, ſolidóque datos Adamante lacertos,
Venerat. heu ſegnes, quorum labor hæret in vno,
Si conſerta manus. vario ſic turbidus æſtu
Angitur, ac ſeſe culpat ſuper omnia, qui non
Orantem in mediis legatum cœtibus enſe
Perculerit, fœdaſque palàm ſatiauerit iras.
Iam pudet incepti, iam pœnitet. ac velut ille
Fluctibus Ioniis Calabræ datus arbiter alno,
Nec rudis vndarum, portus ſed linquere amicos
Purior Olenij fruſtra gradus impulit aſtri:
Cùm fragor hyberni ſubitus Iouis, omnia mundi
Clauſtra tonant, multúſque polos inclinat Orion:
Ipſe quidem mallet terras, pugnátque reuerti,
Fert ingens à puppe Notus: tunc arte relicta
Ingemit & cæcas ſequitur iam neſcius vndas.
Talis Agenoreus ductor, cœlóque morantem
Luciferum, & ſeros mœrentibus increpat ortus.

HEV SEGNES. Vere ſegnes, ſi cōflixerūt, & ab vno vincuntur. ARBITER ALNO. ſpeciē pro genere; quilibet arbiter, id eſt magiſter vel gubernator. OLENII ASTRI. progreſſus hædorum ſerenus: quod ſidus pluuiale eſt in ortu, & in occaſu ſerenum aërem facit. vt Virgil. *Quantus ab occaſu veniens pluuialibus hædis, Verberat imber humum.* Senſus. Fruſtra nauigare compulit Olenii aſtri purior gradus. HYBERNI IOVIS. Arcadii: quod ibi fuerat capra, quæ Iouem nutriit Amalthea. CLAVSTRA TONANT. Cardines dixit, quia voluuntur. vt, *Intonuere poli.* & quaſi conuerſum polum facit pondere congre-

gatarum niuium. INCLINAT ORION. Iupiter & Neptunus cum ad Oenopionem regem in hoſpitium veniſſent, & ab eo liberaliter excepti fuiſſent, optionem dederunt, vt ſi quid vellet ab eis expoſceret. Ille liberos ſine coniuge poſtulauit. cui Neptunus & Iupiter imperarunt, vt tauri corium, quem eis immolauerat terræ infoderet. Illi in eo vrinam fecere, vnde natus eſt Orion. Qui cum Dianæ ſtuprum inferre vellet, illa Terræ ope ſcorpionem vindicem ſumpſit: quem occiſum Iuppiter in cœlum tranſtulit, ſimili modo & Diana vindicem ſuum inter ſydera collocauit. menſis ergo Ianuarij tempus poeta deſcribit, quo Orion in occaſu eſt conſtitutus. NESCIVS. qui neſciret, non qui neſciretur. MOERENTIBVS INCREPAT. aut ſollicitis, quibus mœrore nox geminari videtur: aut mœrentibus dictus.

Ecce ſub occiduas verſæ iam noctis habenas,
Aſtrorúmque obitus, vbi primum maxima Tethys
Impulit Eoo cunctantem Hyperiona ponto,
Ima flagellatis ſignum lugubre malorum
Ponderibus trepidauit humus, motuſque Cithæron
Antiquas dedit ire niues. tunc viſa leuari
Culmina, ſeptenæque iugo concurrere portæ.
Et prope ſunt cauſæ. gelido remeabat Eoo
Iratus fatis, & triſtis morte negata
Hemonides. nec dum ora patent, dubiiſque notari
Signa dabat magnæ longè manifeſta ruinæ,
Planctúque, & gemitu. lachrymas nam protinus omnes
Fuderat. haud aliter ſaltu deuertitur orbus
Paſtor, ab agreſtum nocturna ſtrage luporum,
Cuius herile pecus ſyluis inopinus abegit
Imber, & hybernæ ventoſa cacumina lunæ.
Luce patent cædes: domino perferre recentes
Ipſe timet caſus, hauſtaque informis arena
Queſtibus implet agros, ſtabulique ſilentia magni
Odit, & amiſſos longo ciet ordine tauros.

HYPERIONA PONTO. cum primum oceano ſol exit. Ex Hyperione autem Græci fabularum ſcriptores ſtulte natos eſſe finxerunt venerabiles deos, Solem & Lunam, pariter & Auroram, ſperantes videlicet ſtolidi homines ſuis fallaciis natiuitates poſſe auferri ab his, qui nouerunt nec mundum nec diem ſine ſole lunaque eſſe potuiſſe a primordiis rerum, nec tanta lumina vtero fuiſſe geſtata. Hyperiona ergo, non vt Græci fingunt Titanis filium accipiendum, ſed latina ſimplicitate explicandum eſt ambiguum Græcitatis: Hyperiona dicunt ſuper omnia ſæcula. IMA FLAGELLATIS. dicunt phyſici quod ſuis fixa ponderibus in aere librata pendeat tellus, & omne graue cum pendet, ſi motum habeat, flagellatur: ergo terra cum in medio fuerat aere librata motum paſſa eſt, ſuis flagellata ponderibus. SEPTENAEQVE IVGO CONCVRRERE PORTAE. portas Thebarum oſtēdit, quia dicitur Thebana ciuitas ſeptem habere portas. vnde Græcis ἑπτάπυλος dicta eſt. ET PROPE SVNT CAVSAE. quibus prodigia iſta contigere. HEMONIDES. hic eſt quem Tydeus, vt victoriæ ſuæ teſtis eſſet, non eſt dignatus occidere. DVBIVSQVE NO-

TARI. tempus diei ſignauit & noctis, quòd difficile hominis vultus ad perfectum potuiſſet agnoſci. ſenſus: quamuis per obſcurum nuncius agnoſci non poſſet, quid tamen nũciaturus eſſet, manifeſtis agnouerant ſignis. LACHRYMAS NAM PROTINVS OMNES. id eſt quis eſſet adhuc ignorabatur, & tamen quid nuntiaret habitus & geſtus eius prodiderat. ABBOIT. numerum per diuerſa diſperſit. ET HYBERNAS. quia ſigna tempeſtatis in lunæ cornibus ſunt conſtituta. DOMINO. id eſt hero. TAVROS. Comparatione tauros dixit, aut quia ſolent tauros lupi vincere.

Illum congeſtæ portarum ad limina matres
Vt ſolum videre (nefas!) nulla agmina circum,
Magnanimóſque duces, nihil auſæ quærere, tollunt
Clamorem: bello qualis ſupremus apertis
Vrbibus, aut pelago iam deſcendente carina.
Vt primùm inuiſi cupido data copia regis,
Hanc tibi de tanto donat ferus agmine Tydeus
Infelicem animam, ſiue hæc ſententia diuum,
Seu fortuna fuit: ſeu, quod pudet ore fateri,
Vis inuicta viri. vix credo & nuntius: omnes,
Procubuere omnes. noctis vaga lumina teſtor
Et ſociûm Manes, & te mala protinus ales
Qua redeo: non hanc lachrymis meruiſſe, nec aſtu
Crudelem veniam, atque inhonoræ munera lucis.
Sed mihi iuſſa deum, placitóque ignara moueri
Atropos, atque olim non hæc data ianua lethi
Eripuere necem. iamque vt mihi prodiga vitæ
Pectora, & extremam nihil horreſcentia mortem
Aſpicias, bellum infandum cunctiſque negatam
Mouiſti funeſte aciem, dum pellere leges,
Et conſanguineo gliſcis regnare ſuperbus
Exule, te ſeries orbarum exciſa domorum
Planctibus aſsiduis, te diro horrore volantes
Quinquaginta animæ, circum noctéſque, dieſque,
Adſilient. neque enim ipſe moror. iam mouerat iras
Rex ferus, & triſtes igneſcunt ſanguine vultus.

TOLLVNT CLAMOREM. tantum clamorem tulerunt, quantus fit in ciuitate ab hoſtibus capta: aut naufragio, iam carina mergente. VAGA LVMINA. abſolute ſtellas dicit, vt ſit generaliter: aut quinque planetas Saturni, Iouis, Martis, Veneris, & Mercurii. Ceterum ſol & luna non ſunt ſtellæ, nec ex planetarum numero, ſed totius mundi duces ac domini. ET TE MALA PROTINVS ALES. quoniam manu ſua erat periturus, ait. *Mala ales*, id eſt, malum augurium. Quotienſcunque enim ales fœminino genere dicitur, malũ por-

tendit augurium. vt Horat. *mala ſoluta nauis exit alite.* Maſculino autẽ bonũ demonſtrat. vt Virg. *Namque volans fuluus Iouis ales in æthera.* IGNARA MOVERI ATROPOS. quæ ab his quæ ſemel mortalibus ſtatuit, moueri nõ poſſit. Vt Virg. *Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.* PRODIGA VITAE PECTORA. quemadmodum *fortunarum prodigus* dicitur, qui patrimonium decoquit, ita & *vitæ prodigus,* qui non terretur exitio, ſed vitam prodigere vult, id eſt, effundere. Pectora autem dicit nil horreſcentia. ASPICIAS. Vtar, inquit, libertate qua non vtitur niſi qui mori paratus eſt. Virg. *Deſine nam venio moriturus.* & hoc clamore pronunciandum. hic enim verbis ſatisfacit dolori ſuo. PERITVRA LIBERTAS. mouiſti aut pietatis iura, aut legationis leges. GLISCIS. hic cupis ſignificat. i. cupiditatis tuæ creſcit incendiũ. TE DIRO HORRORE VOLANTES. integer ſe oculis tuis ingeret numerus occiſorum. & dicendo *quinquaginta*, anim oſe ſe quoque optima virtute iunxit occiſis. VOLANTES. quaſi circa ora tua volabũt, & ingerent ſe oculis tuis. Sapiẽtes dicũt nocentum eſſe pœnas, ſi quaſdam figuras cum viderint timeant. vnde Virgil. *Omnibus vmbra locis adero.* & vt oſtenderet hoc ſceleratorum eſſe ſupplicium, adiecit, *Dabis improbe pœnas.*

Inde vltro Phlegyas, & non cunctator iniqui
Labdacus (hos regni ferrum penes) ire, manũque
Proturbare parant. ſed iam nudauerat enſem
Magnanimus vates. & nunc trucis ora tyranni,
Nunc ferrum aſpectans, Nunquam tibi ſanguinis huius
Ius erit, aut magno feries imperdita Tydeo
Pectora. vado equidem exultans, ereptáque fata
Inſequor, & comites feror expectatus ad vmbras.
Te ſuperis, fratrique. & iam media orſa loquentis
Abſtulerat plenum capulo latus, ille dolori
Pugnat, & ingentem nixu duplicatus in ictum
Corruit, extremiſque animæ ſingultibus errans
Alternus nunc ore venit, nunc vulnere ſanguis.

ET NON CVNCTATOR INIQVI. Quia iniuſta omnia poterat ſine dubitatione complere. PERTVRBARE. ne conuitia faceret in regem, aut ſe iniuſte percuteret. ET NVNC TRVCIS ORA TYRANNI. quaſi vtrumque aſpiciens quid eſſet fugiendũ, quid dulcius videretur, ferrum aut tyrannus. IMPERDITA TYDEO PECTORA. id eſt, que Tydeus noluiſſet occidere. Virg. *Et vos ô Graiis imperdita corpora Teucrum.* EREPTA FATA. in prælio paulo ante dilata. TE SVPERIS FRATRIQVE. Ellipſis figura. deeſt enim; relinquo puniendum, quaſi feſtinus in vulnere orationem implere non potuit. vt Virgil. *Incipit effari mediaque in voce reſiſtit.* DOLORI PVGNAT. contra dolorem repugnat, ne putaretur ſentire cum moritur.

Excuſſæ procerum mentes, turbatáque muſſant
Concilia, aſt illum coniux, fidique parentes
Seruantem vultus, & toruum in morte peracta
Non longum reducem lætati, in tecta ferebant.
Sed ducis infandi rabidæ non hactenus iræ
Stare queunt. vetat igne rapi, pacémque ſepulchri

Impius, ignaris nequicquam Manibus arcet.
Tu tamen egregius fati, mentiſque, nec vnquam
(Sic dignum) paſſure ſitum, qui comminus auſus
Vadere contemptum regis. quaque ampla veniret
Libertas ſancire viam. quo carmine dignam
Quo ſatis ore tuis famam virtutibus addam
Augur amate deis? non te cœleſtia fruſtra
Edocuit, lauróque ſua dignatus Apollo eſt.
Et nemorum Dodona parens. Cyrrhæáque virgo
Audebit tacito populos ſuſpendere Phœbo.
Nunc quoque Tartareo multum diuiſus Auerno
Elyſias i carpe plagas: vbi manibus axis
Inuius Ogygiis, nec ſontis iniqua Tyranni
Iuſſa valent. durant habitus, & membra cruentis
Inuiolata feris, nudóque ſub axe iacentem
Et nemus, & triſtis volucrum reuerentia ſeruat.

TVRBATAQVE MVSSANT. bene *muſſant.* quia nulla loquendi libertas eſt ſub tyranno. vt Virg. *Cunctis ſe ſcire fatentur quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant.* TORVVM. id eſt, adhuc toruum, adhuc minantem. Salluſt. *Ferociam quam viuus habuerat in vultu retinens.* LAETATI. non diu gauiſi quod rediit, quia ſe ſtatim peremit. PACEMQVE SEPVLCHRI. quia dixit inquietam illis forę animam, qui ferro pereunt, aut inſepulti remanent. NEQVICQVAM, bene *nequicquam,* quia ſecundum Epicurum nihil mortui ſentire videntur. vt Virg. *Facilis iactura ſepulchri.* Quorumdam enim opinio eſt animas cum corporibus interire. vt Lucret. Iuſta hominis ſepultura nihil prodeſt. PASSVRE SITVM. obliuionis mala minime patieris. vnde Virg. *Si quid mea carmina poſſunt nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.* SANCIRE VIAM. Viam dicit, per quam contemnendo regiam poteſtatē, ad libertatis inſignia poſſimus peruenire. LAVROQVE. propter Daphnen dicit, cuius arborem æternum virere voluit, pro perpetuitate amoris ſui. ET NEMORVM DODANA PARENS. In Chaonia regione, quæ pars eſt Epiri Dodonei Iouis templum eſſe dicitur, notum numinis reuerentia: vbi duæ columbæ fuiſſe dicuntur, ſedentes ſuper duas quercus, & reſponſa dantes. exprimentes in mutis animalibus quid homo adorare vellet, & poſtea vna earum tranſuolauit Delphos, quæ ciuitas in regione Beotiæ, iuxta Parnaſſum montem eiuſdem regionis. Ibique Delphici Apollinis oraculo opinionem parauit. altera Hammonis Iouis templum in Africa tenuit. Dodoneum igitur fuit oraculum Iouis in Epiro, vbi de quercu columba hominibus reſponſa dabat. SVSPENDERE. ſollicitos facere. vt Virg. *Suſpenſum numine ducit.* Senſus. ocia habebunt oracula te mortuo, hoc eſt propter tuum interitum conticeſcent. ELYSIOS. hunc ſolum de Thebanis dicit Elyſios promeruiſſe campos. Cæterum pro meritis ſcelerum nullam ad Elyſios campos animā Thebanam peruenire. ET NEMVS ET TRISTIS VOLVCRVM REVERENTIA SERVAT. aut quia mortuo exhibetur reuerentia, aut quia ore prohibebantur attingere.

At nuptæ examines, puerique, ægrique parentes
Mœnibus effuſi per plana, per ardua, paſſim

Quiſque ſuas auidi ad lachrymas miſerabile currunt
Certamen, quos denſa gradu comitantur euntes
Millia ſolandi ſtudio; pars viſere flagrant
Vnius acta viri, & tantos in nocte labores.
Feruet iter gemitu & plangoribus arua reclamant.
Vt verò infames ſcopulos, ſyluamque nefandam
Peruentum, ceu nulla prius lamenta, nec atri
Manaſſent imbres, ſic ore miſerrimus vno
Exoritur fragor, aſpectúque accenſa cruento
Turba furit. ſtat ſanguineo diſciſſus amictu
Luctus atrox, cæſóque inuitat pectore matres,
Scrutantur galeas frigentum, inuentáque monſtrant
Corpora, proclidua ſuper externóſque, ſuoſque,
Hæ preſſant in tabe comas, hæ lumina ſignant,
Vulneráque alta replent lachrymis. pars ſpicula dextra
Nequicquam parcente trahunt, pars molliter aptant
Brachia trunca loco, & ceruicibus ora reponunt.

QVISQVE SVAS AVIDE. Ad ſuas quiſque lachrymas. id eſt, quas de ſuis habituri ſunt: & eſt verbum ſine præpoſitione. vt Sall. *radicem montu exceſſit*. SOLANDI STVDIO. quorum licet nemo fuiſſet occiſus, tamen ſolandi gratia ſequebantur. INFAMES SCOPVLOS. aut Sphyngos cædibus notos, aut quia illic à Tydeo quinquaginta cõfoſſi ſunt. vt Horat. *Infames ſcopulos Acroceraunia.* ACCENSA: id eſt, ſuorum cadaueribus viſis. LVCTVS ATROX. hoc totum poetice incorporauit. PROCIDVAS. pænè cadentes. id eſt, irruentes in faciem. LVMINA SIGNANT: id eſt, claudunt oculos mortuorum. NEQVICQVAM. quia mortuis nullus doloris ſenſus eſt.

At vaga per dumos, vacuique in puluere campi
Magna parens iuuenum, gemini tunc funeris, Ide
Squallentem ſublata comam, liuentiáque ora
Vngue premens, nec iam infelix miſerandáque, verum
Terror ineſt lachrymis, perque arma, & corpora paſſim
Caniciem impexam dira tellure volutans,
Quærit inops natos, omníque in corpore plangit.
Theſſalis haud aliter bello gauiſa recenti,
Cui gentile nefas hominem reuocare canendo,
Multifida attollens antiqua lumina cedro
Nocte ſubit campos, verſátque in ſanguine functum
Vulgus, & explorat Manes, cui plurima buſto
Imperet ad ſuperos. animarum mæſta queruntur
Concilia, & nigri pater indignatur Auerni.

MAGNA

M MAGNA PARENS IVVENVM. Ibat enim ad ſepulturam duorum. IDE. nomen eſt mulieris, cuius duos filios geminos à Tydeo diximus interemptos. ergo Græca declinatio nominatiuo *Ide*, huius *Ides*. SVBLATA COMAM. ſqualentem comam ſublatam habens. TERROR INEST LACHRYMIS. id eſt, præ dolore luctus cœperat eſſe terror. Senſus. oblita quidem virorum fortium mater durauerat. VOLVTANS. Πάθος doloris à facto. OMNIQVE IN CORPORE PLANGIT. omnia putans filiorum eſſe cadauera, per errorem lamentabatur per ſingula corpora. THESSALIS HAVD ALITER BELLO GAVISA. Sic etiam in Lucan. maga videtur ſic deſcripta, recens cadauer quærens occiſi hominis. Conſtat enim animas eorum qui olim defuncti fuerunt, euocari non poſſe. CVI GENTILE NEFAS. id eſt, cui proprium hoc & facile eſt, quia omnimodis ſuæ gentis eſt crimen, hominem reuocare. vt Virgil. *Sæpe animas imis excire ſepulchris*. vt in corpora iterum hominum redire compelleret. MVLTIFIDA. multifarie fiſſa. EXPLORAT MANES. innoxia virorum. BVSTO. mortuo vel cadaueri. QVÆRVNTVR. id eſt, dolent ſibi requiem tolli.

Illi in ſeceſſu pariter ſub rupe iacebant
Felices, quos vna dies, manus abſtulit vna
Peruia vulneribus media trabe pectora nexi:
Vt vidit lachrymiſque oculi patuere profuſis:
Hóſne ego complexus genitrix? hæc oſcula nati
Veſtra tuor? ſic vos extremo in fine ligauit
Ingenium crudele necis? quæ vulnera tractem
Quæ prius ora premam? vóſne illa potentia matris,
Vos vteri fortuna mei, qua tangere diuos
Rebar, & Ogygias titulis anteire parentes?
Ha quanto melius, dextráque in ſorte iugatæ,
Quîs ſteriles thalami, nullóque vlulata dolore
Reſpexit Lucina domum, mihi quippe malorum
Cauſa labor. ſed nec bellorum in luce patenti
Conſpicui factis, æternáque gentibus auſi,
Quæſiſtis miſeræ vulnus memorabile matri:
Sed mortem obſcuram, miſerandáque funera paſſi.
Heu quantus furto cruor, & ſine laude iacetis.
Quin ego, non dextras miſeris complexibus auſim
Diuidere, & tanti conſortia rumpere leti.
Ite diu fratres, indiſcretíque ſupremis
Ignibus, & caros vrna confundite manes.

LACHRYMISQVE OCVLI. obducuntur enim oculorum viſus humore lachrymarum, qui vbi profuſus fuerit reddit aſpectum. TVOR. pro intuor. EXTREMO IN FINE LIGAVIT. memor poeta ſuperioris deſcriptionis. Ait enim, *Fixit & in fratrem, cognatáque pectora ferro Traiecit.* TANGERE. æquare, contingere. TITVLIS. titulus eſt memoria bonorum factorum, qui ſolet ſuperponi tumulis mortuorum. ANTEIRE PARENTES. Nioben ſpecialiter tangit. DEXTRAQVE. id eſt, ſorte proſpera. QVIS STERILES THA-

LAMI. quibus thalami infœcundi. ET NON VLVLATA LVCINA. id eſt, non inuocata parturientibus præ dolore. vt Terent. *Iuno Lucina fer opem, ſerua me obſecro.* Quanto melius, inquit, cum illis agitur quæ propter ſterilitatem ſuam non ſubiacent orbitati. CAVSA LABOR. mire dixit, vt liberos cum labore genuiſſe videatur, quos nunc cernit extinctos. Laboraui ergo vt infelix fierem. IN LVCE PATENTI. publiee, honeſto interitu, quia nocte occubuerunt, nec luce pugnantes, vbi virtus potuiſſet videri. alia querela quod inglorij nocte perierunt. ÆTERNA. quæ eſſe[illegible]ud omnes gentes memorabilia numerandaque, qui inter paucos nec in magno p[illegible]o concidiſtis: aut quia nocte perempti fuiſtis. ET SINE LAVDE. quia non inter cunèos hoſtium nobilis eſt datus interitus. INDISCRETIQ. SVPREMIS. Vna vobis traditur ſepultura: quos nec in morte fata diſcriminant.

Nec minus interea digeſta ſtrage ſuorum
Hinc Chronium coniux, hinc mater Penthea clamat
Aſtyoches, puerique rudes tua Phædime proles
Amiſſum didicere patrem: Marpiſſáque pactum
Phyllea, ſanguineúmque lauant Acamanta ſorores.
Tunc ferro retegunt ſyluas, colliſque propinqui
Annoſum truncant apicem, qui conſcius actus
Noctis, & inſpexit gemitus. ibi grandior æuo
Ante rogos,, dum quiſque ſuo nequit igne reuelli,
Concilium infauſtum dictis mulcebat Alethes.
Sæpe quidem infelix, varióque exercita ludo
Fatorum gens noſtra ruit, Sidonius ex quo
Hoſpes in Aonios iecit ſata ferrea ſulcos.
Vnde noui fœtus, & formidata colonis
Arua ſuis. ſed nec veteris cùm regia Cadmi
Fulmineum in cinerem monitis Iunonis iniquæ
Conſedit, neque funerea cùm laude potitus
Infelix Athamas trepido de monte veniret
Semianimem heu leto referens clamore Learchum:
Hic gemitus Thebis. nec tempore clarius illo
Phœniſſæ ſonuere domus, cùm laſſa furorèm
Vicit, & ad comitum lachrymas expauit Agaue.

DIGESTA. id eſt, diſpoſitis cadaueribus, vmiſque iam conditis. PVERIQVE RVDES. aut ætate breues, aut malorum ignari. PACTVM. ſponſum. vt Virg. *Et pacta coniugis.* GRANDIOR AEVO. Quo in loco Alethes æuo grandior lugentibus ante rogos ſuos gemitus ſolabatur. SEPE QVIDEM INFELIX. Hæc oratio conſolationem continet, quæ conſtat exemplis. vt Virg. *O paſſi grauiora.* dicit autem, nunquam tantam ſcemam infelicitatis accidiſſe Thebanis: & ne contra præceptum faciat, ſi infelicitatem carere dicat exemplo, ideo dicit vnum diem poſſe iſtis cladidus comparari, quo Niobe quatuordecim filios vno momento ira numinum perdidit. Omnes enim reliquæ hiſtoriæ de Thebanorum calamitate, præcipue ex ſuperioribus, bene iam notæ ſunt.

VNDE NOVI FOETVS. proprie *fœtus*, quia fœtus terræ partus eſt. vt Virg. *Sic quoque mutatis requieſcunt fœtibus arua.* CONSEDIT. corruit, conſumpta eſt. NEQVE FVNERA. Putabat ſe occiſo filio Learcho Athamas gloriam conſecuturum, quem præ furore feram putauit. gloriabatur ergo inſana mente venationis euentu. DE MONTE. de quo Leucothea ſe præcipitauit in fluctus cum Palæmone. HIC GEMITVS THEBIS. talis, qualis nunc eſt quinquaginta hominum clade peremptis. FVROREM VICIT. reſipuit ad hoc ſolum, vt agnoſceret orbitatem. EXPAVIT. quia adhuc cauſam neſciebat.

Vna dies ſimilis fato ſpecièque malorum
Aequa fuit, qua magniloquos luit impia flatus
Tantalis innumeris cùm circumfuſa ruinis
Corpora tot raperet terrâ, tot quæreret ignes.
Talis erat vulgi ſtatus, & ſic vrbe relicta,
Primæuique ſenes, & longo examine matres
Inuidiam planxere deis, miſeróque tumultu
Bina per ingentes ſtipabant funera portas.
Méque ipſum memini, necdum apta doloribus ætas,
Fleſſe tamen, gemitúque meos æquaſſe parentes.

VNA DIES. prope eſt vt hæc infelicitas conſolatione careat, ſi nihil vnquam tale contigit, ideo ſubdidit exemplum. quia vt Ouid. ait, Niobe Latonam coli vetabat, in ſe cupiens transferre honorem numinis, quod illam in vtroque ſexu liberorum fœtibus iactabat anteire ſe. Tantalis autem Niobe, quia Tantali fuit filia. Filij Niobes hi; Archemorus, Antegorus, Tantalus, Phædimus, Siphylos, Xenarchus, Epinites. Item filiæ. Aſticratia, Pelopeia, Chloris, Cleodoxe, Ogime, Phega, Neera. INNVMERIS. quia innumera orbitas cinxerat matrem vt nunc virorum fortium cæde circumuallabat orbitas ciuitatem. CORPORA TOT. quia pro numero filiorum rogos quoque mater extruxerat. RAPERET TERRA. illa re raperet. nam hodie quoque Niobe ſic pingitur gremium conferta tot natis, dum vnumquemque amplecti manibus affectat. LONGO EXAMINE. id eſt, turba. INVIDIAM TRAXERE DEIS. vt Lucan. *Et nullis defuit aris Inuidiam factura parens.* BINA PER INGENTES. Thebæ ab auctoribus Heptapylæ ſunt nominatæ, quia ſeptem portis ambiebantur. Vt oſtenderet Nioben quatuordecim habuiſſe filios, ait bina funera per ſingulas portas efferebant: vt & hinc daretur intelligi Thebanam ciuitatem ſeptem portarum exitu decoratam.

Illa tamen ſuperi. nec quod tibi Delia caſtos
Prolapſum ad fontes ſpecula temerante profana,
Heu dominum inſani non agnouere moloſſi
Deflerim magis, aut verſo quod ſanguine fluxit
In ſubitos regina lacus. ſic dura ſororum
Penſa dabant, viſúmque Ioui. nunc regis iniqui
Ob noxam immeritos patriæ tot culmina ciues
Exuimus, nec adhuc calcati fœderis Argos
Fama ſubit, & iam bellorum extrema dolemus.

Quantus equis, quantúſque viris in puluere craſſo
Sudor! io quantum crudele rubebitis amnes!
Viderit hæc bello viridis manus. aſt ego doner
Dum licet igne meo, terráque inſternar auitæ.

MOLOSSI. Acteonem dicit, qui mutatus in ceruum putatur, quod Dianam nudam aſpexerat, & à ſuis dicitur canibus laniatus. IN SVBITOS REGINA LACVS. Dyrcen ſignificat, quam Amphion & Zetus, Iouis & Antiopæ filii, tauro vinxerunt, de cuius ſanguine fons eſt natus, eius nomine decoratus SIC DVRA SORORVM. Ideo inquit illa non fleo, quia patientius fertur, quod fato accidit. Nunc ergo quinquaginta iſti regis vitio ceciderunt. Sic Cicero in Philippicis. *Multa autem impendere videntur, præter naturam & præter fatum.* Ideo & poeta deſcribit illud fatorum fuiſſe, hoc non: de qua re magna quæſtio eſt. Sed ſi philoſophicè inueſtigemus arcana (ſi hæc talia tamen eueniſſe credamus) reperire poſſumus hoc magis fato factum, quod per Etheoclis inſidias contigit. Quod enim deorum iracundiis extra fatum? licet enim diis, quia ipſa fata ſenſerunt, facere quod velint, quia humanum genus hoc vinculo ligauerunt, vt iuuit ſuas voluntates atque licentias: Attamen ſi vtrumque perpendas, & hoc & illud fato eueniſſe cognoſces. Nam vt quinquaginta morerentur, per regis perfidiam contigit. & illa quæ ſuperius facta narrauit de Dyrce, de Niobe, de Pentheo, de Agaue, de Acteone, etiam decreti fuiſſe poterimus agnoſcere. Omne enim quodcunque, fato moritur, vt Virgil. *Stat ſua cuique dies.* EXVIMVS. Perdidimus. tanquam quæ tegerent, aut ornarent. EXTREMA DOLEMVS. Senſus, cum nondum bella commiſſa ſint, iam timemus extrema bellorum, quæ victi pati conſueuerunt.

Hæc ſenior: multúmque nefas Etheoclis aceruat,
Crudelem, infandúmque vocans, pœnáſque daturum.
Vnde ea libertas? iuxta illi finis & ætas
Tota retro, ſeráque velit decus addere morti.
Hæc ſator aſtrorum iamdudum è vertice mundi
Proſpectans, primóque imbutas ſanguine gentes,
Gradiuum acciri propere iubet. ille furentes
Biſtonas, & Geticas populatus cædibus vrbes,
Turbidus ætherias currus vrgebat ad arces.
Fulmine criſtatum galeæ iubar, armáque in auro
Triſtia, terrificis monſtrorum animata figuris
Incutiens. tonat axe polus, clypeique cruenta
Lux rubet, & ſolem longè ferit æmulus orbis.
Hunc vbi Sarmaticos etiamnum efflare labores
Iuppiter, & tota perfuſum pectora belli
Tempeſtate videt: Talis mihi nate per Argos,
Talis abi, ſic enſe madens, ac nubilus ira.
Exturbent reſides frenos, & cuncta peroſi
Te cupiant, tibi præcipites animáſque, manúſque

Denoueant: rape cunctantes, & fœdera turba
Quæ dedimus. tibi fas ipſos incendere bello
Cœlicolas, pacémque meam. iam ſemina pugnæ
Ipſe dedi, remeat portans immania Tydeus
Auſa ducis. ſcelus & turpis primordia belli,
Inſidias, fraudéſque, ſuis quas vltus in armis.
Adde fidem. vos ô ſuperi, meus ordine ſanguis,
Ne pugnate odiis, neu me tentare precando
Certetis. ſic fata mihi, nigræque ſororum
Iurauere colus. manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello, populíque in prælia nati.

VNDE EA LIBERTAS. Quæritis, inquit, quo vultu Alethes crimina in regem liberè congerat? Videt enim ſibi vitæ finem propinquum, & omne incolumitatis ſpacium eſſe tranſlatum, & propter hoc ne moriatur inglorius, quaſi liber & conſtans, vt de illo hoc poſtea populus loquatur, optat occidi. Vnde Lucan. *Vnam ſpem mortis honeſtæ concipitis.* BISTHONAS ET GETHICAS. Gentes Thraciæ crudeliſſimæ, ob quam cauſam Mars eſſe de Thracia dicitur. vt Virg. *Gradiúmque patrem Gethicis qui præſidet arua.* FVLMINE CRISTATVM. Quod exibat de criſta galeæ infinitum lumen habens. eratque galea in modum fulminis criſtis ornata. TRISTIA. Quæ quanquam eſſent aurea, tamen triſtitia non carerent, vt eſſet terror in pretio. TONAT AXE POLVS. Incertum vtrum poli axem, an currus dixerit: ſed rectius currum axem accipimus. ÆMVLVS. luci radianti par magnitudine. SIC ENSE MADENS AC NVBILVS IRA. Madentem ſanguine gladium ferens aut tenens. & furore triſtis. EXTVRBENT RESIDES FRENOS. id eſt vincula legis & fœdera, quibus tenentur in pace. vt Virgil. *Nı frenum accipere.* ET CVNCTA PEROSI. Quaſi communis verbi ſit participium: vt *peroſus te, & peroſus tibi.* Virgil. *lucemque peroſi.* Alibi. *non genus omne peroſum fœmineum.* ET FOEDERA TVRBA. Ante bellum enim Thebanum inter Argos & Thebas odia penitus non fuerunt. QVAE DEDIMVS. Conceſſimus tibi ocia longa ſubito bello turbare. ADDE FIDEM. Vt Tydeo credat. NIGRAE. infernæ, quia bellorum. COLVS. Penſa, notandum plurali numero declinatum. AB ORIGINE MVNDI. Secundum illos qui dicunt, naſcente mundo præfinita eſſe hominum fata. IN PRAELIA NATI. Quaſi mundi hæc conſtituta ſint lege, vt populi hi bellis intereant.

Quod niſi me veterum pœnas ſancire malorum
Gentibus, & diros ſinitis punire nepotes,
Arcem hanc æternam, mentíſque ſacraria noſtræ
Teſtor, & Elyſios etiam mihi numina fontes,
Ipſe manu Thebas, correptáque mœnia fundo
Excutiam, verſáſque ſolo ſuper Inacha tecta
Effundam turres, ac ſtagna in cærula vertam
Imbre ſuperiecto: licet ipſa in turbine rerum
Iuno ſuos colles, templúmque amplexa laboret.

ARCEM HANC AETERNAM. Inter ortum & occaſum omne quod medium eſt, *meridies* vocatur. & eſt ſedes deorũ. Vnde eſt illud Græcum* ANNOTATE CAPETA. id eſt, *aurea mediocritas.* Inde facile apud Maronem Mercurius ad Atlantem venit, *quamuis hic vertice cæli conſtitit.* intelligimus prope ſeptentrionem. ETIAM MIHI NVMINA FONTES. Ordo. Teſtor Elyſios fontes, qui etiam ſunt mihi numina. Vnde Virgil. *dij cuius iurare timent, & fallere numen.* IPSE MANV THEBAS. vt conſoletur omnibus minatur Argiuis. Conſtat enim timorem periculi accipere ſolatium, ſi hoc non ſolus quicunque patiatur. VERTAM. Aut in mare traham, aut diluuio conteram.

Dixit, & attoniti iuſsis: mortalia credas
Pectora, ſic cuncti vocémque, animóſque tenebant.
Non ſecus ac longa ventorum pace ſolutum
Æquor, & imbelli recubant vbi littora ſomno,
Siluarumque comas, & abactas flamine nubes
Mulcet iners æſtas: tunc ſtagna, lacúſque ſonori
Detumuere: tacent exhauſti ſolibus amnes.
Gaudet ouans iuſsis, & adhuc temone calenti
Feruidus, in leuum torquet Gradiuus habenas.
Iámque iter extremum, cœlique abrupta tenebat,
Cùm Venus ante ipſos, nulla formidine greſſum
Fixit equos, ceſſere retro, iam iamque rigentes
Suppliciter poſuere iubas, tunc pectora ſummo
Acclinata iugo, vultúmque obliqua madentem,
Incipit (interea dominæ veſtigia iuxta
Spumantem proni mandunt Adamanta iugales)
Bella etiam in Thebas ſocer ô pulcherrime, bella
Ipſe paras, ferróque tuos abolere nepotes?
Nec genus Harmonies, nec te connubia cœlo
Feſta, nec hæ quicquam lachrymæ furibunde morantur?
Criminis hæc merces? hæc fama, pudórque relictus?
Hoc mihi Lemniacæ de te meruere cathenæ?
Perge libens, at non eadem Vulcania nobis
Obſequia, & læſi ſeruit tamen ira mariti.
Illum ego perpetuis mihi deſudare caminis
Si iubeam, vigiléſque operi tranſmittere noctes;
Gaudeat, ornatúſque nouos, ipſique laboret
Arma tibi. tu, ſed ſcopulos, & ahena precando
Flectere corda paro, ſolum hoc tamen anxia, ſolum
Obteſtor, quid me Tyrio ſociare marito
Progeniem caram, infauſtiſque dabas Hymenæis?

Dum fore præclaros armis, & viuida rebus
Pectora vipereo Tyrios de ſanguine iactas,
Demiſſúmque Iouis ſerie genus. heu mea quanto
Sithonia mallem nupſiſſet virgo ſub arcto
Trans Boream, Thracáſque tuos. indigna parúmne
Pertulimus diuæ Veneris quod filia longum
Reptat, & Illyricas eiectat virus in herbas?
Nunc gentem immeritam, lachrymas non pertulit vltra
Bellipotens. haſtam leua tranſumit, & alto
(Haud mora) deſiluit curru, clypeóque receptam
Lædit in amplexu , dictíſque ita mulcet amicis.

MORTALIA CREDAS. Sic præcepto Iouis cũcta ſunt territa numina, vt crederẽtur mortalia. IAMQVE INTER EXTREMVM. Parte qua deficit cælum, vt Homerus, *PIERIO ΛOCTE TΛCCVNΛIO BEΛOIC TECNEIOI. ſignificans interuallum, quo terra ſeparatur a cælo. ſic & *abrupta montium* dicimus, & *Olympi ardua*. QVOD CAELVM DIXERE. ideo, quia apex eius omnibus inuiſibilis eſt. Infra enim nubes ſunt. vt Lucan. *Nubes excedit Olympus*. NVLLA FORMIDINE. Nec mirum quod Martis arma non timuit, quæ irati Iouis temnere conſueuit. IAM IAMQVE RIGENTES. Erectas ſiue horribiles. Vt Virgil. *Riget horrida tergo palla*. ACCLINATA IVGO. Incumbens. Venus ſuper iugum vultum madentem lachrymis obliquum tenens, vt hoc habitu Martem in amorem ſuum magis magiſque ſuccenderet. SOCERO. Quia Cadmus Harmonien , Martis & Veneris filiam, duxit vxorem. Iure ergo Martem ſocerum nominauit. CRIMINIS HAEC MERCES. Adulterii ſcilicet: quia ſpreto Vulcano cum Marte concubuit. LEMNIACAE DE TE MERVERE CATENAE. quibus in Lemno deprehẽſa cum Marte vincta fuit. quanquam Veneris & Vulcani notiſſima fabula ſit, breuiter tamen exinde pauca perſtringam. Poſtquam filiabus Solis Venus amores immiſit, & ſingulæ exitiali morbo detentæ interiere, Vulcanus Mineruæ conſilio monile aſtu perfecit. Nam conſcia factum Minerua , indicant oculi Gorgonis, quos dicit poeta in illo monili gemmis inſertos. Fecit ergo monile pulcherrimum infauſti ominis, quod dedit Harmonie, cum Cadmo nuberet. Cuius malo omine in dracones cum marito conuerſa eſt. Deinde hoc monile Semele geſtauit, quæ fulminibus Iouis aſſumpta eſt. Inde habuit Ino quæ, a marito Atamãte occiſo per furorẽ ex filiis vno Learcho, cum alio, id eſt, Palæmone ſe præcipitauit in mare , vt mariti inſequẽtis vitaret inſaniam. poſt hanc habuit Agaue, & ipſa filiũ furorẽ percuſſit. Hæ omnes filiæ Cadmi & Harmonies fuerunt. habuit & Iocaſta, quæ per errorem filio nupſit. habuit & Argia, ſed Eriphilæ dedit, vt mariti proderet latebras. CRIMINIS HAEC MERCES. iam nec coniugii memor eſt, quæ vocat crimen. amat dolor acerbare coniugium. vt apud Virg. hoſpitem appellauit Aeneam Dido furore percuſſa, *Cui me moribundam deſeris hoſpes: Hoc ſolum nomen quoniam de coniuge reſtat*. ARMA TIBI. Vt *Marti curruumq. rotaſq. volucris*. TV. apoſiopeſis: vt Virgil. *Quos ego*. AHENA. ærea. id eſt fortia. INFAVSTISQVE DABAS HYMENAEIS Hymenæus puer genere Athenienſis fuit. Is cum annos puerilis ætatis excederet, neque adhuc virum poſſet implere, ea pulchritudine præditus fuiſſe dicitur, vt fœminam mentiretur. is cum vnam ex ciuibus ſuis virginem nobilem adamaſſet, ipſe mediocribus ortus parentibus, quia nuptias deſperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, ſatis animo ſolo faciebat aſpectu. Cumque nobiles fœminæ cum virginibus ſacra Cereris Eleuſinæ celebrarent, ſubito aduentu piratarum raptæ ſunt, inter quas etiam Hymenæus: qui illò amatam fuerat ſubſecutus, quod puella crederetur. Cum igitur perlonginqua maria prædam piratæ vexiſſent, ad quan-

dam regionem tandem deuoluti perueniunt, ibique ſomno oppreſſi ab inſequentibus ſunt interempti. Hymenæus relictis ibi virginibus reuerſus Athenas, pactus eſt a ciuibus dilectæ nuptias, ſi eis filias ſuas reſtituiſſet. quas vbi pro voto reſtituit, exoptatam accepit vxorem. Quod coniugium quia felix fuerat, placuit Athenienſibus nomen nuptiis Hymenæi miſcere. DE SANGVINE IACTAS. Propter quinque illos qui de draconis dentibus nati ſunt, & occiſis reliquis ſoli ſuperfuiſſe dicuntur: qui condenti Thebas Cadmo ſocij fuerunt, id eſt, Echion, Pelorus, Hyperion, Tydeus, & Cthonius. IOVIS SERIE GENVS. Cadmi ſcilicet, cuius origo hoc ordine a Ioue deſcēdit. Iouis filius Eleus, Elei Belus, Beli & Libyæ Agenor, Danaus, & AEgiſtus. Agenoris Cadmus. Cadmi Polydorus. Polydori Labdacius. Labdacii Laius. Laii Oedipus. Oedipi & Sinenex Antigone, Etheocles, Polynices. ILLYRICAS. Vbi Cadmus fugiens infortunia Thebarum, exiſtimans ſe cū loco etiā mutare fortunam, cum Harmonie coniuge verſi ſunt in dracones in Illyrico. vt Lucan. *Enchelæ verſi teſtantes funera Cadmi.*

O mihi bellorum requies, & ſacra voluptas
Vnaq́ue pax animo. ſoli cui tanta poteſtas
Diuorum, hominumq́ue meis occurrere telis
Impune, & media quamuis in cæde frementes,
Hos aſsiſtere equos, hunc enſem auellere dextra.
Nec mihi Sidonij genitalia fœdera Cadmi,
Nec tua cara fides (ne falſa inceſſere gaude)
Exciderant. prius in patrui deus infera mergar
Stagna, & pallentes agar exarmatus ad vmbras.
Sed nunc fatorum monitus, mentémque ſupremi
Iuſſus obire patris, (neque enim Vulcania tali
Imperio manus apta legi) quo pectore contra
Ire Iouem dictáſque parem contemnere leges?
Cui modò, prò vires! terras, cœlúmque, fretúmque,
Attremere oranti, tantóſque ex ordine vidi
Delituiſſe deos. ſed ne mihi corde ſupremos
Concipe cara metus, quando hæc mutare poteſtas
Nulla datur. cùm iam Tyriis ſub mœnibus ambæ
Bellabunt acies adero, & ſocia arma iuuabo.
Tunc me ſanguineo latè deferuere campo
Res ſuper Argolicas haud ſic deiecta videbis:
Hoc mihi ius, nec fata vetant. ſic orſus aperto
Flagrantes immiſit equos. non ocyus alti
In terras cadit ira Iouis, ſi quando niualem
Othryn, & Arctoæ gelidum caput inſtitit Oſſæ,
Armauítque in nube manum. volat ignea moles
Sæua dei mandata ferens, cælúmque triſulca
Territat omne coma. iamdudum aut ditibus agris

Signa dare, aut ponto miſeros inuoluere nautas.
Iamque remenſus iter feſſo Danaeia Tydeus
Arua gradu, viridíſque legit deuexa Proſymnæ
Terribilis viſu. ſtant fulti puluere crines,
Squalidus ex humeris cadit alta in vulnera ſudor,
Inſomnéſque oculos rubor excitat, oráque retro
Sorbet anhela ſitis. mens altum ſpirat honorem
Conſcia factorum. ſic nota in paſcua taurus
Bellator redit, aduerſo cui colla, ſuóque
Sanguine, proſciſſique natant palearibus armi.
Tunc quoque laſſa tumet virtus, multumque ſuperbit
Pectore deſpecto. vacua iacet hoſtis arena
Turpe gemens, crudóſque vetat ſentire dolores.
Talis erat. medias etiam non deſtitit vrbes,
Quicquid & Aſopon, veteréſque interiacet Argos
Inflammare odiis. multúmque, & vbique retexens
Legatum ſeſe Graia de gente petendis
Iſſe ſuper regnis profugi Polynicis. at inde
Vim, noctem, ſcelus, arma, dolos, ea fœdera paſſum
Regis Echionij, fratri ſua iura negari.

ET SACRA VOLVPTAS. Matheſeos* hic monſtrauit. Si enim mixtus aliis ſideribus fuerit Mars, vehementior truculentiorque fit. cõtra ſi Ioui, bonus. ſi, Veneri, ſupplex fiet. VNAQVE PAX ANIMO. Pacem a Venere petiit, quia ſoli conceſſum eſt Martem domare. Lucret.

Nam tu ſola potes tranquilla pace iuuare
Mortales, quoniam belli ſera mœnia Manors
Armipotens regit, in gremium qui ſæpe tuum ſe
Reiicit, æterno deuinctus vulnere amoris.

EXCIDERANT. Propter metrum. vt *longa decem tulerant faſtidia menſes.* PRIVS IN PATRVI. Prius perdam conditionem huius ciuitatis, quam aliquando mei ſanguinis obliuiſcar. EXARMATVS. prius perdam immortalitatem, quam mei generis obliuiſcar. SVPREMI. Summi. vt Terẽt. *proch ſupreme Iupiter.* iureiurãdo cõfirmauerat ſe omnium meminiſſe. & ſupereſt vt quetẽti cõtra Thebanos aliquid moliri, per venialẽ ſtatũ ſe excuſet. dicit enim ſe facere, ſed coactum. NEQVE ENIM VVLCANIA. Nunquam enim ad hæc poteſt mitti Vulcanus. & oportune imbecillitatem obiecit mariti, vt amorem Veneris in ſe transferret. CONCIPE CARA METVS. Id eſt nolo timeas excidium Thebanorum, qui non vincẽtur ita, vt penitus pereant. APERTO. cælo. IRA IOVIS. fulmen. SIQVANDO. Quoniam hi montes tam finguntur altiſſimi, ita vt inter nubes potius deliteſcant. ARMAVITQVE IN NVBE MANVM. Nubem dixit fulmen. vt Virg. *ipſe manu quatiens oſtendit ab æthere nubem.* TRISVLCA. Pro quadriſulca: quia fulmen ex quatuor conſiſtit, aqua, igni, nube, vento. DITIBVS. Locupletibus. id eſt fertilibus. SIGNA DARE. Vt ſignum det aut perituras eſſe fruges, aut nauigantibus imminere naufragia.

IAMQVE REMENSVS ITER. Tranſitus ad Tydeum. LEGIT. Præterit, & eſt ſermo nauticus. Virgil. *littoraque Epyri legimus*. STANT. horrent, aut certe pleni ſunt puluere. RETRO. maciem indicat. quaſi retrò facies eius ducta ſit. TVMET VIRTVS. Omne quippe gaudiũ quod eſt nimiũ noſtri nos immemores facit. ideo dicit ſuperbire virtutẽ, ſicut animum virtutemque tranſcendat. VACVA. quod in ea ſolus iaceat, quaſi ad gloriam ſuæ virtutis ſpectet, ſuperato hoſte pectus habere confoſſum: quem laus victoriæ, & victi gemitus conſolatur. ASOPON. Fluuius eſt Beotiæ. dicit autem ſpacium quod inter Aſopon & Argos interiacet, in bellum Tydei inflammationibus excitatum.

Prona fides populis. Deus omnia credere ſuadet
Armipotens. geminátque acceptos fama pauores.
Vtque introgreſſus, portas (& fortè verendos
Concilio pater ipſe duces cogebat Adraſtus)
Improuiſus adeſt, iam illinc à poſtibus aulæ
Vociferans: arma, arma viri, tuque optime Lernæ
Ductor, magnanimum ſi quis tibi ſanguis auorum,
Arma para. nuſquam pietas, non gentibus æquum,
Fas, aut iura Iouis, melius legatus adiſſem
Sauromatas auidos, ſeruatorémque cruentum
Bebrycij nemoris. nec iuſſa incuſo, pigétue
Officij, iuuat iſſe, iuuat, Thebáſque nocentes
Exploraſſe manu. bello me, credite, bello
Ceu turrim validam, aut arctam compagibus vrbem
Delecti inſidiis inſtructíque omnibus armis,
Nocte, dolóque viri, nudum, ignarúmque locorum
Nequicquam clauſere. iacent in ſanguine mixti
Ante vrbem vacuam. nunc ô, nunc tempus in hoſtes,
Dum trepidi, exanguéſque metu, dum funera portant:
Dum capulo nondum manus excidit. ipſe ego feſſus
Quinquaginta illis heroum immanibus vmbris,
Vulneráque iſta ferens putri inſiccata cruore
Protinus ire peto. Trepidi de ſedibus aſtant
Inachidæ, cunctíſque prior Cadmeius heros.
Accurrit vultum deiectus, & ô ego diuis
Inuiſus, vitáque nocens hæc vulnera cerno
Integer? hóſne mihi reditus germane parabas?
In me hæc tela dabas? prò vitæ fœda cupido,
Infelix fratri facinus tam grande negaui.

CREDERE SVADET. Tydei relatione. ET FORTE VERENDOS. Oeconomia oportuna:

quippe hoc actum eſt occaſione conſilij, ne narranti Tydeo publicus deeſſet auditor. AEQVVM, FAS. Quia ſcelerati hac ſpe peccant, dum ſperant deos criminum vindices nõ fore, vnde Virgil. *Contemptorque deum Mezentius.* Nam ſunt philoſophi, qui cum videant naturæ mala neceſſitate res contrarias ac peſſimas in mundo parari, dicunt curam humanarum rerum penitus Deos non habere, vnde Virg. Epicurũ ſecutus ait. *Scilicet hic ſuperis labor eſt, ea cura quietos ſollicitat.* aut ſi omnino ad deum humanarum rerum pertinet cura, crudelis eſt. vt idem. *Nec curare deum credas mortalia quemquam.* AVT IVRA IOVIS. Quaſi violatæ hoſpitalitatis gratia, deum hoſpitio præſulem, inuiolatum eſſe dixiſſet. vt Virg. *Iupiter hoſpitibus nã te dare iura loquuntur.* SAVROMATAS AVIDOS. Sauromatæ vltra Pontum ſunt, vicini Amazonibus. vt Iuuenal. *Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialẽ oceanum.* Sauromatas ergo Sarmatas dicit, genus hominum ad omne parauiſſimum ſcelus. BEBRYCI NEMORIS. Pollux cum Argonautis ad Bebryciam appulſus eſt, cum eum Amycus rex Bebryciorum ad cæſtuum prouocaſſet certamen (Amycus autem hanc conſuetudinẽ ſemper habuit, vt inſidiaretur in Bebrycio nemori, vbi ſiquis forte aduena deuolutus fuiſſet, ab eo cæſtibus prouocatus occumberet) hunc Pollux eodem certamine ſuperatum dicitur occidiſſe. hic autem Amycus Neptuni, & Melies filius fuit, quem Pollucem diximus proſtrauiſſe. cuius mortem vindicaturi ciues cũ Polluci inſtarent, Argonautæ aſſerturi commilitonem ſuum in aciem proceſſerunt, victoriamque Bebryciorum tulerunt. Bebrycia autem Bithynia dicta eſt. vt Virg. ad Daretis augendum virtutis meritum, dixit: *qui ſe Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat.* ARCTAM COMPAGIBVS VRBEM. muris valloque munitam: quia vrbem dicere iactanus erat, ideo adiecit *arctam*. ideſt, anguſtam. NOCTE DOLOQVE VIRI. Quantæ occaſiones periculorũ fuerint Tydeus exponit: nox, dolus, ipſe inſcius locus, & tam aperte vicinus. VACVAM. Viris fortibus exhauſtam. PARABAS. vt huiuſmodi mihi parares inſidias. aut certe qualis Tydeus reuerſus eſt, talis & ego ad Argos redirem. GRANDE NEGAVI. Vtique ego debui proficiſci, vt frater plenum parricidii titulum poſſideret.

Et nunc veſtra quidem maneant in pace ſerena
Mœnia. ne vobis tanti ſim cauſa tumultus
Hoſpes adhuc. ſcio, nec me adeò res dextra leuauit,
Quàm durum natis thalamo, quàm triſte reuelli,
Quàm patria. non me vllius domus anxia culpet,
Reſpecténtue truces obliquo lumine matres.
Ibo libens certúſque mori. licet optima coniux
Auditúſque iterum reuocet ſocer. hunc ego Thebis
Hunc germane tibi iugulum, & tibi maxime Tydeu
Debeo. ſic variis pertentat pectora dictis,
Obliquátque preces. commotæ queſtibus iræ,
Et mixtus lachrymis caluit dolor. omnibus vltro
Non iuuenum modo, ſed gelidis, & inertibus æuo
Pectoribus mens vna ſubit, viduare penates,
Finitimas adhibere manus, iamque ira: Sed altus
Conſiliis pater, imperiíque haud flectere molem
Inſcius, Iſta quidem ſuperis, curæq. medenda
Linquite quæſo meæ, nec te germanus inulta

Sceptra geret, neque vos auidi promittere bellum.
At nunc egregium, tantóque in ſanguine ouantem
Excipite Oeniden, animoſáque pectora laxet
Sera quies, nobis dolor haud rationis egebit.

CAVSA TVMVLTVS. vt Virg. *Ne matri miſeræ tanti ſimcauſa tumultus.* RES DEXTRA LEVAVIT. Nec me, inquit, tantum extollit coniugij repentina felicitas, vt neſciam quã ſit durũ quietos homines ad bella compellere: hoc autem mire anticipat, ne poſtea ipſe culpetur: alioquin nullus magis bella deſiderat. Agitur quippe de eius imperio. QVAM TRISTE REVELLI: ſcio inquit quemadmodum durum ſit a liberis diſtrahi, ituris ad bella. VLLIVS DOMVS. nolo domorũ habere maledicta, ſi quæ fuerint viduatæ neceſſitate bellorum. TRVCES OBLIQVO LVMINE MATRES. filiorum deſiderio mihi infeſtæ: vt Horat. *Bellaque matribus deteſtanda*, id eſt, quarum filij me ſequantur ad bella. IBO LIBENS. Cũ dicit *ibo*, facit vt ſolus ire non debeat. AVDITVS. A me ſcilicet, vt obtemperans primum, hoc dicit vt intelligamus Polynicem ad Thebas ante ire voluiſſe, ſed prohibitum ſe ab Adraſto queritur, vt prius legatio mitteretur. Artificioſa ergo conqueſtio eſt, quæ ſic ait, vt in vltionẽ ſui etiam nolentes ire cõpellat. OMNIBVS VLTRO. defectu orationis totius aperuit voluntatẽ. Namdum aſtute repudiabat auxilia, id egit vt mereretur. VLTRO. Bene, quia ille ingenioſe noluerat, putans ſe vltro velle. aut *vltro* vltra accipimus. vt Virg. *& miſereſcimus vltro.* SED ALTVS CONSILIIS. profundus pater conſiliis, prouidus. vt Virg. *arces quibus altus Apollo perſidet.* ISTA QVIDEM SVPERIS. More Romano orationem de bello habiturus primum ſibi deos facit propicios.

Turbati extemplo comites, & pallida coniux
Tydea circum omnes feſſum bellique, viæque
Stipantur. lætus medius in ſedibus aulæ
Conſtitit, ingentique exceptus terga columna.
Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon,
Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis
Mitior. ipſe alta ſeductus mente renarrat
Principia irarum, quæque orſus vterque viciſſim,
Quis locus inſidiis, tacito quæ tempora bello.
Qui contra, quantique duces, vbi maximus illi
Sudor, & indicio ſeruatum Mæona triſti,
Exponit. cui fida manus proceréſque, ſocérque
Aſtupet oranti, Tyriuſque incenditur exul.

EPIDAVRIVS. Ciuitas in Græcia, vnde Aeſculapius fuiſſe dicitur, medicinæ artis inuẽtor: & bene perito medico illius ciuitatis tribuit gloriam, a qua inuentor artis ipſius dicitur ſumpſiſſe principium. NVNC VELOX FERRO. Non ad aſperitatem rettulit, ſed ad bene faciendum velocitate operis, dum aliquid reſecatur. PRINCIPIA IRARVM. Id eſt orationis ſuæ libertatem, vel quæ huic ab Etheocle reſponſa fuerunt. VBI MAXIMVS ILLE SVDOR: Quos fortiores reperit, apud quos tota virtute pugnauerit. SERVATVM MAEONA. Quemadmodũ vnũ ſeruaſſet Mæoniden, qui indicia Thebanis acceptæ cladis exponeret. TYRIVSQVE INCENDITVR EXVL. Inflammatus Polynices referente Tydeo quid fecerit, nimia æmulatione virtutis.

Soluerat Heſperij deuexo margine ponti
Flagrantes ſol pronus equos, rutilamque lauabat
Oceani ſub fonte comam. cui turba profundi
Nereos, & rapidis accurrunt paſſibus Horæ,
Frenáque, & auratæ textum ſublime coronæ
Diripiunt. laxant, calidis humentia loris
Pectora, pars meritos vertunt ad molle iugales
Gramen, & erecto currum temone ſupinant.
Nox ſubit, & curas hominum, motúſque ferarum
Compoſuit, nigróque polos inuoluit amictu,
Illa quidem cunctis, ſed non tibi mitis Adraſte,
Labdacióque duci. nam Tydea largus habebat
Perfuſum magna virtutis imagine ſomnus.
Et iam noctiuagas inter deus armiger vmbras
Deſuper Arcadiæ fines Nemeæaque rura,
Tænariúmque cacumen, Apollineáſque Therapnas
Armorum tonitru ferit, & trepidantia corda
Impletam ore ſui. comunt Furor Iráque criſtas,
Frena miniſtrat equis Pauor armiger. at vigil omni
Fama ſono varios rerum ſuccincta tumultus
Anteuolat currum, flatúque impulſa gementum
Alipedum, trepidas denſo cum murmure plumas
Excutit. vrget enim ſtimulis auriga cruentis
Facta, infecta loqui, currúque infeſtus ab alto
Terga, comáſque deæ Scythica pater increpat haſta.

Devexo margine. Inclinato in eam partem mundi, quæ de cælo in oceanum mergitur. tota enim poetica deſcriptio tranſlata eſt de Homero. Ille enim hanc ſcemam in Neptuni deſcriptione depinxit. Rapidis passib. Velociter tranſeuntibus. Accvrrvnt horae. quaſi Solis Horæ ſint comites. prætetea deſcriptionis iſtius conſideranda eſt pictura, quemadmodum diuerſa diuerſis fungantur officiis. Meritos. Bene *meritos*, poſt laborem. ſ. fatigatos. Ivgales. equi Solis dicuntur Xanthus & Aethon. quorum nomina ponit Martial. libro octauo dicendo. *quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus & Aethon frena volunt.* Ouid. vero omnium quatuor equorum Solis nomina euidentius verſibus ſuis demonſtrauit, dicens.

Interea volucres Pyrous, Eous, & AEthon,
Solis equi, quartúſque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibúſque repagula poſcunt.

Nox svbit. Alternè quippe creſcit vmbra noctis, vt quidam volunt, aut ſubit in cælum. vt Virg. *Vertitur in cælum &. r. o. n.* Sic ergo cum oritur dies, nox ruit; cum occidit, nox ſurgit. alterno vt ſurgant, alterno vt cadant. Imagine. Occupant eum labores egregii. In ſomnis enim videbat ea quæ geſſerat. Therapnas. Ciuitatis nomen eſt

in Lycia, Apollini ſacra. nec à ſororis eius religione diſſentiens. vt ipſe alibi, *laſſata Theramnu.* PAVOR ARMIGER. Vt quicquid ſonuiſſet, populis eſſet horrendum. VRGET ENIM STIMVLIS. Quaſi fama ſit Martis auriga, quæ omnia rumore compleret. FACTA INFECTA LOQVI. Virg. *tam ficti prauique tenax, quam nuncia veri.* Omnes ergo terrores circa Martis currum fuiſſe poëta deſcribit. vt Virg. *Iraque inſidiæque dei comitatus aguntur.*

Qualis vbi Aeolio demiſſos carcere ventos
Dux præ ſe Neptunus agit, magnóque volantes
Iniicit Aegæo. triſtis comitatus eunti
Circum lora fremunt, nimbíque, hyeméſque profundæ,
Nubiláque, & vulſo terrarum ſordida fundo
Tempeſtas. dubiæ motis radicibus obſtant
Cyclades. ipſa tua Mycone, Gyaróque reuelli
Dele times, magnique fidem teſtaru alumni.

INIICIT AEGEO. Aegei fabula patris Theſei, & apud Virg. bene comperta eſt. Ex cuius nomine, quod ſe propter Theſeum in mare præcipitauerat, id pelagus Aegeum ſit appellatum. MAGNIQVE FIDEM TESTARIS ALVMNI. Hic enim præſtitit vt ventos illa contemneret, & munere auxilii & fidei officio eſſet ſtabilis. cuius fabulæ notio apud Virg. manifeſta eſt.

Septima iam nitidum terris Aurora deiſque
Purpureo vehit ore diem, Perſeius heros
Cum primum arcana ſenior ſeſe extulit aula
Multa ſuper bello, generiſque tumentibus, amens
Incertúſque animi, daret armis iura, nouóſque
Gentibus incuteret ſtimulos, an frena teneret
Irarum, & motos capulis aſtringeret enſes.
Hinc pacis tranquilla mouent, atque inde pudori
Fœda quies, flectíque noua dulcedine pugnæ
Difficiles populi. dubio ſententia tandem
Sera placet, vatum mentes, ac prouida veri
Sacra mouere deûm. ſolers tibi cura futuri
Amphiarae datur, iuxtáque Amythaone cretus
Iam ſenior, ſed mente virens Phœbóque Melampus
Aſſociat paſſus, dubium cui dexter Apollo,
Oráque Cyrrhæa ſaciaris largius vnda.
Principio fibris, pecudúmque in ſanguine diuos
Explorant. iam tum pauidis maculoſa bidentum
Corda negant, diráque nefas minitantia venâ,
Ire tamen, vacuóque ſedet petere omina cœlo.

SEPTIMA. Ex quo Tydeus reuerſus erat. PERSEIVS HEROS. Mos poetæ huius eſt frequenter eaſdem perſonas nondum cognitis prænominibus innouare, vt nunc Adraſtum ſignificat. Perſeus enim Argis regnauit, vt ipſe alibi. *Perſeos alter in Argos ſcinditur.*

MVLTA SVPER BELLO GENERISQVE TVMENTIBVS. Bene *generis*. Nam & Tydeus in vindictam ſui bellum deſiderat, & Polynices vt recuperaret imperium. ergo bellum deſiderant vnus victor, alter incenſus: ideo *tumentibus*, id eſt, anhelãtibus bellum. SACRA MOVERE DEVM. Tentare, audire auguria belli, & per vates cognoſcere. Lucan. *fineſque expromere rerum.* proprie enim *mouere ſacra* dicuntur, vbi ceperint inchoari. Lucan. *ſacris tunc admonet aris.* SED MENTE VIRENS. hic Prœtidas inſanientes, accitus à Præto ſenex purgauit. Prœtus igitur Abantis filius, rex Argiuorum, inimicam felicitatis ſuæ habuit coniugis fœcũditatem. Tres enim ſuſtulit filias, & ad tempus nuptiarum vſque perduxit: ſed incontinens virginum lingua infelicitatis edidit cauſas. hæ enim feruntur ſolemniter templum Iunonis intraſſe, & ſe prætuliſſe deæ. His rebus offenſa Iuno in iuuencas vertit puellas, & cupiditatem iniecit ſyluas petendi; credentes ſe formam induxiſſe vaccarum. Quod eo vſque paſſæ ſunt, donec Prœtus regni partem, ſiquis eas in priſtinum ſtatum mentis reſtituiſſet, propoſuit habiturum, & ex his coniugem. A Melampo ergo Prœtides ſunt inſania liberatæ: acceptamque Melampus vnam ex virginibus duxit vxorem, & conſors regni Prætu fuit, & gener. hic Melampus herbariæ artis peritiſſimus fuit. vt Virg. *Amithaoniúſque Melampus.* ASSOCIAT PASSVS. id eſt, dedit vaticinandi ſcientiam. & eſt ſenſus. dubium erat vtrum Amphiarao, an Melampo pronus Apollo magis eſſet, vel cuius ora potius ſatiaſſet vnda Cyrrhæa. hoc autem, quia nobilis vterque diuinandique peritus. MINITANTIA VENA. Diuinantia exta negauerant bonum exitum futurum eſſe bellorum.

Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo,
Nomine Lernæi memorant Apheſanta coloni,
Gentibus Argolicis olim ſacer. inde ferebant
Nubila ſuſpenſo celerem temeraſſe volatu
Perſea, cum raptos pueri perterrita mater
Proſpexit de rupe gradus, ac penè ſecuta eſt.
Huc gemini vates ſanctam canentis oliuæ
Fronde comam, & niueis ornati tempora vittis
Euadunt pariter. madidos vbi lucidus agros
Ortus, & algentes lauauit ſole pruinas.

AVDACI. vſque adeo audax emerſerat altitudo, vt cælum poſſet pulſare cacumine. & bene *audaci*, quod propius cælo auſus eſſet inſurgere. APHESANTA. Mons eſt Tarſo Siciliæ, vnde ſe Perſeus miſerat ad volandum, cum ad extinguendam Gorgonem Libyam peteret. ἀπὸ τοῦ ἀφεῖναι Apheſanta nomen accepit. TEMERASSE VOLATV. Violaſſe. vt ſibi vindicaret, quod homini natura non dederat. AC PENE SECVTA EST. Perſeum Danae mater. & mire temperauit ſenſum, & ſollicitudinem caræ matris expreſſit. CANENTIS OLIVAE. candidæ. EVADVNT PARITER. pariter aſcendunt. LAXAVIT SOLE PRVINAS. Sol incipiens aëra frigidum gelu diſſoluit. Ouid. *Solque pruinoſas radiis ſiccauerat herbas.*

Ac prior Aeclides ſolita prece numen amicat.
Iuppiter omnipotens, nam te pernicibus alis

Addere conſilium, volucréſque implere futuri,
Omináque, & cauſas cœlo deferre latentes
Accipimus. non Cyrrha deum promiſerit antro
Certius, aut frondes lucis quas fama Moloſsis
Chaonias ſonuiſſe tibi. licet aridus Hammon
Inuideat, Lyciæque parent contendere ſortes,
Niliacúmque pecus, patrióque æqualis honori
Branchus, & vndoſæ qui ruſticus accola Piſæ
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in vmbra.
Ditior ille animi, cui tu Dictæe ſecundas
Impuleris manifeſtus aues. mirum vnde, ſed olim
Hic honor alitibus. ſuperæ ſeu conditor aulæ
Sic dedit, effuſum Chaos in noua ſemina texens:
Seu quia mutatæ, noſtráque ab origine verſis
Corporibus ſubiere Notos: ſeu purior axis,
Amotúmque nefas, & rarum inſiſtere terris
Vera docent, tibi ſumme ſator terræque deúmque
Scire licet. nos Argolicæ primordia pugnæ,
Venturúmque ſinas cœlo prænoſſe laborem.
Si datur, & duris ſedet hæc ſententia Parcis
Soluere Echionias Lernæa cuſpide portas,
Signa feras, leuúſque tones. tunc omnis in aſtris
Conſonet arcana volucris bona murmura lingua.
Si prohibes, hic necte moras, dextríſque profundum
Alitibus prætexe diem. ſic fatus, & alto
Membra locat ſcopulo: tunc plura, ignotáque iungit
Numina, & immenſi fruitur caligine mundi.

PERNICIBVS. Velocibus. ADDERE CONSILIVM. *Addere* bene dixit. Non eſt enim ipſius quod mouetur. CYRRHA. Cyrrha prope Parnaſſum eſt, quo in loco Apollo futura prædicit. CHAONIAS SONVISSE TIBI. Epyroticas quercus dicit, in quibus ſedentes columbæ ſciſcitatoribus futura dicebant. Virg. *atque habitæ Grais oracula quercus.*

ARIDVS HAMMON INVIDEAT. Vt Iuuenal. *Quicquid dixerit Aſtrologus credunt à fonte relatum Hammonis.* Liber cum ex India veniens in deſerta & in extrema parte Libyæ teneretur, ac ſiti laboraret exercitus, dicitur rogaſſe Iouem, vt ſe patrem probaret. Vnde ex harena ſubito aries apparuit, quo duce Liber aquam inuenit, petitque Iouem, vt arietem in aſtra transferret. In eo autem loco in quo aqua fluxit templum conſtituit, quod Iouis Hammonis dicitur. Simulacrum autem eius adiectis cornibus arietinis confectum eſt, de quo templo poſtea dicuntur data eſſe oracula. NILIACVMQVE PECVS. Apin dicit taurum lunatum Iſidis, qui Ægyptiis motu corporis ſui & quibuſdam ſignis futura prædicit, qui Memphis naſcitur. BRANCHVS. Branchi meminit Terentian. de metris.

Hymnum

Hymnum Branchiadæ Phœbo cantaſſe, Ioniqué
Paſtorem Branchum, cum captus amore pudico
Fatidicas ſortes docuit depromere Pœan.

Branchus Theſſalus fuit dilectus Apollini, vt Hyacinthus, quẽ acriter interfectum dolens templo & ſepulchro conſecrauit. illic Branchiades Apollo dicitur. hic Zoamacon opinione Metrodori Perigetici condidit * ab Aethiopia vſque in Libyam tria opinata templa. † Traianus ſolis in Aethiopia hoc eſt ter fulgentis. Quantum per ceteram terram ardet inclinare vltimo Libyæ quod Sagittario clauditur, ſigno eſſe Hammonis templum Iouis intra Aethiopas. Indi ſunt enim & qui Peuſeudo-Aethiopæ vocantur. & Libyas vltimas eſſe prope Alexandriam. Branchiades, qui Ioué Branchum colunt. poteſt * & hæc deriuatio religionum currere: quod Iſthmia quæ in honorem Neptuni aguntur, fingũtur Melicertia. Nam cõſtat Melicertam ab Aethiope rege ſuſceptum cum Beotiam nauigio Iſthmos delatus eſſet. Nam & Archemoria in honorem Iouis celebrare volunt. credunt enim quod magnum fuerit Iouis incrementum. PANA LYCAONIAE. Pan apud Piſas ruſticos numine ſuo replere ſolet, datque oracula qui impletur deo. ergo neque ille æquari potuit ô Iuppiter, qui in nocturna vmbra audit Pana. id eſt, quaſi per ipſum numen loquatur hominibus. DITIOR ILLE ANIMI. Diuerſa loca commemorat. & quis Deus, & quo in loco fatura prædixerit. laus vero augurii eſt, quæ per reliquarum artium diminutionem extollitur. MIRVM. Vnde in errorem inducitur iſta admiratio, cum inuocatione. Nam quaſi Virgilium, ſed non recto ordine ſequitur: ait enim. *haud equidem credo quia ſit diuinitus illis.* HIC HONOR ALITIBVS. Rationé redditurus eſt, vnde conceſſũ ſit auibus futura prædicere. Quod Virg. quaſi philoſophus explicat Epicureus, hic quaſi Platonicus. prima opinio eſt ab Heſiodo, futura prædicere, quia ſupernus orbis conditor cum chaos figuraret in ſemina, hanc illis poteſtaté conceſſit. *In noua* autem *ſemina*, vt generatim omnia procrearét, quæ corpora vt Epicurei teſtantur inania fiunt athomorum, & mutantur, ad originem verſis corporibus. hoc phyſicè. Aiunt enim & * apſin fieri animarum in corpora. vt lectum eſt in Horatio. *Nec te Pythagora fallunt arcana renati.* primum enim anima eius in Euphorbum migraſſe dicitur Troiano prælio, dum de clypeo ageretur Danai de poſte refixũ. ſecundo in Pythagoram. tertio in pauonem. quarto in Homerum. quinto in Ennium poetam. ergo animas in quo ſunt corpore eandem tenere ſapientiam. hæc autem ſecunda opinio eſt. SEV PVRIOR AXIS. Tertia opinio dicit aues ideo futura prædicere, quia in aere ſunt, & puriſſime viuunt. exinde, quia raro terris inſidunt quæ ſunt nefaſtæ. ergo aues vera dicere illa res facit axis purior. LAEVVSQVE TONES. id eſt, bono omine confirmes auſpicia, quia optimum augurantibus ſignum id eſt, ſi de ſiniſtra cæli parte tonuerit. Vt, *cælo de regione ſerena intonuit læuum*, & per totum poeta, quaſi augurandi peritus expoſuit. dextra enim parte in contrario, læua in bono. Virg. *Ante ſiniſtra caua monuiſſet ab ilice cornix.* SOLVERE ECHIONIAS LERNAEA CVSPIDE PORTAS. *Soluere*, in excidium deducere. *Echionias*. Thebanas. LERNAEA CVSPIDE. Argolico ferro. NECTE MORAS. Hoc eſt ne ad Thebanos cogamur ire in caſſum. DEXTRISQVE ALITIBVS. Quia de cælo venientibus à dextra parte auibus auguria mala ſunt. CALIGINE MVNDI. Quicquid hominibus non patet, ſolus videbat. Intentionem incredibilem deſcribit. Nam obtutu vno fixi oculi non dubitatione caligant.

Poſtquam vitæ diu partiti ſydera, cunctas
Perlegêre animis, oculiſque ſequacibus auras:
Tunc Amythaonius longo poſt tempore vates,
Nonne ſub excelſo ſpirantis limite cœli
Amphiarae vides, curſus vt nulla ſerenos
Ales agat? liquidóque polum complexa meatu
Pendeat? aut fugiens placabile plauſerit omen?

Semideos inter pinus me Theſſala reges
Duceret. hic caſus terræque mariſque canentem
Obſtupuere duces, nec me ventura locuto
Sæpius in dubiis auditus Iaſone Mopſus.
Sed ſimiles non ante metus, aut aſtra notaui
Prodigioſa magis. quanquam maiora parantur,
Huc aduerte animum. clara regione profundi
Aetheris, innumeri ſtatuerunt agmina cygni.
Siue hos Strymonia Boreas eiecit ab arcto,
Seu fœcunda refert placidi clementia Nili,
Fixerunt curſus, hac rere in imagine Thebas.
Nam ſeſe immoti gyro, atque in pace ſilentes,
Ceu muris, vallóque tenent. ſed fortior ecce
Aduentat per inane cohors. ſeptem ordine fuluo
Armigeras ſummi Iouis, exultante caterua
Intuor. Inachij ſint hi tibi (concipe) reges.

VARII PATER OMINA PHOEBI SAEPE TULI. Tuli, inquit, varia omina Phœbi, ex quo omine inter reges ſemideos pinus duxit Theſſala. Dicit autem, ex illo tempore quo cum Argonautis vectus ſc. Iaſon Colchos petit. *Semideos reges* ait, quia filii regum omnes fuerunt, qui in illa naui impoſiti ſunt. *Theſſala* autem *pinus* ARGO, quæ in Pelio monte Theſſaliæ fabricata eſt. Peliæ igitur Neptuni filio à ſortibus præceptum erat, cum Neptuno ſacrificaret, & aliquis nudo pede ſuperueniſſet, tunc ei mortem appropinquare. Is ergo cum annua ſacra Neptuno faceret, Iaſon Aeſonis filius cum veniſſet ad flumen, in limo vnum ei calciamentum adhæſit. ille vt celerius veniret, neglexit. cum ſuperueniret ſacrificio Pelias aſpexit, & memor ſortium, iuſſit eum arietis pellem inauratam à Colchis petere à rege Oeta, qui conuocata Græcorum nobilium iuuentute Colchos profectus eſt. AVDITVS IASONE MOPSVS. Mopſus Apollinis & Himantis filius, amicitia Iaſoni fida coniunctus, diuinandi peritus. Ait ergo nunc Melampus, non plus me auditus eſt Mopſus immininentibus cladibus cum ego futura prædicerem. In tantum enim magnus fuit Mopſus in augurandi peritia, vt poſt mortem ei templa dicata ſint, à quorum adytis ſæpe homines reſponſa accipiunt. QVANQVAM ET MAIORA PARANTVR. Id eſt, maiora video quam timemus. Lucan. *Sed venient maiora metu.* STRYMONIA. *Strymon* fluuius eſt Thraciæ; eſt autem in Septentrione. vt *Strymoniæ dant ſigna grues.* CLEMENTIA NILI. Quia ibi nunquam frigus eſt. vt Lucan. *Nunquam fugiente roſa.* HAC RERE IN IMAGINE THEBAS. in hac imagine eſſe finge Thebas. Reddit cauſas cur pro Thebis accipi debeant cygni, quia vt Thebani muris illi ſe gyro vallabant. ARMIGERAS. Significat aquilas, quæ in tutela Iouis erant. CONCIPE REGES. Finge iam, inquit, tibi Argiuorum reges. ſeptem enim reges contra Thebas conſpirauerunt.

Inuaſere globum niuei gregis, vncáque pandunt
Cædibus ora nouis, & ſtrictis vnguibus inſtant.
Cernis inexperto rorantes ſanguine ventos,
Et plumis ſtillare diem? quàm ſæua repente

Victores agitat leto Iouis ira ſiniſtri?
Hic excelſa petens ſubita face Solis inarſit,
Summiſitque animos. illum veſtigia adortus
Maiorum volucrum teneræ depoſitis alæ.
Hic hoſti implicitus pariter ruit. hunc fuga retro
Voluit agens ſociæ linquentem fata cateruæ.
Hic nimbo glomeratus obit. hic præpete viua
Paſcitur immoriens. Spargit caua nubila ſanguis.

NIVEI GREGIS. Cygnorum ſcilicet. ET PLVMIS STILLARE DIEM. Quia excuſſæ in congreſſu plumæ, mixtæ ſanguine ex aere cadunt. vt Virg. *Tunc cruor euulſa labuntur ab æthere penna.* SVBITA FACE SOLIS INARSIT. Omnes aquilæ, quas pro ſeptem ducibus interpretantur, eo genere perituræ ſunt, vt ipſos duces exitium manet, vt docebimus. CAPANEVS FVLMINE. inde dixit, *inarſit face*, quod auſus ſit dei contemptu arma tollere, & cum in altum ſuſtolleret contra fas fulminatus decidit. vt Virg. *inſuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.* ILLVM VESTIGIA ADORTVM. Parthenópeum ſignificat, qui puerili ætate maiora viribus ſuis tentando, confoſſus eſt. HIC HOSTI IMPLICITVS. Polynicen ſignificat, qui fratri morienti implicitus fuit. HVNC FVGA RETRO. Adraſtum dicit, qui ſolus euaſit. vt Virg. *Et Adraſti pallentis imago.* id eſt, timore fugientis. HIC NYMBO GLOMERATVS OBIT. Hippomedontem ſignificat fluminis periturum eſſe vertigine. HIC PRAEPETE VIVA. Tydeum dicit, qui interfectoris ſui Menalippi oblato ſibi capite, cerebrum eius dum moreretur abſorbuit.

Quid furtim lachrymas? illum venerande Melampu
Qui cadit, agnoſco. trepidos ſic mole futuri,
Cunctáque iam rerum certa ſub imagine paſſos
Terror habet vates. piget irrupiſſe volantum
Concilia, & cœlo mentem inſertaſſe vetanti.
Auditique odere deos. vnde iſte per orbem
Primus venturi miſeris animantibus æger
Creuit amor? diuúmne feras hoc munus, an ipſi
Gens auida, & parto non vnquam ſtare quieti
Eruimus quæ prima dies, vbi terminus æui,
Quid bonus ille deum genitor, quid ferrea Clotho
Cogitet? hinc fibræ, & volucrum per nubila ſermo,
Aſtrorúmque vices. numeratáque ſemina lunæ,
Theſſalicúmque nefas. At non prior aureus ille
Sanguis auûm, ſcopuliſque ſatæ vel robore genteis
Mentibus hoc auſæ. ſyluas amor vnus, humúmque
Edomuiſſe manu. quid craſtina volueret ætas
Scire nefas homini. nos prauum, ac debile vulgus

Scrutamur penitus ſuperos. hinc pallor, & iræ
Hinc ſcelus, inſidiæque; & nulla modeſtia voti.

QVID FVRTIM INLACRYMAS. Amphiaraus Melampo dicit, quid fles quod vides me moriturũ. augurium cadentis cygni mihi finem vitæ portendere ego cognoſco. Notandum quod vocatiuum *Melampu* dixit. TERROR HABET VATES. Qui non tantum vidiſſe ſe crederent, ſed fuiſſe perpeſſos. PIGET. Eos exauditos fuiſſe, quos vtique pigere debuiſſet, ſi eos auguria fefelliſſent. Sed quia mala compererant piget rupiſſe volantum concilia. AVDITIQVE. Declamatio e contrario. Lucan. *Cur hanc tibi rector olympi ſollicitis viſum mortalibus addere curã.* VNDE ISTE PER ORBEM. διαπόρησις poetica. Quærit enim vnde prius hominibus ſtudium augurandi vel vaticinandi venerit. ERVIMVS QVAE PRIMA DIES. Id eſt, de ſecretis elicimus, quæ dies mundi aut natalis, aut finis ſit. QVID BONVS ILLE. Secundum Mathematicos, apud quos dicitur Cælopeus. ASTRORVMQVE VICES. Matheſeôs, vbi ſit luna vel quo ſigno, vel quæ aſtra ſignificent. NVMERATAQVE SEMINA LVNAE. Si *ſemina* propter ſpumam magicæ artis. ſi *ſemita* propter obliquum circulum, quo curſus exercet. *numerata* autem, quia per numerum dierum flammarum ſuarum augmenta detrimentaque recipit. THESSALICVMQVE NEFAS. Artem magicam dicit, quæ cadauera cogit futura prædicere. PRIOR AVREVS ILLE. Non vt antiqui aureo ſæculo fuerunt. ſic ad hæc Saturnum expulſum, & aureis ſæculis præfuiſſe. vt eſt. *Aureaque vt perhibent illo ſub rege fuere ſæcula.* SCOPVLISQVE SATAE. Huius fabulæ quod argumentum ſit accipe. Iupiter cum videret humanum genus relicta innocentia vitiis ſe dediſſe, emendaturus publicã mortalitatis peſtẽ, etiam periculo naturæ, effuſione imbrium terras operuit, atque ita vniuerſum genus hominum deleuit, cõmuni ruina. Habuit reuerentiam pietas. Deucalion namque & Pyrrha fratres, idemque coniuges, cum illibata ſanctitate meruiſſent numinum miſericordiam, nauicula vecti Delphos impoſiti ſunt, ibique Themidis, quæ oraculo præerat, audierunt reſpõſũ, ita poſſe reparari humanum genus, ſi oſſa matris poſt terga iactarent. Obſcurata veritas errore fuit, vſque dum prudentia melior oraculo fieret. Intellexerunt enim matrem terram ſignificare, quippe rerum omnium genitricem, oſſa vero lapides eius. Vnde Virg. *Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem.* Itaque ſaxa poſt terga iacta ſunt, mirumque dictu, homines nati, atque ſolitudinem orbis repleuit ingenium & pietas. Diluuium vero hoc quod dicitur falſiſſimum eſt. Namque vſque nunc durat, & mundus omnis tectus eſt vndis. Fama cataclyſmi inanis eſt, nec fieri potuit, ſed myſtice per fabulam figuratum eſt, quia vt dixi genus mortalium vitia atque ignauia inuaſit. Dicit autem antiquis iſtam requirendi curã penitus non fuiſſe. ROBORE GENTES. Virg. *genſque virum truncis & duro robore nata.* QVOD CRASTINA VOLVERAT AETAS. Horat. *Quid ſit futurum cras fuge quærere.* ET NVLLA MODESTIA VOTI. quia illicita ſemper optamus.

Ergo manu vittas, damnatáque vertice ſerta
Diripit, abiectáque inhonorus fronde ſacerdos
Inuiſo de monte redit. iam bella, tubæque
Comminus, abſentéſque fremunt ſub pectore Thebæ.
Ille nec aſpectum vulgi, nec fida tyranni
Colloquia, aut cœtus procerum perferre, ſed atra
Sede tegi, & ſuperum clauſus negat acta fateri.
Te pudor, & curæ retinent per rura Melampu.
Biſſenos premit ora dies. populumque ducéſque
Extrahit incertis. & iam ſuprema Tonantis

Iuſſa fremunt, agroſque viris, annoſáque vaſtant
Oppida. Bellipotens præ ſe deus agmina paſsim
Mille rapit. liquére domos, dilectaque læti
Connubia, & primo plorantes limine natos,
Tantus in attonitos cecidit deus. arma paternis
Poſtibus, & fixos ſuperum ad penetralia currus
Vellere amor. tunc feſſa putri rubigine tela,
Horrentéſque ſitu gladios in ſæua recuruant
Vulnera, & attrito cogunt iuueneſcere ſaxo.
Hi teretes galeas, magnorumque ærea ſuta
Thoracum, & tunicas chalybum ſquallore crepantes
Pectoribus tentare, alij Cortynia lentant
Cornua. iam falces auidis, & aratra caminis,
Raſtráque, & incurui ſæuum rubuere ligones.
Cædere nec validas ſanctis è ſtirpibus haſtas,
Nec pudor emerito clypeum veſtiſſe iuuenco.

DAMNATAQVE VERTICE SERTA. abſoluta. Virg. *damnabis tu quoque votis.* id eſt perſolues. SVB PECTORE THEBAE Quæ futura ſunt aliis, præſentia ſunt ſacerdoti. TE PVDOR ET CVRAE. erat enim & augur & medicus. vt Virgil. *Amithaoniuſque Melampus.* ANNOSAQVE VASTANT. Id eſt, quæ iuſſa ſunt implere feſtinant cupiditate pugnandi. TVNC FESSA PVTRI RVBIGINE. Hinc Lucan. *Et ſcabros nigræ morſu rubiginis enſes.* PECTORIBVS APTARE. Vt Virg. *ſimul aptat habendo enſemque clypeumque & rubræ cornua criſtæ.* CORTYNIA. Cretenſia, vt Lucan. *Cortynia arundo tenditur in ſauã &c.* RVBVERE LIGONES. Naturam ignis expreſſit, quæ facit ferrum rubeſcere. SANCTIS E STIRPIBVS. hic non pudebat illos de ſacris lucis præfixiſſe lanceis haſtilia. vt Virg. *Sed ſtirpem nullo diſcrimine ſacrũ.*

Irrupere Argos, mœſtique ad limina regis
Bella animis, bella ore fremunt. it clamor ad auras,
Quantus Tyrrheni gemitus ſalis, aut vbi tentat
Enceladus mutare latus. procul igneus antris
Mons tonat, exundant apices, fluctuſque Pelorus
Contrahit, & ſperat tellus abrupta reuerti.
Atque hic ingenti Capaneus Mauortis amore
Excitus, & longam pridem indignantia pacem
Corda tumens (huic ampla quidem de ſanguine priſco
Nobilitas, ſed enim ipſe manu progreſſus auorum
Facta. diu tuto ſuperûm contemptor, & æqui
Impatiens, largúſque animæ modo ſuaſerit ira)
Vnus vt è ſyluis Pholoes habitator opacæ
Inter & Aetnæos æquus conſurgere fratres:

Ante fores vbi turba ducum, vulgíque frementis
Amphiarae tuas, quæ tanta ignauia, clamat,
Inachidæ? vosque ô ſocio de ſanguine Achiui
Vnius (heu pudeat) Phœbeia ad limina ciuis,
Tot ferro accinctæ gentes, animíſque paratæ
Pendemus? non ſi ipſe cauo ſub vertice Cyrrhæ
Quiſquis is eſt timidis, famæque ita viſus, Apollo
Mugiat inſano penitus ſecluſus in antro,
Expectare queam. dum pallida virgo tremendas
Nuntiet ambages. Virtus mihi numen, & enſis,
Quem teneo. iamque huc timida cum fraude ſacerdos
Exeat, aut hodie volucrum quæ tanta poteſtas
Experiar. letum fremit, aſſenſuq. furentem
Implet Achæa manus. tandem prorumpit adactus
Oeclides, alio curarum agitante tumultu.

CONTRAHIT. Tãta ſaxa de vertice ab Encelado volui dicit, vt mare fieri poſſit anguſtũ quod Italiã à Sicilia ſeparat. vt Lucã. *ne rupti repetant cõfinia montes.* Nã olim dicit Sall. Italiã Siciliæ iunctam fuiſſe: ſed medium ſpatium aut propter humilitatem abruptum eſt, aut propter anguſtiam ſciſſum, aut dum curuum ſit facit natura mollioris Italiæ, in quam altitudo & aſperitas Siciliæ æſtum relidit. D. T. ET AEQVI INPATIENS. Qui iccirco diu tutus fuerit, quod ei ſupremus dies ſeruabatur in Thebas. LARGVSQVE ANIMO. Vt Horatius. *Animaque prodigum paulum.* MODO SVASERIT IRA. Quod ſi iratus eſſe poſſet vitam ſumma facilitate contemneret. Vt Virg. *Iſthic eſt animus lucis contemptor.* HABITATOR OPACAE. Vtique Centaurus. Virgil. *ceu duo nubigenæ cum vertice montis ab alto deſcendunt Centauri.* PHOLOE. mons Theſſaliæ. Talis ergo erat, quales gigantes aliquando fuerunt. magnitudinem eius ex gigantibus comparauit, & Cyclopibus, de locis quibus fuerunt notans. vt Virg. *Cernimus Aetneos.* IGNAVIA CLAMAT. Virg. *quæ tanta animis ignauia venit.* VNIVS. Secutus auctoritatem Virgil. dactylum poſuit. Vt, *vnius ob noxam.* INSANO PENITVS SECLVSVS IN ANTRO. Vt eſt *horrendas canit ambages antroque remugit.* MIHI NVMEN ET ENSIS. Totum hoc ex Virgiliana ſede de Capaneo ponit. Ait enim ille *Dextra mihi deus & telum quod miſſile libro.* QVAE TANTA POTESTAS. Quæ illi præſtatur vt futura cognoſcat. OECLIDES. Amphiaraum Oeclei filium dicit.

Non equidem effreno iuuenis clamore profani,
Dictorúmque metu, licet hic inſana minetur,
Elicior tenebris. alio mihi debita fato
Summa dies. vetitúmque dari mortalibus armis.
Sed me veſter amor, nimiusque arcana profari
Phœbus agit. vobis ventura, atque omne quod vltra eſt
Pandere mœſtus eo. nam te veſane moneri
Ante nefas, vnique ſilet tibi noſter Apollo.
Quo miſeri fatis, ſuperiſque obſtantibus, arma

Quo rapitis? quæ vos furiarum verbera cæcos
Exagitant? adeóne animarum tædet? & Argos
Exoſi? nil dulce domi? nulla omina curæ?
Quid me Perſei ſecreta ad culmina montis
Ire gradu trepido ſuperosque irrumpere cœtus
Egiſtis? potui pariter neſcire, quis armis
Caſus, & atra dies, quæ fati exordia cunctis.
Quæ mihi (conſulti teſtor penetralia mundi,
Et volucrum affatus, & te Thymbræe, vocanti
Non aliàs tam ſæue mihi) quæ ſigna futuri
Pertulerim. vidi ingentis portenta ruinæ.
Vidi hominum, diuumque nefas, hilarémque Megæram,
Et Lacheſin putri vacuantem ſæcula penſa.
Proijcite arma manu deus ecce furentibus obſtat:
Ecce deus. miſeri quid pulchrum ſanguine victo
Aoniam, & diri ſaturare noualia Cadmi.
Sed quid vana cano? quid fixos arceo caſus?
Ibimus. hic preſſo gemuit ſimul ore ſacerdos.

NON EQVIDEM EFFRENO. Non me timor aut terror furioſi iuuenis de ſecreto agit ad publicum, ſed amor ciuium & cura reipublicæ. Ordo talis. non elicior tenebris dictorum metu, & iuuenis profani effero clamore commotus. ALIO MIHI DEBITA FATO. Iam cæpit pericula ſua promere, ab exitu ſuo inchoans, quoniam hiatu terræ ſe cognouerat periturum. DARI MORTALIBVS ARMIS. Id eſt me occumbere, ac pro hoc non timebo Capanei iram, quia ei non me licet occidere. QVOD VLTRA EST. Quia futurum eſt, quod vltra præſens tempus eſt. OMINA CVRAE. Non timori ſunt vobis deorum reſponſa, quia improſpera ſunt. QVID ME PERSEI. Aphesantem ſignificat montem, in quo auguria captauerat. de hoc enim Perſeus primum volauit, quando ad caput Gorgonis auferendum profectus eſt. dicit ergo nunc Amphiaraus, ſi hoc facturi eratis, quod furor ſuadet, cur me augurandi cauſa ſollicite miſiſtis ad montem. CONSVLTI. Quæ oracula petenda conſului. VIDI HOMINVM. manifeſtus iam metus eſt. DIVVMQVE. aut propter Venerem, aut Iunonem: quarum altera Thebanis, altera timebat Argiuis. aut omnium, quia Capaneus animos erat elaturus in cœlum. Vt Lucan. Iliacō. *atque Helenæ timuiſſe deos.* PENSO. id eſt, cito hominum fata rumpentem. vt Lucan. *Laſſant rumpentes ſtamina Parcæ.* DEVS. id eſt Phœbus, qui incenſis vobis ardore belli opponit augurium. NOVALIA CADMI. Thebanos campos ſignificat, quibus olim ſeminante Cadmo dentes draconis, ſeges nata eſt armatorum. proprie ergo dixit. *Noualia*, arborum loca quæ annis ſingulis ſitu ſeruantur ad ſemina iacienda. Virgil. *Impius hæc tam culta noualia miles habebit.* IBIMVS. id eſt, in bellum. mire hoc vult futurorum neceſſitatem compleri, ne quid furori ſuo Capaneus aſſignet.

Illum iterum Capaneus. tuus ô furor augur, & vni
Iſta tibi. vt ſerues vacuos inglorius Argos:
Et tua non vnquam Tyrrhenus tempora circum

Clangor

Clangor eat. quid vota virum meliora moraris?
Scilicet vt vanis auibus, natóque, domóque,
Et thalamis potiare iacens, ſileamus inulti
Tydeos egregii perfoſſum pectus? & arma
Fœderis abrupti? quod ſi bella effera Graios
Ferre vetas, I Sidonias legatus ad vrbes,
Hæc pacem tibi ſerta dabunt. tua prorſus inani
Verba polo cauſas, obſtruſáque ſemina rerum
Eliciunt? miſeret ſuperûm, ſi carmina curæ,
Humanæque preces. quid inertia pectora terres?
Primus in orbe deos fecit timor. & tibi tuto
Nunc eat iſte furor. ſed prima ad claſsica cum iam
Hoſtilem Iſmenon galeis, Dircenque bibemus,
Ne mihi tunc moneo lituos, atque arma volenti
Obuius ire pares, ventisque aut alite viſa
Bellorum proferre diem. procul hæc tibi mollis
Infula, terrificique aberit dementia Phœbi.
Illic augur ego, & mecum quicunque parati
Inſanire manu. rurſus fragor intonat ingens
Hortantum, & vaſto ſubter volat aſtra tumultu.
Vt rapidus torrens animos cui verna miniſtrant
Flamina, & exuti concreto frigore colles,
Cum vagus in campos fruſtra prohibentibus exit
Obiicibus. reſonant permixto turbine tecta,
Arua, armenta, viri, donec ſtetit improbus alto
Colle minor, magnoque inuenit in aggere ripas.
Hæc alterna ducum nox interfuſa diremit.

ET VNI ISTA TIBI. Iſta quæ prædicis tibi ſoli contingant. vt Virg. *capiti cane talia demẽs Dardanio.* ET TVA NON VNQVAM. ſc. proueniat; tubarum ſonitus nunquam irrumpat clangor. LEGATVS AD HOSTES. legatus ad hoſtes repete regnum Polynicis. HAEC PACEM SERTA. quæ Amphiarus gerebat in capite. ABSTRVSAQVE SEMINA RERVM. Vt ſacrilegus dicit: quia quæcunque eueniunt, mundi vertigine, non numinum diſpoſitionibus fiunt. ELICIVNT. Reuera quicquid loqueris fatum eſt. aut tuo arbitrio fata diſponis. MISERET SVPERVM. Totum hoc ſecundum Epicurum dicit poeta. Ait enim Lucret.

Omnis enim diuum pro ſe natura neceſſe eſt
Immortale quidem votum prece ſumma fruatur.
Semota a noſtris rebus diſiunctaque longe.
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

& Virgil. *Scilicet his ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat.*

Miſeri inquit dii ſunt, ſi tuis precibus mouentur, ad prædicenda futura mortalibus. PRI-

MVS IN ORBE DEOS FECIT TIMOR. Negat deos vlla alia re celebrari, niſi timore mortalium. vt Lucan. *Quæ finxere timent.* & Petronius Arbiter iſtum ſecutus. *primus in orbe deos fecit timor.* Sic & Mintanor muſicus. *Deum doloris quẽ prima conpunctio Humani finxit generis.* GALEIS. Poculum enim militis galea eſt. vt Lucan. *Concitus ira excuſsit galeam, ſuffecit que omnibus unda.* VENTISQVE. Quia ſolent augures ventorum flatibus futura cognoſcere. PROFERRE DIEM. Dilationem bello dare. vt Terent. *Saltem aliquo ad proferendum proficiſcar dies.* INSANIRE MANV. furere manibus, bellare, non vt tu vaticinationibus furis. FRAGOR. Populi clamor hortantis, vt Capanei ſententiam ſequeretur. Sic Lucan. *Elataſque alte quæcunque ad bella vocaret, promiſere manus.* FLAMINA. nam Fauonij flatu ſolutæ niues addunt fluminibus incrementa. vt Lucan. *aut nunc ſole niues, nunc imbre ſoluta præcipitant.* CONCRETO FRIGORE. diffinitio niuis. Quid eſt nix? concretum frigus.

At gemitus Argia viri non amplius æquo
Corde ferens, ſociúmque animo miſerata dolorem,
Sicut erat laceris pridem turbata capillis,
Et fletu ſignata genas, ad celſa verendi
Ibat tecta patris, paruumque ſub vbere caro
Theſſandrum portabat auo. iam nocte ſuprema
Ante nouos ortus, vbi ſola ſuperſtite plauſtro
Arctos ad oceanum fugientibus inuidet aſtris.
Vtque fores iniit, magnoque affuſa parenti eſt,
Cur tua cum lachrymis mœſto ſine coniuge ſupplex
Limina nocte petam, ceſſem licet ipſa profari
Scis genitor, ſed iura deum genitalia teſtor,
Teque pater, non ille iubet. ſed peruigil angor
Ex quo primus hymen, mouitque infauſta ſiniſtram
Iuno facem, ſemper lachrymis, gemitúque profundo
Exturbata quies. non ſi mihi tygridis horror,
Æquoreæque ſuper rigeant præcordia cautes,
Ferre queam. tu ſolus opem, tu ſumma medendi
Iura tenes. da bella pater, generique iacentis
Aſpice res humiles, atque hanc pater aſpice prolem
Exulis. huic olim generis pudor obuia prima
Hoſpitia, & iunctæ teſtato numine dextræ.
Hic certe eſt, quem fata dabant, quem dixit Apollo.
Non egomet tacitos Veneris furata calores,
Culpatamúe facem, tua iuſſa verenda, tuóſque
Dilexi monitus. nunc qua feritate dolentis
Deſpiciam queſtus? neſcis pater optime, neſcis
Quantus amor cauſæ miſero nupſiſſe marito.

Et nunc mæſta quidem graue, & illætabile munus
Vt timeam doleámque, rogo. ſed cùm oſcula rumpet
Mœſta dies, cùm rauca dabunt abeuntibus armis
Signa tubæ, ſæuóque genas fulgebitis auro
Hei mihi care parens, iterum fortaſſe rogabo.

NON AMPLIVS AEQVO CORDE FERENS. id eſt vlterius æquo corde mariti gemitus ferre non potuit Argia, caſtitatis affectione deuincta. ET FLETV SIGNATA GENAS. Nam quædam via apparet lachrymarum in plangentis facie, & in mœſtorum vultibus orbitam ſuam triſtitia derelinquit. PARVVMQVE SVB VBERE CARO. Virg. *paruumque nepotem ipſe trahit.* THESSANORVM. Hic enim Theſſandrus Stelenuſque duces, Polynicis & Capanei filii. IAM NOCTE SVPREMA. Id eſt in fine conſtituta cum explicatur ANTE NOVOS ORTVS. Id eſt ante aduentũ diei. AD OCEANVM. Quia Arctos Oceano non immergitur, poſitione curſus ſpheræ circularis. *o. i. e. a. d. o. a. m. o. p. a. c. e. &.* ἀλοιπον ὀκεανος Sed fabulas, quæ in ſeptentrionem ſunt fictæ a Græcis contra veri propoſitum, ediſſeram us. Calyſto, Lycaonis Arcadiæ regis filiam, in comitatu Dianæ Iupiter eum vidiſſet, in amorem eius incidit, nactuſque a reliquis ſegregatam nymphis in Dianam mutatus, ſeductamque compreſſit, & grauidam fecit. Cuius cum crimen creſcens vterus proderet, indignata Diana comitatu ſuo eam repulit: quæ exactis decem menſibus enixa eſt paruulum, qui Arcas cognominatus eſt. Indignata Iuno quod pellex ſua ex Ioue etiam mater eſſet, Calyſto vertit in vrſam. Cuius filius Arcas cum eſſet in adultam productus ætatem, inprudens in matrem incidit, vrſamque credens miſſo telo eam perimere voluit. Non ſuſtinens Iuppiter ignorantem parricidium perpetrare, ſtatim eos inter ſydera rettulit. Ille Arcturus, & alio nomine Arctophylax vocatur. Illa Ἄρκτος μείζων, Latine Septentrio maior appellatur. Quod ſignum loco non mouetur, neque mergitur. Thetis enim vxor Oceani, nutrix Iunonis fuit, quæ propter affectum nutritæ eam prohibet in oceanum cadere vnde Virg. *Arctos oceani metuentes æquore tingi.* LIMINA NOCTE PETAM. Intelligis pater cauſã eſſe mariti vxoris lachrymas, & ſi lingua mei animi nõ ſit interpres. GENITALIA. Cõiugalia: ſed bene vxor ſuper coniugis iurauit partes. Viri enim genitalia conueniunt mulieribus. TYGRIDIS HORROR. Totum Virgilianæ amantis expreſſit affectum. Dido enim vt AEneæ exprobaret duriciam cordis, ait. *Sed duris genuit te cautibus horrens Caucaſus.* ASPICE PROLEM. Theſſãdrum dicit, qui patietur pudoris ignominiam, ſi dicatur exulis filius. Virgil. *Idem ego nate tuum violaui crimine nomen, pulſus ob inuidiam regno.* QVEM DIXIT APOLLO. Id eſt quem oracula tibi generum per portenta dixerant. NON EGOMET. id eſt non cum furtiuo amore & culpabili Polynicen dilexi, ſed vt exulem maritum amorem tuis monitis parui. QVANTVS AMOR. Lucan. *non legum iura nec arma, vnica materia eſt coniunx miſer.* Nam maritum commendat affectio: ſi ſit miſer, auget miſericordia charitatem. ROGO. Peto vt concedas, quod proficiſcente marito dolebo, quod pugnante timebo.

Illius humenti carpens pater oſcula vultu,
Non equidem has vnquam culparim nata querelas,
Pone metus. laudanda rogas, nec digna negari.
Sed mihi multa dei (nec tu ſperare quod vrges
Deſine) multa metus, regnique volubile pondus
Subiiciunt animo. veniet, qui debitus iſtis

Nata modus. nec te incaſſum fleuiſſe quereris.
Tu ſolare virum. neu ſint diſpendia iuſtæ
Dura moræ, magnos cunctamur nata paratus.
Proficitur bello. dicentem talia naſcens
Lux mouet, ingentésque iubent aſſurgere curæ.

SED MIHI MVLTA DEI. Ordo. Sed mihi multa dei ſubiiciunt animo. NATA MODVS. eleganter religioſus pater ſollicitæ filiæ belli pollicetur affectum. DVRA MORAE. Nec damnum putes vtiles moras. Ipſa enim tarditate bellum perficitur. vt Lucan. *ſæpe mora melior.*

EXPLICIT
THEBAIDOS LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM LIBRI QVARTI THEBAIDOS.

Mox ſeptem Bellona viros in prælia cogit.
Primus init bellum mœſtus longæuus Adraſtus
Itque gener fulgens patriis Dirceus in armis.
Inde ferox animi Tydeus iam ſæuit in hoſtes.
Herculeam Hippomedon pubem mouet inclitus armis,
Et Capaneus atrox Thebas excindere quęrit.
Amphiaraum prodit coniunx, iam perfida vatem.
Parthenopeus init trepida genetrice maniplos.
At contra Etheocles Thebanos inſtruit omnes.
Nec non Tirheſias infernas conſulit vmbras.
Argiuiſque ſitim Bacchus molitur, & æſtus.
Hypſipyle monſtrat lymphas Langia perennes.

INTERPRETATO.

CONTINET hic liber Bellonam iacientem haſtam ad initium belli, & perſuadentem pugnam. Sacrificium Iouis, & in ipſo omina aduerſa ad bellum euntium. Planctum ſuorum. dehinc catalogus de his, qui venerunt in auxilium Adraſti, & ſingulorum nomina ducum. Prima deſcriptio Adraſti. Secunda Polynicis generi eius. Tertia Tydei eiuſdem generi. Quarta Hippomedontis. Quinta Capanei. Sexta Amphiarai deſcriptio euntis ad bellum, prodente coniuge, & accipiente ornatus ab Argia. Septima Parthenopei euntis ad bellum inſcia matre. matris aduentus, & allocutio eius diſſuadentis eum à pugna. Dehinc à Thebis præparatio Etheoclis contra fratrem. Aduerſa monſtra. Furoris correptio Iocaſtæ, decurrentis in monte, & allocutio eius vaticinantis futura. Extractio vmbræ Lai. & eius vmbræ vaticinatio futuri mali. Item Græci exercitus euntis Thebas, Liberi patris deſcriptio cum omni choro, & eius allocutio pro Thebis, cum exercitum Græciæ videret Thebas petere. preces eius apud Nymphas, vt cuncta ſiccarent, & euntibus Græcis ſiti exhauſtis potum fontis negarent. Nympharum viſcera in terram redacta. Remotio Argiuorum. Sitis deſcriptio. Adraſti allocutio ad Hypſipylen nutricem Archemori, filii Lycurgi. Hypſipyles reſponſio, & demonſtratio fontis Langiæ. Deſcriptio exercitus ad aquam feſtinantis.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER QVARTVS

Incipit.

*T*ERTIVS *horrentem Zephyris laxauerat annum*
Phœbus, & anguſtum cogebat limite verno
Longius ire diem, cùm fracta, impulſáque fatis
Conſilia, & tandem miſeris data copia belli.
Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo
Oſtendit Bellona facem, dextráque trabalem
Haſtam intorſit agens, liquido quæ ſtridula cœlo
Fugit, & aduerſæ celſo ſtetit aggere Dirces.
Mox & caſtra ſubit, ferróque, auróque coruſcis
Mixta viris, turmale fremit. dat euntibus enſes.
Plaudit equos. vocat ad portas. hortamina fortes
Præueniunt, timidíſque etiam breuis addita virtus.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

TERTIVS PHOEBVS. id eſt, tertius annus ex emiſſo pacto fratrum: primus enim fuit quo imperauit Etheocles. ſecundus in quo conuentus eſt à Tydeo, vt redderet regnum; quo anno itus ac reditus Tydei cõſumptus eſt. tertius à quo incipitur bellum. HORRENTEM ANNVM. Hyeme aſperum vel horridum frigore. ZEPHYRIS LAXAVERAT. Eleganter, quia Hyeme liquentia ſolidantur. vt Virg. *Nam frigore mella cogit hyems, eadémque calor liquefacta remittit.* Item *caduntque ſecuribus humida vina.* Quæ omnia reſoluit verna temperies. *Annum* ergo pro parte anni, per quam hyemem poeta ſignificat. vt Virgil. *Et Zephyro putris ſe gleba reſoluit.* LIMITE VERNO. Tempore vtique verno, quo imminutis noctibus dies ſumit augmentum. CVM FRACTA IMPVL-

SAQVE FATIS. Quia contra conſilium Adraſti indictum eſt bellum, voluntate fatorum fracta, id eſt, dirupta, & ab ancipiti cogitatione abſciſſa & deſtinata, ad indictionem belli. Ideo ſubiungit, *Impulſaque fatis.* Iam enim dirupta facile ab bellandum fatis impelli potuerunt. MISERIS. vtriſque ſcilicet fratribus infelix extitit cauſa bellandi, quos natos infelicior habuit imperandi conditio. PRIMA BELLONA. Aut quod prima bellū exerit ante Martē; aut quod prima domina præliorum. RVTILAM. Splendentem. DE VERTICE LARYSSAEO. De arce ciuitatis Argiuæ. TRABALEM HASTAM. Ingentem. cōgrue inde haſtam ingentem dixit emiſſam, vnde bellum veniebat ad Thebas. DYRCES Nomen Thebani fontis, à reginæ vocabulo nuncupatum: & more poetico dixit. Neque enim poterat haſta de vertice Laryſſæo vſque ad Thebas ire. CORVSCIS VIRIS. Splendidis Argiuorum ducibus, id eſt, ferri nitore fulgentibus. PLAVDIT EQVOS. Plauſibus excitat.

Dicta dies aderat. cadit ingens rite Tonanti,
Gradiuóque pecus. nulliſque ſecundus in extis
Pallet, & armatis ſimulat ſperare ſacerdos.
Iámque ſuos circùm pueri, innuptæque, patréſque,
Funduntur mixti, ſummiſque à poſtibus obſtant.
Nec modus eſt lachrymis. rorant clypeique, iubæque
Triſte ſalutantum, & cunctis dependet ab armis
Suſpiranda domus. galeis iuuat oſcula clauſis
Inſerere, amplexúque truces deducere conos.
Illi, quîs ferrum modo, quîs mors ipſa placebat,
Dant gemitus, fractæque labant ſingultibus iræ:
Sic vbi forte viris longum ſuper æquor ituris
Cum iam ad vela noti, & ſciſſo redit anchora fundo
Hæret amica manus, certant innectere collo
Brachia, manantéſque oculos, hinc oſcula turbant,
Hinc magni caligo maris, tandémque relicti
Stant in rupe tamen, fugientia carboſa viſu
Dulce ſequi, patrióſque dolent crebreſcere ventos.
Stant tamen, & notam puppem de rupe ſalutant.

DICTA DIES ADERAT. ἀποσιώπησις. ſubaudimus vero cœtibus, aut ſacrificiis, aut quibuſlibet rebus ſupra-dictis. SIMVLAT SPERARE. Cum metu futuri mali ſacerdos ipſe palleret, populis tamen propicios deos eſſe fingebat, ne animus virorum fortium minueretur; quia ne armati aduerſum omen accipiant, proſpera pro terribilibus nunciat. TRISTE. pro triſtiter, nomen pro aduerbio. SVSPIRANDA DOMOS. *domum* pro familia, *ſuſpiranda* pro deſiderabili poſuit. id eſt, omnes armati domus ſuæ dulcedine tangebātur. DEDVCERE CONOS. inclinare apicces galearum. HAERET AMICA MANVS. In ancipiti pietas conſtituta, quid potius faceret ignorabat. HINC OSCVLA TVRBANT. per oſcula fletus fiebat, qui turbabat oculos. DE RVPE SALVTANT. vale illis dicunt, & vt bene nauigent optant. eſt ergo *ſalutare* etiam abeuntibus vale dicere.

Nunc mihi fama prior, mundique arcana vetuſtas
Cui meminiſſe ducum, vitáſque extendere curæ,

Addere conſilium; volucréſque implere futuri,
Omináque, & cauſas cœlo deferre latentes
Accipimus. non Cyrrha deum promiſerit antro
Certius, aut frondes lucis quas fama Moloſſis
Chaonias ſonuiſſe tibi. licet aridus Hammon
Inuideat, Lyciæque parent contendere ſortes,
Niliacúmque pecus, patrióque æqualis honori
Branchus, & vndoſæ qui ruſticus accola Piſæ
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in vmbra.
Ditior ille animi, cui tu Dictæe ſecundas
Impuleris manifeſtus aues. mirum vnde, ſed olim
Hic honor alitibus. ſuperæ ſeu conditor aulæ
Sic dedit, effuſum Chaos in noua ſemina texens:
Seu quia mutatæ, noſtráque ab origine verſis
Corporibus ſubiere Notos: ſeu purior axis,
Amotúmque nefas, & rarum inſiſtere terris
Vera docent, tibi ſumme ſator terræque deúmque
Scire licet. nos Argolicæ primordia pugnæ,
Venturúmque ſinas cœlo prænoſſe laborem.
Si datur, & duris ſedet hæc ſententia Parcis
Soluere Echionias Lernæa cuſpide portas,
Signa feras, leuúſque tones. tunc omnis in aſtris
Conſonet arcana volucris bona murmura lingua.
Si prohibes, hic necte moras, dextríſque profundum
Alitibus prætexe diem. ſic fatus, & alto
Membra locat ſcopulo: tunc plura, ignotáque iungit
Numina, & immenſi fruitur caligine mundi.

PERNICIBVS. Velocibus. ADDERE CONSILIVM. *Addere* bene dixit. Non eſt enim ipſius quod mouetur. CYRRHA. Cyrrha prope Parnaſſum eſt, quo in loco Apollo futura prædicit. CHAONIAS SONVISSE TIBI. Epyroticas quercus dicit, in quibus ſedentes columbæ ſciſcitatoribus futura dicebant. Virg. *atque habitæ Grais oracula quercus.*

ARIDVS HAMMON INVIDEAT. Vt Iuuenal. *Quicquid dixerit Aſtrologus credunt à fonte relatum Hammonis.* Liber cum ex India veniens in deſerta & in extrema parte Libyæ teneretur, ac ſiti laboraret exercitus, dicitur rogaſſe Iouem, vt ſe patrem probaret. Vnde ex harena ſubito aries apparuit, quo duce Liber aquam inuenit, petitque Iouem, vt arietem in aſtra transferret. In eo autem loco in quo aqua fluxit templum conſtituit, quod Iouis Hammonis dicitur. Simulacrum autem eius adiectis cornibus arietinis confectum eſt, de quo templo poſtea dicuntur data eſſe oracula. NILIACVMQVE PECVS. Apin dicit taurum lunatum Iſidis, qui Ægyptiis motu corporis ſui & quibuſdam ſignis futura prædicit, qui Memphis naſcitur. BRANCHVS. Branchi meminit Terentian. de metris.

Hymnum Branchiadæ Phœbo cantaſſe, Iouique
Paſtorem Branchum, cum captus amore pudico
Fatidicas ſortes docuit depromere Pœan.

Branchus Theſſalus fuit dilectus Apollini, vt Hyacinthus, quẽ acriter interfectum dolens templo & ſepulchro conſecrauit. illic Branchiades Apollo dicitur. hic Zoamacon opinione Metrodori Perigetici condidit * ab Aethiopia vſque in Libyam tria opinata templa. * Traianus ſolis in Aethiopia hoc eſt ter fulgentis. Quantum per ceteram terram ardet inclinare vltimo Libyæ quod Sagittario clauditur, ſigno eſſe Hammonis templum Iouis intra Aethiopas. Indi ſunt enim & qui Peuſeudo-Aethiopæ vocantur. & Libyas vltimas eſſe prope Alexandriam. Branchiades, qui Iouẽ Branchum colunt. poteſt * & hæc deriuatio religionum currere: quod Iſthmia quæ in honorem Neptuni aguntur, fingũtur Melicertia. Nam cõſtat Melicertam ab Aethiope rege ſuſceptum cum Beotiam nauigio Iſthmos delatus eſſet. Nam & Archemoria in honorem Iouis celebrare volunt. credunt enim quod magnum fuerit Iouis incrementum. PANA LYCAONIAE. Pan apud Piſas ruſticos numine ſuo replere ſolet, datque oracula qui impletur deo. ergo neque ille æquari potuit ô Iuppiter, qui in nocturna vmbra audit Pana. id eſt, quaſi per ipſum numen loquatur hominibus. DITIOR ILLE ANIMI. Diuerſa loca commemorat. & quis Deus, & quo in loco fatura prædixerit. laus vero augurii eſt, quæ per reliquarum artium diminutionem extollitur. MIRVM. Vnde in errorem inducitur iſta admiratio, cum inuocatione. Nam quaſi Virgilium, ſed non recto ordine ſequitur: ait enim. *haud equidem credo quia ſit diuinitus illis.* HIC HONOR ALITIBVS. Rationẽ redditurus eſt, vnde conceſſũ ſit auibus futura prædicere. Quod Virg. quaſi philoſophus explicat Epicureus, hic quaſi Platonicus. prima opinio eſt ab Heſiodo, futura prædicere, quia ſupernus orbis conditor cum chaos figuraret in ſemina, hanc illis poteſtatẽ conceſſit. *In noua* autem *ſemina*. vt generatim omnia procrearẽt, quæ corpora vt Epicurei teſtantur inania ſiunt athomorum, & mutantur, ad originem verſis corporibus. hoc phyſicè. Aiunt enim & * apſin fieri animarum in corpora. vt lectum eſt in Horatio. *Nec te Pythagora fallunt arcana renati.* primum enim anima eius in Euphorbum migraſſe dicitur Troiano prælio, dum de clypeo ageretur Danai de poſte refixũ. ſecundo in Pythagoram. tertio in pauonem. quarto in Homerum. quinto in Ennium poetam. ergo animas in quo ſunt corpore eandem tenere ſapientiam. hæc autem ſecunda opinio eſt. SEV PVRIOR AXIS. Tertia opinio dicit aues ideo futura prædicere, quia in aere ſunt, & puriſſime viuunt. exinde, quia raro terris inſidunt quæ ſunt nefaſtæ. ergo aues vera dicere illa res facit axis purior. LAEVVSQVE TONES. id eſt, bono omine confirmes auſpicia, quia optimum augurantibus ſignum id eſt, ſi de ſiniſtra cæli parte tonuerit. Vt, *cæli de regione ſerena intonuit læuum*, & per totum poeta, quaſi augurandi peritus expoſuit. dextra enim parte in contrario, læua in bono. Virg. *Ante ſiniſtra caua monuiſſet ab ilice cornix.* SOLVERE ECHIONIAS LERNAEA CVSPIDE PORTAS. *Soluere*, in excidium deducere. *Echionias*. Thebanas. LERNAEA CVSPIDE. Argolico ferro. NECTE MORAS. Hoc eſt ne ad Thebanos cogamur ire in caſſum. DEXTRISQVE ALITIBVS. Quia de cælo venientibus à dextra parte auibus auguria mala ſunt. CALIGINE MVNDI. Quicquid hominibus non patet, ſolus videbat. Intentionem incredibilem deſcribit. Nam obtutu vno fixi oculi non dubitatione caligant.

Poſtquam rite diu partiti ſydera, cunctas
Perlegêre animis, oculiſque ſequacibus auras:
Tunc Amythaonius longo poſt tempore vates,
Nonne ſub excelſo ſpirantis limite cæli
Amphiarae vides, curſus vt nulla ſerenos
Ales agat? liquidóque polum complexa meatu
Pendeat? aut fugiens placabile plauſerit omen?

Semideos inter pinus me Theſſala reges
Duceret. hic caſus terræque mariſque canentem
Obſtupuere duces, nec me ventura locuto
Sæpius in dubiis auditus Iaſone Mopſus.
Sed ſimiles non ante metus, aut aſtra notaui
Prodigioſa magis. quanquam maiora parantur,
Huc aduerte animum. clara regione profundi
Aetheris, innumeri ſtatuerunt agmina cygni.
Siue hos Strymonia Boreas eiecit ab arcto,
Seu fœcunda refert placidi clementia Nili,
Fixerunt curſus, hac rere in imagine Thebas.
Nam ſeſe immoti gyro, atque in pace ſilentes,
Ceu muris, valloque tenent. ſed fortior ecce
Aduentat per inane cohors. ſeptem ordine fuluo
Armigeras ſummi Iouis, exultante caterua
Intuor, Inachij ſint hi tibi (concipe) reges.

VARII PATER OMINA PHOEBI SAEPE TVLI. Tuli, inquit, varia omina Phœbi, ex quo omine inter reges ſemideos pinus duxit Theſſala. Dicit autem, ex illo tempore quo cum Argonautis vectus ſc. Iaſon Colchos petit. *Semideos reges* ait, quia filii regum omnes fuerunt, qui in illa naui impoſiti ſunt. *Theſſala* autem *pinus* ARGO, quæ in Pelio monte Theſſaliæ fabricata eſt. Peliæ igitur Neptuni filio à ſortibus præceptum erat, cum Neptuno ſacrificaret, & aliquis nudo pede ſuperueniſſet, tunc ei mortem appropinquare. Is ergo cum annua ſacra Neptuno faceret, Iaſon Aeſonis filius cum veniſſet ad flumen, in limo vnum ei calciamentum adhæſit. ille vt celerius veniret, neglexit. cum ſuperueniret ſacrificio Pelias aſpexit, & memor ſortium, iuſſit eum arietis pellem inauratam à Colchis petere à rege Oeta, qui conuocata Græcorum nobilium iuuentute Colchos profectus eſt. AVDITVS IASONE MOPSVS. Mopſus Apollinis & Himantis filius, amicitia Iaſoni fida coniunctus, diuinandi peritus. Ait ergo nunc Melampus, non plus me auditus eſt Mopſus immininentibus cladibus cum ego futura prædicerem. In tantum enim magnus fuit Mopſus in augurandi peritia, vt poſt mortem ei templa dicata ſint, à quorum adytis ſæpe homines reſponſa accipiunt. QVANQVAM ET MAIORA PARANTVR. Id eſt, maiora video quam timemus. Lucan. *Sed venient maiora metu.* STRYMONIA. *Strymon* fluuius eſt Thraciæ; eſt autem in Septentrione. vt *Strymoniæ dant ſigna grues.* CLEMENTIA NILI. Quia ibi nunquam frigus eſt. vt Lucan. *Nunquam fugiente roſa.* HAC RERE IN IMAGINE THEBAS. in hac imagine eſſe finge Thebas. Reddit cauſas cur pro Thebis accipi debeant cygni, quia vt Thebani muris illi ſe gyro vallabant. ARMIGERAS. Significat aquilas, quæ in tutela Iouis erant. CONCIPE REGES. Finge iam, inquit, tibi Argiuorum reges. ſeptem enim reges contra Thebas conſpirauerunt.

Inuaſere globum niuei gregis, uncaque pandunt
Cædibus ora nouis, & ſtrictis vnguibus inſtant.
Cernis inexperto rorantes ſanguine ventos,
Et plumis ſtillare diem? quam ſæua repente

Victores agitat leto Iouis ira ſiniſtri?
Hic excelſa petens ſubita face Solis inarſit,
Summiſitque animos. illum veſtigia adortum
Maiorum volucrum teneræ deponitis alæ.
Hic hoſti implicitus pariter ruit. hunc fuga retro
Voluit agens ſociæ linquentem fata cateruæ.
Hic nimbo glomeratus obit. hic præpete viua
Paſcitur immoriens. Spargit caua nubila ſanguis.

NIVEI GREGIS. Cygnorum ſcilicet. ET PLVMIS STILLARE DIEM. Quia excuſſæ in congreſſu plumæ, mixtæ ſanguine ex aere cadunt. vt Virg. *Tunc cruor euulſæ labuntur ab æthere pennæ.* SVBITA FACE SOLIS INARSIT. Omnes aquilæ, quas pro ſeptem ducibus interpretantur, eo genere perituræ ſunt, vt ipſos duces exitium manet, vt docebimus. CAPANEVS FVLMINE. inde dixit, *inarſit face*, quod auſus ſit dei contemptu arma tollere, & cum in altum ſustolleret contra fas fulminatus decidit. vt Virg. *inſuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.* ILLVM VESTIGIA ADORTVM. Parthenópeum ſignificat, qui puerili ætate maiora viribus ſuis tentando, confoſſus eſt. HIC HOSTI IMPLICITVS. Polynicen ſignificat, qui fratri morienti implicitus fuit. HVNC FVGA RETRO. Adraſtum dicit, qui ſolus euaſit. vt Virg. *Et Adraſti pallentis imago.* id eſt, timore fugientis. HIC NYMBO GLOMERATVS OBIT. Hippomedontem ſignificat fluminis periturum eſſe vertigine. HIC PRAEPETE VIVA. Tydeum dicit, qui interfectoris ſui Menalippi oblato ſibi capite, cerebrum eius dum moreretur abſorbuit.

Quid furtim lachrymas? illum venerande Melampu
Qui cadit, agnoſco. trepidos ſic mole futuri,
Cunctáque iam rerum certa ſub imagine paſſos
Terror habet vates. piget irrupiſſe volantum
Concilia, & cœlo mentem inſertaſſe vetanti.
Auditique odere deos. vnde iſte per orbem
Primus venturi miſeris animantibus æger
Creuit amor? diuúmne feras hoc munus, an ipſi
Gens auida, & parto non vnquam ſtare quieti
Eruimus quæ prima dies, vbi terminus æui,
Quid bonus ille deum genitor, quid ferrea Clotho
Cogitet? hinc fibræ, & volucrum per nubila ſermo,
Aſtrorúmque vices. numeratáque ſemina lunæ,
Theſſalicúmque nefas. At non prior aureus ille
Sanguis auûm, ſcopulíſque ſatæ vel robore genteis
Mentibus hoc auſæ. ſyluas amor vnus, humúmque
Edomuiſſe manu. quid craſtina volueret ætas
Scire nefas homini. nos prauum, ac debile vulgus

Scrutamur penitus ſuperos. hinc pallor, & iræ
Hinc ſcelus, inſidiæque; & nulla modeſtia voti.

QVID FVRTIM INLACRYMAS. Amphiaraus Melampo dicit, quid fles quod vides me moriturũ. augurium cadentis cygni mihi finem vitæ portendere ego cognoſco. Notandum quod vocatiuum *Melampu* dixit. TERROR HABET VATES. Qui non tantum vidiſſe ſe crederent, ſed fuiſſe perpeſſos. PIGET. Eos exauditos fuiſſe, quos vtique pigere debuiſſet, ſi eos auguria fefelliſſent. Sed quia mala compererant piget rupiſſe volantum concilia. AVDITIQVE. Declamatio e contrario. Lucan. *Cur hanc tibi rector olympi ſollicitis viſum mortalibus addere curã.* VNDE ISTE PER ORBEM. διασύρμος poetica. Quærit enim vnde prius hominibus ſtudium augurandi vel vaticinandi venerit. ERVIMVS QVAE PRIMA DIES. Id eſt, de ſecretis elicimus, quæ dies mundi aut natalis, aut finis ſit. QVID BONVS ILLE. Secundum Mathematicos, apud quos dicitur Cælopeus. ASTRORVMQVE VICES. Matheſeôs, vbi ſit luna vel quo ſigno, vel quæ aſtra ſignificent. NVMERATAQVE SEMINA LVNAE. Si *ſemina* propter ſpumam magicæ artis. ſi *ſemita* propter obliquum circulum, quo curſus exercet. *numerata* autem, quia per numerum dierum flammarum ſuarum augmenta detrimentaque recipit. THESSALICVMQVE NEFAS. Artem magicam dicit, quæ cadauera cogit futura prædicere. PRIOR AVREVS ILLE. Non vt antiqui aureo ſæculo fuerunt. ſic ad hæc Saturnum expulſum, & aureis ſæculis præfuiſſe. vt eſt. *Aureaque vt perhibent illo ſub rege fuere ſæcula.* SCOPVLISQVE SATAE. Huius fabulæ quod argumentum ſit accipe. Iupiter cum videret humanum genus relicta innocentia vitiis ſe dediſſe, emendaturus publicã mortalitatis peſtẽ, etiam periculo naturæ, effuſione imbrium terras operuit, atque ita vniuerſum genus hominum deleuit, cõmuni ruina. Habuit reuerentiam pietas. Deucalion namque & Pyrrha fratres, idemque coniuges, cum illibata ſanctitate meruiſſent numinum miſericordiam, nauicula vecti Delphos impoſiti ſunt, ibique Themidis, quæ oraculo præerat, audierunt reſpõſũ, ita poſſe reparari humanum genus, ſi oſſa matris poſt terga iactarent. Obſcurata veritas errore fuit, vſque dum prudentia melior oraculo fieret. Intellexerunt enim matrem terram ſignificare, quippe rerum omnium genitricem, oſſa vero lapides eius. Vnde Virg. *Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem.* Itaque ſaxa poſt terga iacta ſunt, mirumque dictu, homines nati, atque ſolitudinem orbis repleuit ingenium & pietas. Diluuium vero hoc quod dicitur falſiſſimum eſt. Namque vſque nunc durat, & mundus omnis tectus eſt vndis. Fama cataclyſmi inanis eſt, nec fieri potuit, ſed myſtice per fabulam figuratum eſt, quia vt dixi genus mortalium vitia atque ignauia inuaſit. Dicit autem antiquis iſtam requirendi curã penitus non fuiſſe. ROBORE GENTES. Virg. *genſque virum truncis & duro robore nata.* QVOD CRASTINA VOLVERAT AETAS. Horat. *Quid ſit futurum cras fuge quærere.* ET NVLLA MODESTIA VOTI. quia illicita ſemper optamus.

Ergo manu vittas, damnatáque vertice ſerta
Diripit, abiectáque inhonorus fronde ſacerdos
Inuiſo de monte redit. iam bella, tubæque
Comminus, abſentésque fremunt ſub pectore Thebæ.
Ille nec aſpectum vulgi, nec fida tyranni
Colloquia, aut cœtus procerum perferre, ſed atra
Sede tegi, & ſuperum clauſus negat acta fateri.
Te pudor, & curæ retinent per rura Melampu.
Biſſenos premit ora dies. populumque ducéſque
Extrahit incertis. & iam ſuprema Tonantis

Iuſſa fremunt, agroſque viris, annoſáque vaſtant
Oppida. Bellipotens præ ſe deus agmina paſsim
Mille rapit. liquére domos, dilectáque læti
Connubia, & primo plorantes limine natos,
Tantus in attonitos cecidit deus. arma paternis
Poſtibus, & fixos ſuperum ad penetralia currus
Vellere amor. tunc feſſa putri rubigine tela,
Horrentésque ſitu gladios in ſæua recuruant
Vulnera, & attrito cogunt iuueneſcere ſaxo.
Hi teretes galeas, magnorumque ærea ſuta
Thoracum, & tunicas chalybum ſquallore crepantes
Pectoribus tentare, alij Cortynia lentant
Cornua. iam falces auidis, & aratra caminis,
Raſtráque, & incurui ſæuum rubuere ligones.
Cædere nec validas ſanctis è ſtirpibus haſtas,
Nec pudor emerito clypeum veſtiſſe iuuenco.

DAMNATAQVE VERTICE SERTA. abſoluta. Virg. *damnabis tu quoque votis.* id eſt perſolues. SVB PECTORE THEBAE Quæ futura ſunt aliis, præſentia ſunt ſacerdoti. TE PVDOR ET CVRAE. erat enim & augur & medicus. vt Virgil. *Amithaoniuſque Melampus.* ANNOSAQVE VASTANT. Id eſt, quæ iuſſa ſunt implere feſtinant cupiditate pugnandi. TVNC FESSA PVTRI RVBIGINE. Hinc Lucan. *Et ſcabros nigræ morſu rubiginis enſes.* PECTORIBVS APTARE. Vt Virg. *ſimul aptat habendo enſemque clypeumque & rubræ cornua criſtæ.* CORTYNIA. Cretenſia, vt Lucan. *Cortynia arundo tenditur in ſauã &c.* RVBVERE LIGONES. Naturam ignis expreſſit, quæ facit ferrum rubeſcere. SANCTIS E STIRPIBVS. hic non pudebat illos de ſacris lucis præfixiſſe lanceis haſtilia. vt Virg. *Sed ſtirpem nullo diſcrimine ſacrũ.*

Irrupere Argos, mœſtique ad limina regis
Bella animis, bella ore fremunt. it clamor ad auras,
Quantus Tyrrheni gemitus ſalis, aut vbi tentat
Enceladus mutare latus. procul igneus antris
Mons tonat, exundant apices, fluctuſque Pelorus
Contrahit, & ſperat tellus abrupta reuerti.
Atque hic ingenti Capaneus Mauortis amore
Excitus, & longam pridem indignantia pacem
Corda tumens (huic ampla quidem de ſanguine priſco
Nobilitas, ſed enim ipſe manu progreſſus auorum
Facta. diu tuto ſuperûm contemptor, & æqui
Impatiens, larguſque animæ modo ſuaſerit ira)
Vnus vt è ſyluis Pholoes habitator opacæ
Inter & Aetnæos æquus conſurgere fratres:

Ante fores vbi turba ducum, vulgíque frementis
Amphiarae tuas, quæ tanta ignauia, clamat,
Inachidæ? voſque ô ſocio de ſanguine Achiui
Vnius (heu pudeat) Phœbeia ad limina ciuis,
Tot ferro accinctæ gentes, animíſque paratæ
Pendemus? non ſi ipſe cauo ſub vertice Cyrrhæ
Quiſquis is eſt timidis, famæque ita viſus, Apollo
Mugiat inſano penitus ſecluſus in antro,
Expectare queam. dum pallida virgo tremendas
Nuntiet ambages. Virtus mihi numen, & enſis,
Quem teneo. iamque huc timida cum fraude ſacerdos
Exeat, aut hodie volucrum quæ tanta poteſtas
Experiar. letum fremit, aſſenſuq. furentem
Implet Achæa manus. tandem prorumpit adactus
Oeclides, alio curarum agitante tumultu.

CONTRAHIT. Tãta ſaxa de vertice ab Encelado volui dicit, vt mare fieri poſſit anguſtũ quod Italiã à Sicilia ſeparat. vt Lucã. *ne rupti repetant cõfinia montes.* Nã olim dicit Sall. Italiã Siciliæ iunctam fuiſſe: ſed medium ſpatium aut propter humilitatem abruptum eſt, aut propter anguſtiam ſciſſum, aut dum curuum ſit facit natura mollioris Italiæ, in quam altitudo & aſperitas Siciliæ æſtum relidit. D. T. ET AEQVI INPATIENS. Qui iccirco diu tutus fuerit, quod ei ſupremus dies ſeruabatur in Thebas. LARGVSQVE ANIMO. Vt Horatius. *Animaque prodigum paulum.* MODO SVASERIT IRA. Quod ſi iratus eſſe poſſet vitam ſumma facilitate contemneret. Vt Virg. *Iſthic eſt animus lucis contemptor.* HABITATOR OPACAE. Vtique Centaurus. Virgil. *ceu duo nubigenæ cum vertice montis ab alto deſcendunt Centauri.* PHOLOE. mons Theſſaliæ. Talis ergo erat, quales gigantes aliquando fuerunt. magnitudinem eius ex gigantibus comparauit, & Cyclopibus, de locis quibus fuerunt notans. vt Virg. *Cernimus AEtneos.* IGNAVIA CLAMAT. Virg. *quæ tanta animis ignauia venit.* VNIVS. Secutus auctoritatem Virgil. dactylum poſuit. Vt, *vnius ob noxam.* INSANO PENITVS SECLVSVS IN ANTRO. Vt eſt *horrendas canit ambages antroque remugit.* MIHI NVMEN ET ENSIS. Totum hoc ex Virgiliana ſede de Capaneo ponit. Ait enim ille *Dextra mihi deus & telum quod miſſile libro.* QVAE TANTA POTESTAS. Quæ illi præſtatur vt futura cognoſcat. OECLIDES. Amphiaraum Oeclei filium dicit.

Non equidem effreno iuuenis clamore profani,
Dictorúmque metu, licet hic inſana minetur,
Elicior tenebris. alio mihi debita fato
Summa dies. vetitúmque dari mortalibus armis.
Sed me veſter amor, nimiuſque arcana profari
Phœbus agit. vobis ventura, atque omne quod vltra eſt
Pandere mœſtus eo. nam te veſane moneri
Ante nefas, vnique ſilet tibi noſter Apollo.
Quo miſeri fatis, ſuperíſque obſtantibus, arma

Quo rapitiis? quæ vos furiarum verbera cæcos
Exagitant? adeóne animarum tædet? & Argos
Exoſi? nil dulce domi? nulla omina curæ?
Quid me Perſei ſecreta ad culmina montis
Ire gradu trepido ſuperoſque irrumpere cœtus
Egiſtis? potui pariter neſcire, quis armis
Caſus, & atra dies, quæ fati exordia cunctis.
Quæ mihi (conſulti teſtor penetralia mundi,
Et volucrum affatus, & te Thymbræe, vocanti
Non aliàs tam ſæue mihi) quæ ſigna futuri
Pertulerim. vidi ingentis portenta ruinæ.
Vidi hominum, diuumque nefas, hilarémque Megæram,
Et Lacheſin putri vacuantem ſæcula penſo.
Projicite arma manu deus ecce furentibus obſtat:
Ecce deus. miſeri quid pulchrum ſanguine victo
Aoniam, & diri ſaturare noualia Cadmi.
Sed quid vana cano? quid fixos arceo caſus?
Ibimus. hic preſſo gemuit ſimul ore ſacerdos.

NON EQVIDEM EFFRENO. Non me timor aut terror furioſi iuuenis de ſecreto agit ad publicum, ſed amor ciuium & cura reipublicæ. Ordo talis. non elicior tenebris dictorum metu, & iuuenis profani effero clamore commotus. ALIO MIHI DEBITA FATO. Iam cæpit pericula ſua promere, ab exitu ſuo inchoans, quoniam hiatu terræ ſe cognouerat periturum. DARI MORTALIBVS ARMIS. Id eſt me occumbere, ac pro hoc non timebo Capanei iram, quia ei non me licet occidere. QVOD VLTRA EST. Quia futurum eſt, quod vltra præſens tempus eſt. OMINA CVRAE. Non timori ſunt vobis deorum reſponſa, quia improſpera ſunt. QVID ME PERSEI. Aphesantem ſignificat montem, in quo auguria captauerat. de hoc enim Perſeus primum volauit, quando ad caput Gorgonis auferendum profectus eſt. dicit ergo nunc Amphiaraus, ſi hoc facturi eratis, quod furor ſuadet, cur me augurandi cauſa ſollicite miſiſtis ad montem. CONSVLTI. Quæ oracula petenda conſului. VIDI HOMINVM. manifeſtus iam metus eſt. DIVVMQVE. aut propter Venerem, aut Iunonem: quarum altera Thebanis, altera timebat Argiuis. aut omnium, quia Capaneus animos erat elaturus in cœlum. Vt Lucan. Iliacō. *atque Helenæ timuiſſe deos.* PENSO. id eſt, cito hominum fata rumpentem. vt Lucan. *Laſſant rumpentes ſtamina Parcæ.* DEVS. id eſt Phœbus, qui incenſis vobis ardore belli opponit augurium. NOVALIA CADMI. Thebanos campos ſignificat, quibus olim ſeminante Cadmo dentes draconis, ſeges nata eſt armatorum. proprie ergo dixit. *Noualia*, arborum loca quæ annis ſingulis ſitu ſeruantur ad ſemina iacienda. Virgil. *Impius hæc tam culta noualia miles habebit.* IBIMVS. id eſt, in bellum. mire hoc vult futurorum neceſſitatem compleri, ne quid furori ſuo Capaneus aſſignet.

Illum iterum Capaneus. tuus ô furor augur, & vni
Iſta tibi. vt ſerues vacuos inglorius Argos:
Et tua non vnquam Tyrrhenus tempora circum

Clangor

Clangor eat. quid vota virum meliora moraris?
Scilicet vt vanis auibus, natóque, domóque,
Et thalamus potiare iacens, ſileamus inulti
Tydeos egregii perfoſſum pectus? & arma
Fœderis abrupti? quod ſi bella effera Graios
Ferre vetas, I Sidonias legatus ad vrbes,
Hæc pacem tibi ſerta dabunt. tua prorſus inani
Verba polo cauſas, obſtruſáque ſemina rerum
Eliciunt? miſeret ſuperum, ſi carmina curæ,
Humanæque preces. quid inertia pectora terres?
Primus in orbe deos fecit timor. & tibi tuto
Nunc eat iſte furor. ſed prima ad claſſica cum iam
Hoſtilem Iſmenon galeis, Dircenque bibemus,
Ne mihi tunc moneo lituos, atque arma volenti
Obuius ire pares, ventisque aut alite viſa
Bellorum proferre diem. procul hæc tibi mollis
Infula, terrificique aberit dementia Phœbi.
Illic augur ego, & mecum quicunque parati
Inſanire manu. rurſus fragor intonat ingens
Hortantum, & vaſto ſubter volat aſtra tumultu.
Vt rapidus torrens, animos cui verna miniſtrant
Flamina, & exuti concreto frigore colles,
Cum vagus in campos fruſtra prohibentibus exit
Obiicibus. reſonant permixto turbine tecta,
Arua, armenta, viri, donec ſtetit improbus alto
Colle minor, magnoque inuenit in aggere ripas.
Hæc alterna ducum nox interfuſa diremit.

ET VNI ISTA TIBI. Iſta quæ prædicis tibi ſoli contingant. vt Virg. *capiti cane talia demens Dardanio.* ET TVA NON VNQVAM. ſc. proueniat; tubarum ſonitus nunquam irrumpat clangor. LEGATVS AD HOSTES. legatus ad hoſtes repete regnum Polynicis. HAEC PACEM SERTA. quæ Amphiarus gerebat in capite. ABSTRVSAQVE SEMINA RERVM. Vt ſacrilegus dicit: quia quæcunque eueniunt, mundi vertigine, non numinum diſpoſitionibus fiunt. ELICIVNT. Reuera quicquid loqueris fatum eſt. aut tuo arbitrio fata diſponis. MISERET SVPERVM. Totum hoc ſecundum Epicurum dicit poeta. Ait enim Lucret.

Omnis enim diuum pro ſe natura neceſſe eſt
Immortale quidem votum prece ſumma fruatur.
Semota a noſtris rebus disiunctaque longe.
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

& Virgil. *Scilicet his ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat.*

Miſeri inquit dii ſunt, ſi tuis precibus mouentur, ad prædicenda futura mortalibus. PRI-

MVS IN ORBE DEOS FECIT TIMOR. Negat deos vlla alia re celebrari, niſi timore mortalium. vt Lucan. *Quæ finxere timent.* & Petronius Arbiter iſtum ſecutus. *primus in orbe deos fecit timor.* Sic & Mintanor muſicus. *Deum doloris quē prima compunctio Humani finxit generis.* GALEIS. Poculum enim militis galea eſt. vt Lucan. *Concitus ira excuſsit galeam, ſufficit que omnibus vnda.* VENTISQVE. Quia ſolent augures ventorum flatibus futura cognoſcere. PROFERRE DIEM. Dilationem bello dare. vt Terent. *Saltem aliquo ad proferendum proficiſcar dies.* INSANIRE MANV. furere manibus, bellare, non vt tu vaticinationibus furis. FRAGOR. Populi clamor hortantis, vt Capanei ſententiam ſequeretur. Sic Lucan. *Elataſque alte quæcunque ad bella vocaret, promiſere manus.* FLAMINA. nam Fauonij flatu ſolutæ niues addunt fluminibus incrementa. vt Lucan. *aut nunc ſole niues, nunc imbre ſolutæ præcipitant.* CONCRETO FRIGORE. diffinitio niuis. Quid eſt nix? concretum frigus.

At gemitus Argia viri non amplius æquo
Corde ferens, ſociúmque animo miſerata dolorem,
Sicut erat laceris pridem turbata capillis,
Et fletu ſignata genas, ad celſa verendi
Ibat tecta patris, paruumque ſub vbere caro
Theſſandrum portabat auo. iam nocte ſuprema
Ante nouos ortus, vbi ſola ſuperſtite plauſtro
Arctos ad oceanum fugientibus inuidet aſtris.
Vtque fores iniit, magnoque affuſa parenti eſt,
Cur tua cum lachrymis mœſto ſine coniuge ſupplex
Limina nocte petam, ceſſem licet ipſa profari
Scis genitor, ſed iura deum genitalia teſtor,
Teque pater, non ille iubet. ſed peruigil angor
Ex quo primus hymen, mouitque infauſta ſiniſtram
Iuno facem, ſemper lachrymis, gemitúque profundo
Exturbata quies. non ſi mihi tygridis horror,
Æquoreæque ſuper rigeant præcordia cautes,
Ferre queam. tu ſolus opem, tu ſumma medendi
Iura tenes. da bella pater, generique iacentis
Aſpice res humiles, atque hanc pater aſpice prolem
Exulis. huic olim generis pudor obuia prima
Hoſpitia, & iuncta teſtato numine dextræ.
Hic certe eſt, quem fata dabant, quem dixit Apollo.
Non egomet tacitos Veneris furata calores,
Culpatamue facem, tua iuſſa verenda, tuóſque
Dilexi monitus. nunc qua feritate dolentis
Deſpiciam queſtus? neſcis pater optime, neſcis
Quantus amor cauſæ miſero nupſiſſe marito.

Et nunc mœſta quidem graue, & illætabile munus
Vt timeam doleámque, rogo. ſed cùm oſcula rumpet
Mœſta dies, cùm rauca dabunt abeuntibus armis
Signa tubæ, ſæuóque genas fulgebitis auro
Hei mihi care parens, iterum fortaſſe rogabo.

NON AMPLIVS AEQVO CORDE FERENS. id eſt vlterius æquo corde mariti gemitus ferre non potuit Argia, caſtitatis affectione deuincta. ET FLETV SIGNATA GENAS. Nam quædam via apparet lachrymarum in plangentis facie, & in mœſtorum vultibus orbitam ſuam triſtitia derelinquit. PARVVMQVE SVE VBERE CARO. Virg. *paruumque nepotem ipſe trahit.* THESSANDRVM. Hic enim Theſſandrus Stelenuſque duces, Polynicis & Capanei filii. IAM NOCTE SVPREMA. Id eſt in fine conſtituta cum explicatur ANTE NOVOS ORTVS. Id eſt ante aduentũ diei. AD OCEANVM. Quia Arctos Oceano non immergitur, poſitione curſus ſpheræ circularis. *o. i. e. a. d. o. a. m. o. p. a. c. e. &.* ἀλοιπτον ὠκεανος Sed fabulas, quæ in ſeptentrionem ſunt fictæ a Græcis contra veri propoſitum, ediſſeram us. Calyſto, Lycaonis Arcadiæ regis filiam, in comitatu Dianæ Iupiter cum vidiſſet, in amorem eius incidit, nactuſque a reliquis ſegregatam nymphis in Dianam mutatus, ſeductamque compreſſit, & grauidam fecit. Cuius cum crimen creſcens vterus proderet, indignata Diana comitatu ſuo eam repulit: quæ exactis decem menſibus enixa eſt paruulum, qui Arcas cognominatus eſt. Indignata Iuno quod pellex ſua ex Ioue etiam mater eſſet, Calyſto vertit in vrſam. Cuius filius Arcas cum eſſet in adultam productus ætatem, inprudens in matrem incidit, vrſamque credens miſſo telo eam perimere voluit. Non ſuſtinens Iuppiter ignorantem parricidium perpetrare, ſtatim eos inter ſydera rettulit. Ille Arcturus, & alio nomine Arctophylax vocatur. Illa Ἄρκτος μείζων, Latine Septentrio maior appellatur. Quod ſignum loco non mouetur, neque mergitur. Thetis enim vxor Oceani, nutrix Iunonis fuit, quæ propter affectum nutritæ eam prohibet in oceanum cadere vnde Virg. *Arctos oceani metuentes æquore tingi.* LIMINA NOCTE PETAM. Intelligis pater cauſã eſſe mariti vxoris lachrymas, & ſi lingua mei animi nõ ſit interpres. GENITALIA. Cõiugalia: ſed bene vxor ſuper coniugis iurauit partes. Viri enim genitalia conueniunt mulieribus. TYGRIDIS HORROR. Totum Virgilianæ amantis expreſſit affectum. Dido enim vt AEneæ exprobaret duriciam cordis, ait. *Sed duris genuit te cautibus horrens Caucaſus.* ASPICE PROLEM. Theſsãdrum dicit, qui patietur pudoris ignominiam, ſi dicatur exulis filius. Virgil. *Idem ego nate tuum violaui crimine nomen, pulſus ob inuidiam regno.* QVEM DIXIT APOLLO. Id eſt quem oracula tibi generum per portenta dixerant. NON EGOMET. id eſt non cum furtiuo amore & culpabili Polynicen dilexi, ſed vt exulem maritum amorem tuis monitis parui. QVANTVS AMOR. Lucan. *non legum iura nec arma, vnica materia eſt coniunx miſer.* Nam maritum commendat affectio: ſi ſit miſer, auget miſericordia charitatem. ROGO. Peto vt concedas, quod proficiſcente marito dolebo, quod pugnante timebo.

Illius humenti carpens pater oſcula vultu,
Non equidem has vnquam culparim nata querelas,
Pone metus. laudanda rogas, nec digna negari.
Sed mihi multa dei (nec tu ſperare quod vrges
Deſine) multa metus, regnique volubile pondus
Subiiciunt animo. veniet, qui debitus iſtis

Nata modus. nec te incaſſum fleuiſſe quereris.
Tu ſolare virum. neu ſint diſpendia iuſtæ
Dura moræ, magnos cunctamur nata paratus.
Proficitur bello. dicentem talia naſcens
Lux mouet, ingentéſque iubent aſſurgere curæ.

SED MIHI MVLTA DEI. Ordo. Sed mihi multa dei ſubiiciunt animo. NATA MODVS. eleganter religioſus pater ſollicitæ filiæ belli pollicetur affectum. DVRA MORAE. Nec damnum putes vtiles moras. Ipſa enim tarditate bellum perficitur. vt Lucan. *ſæpe mora melior.*

EXPLICIT
THEBAIDOS LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM LIBRI QVARTI THEBAIDOS.

MOx ſeptem Bellona viros in prælia cogit.
Primus init bellum mœſtus longæuus Adraſtus
Itque gener fulgens patriis Dirceus in armis.
Inde ferox animi Tydeus iam ſæuit in hoſtes.
Herculeam Hippomedon pubem mouet inclitus armis,
Et Capaneus atrox Thebas excindere quęrit.
Amphiaraum prodit coniunx, iam perfida vatem.
Parthenopeus init trepida genetrice maniplos.
At contra Etheocles Thebanos inſtruit omnes.
Nec non Tirheſias infernas conſulit vmbras.
Argiuíſque ſitim Bacchus molitur, & æſtus.
Hypſipyle monſtrat lymphas Langia perennes.

INTERPRETATO.

CONTINET hic liber Bellonam iacientem haſtam ad initium belli, & perſuadentem pugnam. Sacrificium Iouis, & in ipſo omina aduerſa ad bellum euntium. Planctum ſuorum. dehinc catalogus de his, qui venerunt in auxilium Adraſti, & ſingulorum nomina ducum. Prima deſcriptio Adraſti. Secunda Polynicis generi eius. Tertia Tydei eiuſdem generi. Quarta Hippomedontis. Quinta Capanei. Sexta Amphiarai deſcriptio euntis ad bellum, prodente coniuge, & accipiente ornatus ab Argia. Septima Parthenopei euntis ad bellum inſcia matre. matris aduentus, & allocutio eius diſſuadentis eum à pugna. Dehinc à Thebis præparatio Etheoclis contra fratrem. Aduerſa monſtra. Furoris correptio Iocaſtæ, decurrentis in monte, & allocutio eius vaticinantis futura. Extractio vmbræ Lai. & eius vmbræ vaticinatio futuri mali. Item Græci exercitus euntis Thebas, Liberi patris deſcriptio cum omni choro, & eius allocutio pro Thebis, cum exercitum Græciæ videret Thebas petere. preces eius apud Nymphas, vt cuncta ſiccarent, & euntibus Græcis ſiti exhauſtis potum fontis negarent. Nympharum viſcera in terram redacta. Remotio Argiuorum. Sitis deſcriptio. Adraſti allocutio ad Hypſipylen nutricem Archemori, filii Lycurgi. Hypſipyles reſponſio, & demonſtratio fontis Langiæ. Deſcriptio exercitus ad aquam feſtinantis.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER QVARTVS

Incipit.

TERTIVS horrentem Zephyris laxauerat annum
Phœbus, & anguſtum cogebat limite verno
Longius ire diem, cùm fracta, impulſáque fatis
Conſilia, & tandem miſeris data copia belli.
Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo
Oſtendit Bellona facem, dextráque trabalem
Haſtam intorſit agens, liquido quæ ſtridula cælo
Fugit, & aduerſæ celſo ſtetit aggere Dirces.
Mox & caſtra ſubit, ferróque, auróque coruſcis
Mixta viris, turmale fremit. dat euntibus enſes.
Plaudit equos. vocat ad portas. hortamina fortes
Præueniunt, timidíſque etiam breuis addita virtus.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

TERTIVS PHOEBVS. id eſt, tertius annus ex emiſſo pacto fratrum. primus enim fuit quo imperauit Etheocles. ſecundus in quo conuentus eſt à Tydeo, vt redderet regnum; quo anno itus ac reditus Tydei cōſumptus eſt. tertius à quo incipitur bellum. HORRENTEM ANNVM. Hyeme aſperum vel horridum frigore. ZEPHYRIS LAXAVERAT. Eleganter, quia Hyeme liquentia ſolidantur. vt Virg. *Nam frigore mella cogit hyems, eadémque calor liquefacta remittit.* Item *caduntque ſecuribus humida vina.* Quæ omnia reſoluit verna temperies. *Annum* ergo pro parte anni, per quam hyemem poeta ſignificat. vt Virgil. *Et Zephyro putris ſe gleba reſoluit.* LIMITE VERNO. Tempore vtique verno, quo imminutis noctibus dies ſumit augmentum. CVM FRACTA IMPVL-

SAQVE FATIS. Quia contra conſilium Adraſti indictum eſt bellum, voluntate fatorum fracta, id eſt, dirupta, & ab ancipiti cogitatione abſciſſa & deſtinata, ad indictionem belli. Ideo ſubiungit, *Impulſaque fatis.* Iam enim dirupta facile ab bellandum fatis impelli potuerunt. MISERIS. vtriſque ſcilicet fratribus infelix exitit cauſa bellandi, quos natos infelicior habuit imperandi conditio. PRIMA BELLONA. Aut quod prima bellū cæperit ante Martē; aut quod prima domina prælioꝛum. RVTILAM. Splendentem. DE, VERTICE LARYSSAEO. De arce ciuitatis Argiuæ. TRABALEM HASTAM. Ingentem. cōgrue inde haſtam ingentem dixit emiſſam, vnde bellum veniebat ad Thebas. DYRCES Nomen Thebani fontis, à reginæ vocabulo nuncupatum: & more poetico dixit. Neque enim poterat haſta de vertice Laryſſæo vſque ad Thebas ire. CORVSCIS VIRIS. Splendidis Argiuorum ducibus, id eſt, ferri nitore fulgentibus. PLAVDIT EQVOS. Plauſibus excitat.

Dicta dies aderat. cadit ingens rite Tonanti,
Gradiuóque pecus. nulliſque ſecundus in extis
Pallet, & armatis ſimulat ſperare ſacerdos.
Iámque ſuos circùm pueri, innuptæque, patréſque,
Funduntur mixti, ſummíſque à poſtibus obſtant.
Nec modus eſt lachrymis. rorant clypeique, iubæque
Triſte ſalutantum, & cunctis dependet ab armis
Suſpiranda domus. galeis iuuat oſcula clauſis
Inſerere, amplexúque truces deducere conos.
Illi, quîs ferrum modo, quîs mors ipſa placebat,
Dant gemitus, fractæque labant ſingultibus iræ:
Sic vbi forte viris longum ſuper æquor ituris
Cum iam ad vela noti, & ſciſſo redit anchora fundo
Hæret amica manus, certant innectere collo
Brachia, manantéſque oculos, hinc oſcula turbant,
Hinc magni caligo maris, tandémque relicti
Stant in rupe tamen, fugientia carboſa viſu
Dulce ſequi, patrióſque dolent crebreſcere ventos.
Stant tamen, & notam puppem de rupe ſalutant.

DICTA DIES ADERAT. ἀποσιωπήσις. ſubaudimus vero cœtibus, aut ſacrificiis, aut quibuſlibet rebus ſupra-dictis. SIMVLAT SPERARE. Cum metu futuri mali ſacerdos ipſe palleret, populis tamen propicios deos eſſe fingebat, ne animus virorum fortium minueretur; quia ne armati aduerſum omen accipiant, proſpera pro terribilibus nunciat. TRISTE. pro triſtiter, nomen pro aduerbio. SVSPIRANDA DOMOS. *domum* pro familia, *ſuſpiranda* pro deſiderabili poſuit. id eſt, omnes armati domus ſuæ dulcedine tangebātur. DEDVCERE CONOS. inclinare apices galearum. HAERET AMICA MANVS. In ancipiti pietas conſtituta, quid potius faceret ignorabat. HINC OSCVLA TVRBANT. per oſcula fletus fiebat, qui turbabat oculos. DE RVPE SALVTANT. vale illis dicunt, & vt bene nauigent optant. eſt ergo *ſalutare* etiam abeuntibus vale dicere.

Nunc mihi fama prior, mundique arcana vetuſtas
Cui meminiſſe ducum, vitáſque extendere curæ,

Pande viros. túque ô nemoris regina ſonori
Calliope, quas ille manus, quæ mouerit arma
Gradiuus, quantas populis ſpoliauerit vrbes,
Sublata molire lyra. nec enim altior vlli
Mens hauſto de fonte venit. Rex triſtis, & æger
Pondere curarum, propiórque abeuntibus annis,
Inter adhortantes vix ſponte incedit Adraſtus
Contentus ferro cingi latus. arma manipli
Ponè ferunt volucres. portis auriga ſub ipſis
Comit equos, & iam inde iugo luctatur Arion.
Huic armat Lariſſa viros. huic celſa Proſymne
Aptior armentis Media, pecoroſáque Phyllos,
Quæque pauet longa ſpumantem valle Charadron
Neris, & ingenti turritæ mole Cleone.
Et Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.

Nvnc mihi fama prior. Iſta ideo numina inuocantur, quia nullum bellum Thebano antiquius fuit. vt Lucan. *Hinc & in veteres famoſa vetuſtas.* hic ergò inuocatio eſt famæ ac vetuſtatis. O fama. cui eſt meminiſſe virorum fortium vitá, ne obliuione ſopiantur. Tvqve ô nemoris. nemoris Pindi aut Parnaſſi, vnde vox funditur Pieridum. Svblata molire lyra. Heroicum iam ardorem innectens remiſſa lyra commemorat. Mens havsto de fonte venit. quia illic tu donas eloquia. Pondere cvrarvm. ſollicitudinum turba circa finem vitæ iam poſitus. Vix sponte. id eſt, quod ſenectutis tardaretur incommodo; vel quod ad bellum ire cogebatur inuitus. Contentvs ferro. gladio tantummodo incedebat præcinctus; aut propter ſenectutem, ne armis grauaretur, aut propter poteſtatẽ, quæ munimini eius poterat ſola ſufficere. Lvctatvr Arion. hic Arion natus eſt Neptuni munere & Terræ, equus nimiæ velocitatis, quem nunc Adraſtus currui iunctum ducebat ad bellum. Alii dicunt filium ipſius Neptuni Pelopi donaſſe, à Pelopo ad Adraſtum veniſſe. Cum igitur adhuc ignotus eſſet equorum curſus mortalibus, & horum animalium natura egeret terra, Neptunus remediaturus humanos ſucceſſus virtutibus ac potentia, in Theſſalia terram tridente percuſſit, ſubitoque, mirum dictu, ſolo proſilierunt duo equi, ſcilicet Scyphos & Arion. Inde optimæ naturæ equi Theſſalici per orbem feruntur. Hvic. propter hunc. *huic Meſſapus vti leua duo forte gerebat.* Prosymna. ciuitas Argiuorum. Phyllvs. Arcadiæ eſt regio, quam Græci Phyllalian vocant, quam pecoroſam ferunt, quod egregio abundet pecore, vnde fuit Neſtor. hinc Perſius. *Findor, vt Arcadiæ pecuaria rudere credas.* Charadron. ciuitas Peloponenſis, quæ fluuio Charadro iracunde trahitur. Neris. montis nomen Argiui, vt ait Callimachus. Cleone. ciuitas Arcadiæ, in confinio Argiuæ regionis.

Et Lacedaemonivm Thyre lectvra. Hiſtoria talis eſt. Thyre ciuitas, huius populi duo quondam bello inter ſe diſſentientes, Lacedæmones & Argiui, & Lacedæmoniorum dux Othriades, cum eius exercitus iam prope victor eſſet, tamen graui vulnere iaceret, excepto antequam totam animam exhalaret ſanguine, trophæa iuſſit attolli, quibus digito ſanguine oblito hæc ſcripſit. [illegible] * aptron e prata λογιον .hoc eſt quod dixit *Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.* Siue quia apud Lacedæmonios verberum & plagarum habebatur certamen, propter hoc dixit. *Lacedæmonium lectura cruorem.* Memores. qui haberent memoriam generis, qui Adraſto longa affinitate iunguntur.

Iunguntur

Iunguntur memores tranſmiſsi ab origine reges,
Qui Drepani ſcopulos, & oliuiferæ Sicyonis
Culta ſerunt, quos pigra vado Langia tacenti
Lambit, & amfractu riparum incuruus Heliſſos.
Sæuus honos fluuio, Stygias luſtrare ſeueris
Eumenidas perhibetur aquis. huic mergere ſuetæ
Ora, & anhelantes tuto Phlegethonte ceraſtas.
Seu Thracum vertere domos, ſeu tecta Mycenis
Impia, Cadmeúmque larem. fugit ipſe natantes
Amnis, & innumeris liueſcunt ſtagna venenis.
It comes Inoas Ephyre ſolata querelas,
Cenchrææque manus. vatum qua conſcius amnis
Gorgoneo percuſſus equo. quáque obiacet alto
Iſthmos, & à terris maria inclinata repellit.

QVI DREPANI SCOPVLOS. Corinthion vel Drepanem dicit non Siciliæ. OLIVIFERAE SICYONIS. Corinthi municipium oliuis fertile. vnde Verg. *Teritur Sicyonia bacca trapetis.* Hanc autem primum Adraſtus ciuitatem regnando poſſedit. vt ipſe in ſecundo libro teſtatur dicens. *Quis te ſolio Sicyonis auita Excitum, infrenos componere legibus Argos.* LANGIA TACENTI. id eſt, quos Langia palus lambit. HELISSOS. fluuius Atticæ regionis. hunc igitur ita vocant tractum nomen à flexibus. qui fertur ex Cocytho fluuio inferorũ vndarum augmenta percipere. vel in iſto dicuntur Furiæ ſolitæ morari. SEV TECTA MYCENIS. propter fratrum diſcordias, & parricidiales epulas, & fugam Solis. vnde Virgil. *Nec tam aduerſus equos Tyria ſol iungit ab vrbe.* EPHYRE. ipſa eſt quæ Corinthion, quæ Dyrrachium, in qua mater Palæmonis colitur. huic templum ciuitas prima Ephyre dedit, quia de Scyradibus petris ſe Ino, vxor Athamantis, præcipitauit in mare. & cum corpus filii Melicertæ Corinthum fuiſſet appulſum, de habitu contemplati regis fuiſſe filium, humauerunt. Cui humato inſtitutum fertur luſtrale certamen, quod *Iſthmicum* vocant, vt quidam volunt. Ita eſt ſolata Ephyre matris querelas. Eſt autem Corinthi ciuitas. vnde Virg. *Ephyreaque æra.* i. Corinthia. CENCRAEAEQVE. *Cenchræus*, portus eſt Corinthi. GORGONEO PERCVSSVS EQVO. equo Pegaſo, cuius vngula percuſſus locus fontem effudit, qui Hippocrenes dicitur. hoc enim fonte qui labra proluerit poeta fiet. ideo *vatum conſcium* dixit. Pegaſus autem, Neptuni & Meduſæ Gorgonis filius, volare ſolitus, cum veniſſet in montem Heliconem, qui eſt in Beotia, vngula loco quem percuſſerat, fontem inde excuſit. hoc dicit ſeruare vatibus carmina. vnde Perſius. *Nec fonte labra prolui Caballino.* ISTHMOS. Achaiæ mons, qui Aegeum mare diuidit ab Ionio. Ideo autẽ dixit. *Maria inclinata repellit*, quod Achaiam, in qua pater regnauit Pelops, duo maria circundant, adeo vt inſulam faciant, niſi vtrumque pelagus obiectus Iſthmos interiaceret. Lucan. *Gracilis mare ſeparat Iſthmos.*

Hæc manus Adraſtum numero ter mille ſecuti
Exultant. pars geſa manu, pars robora flammis
Indurata diu (non vnus namque maniplis
Mox, neque ſanguis ineſt) teretes pars vertere fundas

ſtringit homines, vt expedire non poſſent: nam Græce σφίγγειν conſtringere dicitur vel vinculum, quaſi illa propoſitis ſuis vinculis colligaret omnium mentes. vel propter Oedipoden patrem, cuius labor ſphynx eſt. PECTORE THEBAS. à cupiditate Thebarum ſolo coniugis reuocatur affectu.

Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus. iam lætus, & integer artus
Vt primum ſtrepuere tubæ: ceu lubricus alta
Anguis humo verni blanda ad ſpiramina ſolis
Erigitur liber ſenio, & ſquallentibus annis
Exutus, lætíſque minax interuiret herbis.
Ha miſer agreſtum ſiquis per gramen hianti
Obuius, & primo ſiccauerit ora veneno.
Huic quoque præſtantes Aetolis vrbibus affert
Belli fama viros. ſenſit ſcopuloſa Pylene
Fletáque cognatis auibus Meleagria Pleuron,
Et præceps Calydon, & quæ Ioue prouocat Idam
Olenos, Ioniis & fluctibus hoſpita portu
Chalcis, & Herculea turpatus gymnade vultus
Amnis: adhuc imis vix truncam attollere frontem
Auſus aquis, glaucóque caput ſubmerſus in antro
Mœret, anhelantes ægreſcunt puluere ripæ.

ET INTEGER ARTVS. integros artus habens poſt vulnerum curationem. dicit ergo Tydeum audito tubarum ſonitu nondum curatis vulneribus, tanquam integro corpore ad bellum prodiiſſe, cuius arma ita vt verno tempore anguis lubricus ſplendore radiabãt. SQVALENTIBVS ANNIS. quia depoſita pelle dicuntur ſerpentes in iuuentutem redire. herba quædam dicitur marathros, quam cum comederint, ſenium deponunt ætatis. SICCAVERIT ORA. id eſt, in ſe exhauſerit venena ſerpentis. SENSIT SCOPVLOSA PHYLENE. detrimenta cultorum. *Phylene* ciuitas Oetholiæ. MELEAGRIA PLEVRON. ciuitas Beotiæ; in qua ſorores dum fratrem flerent in aues verſæ ſunt, quæ hodie *meleagrides* vocantur. cauſa enim hæc illis fletus fuit, cum Althea mater Meleagri titionẽ fatalem combuſit, dum vindictam Pleuxippi & Agenoris quærit, quos Meleager occiderat: quo facto ipſa poſt tantum nefas merito laqueo gulam fregit exoſa lucis. Secuta eſt luctum alia calamitas. nam Meleagri germanæ in tantum fratrem fleuerunt, vt deorum miſericordia in aues verterentur. OLENOS. Arcadiæ ciuitas, in qua Iouem Amalthæa capra dicitur nutriſſe; quæ in cultum Iouis Idam non prouocat montem Cretæ, in quo Iuppiter colitur. contendit autem vt Iouem ſuum alumnum vindicet. TVRPATVS. Palæſtræ arte ſuperatus. vt Ouid. ait. Qui verius, hunc dicunt fluuium ante invium ab Hercule in foſſam deductum vires amiſiſſe. vt Lucanus ait. *Et ſciſſo gurgite riuus dat pœnas maioris aquæ.* Achelous fluuius. Deianyram, Oenei regis Oetholiæ filiam, in coniugium petit, eo tempore prædictam etiam Hercules poſtulabat, accepta lege ab Oeneo, vt qui virtute ſuperaſſet, ipſe eam acciperet: congreſſi in certamine cum vinceretur Achelous, mutatus eſt initio in iuuenem, mox in draconem, tertio in fluuium, qui per Oetholiã fluuens labitur in Arcadiam, ad vltimum conuertit ſe in taurum. Hercules autem dicens ſe etiam

tauros domuiſſe, cornu illius fregit, quod deſcendente ad inferos Cerberum rapturus ſecum tulit. illud Nymphæ omnibus bonis repleuerunt, datumque eſt Copiæ, quæ eſt miniſtra Fortunæ. Vnde in Boëtio legitur. *copia pleno cornu.* hoc ideo fingitur, quoniam fortuna ditiſſima eſt omnium, & diuites multos facit, cum pleno cornu: quoniam ſicut cornu carnem exuberat & ſupercreſcit, ita diuitiæ foris ſtipant hominem. in cornu etiam virtus eſt animalium: & fortunæ vires in diuitiis ſunt, quibus multos ad ſe pertrahit. AEGRESCVNT. dicitur Achelous duobus alueis fluxiſſe, cui Hercules vnum clauſit. Ideoque dicitur cornu truncatus. Hoc etiam ſciens poeta aliud agens occulte tetigit dicens. *Anhelantes agreſcunt puluere ripa. Marentem* ergo triſtem dixit.

Omnibus æratæ propugnant pectora crates,
Piláque ſæua manu, patrius ſtat caſſide Mauors.
Vndique magnanimum pubes delecta coronant
Oeniden hilarem bello, notiſque decorum
Vulneribus. non ille minis Polynicis, & ira
Inferior, dubiúmque adeo cui bella gerantur.
Maior at inde nouis it Doricus ordo ſub armis,
Qui ripas Lyncæe tuas, tua littora multo
Vomere ſuſpendunt, fluuiorum ductor Achiuum
Inache. Perſea neque enim violentior exit
Amnis humo, cum Taurum, aut Pliadas hauſit aquoſas
Spumeus, & genero tumuit Ioue. quos celer ambit
Aſterion, Dryopúmque trahens Eraſinus ariſtas.
Et qui rura domant Epidauria. dexter Iaccho
Collis, at Aetnææ Cereri negat auia Dyme.
Mittit opem, denſáſque Pylos Neleia turmas,
Non dum nota Pylos, iuueniſque ætate ſecunda
Neſtor, at ire tamen peritura in caſtra negauit.
Hos agitat, pulchræque docet virtutis amorem
Arduus Hippomedon, capiti tremit ærea caſſis,
Ter niuea ſcandente iuba. latus omne ſub armis,
Ferrea ſuta tegunt humeros, & pectora late
Flammeus orbis habet, perfectáque viuit in auro
Nox Danai. ſontes, furiarum lampade nigra,
Quinquaginta ardent thalami, pater ipſe cruentis
In foribus laudátque nefas, atque inſpicit enſes.
Illum Palladia ſonipes Nemeæus ab arce
Deuehit arma pauens, vmbráque immane volanti
Implet agros, longéque attollit puluere campum.

PATRIVS STAT. ex Marte Oeneus dicitur natus, ex Oeneo Tydeus; ſic enim in primo. *Martis non degenerare paterno aſpicies.* alii quaſi referunt ad virtutem. vt Virg. *Et Mauortius Hæmō*, non Martis filius, ſed qui virtute polleret. MAIOR AT INDE. Tranſitus ad Hippomedontem. magna arte & varietate ſermonis primo copiæ, deinde deſcribitur dux. LYNCE. fluuius Oetholiæ. INACHE. fluuius eſt maximus in Græcia, cuius Io filia a Ioue compreſſa in vaccam mutata eſt. vt Virg. *At leuem clypeum ſublatis cornibus Io.* PERSEA HVMO. Argiua, vbi Perſeus regnauit: *Perſea* ego principale pro deriuatiuo *Perſeia*. vnde & longam poſuit *ſe*. CVM TAVRVM AVT PLIADAS. quorum ortu pluuiæ immenſæ fundũtur: & optime tẽpus excepit. nã æſtate in torrentẽ degenerat. ideo tẽpus adiecit quo vndarũ ſumit augmentũ, cũ ſigna ſunt pluuialia, quæ illum mouent. GENERO TVMVIT IOVE. ideſt, gloriatur, quod cum eius filia Io concubuerit Iuppiter. ergo elatus eſt. DRYOPVMQVE. Dryopus & Icadius duo cum de finibus contenderent, Hercule iudice terminos cœperunt. EPIDAVRIA. ciuitas Argiuorum, vbi Aeſculapius colitur, equorum fertilitate gratiſſima. vnde Virg: *Domitrix Epidaurus equorum.* AETNAEAE CERERI. Siculæ Proſerpinæ. oſtendit ſuptadictum collẽ aptum vineis eſſe, frugibus infœcundum. PYLOS NELEIA. Pylos a Neleo patre Neſtoris nuncupata Neleia. AETATE SECVNDA. quia nondum militauerat Neſtor. multũq. ipſa nouitate declarauit. Nam prima ætas triginta annorum eſt, ſecunda ſexaginta. nam Neſtorem conſtat tertia ætate ad bellum veniſſe Troianum, ideo adhuc iuuenem ætate ſecunda dixit, quia poſtmodum militauit. LATVS OMNE SVB ARMIS. quod latus eſt armis tegitur. FLAMMEVS. laus operis. VIVIT IN AVRO NOX DANAI. non nox viuit, ſed ea quæ geſta ſunt nocte. ILLVM PALLADIA. Hippomedontem dicit, qui ab Athenis, ideſt, a Capitolio Mineruæ ad bella deſcendit. ARMA PAVENS. ideſt. equus nouus ad bellum velocitatis inſignis. ATTOLLIT PVLVERE CAMPVM. quaſi ipſe campus aſſurgat.

Non aliter ſyluas humeris, & vtroque refringens
Pectore, montano duplex Hyleus ab antro
Præcipitat, pauet Oſſa vias, pecudéſque, feræque,
Procubuere metu. non ipſis fratribus horror
Abfuit, ingenti donec Peneia ſaltu
Stagna ſubit, magnúmque obiectus detinet amnem.
Quis numerum ferri, gentéſque, & robora, dicto
Aequarit mortale ſonans? ſuus excit in arma
Antiquam Tiryntha deus. non fortibus illa
Infœcunda viris, famáque immanis alumni
Degenerat. ſed lapſa ſitu fortuna, neque addunt
Robur opes: rarus vacuis habitator in aruis
Monſtrat Cyclopum ductas ſudoribus arces.
Dat tamen hæc iuuenum tercentum pectora vulgus
Innumerum bello, quibus haud amenta, nec enſes
Triſte micant, flauent capiti tergóque Leonum
Exuuiæ, gentilis honos & pineus armat
Stipes, inexhauſtis arctantur tela pharetris.
Herculeum Pæana canunt, vaſtatáque monſtris
Omnia, frondoſa longum deus audit ab Oeta.

Dat Nemea comites, & quas in prælia vires
Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi:
Gloria nota caſæ, foribus ſimilata ſalignis
Hoſpitis arma dei, paruóque oſtenditur auro,
Robur vbi, & laſſos qua reclinauerit artus
Ilice, qua cubiti ſedeant veſtigia terra.

VTROQVE PECTORE. eleganter *vtroque*, ſcilicet hominis & equi, quod bimembres ſint, id eſt, humano & equino. PAVET OSSA VTAS. mons Theſſaliæ, in quo erant Centauri. PENEI STAGNA. Peneus fluuius Theſſaliæ. quaſi tam diu timeant, donec ad amnem ille perueniat. MORTALE SONANS. quod pro meritis militum fortitudines non poterint laudare mortales. TIRYNTHA DEVS. Hercules. Iuppiter mutatus in Aphitryonem concubuiſſe cum Alcmena Electrionis filia dicitur, in vrbe Tirynthe, vnde natus eſt Hercules, vnde & Tirynthius dicitur. de qua Plautus Tragicocomœdiam dixit. DEGENERAT. non degenerant a fama Herculis: ipſi quidē fortes ſunt, ſed æuo mutata eſt fortuna ciuitatis. ROBVR OPES. quia non poteſt fortuna addere virtutes. Sola enim virtus neque dono neque precio accipitur, vt Salluſt. *Probitatem, induſtrias, aliasque artes bonas neque dare, neque accipere quis poteſt.* MONSTRAT CYCLOPVM DVCTAS SVDORIBVS. ideſt ædificatas. vt Virg. *Pars ducere muros.* Cyclopes ciuitatis iſtius mœnia condiderunt, ſicut aſſerūt Græci. INNVMERVM BELLO EXPOSCITO. quod ſint tercentum pectora ſcilicet vulgus innumerum. quia tam fortes erant, vt multorum facta fortia ſua virtute penſarent. EXVVIAE. bene totum ad ſimilitudinem Herculis: quemadmodum ille claua, ſic iſte ſtipite. TELA PHARETRIS. Ita erat pharetra referta ſagittis, vt exhauriri non poſſet. PAEANA. proprie *pean* Apollini canitur. CANVNT. vt Virg. *Ibant æquati numero regemque canebant* OMNIA. aut canunt omnia vaſtata monſtris, id eſt, purgata: aut certe omnia audit Hercules in frondoſa Oeta poſitus; quæ vaſtata eſt monſtris: in qua eſſet concrematus Hercules eo loco cui Preſtion nomen eſt. SACRA CLEONEI. Herculem eo loco Molorchus accepit hoſpitio, cenſu pauper, diues affectu. Ordo. Nemea dant comites, dant & Molorchi vineta. *Cleonea* ciuitatis nomen eſt Nemeæ ſyluæ vicinæ. Lucan. *Ille Cleonei proiecit terga leonis, Antheus Libyci.* Ergo cum Hercules ad occidendum leonem iſſet ab Euriſtheo miſſus, a Molorcho ſuſceptus eſt hoſpitio, cuius leo filium interfecerat, didicitque ab eo quemadmodum aduerſus feram coiret: qua ſuperata ludos inſtituit, quos à loco Nemeos appellauit. igitur Nemea dant comites, dant & Molorchi vineta. Quia ea omnia in clypeorum pictura, & quomodo filius eius Molorchi a leone occiſus fuiſſet, & Herculis hoſpitiū, auro figurata notāter deſcripſerūt. QVA CVBITI SEDEANT VESTIGIA TERRA. ordo qua terra cubiti ſedeant veſtigia. *cubitum* poſuit pro loco cubilis. Cubiti cuius generis ſit in Captiuis Plauti lectum eſt, ex perſona Ergaſili paraſiti.

Nequis hac platea negotii conferat quidquam ſibi,
Nam meus eſt baliſta cubitus, pugnus catapulta eſt.

SEDEANT. mire. ſignificat enim factam lacunam terræ Herculis mole. hanc deſcriptionē poetæ pictam, ipſius Tyrinthiæ portabat exercitus.

At pedes, & toto deſpectans vertice bellum
Quattuor indomitis Capaneus erepta iuuencis
Terga, ſupérque rigens iniectu molis ahenæ
Verſat onus, ſquallet triplici ramoſa corona
Hydra recens obitu. pars anguibus aſpera viuis
Argento cælata micat, pars arte reperta

Conditur, & fuluo moriens igneſcit in auro.
Circum amnis torpens, & ferro cœrula Lerna.
At laterum tractus, ſpatioſáque pectora ſeruat
Nexilis innumero chalybum ſubtegmine thorax
Horrendum, non matris opus; galeæque coruſca
Prominet arce gygas. atque vni miſsilis illi
Cuſpide præfixa ſtat frondibus orba cypreſſus.

AT PEDES. Pedes quidem erat Capaneus, ſed omnibus eminebat. Solent enim equites altiores eſſe pedeſtribus. *Bellum* ergo pro bellatoribus poſuit. INIECTV MOLIS. Oſtendit multis taurorum coriis, laminis etiam ferreis Capanei clypeum obductum fuiſſe. HYDRA RECENS. ita veritatem expreſſit pictura, vt pene recenti obitu hydra cum ſuis ſerpentibus interiret. IGNESCIT IN AVRO. Admouetur ignis vulneri. idque factum vt nõ pullularet. CAERVLA LERNA. ferri materia facta eſt cærula. NON MATRIS OPVS. non matris manu factum, ſed artificum manu fabricatum: quaſi imbellibus illa conueniant, quæ a fœmina fabricantur. vt Virg. *Et tunicam molli mater quam neuerat auro.* hic ergo thorax & tunica aut ex ære, aut ex ferro facta fuerat: quippe Capanei ſolius apta virtutibus. STAT. horret, frondibus ſcilicet amputatis, HASTA. hyperbolicôs non haſta nominatur, ſed cupreſſus.

Huic parere dati quos fertilis Amphigenia,
Planáque Meſſena, montanáque nutrit Ithone.
Quos Thrion, & ſummis ingeſtum montibus Aepy,
Quos Helos, & Pteleon, Getico quos flebile vati
Dorion. hic fretus doctas anteire canendo
Aonidas, multos Thamyris damnatus in annos
Ore ſimul, citharáque, (quis obuia numina temnat?)
Conticuit præceps; quis non certamina Phœbi
Noſſet, & illuſtres Satyro pendente Celænas?
Iamque & fatidici mens expugnata fatiſcit
Auguris. ille quidem caſus, & dira videbat
Signa, ſed ipſa manu cunctanti iniecerat arma
Atropos, obruerátque deum. nec coniugis abſunt
Inſidiæ, vetitóque domus iam fulgurat auro.
Hoc aurum vati fata exitiale monebant
Argolico. ſcit & ipſe nefas ſed perfida coniux
Dona viro mutare velit, ſpoliiſque potentis
Imminet Argiæ, raptóque excellere cultu.

AMPHIGENIA. ciuitas eſt. Homerus quoque huius meminit. PLANAQVE MESSENA. non ipſa plana, ſed in cãporũ planitie conſtituta. *Meſſena.* ciuitas prope Pylum, quam admiſſus amnis interfluit. MONTANAQ. ſic Homerus epithetõ paſſi ſignificatu. * κειτοι

αιχλονοργυιας *quod ſignificat mõtuoſa ab exceſſione velocis cerui. Aepv. oppidũ Meſſenæ diſſimile. nam vt illa in cãpo poſita eſt, ita hoc in montibus collocatũ. Getico vate Thamirum dicit, quem Muſæ ingenti liuore motæ cæcaſſe dicuntur. Dorion. oppidũ de quo hic poeta fuit. aonias Muſas a montis nomine nuncupatas. Damnatvs. cæcatus mente non lumine. Ore simvl. optime poeta Homeri ambiguum verbum poſitũ intellexit de hoc ipſo, quod accentus commutatione ſignificauit, non cæcatum lumine, ſed eum cuius ſit damnatum ingenium, vt nec cordarum gloriam, nec vocis ſonum inferret. Celenas. Celene Lydiæ ciuitas, in cuius antro Marſias victus ab Apolline eſt, & ſupplicio affectus a tortoribus: cuius de ſanguine fluuius eius nomine natus eſt. vt Lucan. aſſerit. *Et victis deſcendens Marſia ripis Errantem Meandron adit.* Eſt ſenſus: temeritas Thamiri Marſiæ debuit coerceri ſuppliciis. vt Lucan. *Damnata Phœbo victore Celene.* Avgvriis. Alcmeon hoc monile occiſa matre Apollini conſecrauit, quod in fontem miſſum hodieque cerni dicitur, quod ſi quis manu attrectauerit, oſtendit offendi ſolem & tempeſtates oriri. vnde Virg. *Mœſtamque Eriphylem Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit.* Dona viro. de Homero tranſtulit. ita velit paſciſſi, vt malit monile habere, quam coniugem.

Illa libens(nam regum animos, & pondera belli
Hac mutare videt, pariter niſi prouidus heros
Militet) ipſa ſacros gremio Polynicis amati
Depoſuit nexus haud mœſta, atque inſuper addit.
Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit,
Tempora, nec miſeræ placeant inſignia formæ
Te ſine. ſat, dubium cœtu ſolante timorem
Fallere, & incultos aris aduertere crines.
Scilicet (heu ſuperi) cum tu cludare minaci
Caſside, ferratusque ſones, ego diuitis aurum
Harmonies dotale geram? dabit aptior iſta
Fors deus, Argolicasque habitu præſtabo maritas,
Cum regis coniux, cum te mihi ſoſpite templa
Votiua implenda choris. nunc induat illa,
Quæ petit, & bellante poteſt gaudere marito.
Sic Eriphylæos aurum fatale penates
Irrupit, ſcelerúmque ingentia ſemina mouit,
Et graue Tyſiphone riſit gauiſa futuris.
Tænariis hic celſus equis, quam diſpare cœtu
Cyllarus ignaro generarat Caſtore prolem.
Quaſſat humum. vatem cultu Parnaſia monſtrant
Vellera, frondenti crinitur caſsis oliua,
Albáque puniceas interplicat infula criſtas.
Arma ſimul, penſasque iugo moderatur habenas.
Hinc atque inde moræ iaculis, & ferrea curru

Sylua

Sylua tremit. procul ipſe graui metuendus in haſta
Eminet, & clypeo victum Pythona coruſcat.

Hac mvtare videt. Videt Argia belli totius mutari ſentẽtiã, ſi Amphiaraus deſit auxiliis. Sacros. execrandos. Stat dvbivm. ſenſus, ſufficit ad ſolatiũ fœminæ tali tempore ornatibus carere. Ordo talis eſt. Stat mihi timorem dubium cœtu ſolante fallere. hoc eſt diſſimulare. Fors. deus præcellens. Praestabo maritas. ſuperabo. *Maritæ* dicuntur vxores maritis deditæ. vt Horat. *Nec ſit marita quæ rotundioribus onuſta baccis ambulet.* Et notandum cum Saluſt. dixerit, *præſtare ceteris animalibus.* Virg. tamen *vel magnum præſtet Achillẽ.* Semina movit. ideo ingentia ſemina, quia & maritum prodidit, vt periret, & in ſe excitauit filium, vt fieret parricida. ipſeque eſt correptus inſania. Dispare coetv. bene *diſpare.* nec enim tanta nobilitas equi eadem ſtirpe equam potuit inuenire. *coetu* a coeundo dixit in Venerem. hunc equum Pollucis dixit Virg. licentia poetica. *Cyllarus & quorum Graii meminere poetæ*: hic Caſtoris eſt, ſed inter amabiles fratres totũ decet eſſe cõmune. Inde morae iacvlis. ideſt, impeditæ, occupatæ fuerant manus eius ex iaculis. Victvm pythona corvscat. quia vatis Apollinis tui gloriam & ſerpentis Pythonem dicit inſigne, viro forti religio fecerat ſacerdotis.

Huius Apollineæ currum comitantur Amyclæ,
Quos Pylos, & dubiis Malea vitata carinis,
Plaudentique habiles Cariæ reſonare Dianæ.
Quos Pharis, volucrúmque parens Cythereia Meſſe,
Taygetique phalanx, & oloriferi Eurotæ
Dura manus. deus ipſe viros in puluere crudo
Arcas alit, nudéque modos virtutis, & iras
Ingenerat. vigor inde animis, & mortis honoræ
Dulce ſacrum: gaudent natorum in fata parentes,
Hortanturque mori. deflet iamque omnis ephebum
Turba, coronato contenta eſt funere mater.
Frena tenent: dupléxque inſerto miſsile nodo,
Exerti ingentes humeros: chlamys horrida pendet,
Et cono Ledæus apex. non hi tibi ſolum
Amphiarae merent. auget reſupina maniplo
Elis. depreſſæ populus ſubit incola Piſæ.
Qui te flaue notant terris Alphee Sicanis
Aduena, tam longo non vnquam infecte profundo.
Curribus innumeris latè patria arua laceſſunt,
Et bellis armenta domant. ea gloria genti,
Infando de more, & fractis durat ab vſque
Axibus Oenomai. ſtrident ſpumantia morſu
Vincula, & effoſſas niueus rigat imber arenas.

AMYCLAE. Laconiæ ciuitas ſacra Apollini,in qua Hyacintus in agone celebratur in honorem pueri regis,qui cùm exerceretur diſco,percuſſus zephyri vertigine,quod ſe Apollini prætuliſſet, occiſus eſt, cuius ſanguis in florem nominis ſui ob memoriæ perpetuam dignitatem conuerſus eſt. Virgil. *Inſcripti nomina regum Naſcuntur flores.* CARIAE. Templum in Laconia Dianæ ſacrum, quod etiam Carratium nominatum eſt, ex hac cauſa. cùm luderent virgines,meditatus ruinam omnis chorus in arborem nucis fugit, & in ramo eius pependit; quam nucem Græci caram vocant. ergo de arbore, & templo, & de dea,nomen accepit. MALEA. Maleæ quæ propter periculum à nauigantibus circumeuntur. vt Virg. *Maleaque ſequacibus vndis.* Hiſtoria autẽ de hoc monte fertur huiuſmodi. Maleus Tuſculorũ rex, qui primus tubam inuenit, is cùm pyraticam exerceret, & mare tempeſtatibus eſſet infeſtum,hunc montem inſedit, qui & Apollinem Maleoticũ de ſuo vocabulo, & montem ipſum Maleam nominauit. Alii dicunt hunc montem Achaiæ eſſe.bene Statius hæc dicit anxilia vatem habuiſſe,quia hi populi præcipue Deum venerantur Apollinẽ Cariæ. VOLVCRVMQVE PARENS. & hunc verſum de Homero tranſtulit. volucrũ ergo parens columbarũ,vnde ſe probat Cythereã eſſe,quia amat aues Veneri conſecratas. Quæ autem cauſa ſit quod Venus columba delectata ſit, talis eſt. Venus & Cupido cum quodam tempore voluptatis gratia in quoſdam deſcendiſſent campos, laſciua contentione certare cœperunt, qui plus ſibi gemmantes colligerent flores: quorum Cupido adiutus mobilitate pennarum, poſteaquam naturam corporis volatu ſuperauit, victus eſt numero. Periſtera enim Nympha ſubito accurrit, & adiuuando Venerẽ ſuperiorem effecit, cum pœna ſua. Cupido ſiquidem indignatus mutauit puellam in auem,quæ à Græcis περιστερὰ appellatur. Sed pœnam honor minuit. Venus namque conſolatura puellæ innocentis transfigurationem, columbam in tutela ſua eſſe mandauit.

EVROTAE. Eurotæ cur dixerit ipſe narrauit. iuxta hunc fluuium Lacones vapulando contendunt.glorioſior tamen ille eſt,qui iuxta præſcriptũ numerũ plagarum animæ non pepercit, qui cum deuouerit ſpiritum publice funeratur,& capite coronatur. Tanta enim crudelitas in hac gente eſt,vt mater lachrymas ſuas conſoletur funere coronati. Deũ dixit hoc hortari Mercuriũ, qui palæſtrarũ numen eſt.vnde Mercurius ad virtutem & belli officia ſtudioſus palæſtræ eſt. GAVDENT. quia cùm dimicant,contra verbera patientiam dicuntur hortari. cum autem ad bellum eunt, arma dant liberis, & hac hortatione ſubiiciunt, *Aut cum his, aut ſupra hæc*: quod ſignificat vel victores debere reuerti, vel mortuos. vnde Lucanus *inde ruenti in ferrum mens prona viris.* FVNERE MATER. Senſus, omnis quidem turba ephœbi lamentatur interitum,mater ſola negligit luctus,quia filius coronatur extinctus. AVT CONO LEDAEVS APEX. aut Caſtoris pileus, aut Ledæus olorinus, quia in olorem mutatus Iuppiter cum Leda concubuit. nam hi quoque Lacones fuerunt. MERENT. militant. Virgil. *merui* quoque dixit, vnde miſſos militia *emeritos* dicimus. *merui & militaui*. vt Lucan. *Caſtrorum in plebe merebant.* DEPRESSAE. quia vallibus vndique Piſæ cinguntur,& Crotonio monte præmuntur. ALPHAEE. Sicanis. Cõſtat enim hunc fluuium amore Aretuſæ Nymphæ occultas egiſſe vias ſubter mare, & in Siciliam fluctibus amatæ miſceri. ADVENA. merito ſcilicet aduenam, quia ab Elide in Siciliam labitur per mare, nec tamen aquæ marinæ miſcetur. CVRRIBVS. propter Olympicum certamen, quod luſtris ſingulis circenſibus Ioui exhibetur Olympio. PVTRIA ARVA. id eſt, minus culta. vt Virgil. *Et cui putre ſolum, namque hoc imitamur arando.* ET BELLIS. aut in bellis domant. AXIBVS OENOMAI. ex quo Oenomaus hanc legem procis filiæ poſuit, vt victus interimeretur, vxorẽ victor acciperet, qui Myrtili aurigæ ſui fraude deceptus ipſe ſupplicia quæ proponebat expendit.quia fractis axibus,ingenio vt diximus Myrtili,qui corruptus rotam cera coniunxerat, victus eſt. dixit autem de his qui ex Piſa ſunt ingenitum eſſe,vt equis gaudeant ex illo ſtudio, quod rex Oenomaus ea arte præcellit.

Tu quoque Parrhaſias ignara matre cateruas
Ha rudis armorum (tantum noua gloria ſuadet)
Parthenopæe rapis. ſaltus tum fortè remotos

Torua parens (neque enim hæc iuueni forte ire poteſtas)
Pacabat cornu, gelidíque auerſa Lycei.
Pulchrior haud ulli triſte ad diſcrimen ituro
Vultus, & egregiæ tanta indulgentia formæ.
Nec deſunt animi, ueniat modò fortior ætas.
Quas non ille duces nemorum, fluuiíſque dicata
Numina, quas magno non impulit igne Napæas?
Ipſam, Mænalia puerum cùm uidit in umbra,
Dianam, tenero ſignantem gramina paſſu,
Ignouiſſe ferunt comiti, Dictæaque tela
Ipſam, & Amyclæas humeris aptaſſe pharetras.
Proſilit audaci Martis percuſſus amore:
Arma, tubas, audire calens, & puluere belli
Flauentem ſordere comam, captoque referri
Hoſtis equo. tædet nemorum, titulúmque nocentem
Sanguinis humani pudor eſt neſcire ſagittas.

TV QVOQVE Parthenopæus. Atalãtæ filius. PARRHASIAS. Arcadias. vt Virg. *Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.* RVDIS ANNORVM. vt adhuc in annis minoribus conſtitutus non timeas incerta bellorum. vt Virg. *Ante annos animũque gerens curãque virilem.* PACABAT CORNV. ideſt venationibus pacata ferarum reddebat interitu vt Virg. *Aut Erymanthi pacarit nemora, & Lernã tremefecerit arcu.* PVLCHRIOR HAVD VLLI. ideſt, Parthenopæo pulchrior nullus fuit. NEC DESVNT ANIMI. id eſt, in Parthenopæo animarũ vigebat inſigne: ſi modo ad id ætatis robur etiã accederet. QVAS. non is nymphas aut Oreadas, aut Potamidas, aut Dryades, aut Napæas dicit. *Dryades* ſunt quæ quercubus delectantur, *Oreades* montibus, *Potamides* fluminibus, *Napææ* virgultis & floribus. IPSAM MAENALIA. Dianam ſcilicet quæ Atalantæ ob amiſſam virginitatem ignouit. SIGNANTEM GRAMINE. Eleganter infantis greſſum non calcantem, ſed ſignantem oſtendit. vt Horat. *Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo Signat humum.* dicit ego Dianam, cum tam pulchrum vidiſſet Parthenopæum, Atalantæ dediſſe veniam, cui propter concubitus fuerat irata Meleagri. FLAVENTEM SORDERE COMAM. hæc Horat. *Sunt quos curriculo puluerem olympicum collegiſſe iuuat.* TAEDET NEMORVM. Senſus. erubeſcebat Parthenopæus, quod nondum humano ſanguine ſuas ſagittas infecerat, & quod non hac crudelitate laudis fuerat titulum conſecutus.

Igneus ante omnes auro micat, igneus oſtro,
Vndantemque ſinum nodis irrugat Hiberis.
Imbelli parma pictus Calydonia matris
Prælia. trux leuâ ſonat arcus, & aſpera plumis
Terga Cydonæa corythos arundine pulſat,
Electro pallens, & iaſpide clarus Eoa.
Cornipedem trepidos ſuetum præuertere ceruos

Velatum geminæ deiectu lyncis; & arma
Mirantem grauioris heri ſublimis agebat,
Dulce rubens, viridique genas ſpectabilis æuo.
Arcades huic veteres aſtris Lunaque priores,
Agmina fida datis. nemorum vos ſtirpe rigenti
Fama ſatos, cùm prima pedum veſtigia tellus
Admirata tulit. nondum arua, domuſque nec vrbes,
Connubijſque modus. Quercus, laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos vmbroſa creauit
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit orno.
Hi lucis ſtupuiſſe vices, noctiſque feruntur
Nubila, & occiduum longe Titana ſecuti
Deſperaſſe diem. rareſcunt alta colonis
Mænala. Parthenium fugitur nemus, agmina bello
Rhipeque, & Stratie, ventoſáque donat Eniſpe.
Non Tegea, non ipſa Deo vacat alite felix
Cyllene, templúmque Aleæ nemorale Mineruæ:
Et rapidus Cliton, & qui tibi Phythie Ladon
Penè ſocer. candenſque iugis Lampia niuoſis,
Et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti.

VNDANTEMQVE SINVM. quia vndantem chlamydẽ quaſſando facit. NODIS HIBERIS. hiſpanicis, ideſt panno balthei. IMBELLI PARMA. cum qua nunquam pugnaſſet. MATRIS PRAELIA. hoc eſt ſcuto picta gerens prælia. Calydonium quippe aprum comitata viros Atalanta ſagittis fixit, vt priore libro docuimus. ASPERA PLVMIS. loricæ ſquamas explicuit, quam alij cataphractã vocãt. vnde Virg. *quẽ pellis ahenis in plumã ſquamis auro cõſerta tegebat.* CORYTHOS dicitur theca arcus, vt *pharetra* ſagittarũ. aut certe *corythos* pro pharetris poſuit. vt Virg. *Corythique leues humeris & letifer arcus.* MIRANTEM GRAVIORIS HERI. armorum permutatio grauiorẽ equo fecerat dominũ. addita enim lorica oneroſior Parthenopæus extiterat. ARCADES HIC. Cicero pro Fundanio opinionis eius meminit, cum de nobilitate tractaret. Aiunt autem Arcades eſſe vetuſtos. denique cum Phrygibus de antiquitate certauerũt, hi ſingulos paruulos cum ſingulis nutricibus clauſerunt, quibus nutricibus ademerant linguas, vt experirentur verũ vox eſſet innata, an diſceretur, & ſi eſſet innata quænam illa eſſet, Phrygum an Arcadum. producti autem pueri vere locuti eſſe dicuntur, qua ſignificatione Phrygum lingua panis intelligitur. Sic ego cognitũ eſt Arcades non eſſe primigenas. Item de eodem, cur ſe Arcades nobiles dicant: Thucides libro. i. ait, hunc morem Græciæ fuiſſe, vt coacti in alienas ire terras, quas fertiles eſſe cognouerant, eaſdem vaſtabant veteribus incolis pulſis. ſed Arcades ſoli ob ſterilitatem agrorum commoti non ſunt, & ideo ſoli nobiles exiſtimantur. Quid de his libro. ii. *Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur Arcades, & luna gens prior illa fuit.* NEMORVM VOS STIRPE RIGENTI. non quod de arboribus vere nati ſunt, ſed quia ad huc non erat vſus caſarum, & in morem pecorum vagabantur. filios autem ſuos, ait, arborum caueis aut concauis ſpecubus contegebant, quos tranſeuntes arborum filios exſtimabant: quam opinionem Virg. aſſerit dicens. *Genſque virum truncis & duro robore nata.* HI LVCIS STV-

FVISSE VICES. quaſi quod primi nati ſunt, quam diei nox obſcura ſuccederet. TITANA SECVTI. oculi ſecuti ſunt ſolis occaſum. DESPERASSE DIEM. dicit homines natos ex arboribus perpetuam noctem timuiſſe ſolis occaſu. RARESCVNT. deſolantur neceſſitate bellorum. vt Virg. *Squalent abductis arua colonis.* MAENALA PARTHENIVM. mons & nemus Arcadiæ. VENTOSA. *ventoſam* dixit aut tempeſtatibus grauem, aut vt quidam volunt in edito poſitam. NON IPSA DEO. Omnes hæ ciuitates Arcadiæ in Mænalo monte ſitæ ſunt. vnde Virg. *Tegaum ſubligat enſem.* CYLLENE. vt, *Cyllene gelido conceptum vertice fudit.* Et ſi fas eſt quenquam cepiſſe deorum. CLITON. & hic fluuius eſt Arcadiæ. POENE SOCER. propter Daphnen Ladonis filiam, quam Apollo dilexit. *pene* ait, quia virginitas damnum paſſa non eſt, & in laurum ante concubitum fuiſſe conuerſa dicitur. LAMPIA NIVOSIS. ciuitas Arcadiæ, niuoſis montibus conſtituta. ergo Lampſiam à candore pruinarum dictam nominis ipſius proprietas monſtrat. λαμπρὸν enim Græcè ſplendidum dicitur. STYGA MITTERE. palus à qua Styx ſumit exordium. Conſtat inter prudentes Peneum vndas Stygi ſubmittere & ſubminiſtrare.

Venit & Idæis vlulatibus æmulus Azan.
Parrhaſiique duces; & quæ riſiſtis amores
Grata pharetrato Nonacria rura Tonanti.
Diues & Orchomenos pecorum, & Cynoſura ferarum.
Aephitios idem ardor agros, & Pſophida celſam
Vaſtat, & Herculeo vulgatos robore montes,
Monſtriferúmque Erymanthon, & ærisonum Stymphalon.
Arcades hi, gens vna viris, ſed diſſona cultu
Scinditur, hi Paphias myrtos à ſtirpe recuruant,
Et paſtorali meditantur prælia trunco.
His arcus, his tela ſudes, hic caſſide crines
Integit, Arcadij morem tenet ille galeri,
Ille Lycaoniæ rictu caput aſperat vrſæ
Hos belli cœtus, iuratáque pectora Marti,
Milite vicinæ nullo iuuere Mycenæ.
Funereæ tum namque dapes, mediíque recurſus
Solis, & hic alij miſcebant prælia fratres.

AEMVLVS AZAN. *æmulus* quia in illo monte, vt Iuppiter, ita etiam Mater deorum colitur ritu: inde Azan apud Arcades Curetes hoc nomen habent, de monte Azane. vnde vulgo in ſacris Deæ magnæ dicitur *Azan*. NONACRIA. vna pars orationis eſt Nonacria, vt Trinacria. eſt autem nomen loci vel agri Arcadiæ, in quo Iupiter in ſpeciem Dianæ verſus, cum Calyſtone Lycaonis filia concubuiſſe narratur. Ouid. *Sic in virgine Nonacria.* CYNOSVRA. locus Arcadiæ, vnde & minor vrſa Cynoſura dicitur. Lucan. *propiorque mari Cynoſura feretur.* Aephitios, à ciuitate vel mõte ducis nomine nuncupatos. hi quoque Arcadiæ populi ſunt. HERCVLEO VVLGATOS ROBORE MONTES. Virtute Herculis cognitos. ERYMANTON ET STYMPHALON. quorum in altero aprum cepit, quem viuum Euryſtheo detulit. in altero aues, quæ Stymphalides appellantur, occidit. *Erymanton* quidam volunt locum eſſe, qui iuxta Parthenios agros eſt, vbi Hercules de Auge ſuſceptum filiũ expoſuit Telephum, quia cerua nutritus eſt; ſed hæc loca hic non conuenit ſuſpicari. Nam

montes eos dicit in quibus Hercules de apro & de auibus triumphauit. *Erymanthus* autem mons eſt, & ſylua eodem ſignata vocabulo, in Arcadiæ finibus conſtituta. Stymphalon autem æris ſonum dicit, quia non ſagittis, ſed æris ſonitu Hercules Stymphalidas occidit. PRÆLIA TRVNCO. id eſt, pedo, quod armorum genus Homerus. ῥόπαλον. vocat. vt Virg. *Sternentes agmina claua.* Item *Stipitibus duris agitur ſudibusue præuſtis.* MILITE VICINAE. plenus enim fabulæ ita ſe continet textus. Atreus & Thyeſtes Pelopis filii, Tantali nepotes, alternis vicibus regnum regebant. Verum Thyeſtes cum inceſtaſſet Europam fratris vxorem, ab eo pulſus eſt e regno, ſed inter eos qui ſcelere certabant, videbatur pro vindicta ficta gratia reconciliationis. Atreus fratri filios ſuos appoſuit epulandos, cui poſt epulas filiorum capita, ſignum conuiuii feralis oſtendit. in cuius rei delectatione, cum Thyeſtes conſulta de oraculis poſceret, reſponſum eſt per eum illi certam poſſe venire vindictam, qui ex ipſo & filia Pelopeia natus fuiſſet. Vnde illicitos filiæ amplexus inuaſit, ex qua natus eſt puer, quem illa in ſyluas propter conſcientiam abiecit: hic capræ vberibus nutritus, ex eadem re Aegiſtus nomen accepit. qui Atreũ in vindictam patris, cum adoleuiſſet occidit. Idem autem Agamemnona, cum Clytemneſtram vxorem eius adulteraſſet occidit, vt ipſe Virgil. *Ipſe Mycenæus magnorum ductor Achiuum.* qui poſtea ab Oreſte filio Agamemnonis cum ea quam adulteraſſet occiſus eſt. Sed ab origine irarum quæ fuerit cauſa deſcribam. Mercurius ægre ferens à Pelope Myrtillum filium ſuum in pelagus præcipitatum, ſpoliatumque vitæ lege, reperit vindictam, qua conſolaretur orbitatem. nam Pelopis filiis Atreo & Thyeſti tantum diſcordiæ iniecit, vt germanitatis iura dirumperent. Thyeſtes enim cum ſciret regnum penes eum fataliter manſurum, qui arietem velleris aurei haberet, quem tum Atreus regiam ingreſſus plurimum cuſtodiebat, corrumpens Europam fratris ſui vxorem, eum ad ſe transferi poſſe iudicauit: quod ille poſteaquam didicit, eum cum filiis duobus ſuis expulit, & poſtea ſimulata gratia ad eum miſit, eiuſque filios interemptos epulandos appoſuit, quo facinore cum eum puniſſet, ſol dicitur ab eorum ſe regionibus auertiſſe. vnde Virg. e contrario. *Nec tam auerſus equos Tyria ſol iungit ab vrbe.* ergo ne Mycenæ auxilio ſint, par fuit pæne fortuna, quia & illos fratrum odia vexabant. Thyeſtes enim Atreo fratri filios epulandos appoſuit ob adulteratam vxorem ſuam Europam. ideo funeratas dapes propter epulas & recurſum ſolis, & propter offenſam affabilis dei, quia inter nulla nubila pietate tanta egit occaſum, & oblatum aurei velleris arietem, quo fato regnandi tenebatur.

Iámque Atalantæas implerat nuntius aures
Ire ducem bello, totámque impellere natum
Arcadiam. tremuere gradus, elapſáque iuxta
Tela. fugit ſyluas pernicior alite vento
Saxa per, & plenis obſtantia flumina ripis.
Talis erat correpta ſinus, & vertice flauum
Crinem ſparſa noto. raptis velut aſpera natis
Prædatoris equi ſequitur veſtigia tigris.
Vt ſtetit, aduerſiſque impegit pectora frenis,
Ille ad humum pallens: Vnde hæc furibunda cupido
Nate tibi? teneróque vnde improba pectore virtus?
Tu bellis aptare viros? tu pondera ferre
Martis, & enſiferas inter potes ire cateruas?
Quanquam vtinam vir es! nuper te pallida vidi,

Dum premis obnixo venabula comminus apro,
Poplite ſucciduo reſupinum ac penè ruentem:
Et ni curuato torſiſſem ſpicula cornu,
Nunc vbi bella tibi? nil te mea tela iuuabunt,
Nec teretes arcus, maculis nec diſcolor atris,
Hic, cui fidis equus. magnis conatibus inſtas,
Vix Dryadum thalamis, Erymanthiadúmque furori
Nympharum mature puer. ſunt omina vera.
Mirabar cur templa mihi tremuere Dianæ
Nuper, & inferior vultu dea viſa, ſacrique
Exuuiæ cecidere tholis. hinc ſegnior arcus,
Difficiléſque manus, & nullo in vulnere certæ.
Expecta dum maior honos, dum firmius æuum,
Dum roſeis venit vmbra genis, vultúſque recedunt
Ore mei. tunc tela tibi, ferrúmque quod ardes,
Ipſa dabo, & nullo matris reuocabere fletu.
Nunc refer arma domum, Vos autem hunc ire ſinetis
Arcades? O ſaxis nimirum, & robore nati.
Plura cupit, fuſi circum natúſque, ducéſque
Solantur, minuúntque metus, & iam horrida clangunt
Signa tubæ: nequit illa pio dimittere natum
Complexu, multúmque duci commendat Adraſto.

IAMQVE ATALANTEAS. Atalanta Iaſi filia fugiens concubitus in venando Dianæ comes eſt facta, ſed à Meleagro hoc adinſinuante compreſſa puerum edidit, cuius conceptum, quia diu ſub virginitate ecelauerat, Parthenopeum vocauit. Is admodum puer Polynici auxiliaturus Thebas petiit. PRAEDATORIS EQVI. *equum* pro equite poſuit. DVM PREMIS. Venatores enim cum inueſtigant, errant: cum proſequuntur, premunt. Virg. *Ingenti clamore premens ad retia ceruum.* VIX DRYADVM THALAMIS. Venereæ voluptati adeo filium dehortatur, vt nec virum credat. OMINA VERA. futuri. ſ. mali. id eſt, vera ſunt prodigia quæ videbam: quaſi irata, vel triſtis futura morte. INFERIOR. aut humilis aut non læta. HOC SEGNIOR ARCVS. Celeres ſagittas non mittens. VVLTVSQVE RECEDVNT. ne leuitate vultus fœmina eſſe credaris, dum tuo ore mei vultus recedunt. id eſt, dum viri ſumis formam, nam adhuc ſimilis es matri. O SAXIS NIMIRVM ET ROBORE NATI. vt origini conueniret animus: quia dura corda habetis, & non vos flectit miſericordia. nam maledicit illis dicendo *aſperos duróſque*, quia materno non commouentur affectu.

At parte ex alia Cadmi Mauortia plebes
Mœſta ducis furiis, nec molli territa fama,
(Quando his vulgatum deſcendere viribus Argos)

Tardius illa quidem, regis, cauſæque pudore,
Verùm bella mouet. nulli diſtringere ferrum
Impetus, aut humeros clypeo clauſiſſe paterno
Dulce, nec alipedum iuga comere, qualia vulgi
Gaudia, deiecti trepidus, ſine mente, ſine ira
Promiſere manus. hic ægra in ſorte parentem
Vnanimem, hic dulces primæuæ coniugis annos
Ingemit, & gremio miſeros accreſcere natos.
Bellator nulli caluit deus. ipſa vetuſto
Mœnia laſſa ſitu, magnæque Amphionis arces,
Iam feſſum ſenio nudant latus. & fide ſacra
Aequatos cælo ſurdum, atque ignobile muros
Firmat opus. tamen & Beotis vrbibus vltrix
Aſpirat ferri rabies. nec regis iniqui
Subſidio, quàntum ſocia pro gente mouentur.

CADMI MAVORTIA THEBES. Thebani tranſitus ad Thebas. SVRDVM ATQVE IGNOBILE. Surdum opus procincti. diaſtole. illa vi operis, quod canente Amphione inſtructum eſt. modo autem ſurdum eſt, quia manu, non carmine condebatur. Ad Thebarum muros cantilena Amphion dicitur ſaxa traxiſſe. vt Virgil.

Canto quæ ſolitus, ſiquando armenta vocabat,
Amphion Dyrcæus. TAMEN ET BEOTIS VRBIBVS VLTRIX. Hoc dicit, Etheocli quoque dediſſe Beotiæ vrbes auxilia. Nullus enim regis cauſá venit ad bellum, ſed aut vicinitate compulſæ ſunt, aut miſericordia ciuitatis.

Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti ſanie grauis, hirtáque ſetis
Ora cruentata deformis hiantia lana,
Decedit ſtabulis, huc, illuc, turbida verſans
Lumina, ſi duri comperta clade ſequantur
Paſtores, magníque fugit non inſcius auſi.
Accumulat crebros turbatrix fama pauores.
Hic iam diſperſos errare Aſopide ripa
Lernæos equites. hic te bacchate Cithæron
Ille rapi Theumeſon ait, noctíſque per vmbras
Nuntiat excubiis vigiles arſiſſe Plateas.
Iam Tyrios ſudaſſe lares, & ſanguine Dircen
Irriguam, fœtúſque nouos, iterúmque locutam
Sphynga petris, cui non eſt ſcire licentia paſſim,
Et vidiſſe fuit? nouus, his ſuper, anxia turbat

Corda

Corda metu. ſparſis, ſubito correpta, caniſtris
Syluestris regina chori, decurrit in æquum
Vertice ab Ogygio: trifidamque huc triſtis, & illuc,
Lumine ſanguineo pinum deiectat, & ardens
Erectam attonitis implet clamoribus vrbem.

DEFORMIS HIANTIA LANA. hyperbaton. *ora deformis*, deformia ora habens, & hiantita cruenta lana. TVRBIDA. non terribilia, ſed conturbatà. NON INSCIVS AVSI. occiſi pecoris, vt conſcius audacis facti. ERRARE ASOPIDE RIPA. vt Lucan.

Et qui tauriferis vbi ſe Meuania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas Afferat.

ILLE RAPI THEVMESON. *Theumeſos* mons eſt haud longe à Thebis. NVNCIAT EXCVBIIS. id eſt, nunciat Argiuos hoſtili more excubias agere. VIGILES ARSISSE PLATEAS. pro multo lumine excubantium vigiles Plateas dicit arſiſſe. eſt autem ciuitas Beotiæ, in confinio hoſtium. ideo ſemper inuigilat, & quia in aditu eſt poſita, dicit primo fuiſſe vaſtatam. DYRCEN. Dyrce autem fons eſt Thebanorum, vtrumque monſtrauit. vt Virg. *Aeraque ſudant nec puteis manare cruor ceſſauit.* FOETVSQ. NOVOS, quos in Thebas Cadmus inuexit. Lucan. *Matremque ſuus conterruit infans.* Solent autem ad omen publicum portenta gigni: & eſt fœtus aut bicapitis, aut biformis. vt Lucan. *Numeróque modoque membrorum.* REGINA CHORI. vt choros ducebat ſacerdos vna Baccharum. Oſtendit autem antiſtitem Liberi, quæ Citheronem incolebat. TRIFIDAMQVE HVC TRISTIS ET ILLVC. pathos tribus modis fit. Attendamus igitur vt hæc complexus ſit facto. SPARSIS SVBITO CORREPTA CANISTRIS. Silueſtris regina chori. Trifidamque huc triſtis & illuc Lumine ſanguineo pinum deiectat, & ardens Erectam attonitis implet clamoribus vrbem. De fonte Virgiliano hunc locum deriuauit. Is enim Amatam in ſiluis eadem feciſſe deſcribit. pathos ipſius tribus modis oſtenditur. facto, *Ipſa inter medias flagrantem feruida pinum Suſtinet.* habitu, *ſanguineam voluens aciem.* dictu. *matres audite.*

Omnipotens Niſæ pater, cui gentis auitæ
Pridem lapſus amor. tu nunc horrente ſub arcto
Bellica ferrato rapidus quatis Iſmara thyrſo,
Pampineúmque iubes nemus irreptare Lycurgo,
Aut tumidum Gangen, aut clauſtra nouiſſima rubræ
Tethyos, Eoáſque domos flagrante triumpho
Perfuris, aut Hermi de fontibus aureus exis.
At tua progenies, poſitis gentilibus armis
Quæ tibi feſta litat, bellum, lachrymáſque metúmque,
Cognatúmque nefas, iniuſti munera regni
Pendimus. æternis potius me Bacche pruinis
Trans & Amoſoniis vlulatum Caucaſon armis,
Siſte ferens, quàm monſtra ducum ſtirpémque profanam
Eloquar. en vrges? alium tibi Bacche furorem
Iuraui. ſimiles video concurrere tauros,
Idem ambobus honos, vnúſque ab origine ſanguis.

ſ

tauros domuiſſe, cornu illius fregit, quod deſcendente ad inferos Cerberum rapturus ſecum tulit. illud Nymphæ omnibus bonis repleuerunt, datumque eſt Copiæ, quæ eſt miniſtra Fortunæ. Vnde in Boëtio legitur. *copia pleno cornu.* hoc ideo fingitur, quoniam fortuna ditiſſima eſt omnium, & diuites multos facit, cum pleno cornu: quoniam ſicut cornu carnem exuberat & ſupercreſcit, ita diuitiæ foris ſtipant hominem. in cornu etiam virtus eſt animalium: & fortunæ vires in diuitiis ſunt, quibus multos ad ſe pertrahit. AEGRESCVNT. dicitur Achelous duobus alueis fluxiſſe, cui Hercules vnum clauſit. Ideoque dicitur cornu truncatus. Hoc etiam ſciens poeta aliud agens occulte tetigit dicens. *Anhelantes ægreſcunt puluere ripæ. Marentem* ergo triſtem dixit.

Omnibus æratæ propugnant pectora crates,
Piláque ſæua manu, patrius ſtat caſſide Mauors.
Vndique magnanimum pubes delecta coronant
Oeniden hilarem bello, notiſque decorum
Vulneribus. non ille minis Polynicis, & ira
Inferior, dubiúmque adeo cui bella gerantur.
Maior at inde nouis it Doricus ordo ſub armis,
Qui ripas, Lyncæe tuas, tua littora multo
Vomere ſuſpendunt, fluuiorum ductor Achiuum
Inache. Perſea neque enim violentior exit
Amnis humo, cum Taurum, aut Pliadas hauſit aquoſas
Spumeus, & genero tumuit Ioue. quos celer ambit
Aſterion, Dryopúmque trahens Eraſinus ariſtas.
Et qui rura domant Epidauria. dexter Iaccho
Collis, at Aetnææ Cereri negat auia Dyme.
Mittit opem, denſáſque Pylos Neleia turmas,
Non dum nota Pylos, iuueniſque ætate ſecunda
Neſtor, at ire tamen peritura in caſtra negauit.
Hos agitat, pulchræque docet virtutis amorem
Arduus Hippomedon, capiti tremit ærea caſſis,
Ter niuea ſcandente iuba. latus omne ſub armis,
Ferrea ſuta tegunt humeros, & pectora late
Flammeus orbis habet, perfectáque viuit in auro
Nox Danai. ſontes, furiarum lampade nigra,
Quinquaginta ardent thalami, pater ipſe cruentis
In foribus laudátque nefas, atque inſpicit enſes.
Illum Palladia ſonipes Nemeæus ab arce
Deuehit arma pauens, vmbráque immane volanti
Implet agros, longéque attollit puluere campum.

PATRIVS STAT. ex Marte Oeneus dicitur natus, ex Oeneo Tydeus; ſic enim in primo. *Marti non degenerare paterno aſpicies*. alii quaſi referunt ad virtutem. vt Virg. *Et Mauortius Hemõ*, non Martis filius, ſed qui virtute polleret. MAIOR AT INDE! Tranſitus ad Hippomedontem. magna arte & varietate ſermonis primo copiæ, deinde deſcribitur dux. LYNCE. fluuius Oetholiæ. INACHE. fluuius eſt maximus in Græcia, cuius Io filia a Ioue compreſſa in vaccam mutata eſt. vt Virg. *At leuem clypeum ſublatis cornibus Io*. PERSEA HVMO. Argiua, vbi Perſeus regnauit: *Perſea* ego principale pro deriuatiuo *Perſeia*. vnde & longam poſuit *ſe*. CVM TAVRVM AVT PLIADAS. quorum ortu pluuiæ immenſæ fundũtur: & optime tẽpus excepit. nã æſtate in torrentẽ degenerat. ideo, tẽpus adiecit quo vndarũ ſumit augmentũ, cũ ſigna ſunt pluuialia, quæ illum mouent. GENERO TVMVIT IOVE. ideſt, gloriatur, quod cum eius filia Io concubuerit Iuppiter. ergo elatus eſt. DRYOPVMQVE. Dryopus & Icadius duo cum de finibus contenderent, Hercule iudice terminos cœperunt. EPIDAVRIA. ciuitas Argiuorum, vbi Aeſculapius colitur, equorum fertilitate gratiſſima. vnde Virg: *Domitrix Epidaurus equorum*. AETNAEAE CERERI. Siculæ Proſerpinæ. oſtendit ſupradictum collẽ aptum vinetis eſſe, frugibus infœcundum. PYLOS NELEIA. Pylos a Neleo patre Neſtoris nuncupata Neleia. AETATE SECVNDA. quia nondum militauerat Neſtor. multũq. ipſa nouitate declarauit. Nam prima ætas triginta annorum eſt, ſecunda ſexaginta. nam Neſtorem conſtat tertia ætate ad bellum veniſſe Troianum, ideo adhuc iuuenem ætate ſecunda dixit, quia poſtmodum militauit. LATVS OMNE SVB ARMIS. quod latus eſt armis tegitur. FLAMMEVS. laus operis. VIVIT IN AVRO NOX DANAI. non nox viuit, ſed ea quæ geſta ſunt nocte. ILLVM PALLADIA. Hippomedontem dicit, qui ab Athenis, ideſt, a Capitolio Mineruæ ad bella deſcendit. ARMA PAVENS. ideſt. equus nouus ad bellum velocitatis inſignis. ATTOLLIT PVLVERE CAMPVM. quaſi ipſe campus aſſurgat.

Non aliter ſyluas humeris, & vtroque refringens
Pectore, montano duplex Hyleus ab antro
Præcipitat, pauet Oſſa vias, pecudéſque, feræque,
Procubuere metu. non ipſis fratribus horror
Abfuit, ingenti donec Peneia ſaltu
Stagna ſubit, magnúmque obiectus detinet amnem.
Quis numerum ferri, gentéſque, & robora, dicto
Aequarit mortale ſonans? ſuus excit in arma
Antiquam Tiryntha deus. non fortibus illa
Infœcunda viris, famáque immanis alumni
Degenerat. ſed lapſa ſitu fortuna, neque addunt
Robur opes: rarus vacuis habitator in aruis
Monſtrat Cyclopum ductas ſudoribus arces.
Dat tamen hæc iuuenum tercentum pectora vulgus
Innumerum bello, quibus haud amenta, nec enſes
Triſte micant, flauent capiti tergóque Leonum
Exuuiæ, gentilis honos & pineus armat
Stipes, inexhauſtis arctantur tela pharetris.
Herculeum Pæana canunt, vaſtatáque monſtris
Omnia, frondoſa longum deus audit ab Oeta.

Dat Nemea comites, & quas in prælia vires
Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi:
Gloria nota caſæ, foribus ſimulata ſalignis
Hoſpitis arma dei, paruóque oſtenditur auro,
Robur vbi, & laſſos qua reclinauerit artus
Ilice, quæ cubiti ſedeant veſtigia terra.

VTROQVE PECTORE. eleganter *vtroque*, ſcilicet hominis & equi, quod bimembres ſint, id eſt, humano & equino. PAVET OSSA VIAS. mons Theſſaliæ, in quo erant Centauri. PENEI STAGNA. Peneus fluuius Theſſaliæ. quaſi tam diu timeant, donec ad amnem ille perueniat. MORTALE SONANS. quod pro meritis militum fortitudines non poterint laudare mortales. TIRYNTHIA DEVS. Hercules. Iuppiter mutatus in Aphitryonem concubuiſſe cum Alcmena Electrionis filia dicitur, in vrbe Tirynthe, vnde natus eſt Hercules, vnde & Tirynthius dicitur. de qua Plautus Tragicocomœdiam dixit. DEGENERAT. non degenerant a fama Herculis: ipſi quidẽ fortes ſunt, ſed æuo mutata eſt fortuna ciuitatis. ROBVR OPES. quia non poteſt fortuna addere virtutes. Sola enim virtus neque dono neque precio accipitur, vt Salluſt. *Probitatem, induſtrias, aliasque artes bonas neque dare, neque accipere quis poteſt.* MONSTRAT CYCLOPVM DVCTAS SVDORIBVS. id eſt ædificatas. vt Virg. *Pars ducere muros.* Cyclopes ciuitatis iſtius mœnia condiderunt, ſicut aſſerũt Græci. INNVMERVM BELLO EXPOSITO. quod ſint tercentum pectora ſcilicet vulgus innumerum. quia tam fortes erant, vt multorum facta fortia ſua virtute penſarent. EXVVIAE. bene totum ad ſimilitudinem Herculis: quemadmodum ille claua, ſic iſte ſtipite. TELA PHARETRIS. Ita erat pharetra referta ſagittis, vt exhauriri non poſſet. PAEANA. proprie *pean* Apollini canitur. CANVNT. vt Virg. *Ibant æquati numero regemque canebant* OMNIA. aut canunt omnia vaſtata monſtris, id eſt, purgata: aut certe omnia audit Hercules in frondoſa Oeta poſitus; quæ vaſtata eſt monſtris: in qua eſſet concrematus Hercules eo loco cui Preſtion nomen eſt. SACRA CLEONEI. Herculem eo loco Molorchus accepit hoſpitio, cenſu pauper, diues affectu. Ordo. Nemea dant comites, dant & Molorchi vineta. *Cleonea* ciuitatis nomen eſt Nemeæ ſyluæ vicinæ. Lucan. *Ille Cleonæi proiecit terga leonis, Antheus Libyci.* Ergo cum Hercules ad occidendum leonem iſſet ab Euriſtheo miſſus, a Molorcho ſuſceptus eſt hoſpitio, cuius leo filium interfecerat, didicitque ab eo quemadmodum aduerſus feram coiret: qua ſuperata ludos inſtituit, quos à loco Nemeos appellauit. igitur Nemea dant comites, dant & Molorchi vineta. Quia ea omnia in clypeorum pictura, & quomodo filius eius Molorchi a leone occiſus fuiſſet, & Herculis hoſpitiũ, auro figurata notãter deſcripſerũt. QVA CVBITI SEDEANT VESTIGIA TERRA. ordo qua terra cubiti ſedeant veſtigia. *cubitum* poſuit pro loco cubilis. Cubiti cuius generis ſit in Captiuis Plauti lectum eſt, ex perſona Ergaſili paraſiti.

Nequis hac platea negotii conferat quidquam ſibi,
Nam meus eſt baliſta cubitus, pugnus catapulta eſt.

SEDEANT. mire. ſignificat enim factam lacunam terræ Herculis mole. hanc deſcriptionẽ poetæ pictam, ipſius Tyrinthæ portabat exercitus.

At pedes, & toto deſflectans vertice bellum
Quattuor indomitis Capaneus erepta iuuencis
Terga, ſupérque rigens iniectu molis ahenæ
Verſat onus, ſquallet triplici ramoſa corona
Hydra recens obitu. pars anguibus aſpera viuis
Argento cælata micat, pars arte reperta

Conditur, & fuluo moriens igneſcit in auro.
Circum amnis torpens, & ferro cœrula Lerna.
At laterum tractus, ſpatioſáque pectora ſeruat
Nexilis innumero chalybum ſubtegmine thorax
Horrendum, non matris opus; galeæque coruſca
Prominet arce gygas. atque vni miſsilis illi
Cuſpide præfixa ſtat frondibus orba cypreſſus.

AT PEDES. Pedes quidem erat Capaneus, ſed omnibus eminebat. Solent enim equites altiores eſſe pedeſtribus. *Bellum* ergo pro bellatoribus poſuit. INIECTV MOLIS. Oſtendit multis taurorum coriis, laminis etiam ferreis Capanei clypeum obductum fuiſſe. HYDRA RECENS. ita veritatem expreſſit pictura, vt pene recenti obitu hydra cum ſuis ſerpentibus interiret. IGNESCIT IN AVRO. Admouetur ignis vulneri. idque factum vt nõ pullularet. CAERVLA LERNA. ferri materia facta eſt cærula. NON MATRIS OPVS. non matris manu factum, ſed artificum manu fabricatum: quaſi imbellibus illa conueniant, quæ a fœmina fabricantur. vt Virg. *Et tunicam molli mater quam neuerat auro.* hic ergo thorax & tunica aut ex ære, aut ex ferro facta fuerat: quippe Capanei ſolius apta virtutibus. STAT. horret, frondibus ſcilicet amputatis, HASTA. hyperbolicôs non haſta nominatur, ſed cupreſſus.

Huic parere dati quos fertilis Amphigenia,
Planáque Meſſena, montanáque nutrit Ithone.
Quos Thrion, & ſummis ingeſtum montibus Aepy,
Quos Helos, & Pteleon, Getico quos flebile vati
Dorion. hic fretus doctas anteire canendo
Aonidas, multos Thamyris damnatus in annos
Ore ſimul, citharáque, (quis obuia numina temnat?)
Conticuit præceps; quis non certamina Phœbi
Noſſet, & illuſtres Satyro pendente Celænas?
Iamque & fatidici mens expugnata fatiſcit
Auguris. ille quidem caſus, & dira videbat
Signa, ſed ipſa manu cunctanti iniecerat arma
Atropos, obruerátque deum. nec coniugis abſunt
Inſidiæ, vetitóque domus iam fulgurat auro.
Hoc aurum vati fata exitiale monebant
Argolico. ſcit & ipſe nefas ſed perfida coniux
Dona viro mutare velit, ſpoliisque potentis
Imminet Argiæ, raptóque excellere cultu.

AMPHIGENIA. ciuitas eſt. Homerus quoque huius meminit. PLANAQVE MESSENA. non ipſa plana, ſed in cãporũ planitie conſtituta. *Meſſene.* ciuitas prope Pylum, quam admiſſus, amnis interfluit. MONTANAQ. ſic Homerus epithetõ paſſi ſignificatu. * κειτον

ακλοτοργιναι *quod ſignificat mõtuoſa ab exceſſione velocis cerui. AEPY. oppidũ Meſſenæ diſſimile. nam vt illa in cãpo poſita eſt, ita hoc in montibus collocatũ. GETICO VATI Thamirum dicit, quem Muſæ ingenti liuore motæ cæcaſſe dicuntur. DORION. oppidũ de quo hic poeta fuit. AONIAS. Muſas a montis nomine nuncupatas. DAMNATVS. cæcatus mente non lumine. ORE SIMVL. optime poeta Homeri ambiguum verbum poſitũ intellexit de hoc ipſo, quod accentus commutatione ſignificauit, non cæcatum lumine, ſed eum cuius ſit damnatum ingenium, vt nec cordarum gloriam, nec vocis ſonum inferret. CELENAS. Celene Lydiæ ciuitas, in cuius antro Marſias victus ab Apolline eſt, & ſupplicio affectus a tortoribus: cuius de ſanguine fluuius eius nomine natus eſt. vt Lucan. aſſerit. *Et victus deſcendens Marſia ripis Errantem Meandron adit.* Eſt ſenſus: temeritas Thamiri Marſiæ debuit coerceri ſuppliciis. vt Lucan. *Damnata Phœbo victore Celene.* AVGVRIIS. Alcmeon hoc monile occiſa matre Apollini conſecrauit, quod in fontem miſſum hodieque cerni dicitur, quod ſi quis manu attrectauerit, oſtendit offendi ſolem & tempeſtates oriri. vnde Virg. *Mœſtamque Eriphylem Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit.* DONA VIRO. de Homero tranſtulit. ita velit paſciſſi, vt malit monile habere, quam coniugem.

Illa libens(nam regum animos, & pondera belli
Hac mutare videt, pariter niſi prouidus heros
Militet) ipſa ſacros gremio Polynicis amati
Depoſuit nexus haud mœſta, atque inſuper addit.
Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit,
Tempora, nec miſeræ placeant inſignia formæ
Te ſine. ſat, dubium cœtu ſolante timorem
Fallere, & incultos aris aduertere crines.
Scilicet (heu ſuperi) cum tu cludare minaci
Caſside, ferratusque ſones, ego diuitis aurum
Harmonies dotale geram? dabit aptior iſta
Fors deus, Argolicasque habitu præſtabo maritas,
Cum regis coniux, cum te mihi ſoſpite templa
Votiua implenda choris. nunc induat illa,
Quæ petit, & bellante poteſt gaudere marito.
Sic Eriphylæos aurum fatale penates
Irrupit, ſcelerúmque ingentia ſemina mouit,
Et graue Tyſiphone riſit gauiſa futuris.
Tæn ariis hic celſus equis, quam diſpare cœtu
Cyllarus ignaro generarat Caſtore prolem.
Quaſſat humum. vatem cultu Parnaſia monſtrant
Vellera, frondenti crinitur caſsis oliua,
Albáque puniceas interplicat infula criſtas.
Arma ſimul, penſasque iugo moderatur habenas.
Hinc atque inde moræ iaculis, & ferrea curru

Sylua

Sylua tremit. procul ipſe graui metuendus in haſta
Eminet, & clypeo victum Pythona coruſcat.

HAC MVTARE VIDET. Videt Argia belli totius mutari ſentẽtiã, ſi Amphiaraus deſit auxiliis. SACROS. execrandos. STAT DVBIVM. ſenſus, ſufficit ad ſolatiũ fœminæ tali tempore ornatibus carere. Ordo talis eſt. Stat mihi timorem dubium cœtu ſolante fallere. hoc eſt diſſimulare. FORS. deus præcellens. PRAESTABO MARITAS. ſuperabo. *Marite* dicuntur vxores maritis deditæ. vt Horat. *Nec ſit marita quæ rotundioribus onuſta baccis ambulet.* Et notandum cum Saluſt. dixerit, *præſtare cęteris animalibus.* Virg. tamen *vel magnum præſtet Achillẽ.* SEMINA MOVIT. ideo ingentia ſemina, quia & maritum prodidit, vt periret, & in ſe excitauit filium, vt fieret parricida. ipſeque eſt correptus inſania. DISPARE COETV. bene *diſpare.* nec enim tanta nobilitas equi eadem ſtirpe equam potuit inuenire. *cœtu* a coeundo dixit in Venerem. hunc equum Pollucis dixit Virg. licentia poetica. *Cyllarus & quorum Grai meminere poetæ*: hic Caſtoris eſt, ſed inter amabiles fratres totũ decet eſſe cõmune. INDE MORAE IACVLIS. ideſt, impeditæ, occupatæ fuerant manus eius ex iaculis. VICTVM PYTHONA CORVSCAT. quia vatis Apollinis tui gloriam & ſerpentis Pythonem dicit inſigne, viro forti religio fecerat ſacerdotis.

Huius Apollineæ currum comitantur Amyclæ,
Quos Pylos, & dubiis Malea vitata carinis,
Plaudentique habiles Cariæ reſonare Dianæ.
Quos Pharis, volucrúmque parens Cythereia Meſſe,
Taygetique phalanx, & oloriferi Eurotæ
Dura manus. deus ipſe viros in puluere crudo
Arcas alit, nudéque modos virtutis, & iras
Ingenerat. vigor inde animis, & mortis honoræ
Dulce ſacrum: gaudent natorum in fata parentes,
Hortanturque mori. deflet iamque omnis ephebum
Turba, coronato contenta eſt funere mater.
Frena tenent: dupléxque inſerto miſsile nodo,
Exerti ingentes humeros: chlamys horrida pendet,
Et cono Ledæus apex. non hi tibi ſolum
Amphiarae merent. auget reſupina maniplo
Elis. depreſſæ populus ſubit incola Piſæ.
Qui te flaue notant terris Alphee Sicanis
Aduena, tam longo non vnquam infecte profundo.
Curribus innumeris latè patria arua laceſſunt,
Et bellis armenta domant. ea gloria genti,
Infando de more, & fractis durat ab vſque
Axibus Oenomai. ſtrident ſpumantia morſu
Vincula, & effoſſas niueus rigat imber arenas.

Torua parens(neque enim hæc iuueni forte ire poteſtas)
Pacabat cornu, gelidique auerſa Lycei.
Pulchrior haud vlli triſte ad diſcrimen ituro
Vultus, & egregiæ tanta indulgentia formæ.
Nec deſunt animi, veniat modò fortior ætas.
Quas non ille duces nemorum, fluuiſque dicata
Numina, quas magno non impulit igne Napæas?
Ipſam, Mænalia puerum cùm vidit in vmbra,
Dianam, tenero ſignantem gramina paſſu,
Ignouiſſe ferunt comiti, Dictæaque tela
Ipſam, & Amyclæas humeris aptaſſe pharetras.
Proſilit audaci Martis percuſſus amore:
Arma, tubas, audire calens, & puluere belli
Flauentem ſordere comam, captoque referri
Hoſtis equo. tædet nemorum, titulúmque nocentem
Sanguinis humani pudor eſt neſcire ſagittas.

TV QVOQVE Parthenopæus. Atalātæ filius. PARRHASIAS. arcadias. vt Virg. *Parrhaſio dictum Panos de more Lycei.* RVDIS ANNORVM. vt adhuc in annis minoribus conſtitutus non timeas incerta bellorum. vt Virg. *Ante annos animũque gerens curãque virilem.* PACABAT CORNV. ideſt venationibus pacata ferarum reddebat interitu vt Virg. *Aut Erymanthi pacarit nemora, & Lernã tremefecerit arcu.* PVLCHRIOR HAVD VLLI. id eſt, Parthenopæo pulchrior nullus fuit. NEC DESVNT ANIMI. id eſt, in Parthenopæo animarũ vigebat inſigne: ſi modo ad id ætatis robur etiã accederet. QVAS. non is nymphas aut Oreadas, aut Potamidas, aut Dryades, aut Napæas dicit. *Dryades* ſunt quæ quercubus delectantur, *Oreades* montibus, *Potamides* fluminibus, *Napææ* virgultis & floribus. IPSAM MAENALIA. Dianam ſcilicet quæ Atalantæ ob amiſſam virginitatem ignouit. SIGNANTEM GRAMINE. Eleganter infantis greſſum non calcantem, ſed ſignantem oſtendit. vt Horat. *Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo Signat humum.* dicit ego Dianam, cum tam pulchrum vidiſſet Parthenopæum, Atalantæ dediſſe veniam, cui propter concubitus fuerat irata Meleagri. FLAVENTEM SORDERE COMAM. hæc Horat. *Sunt quos curriculo puluerem olympicum collegiſſe iuuat.* TAEDET NEMORVM. Senſus. erubeſcebat Parthenopæus, quod nondum humano ſanguine ſuas ſagittas infecerat, & quod non hac crudelitate laudis fuerat titulum conſecutus.

Igneus ante omnes auro micat, igneus oſtro,
Vndantemque ſinum nodis irrugat Hiberis.
Imbelli parma pictus Calydonia matris
Prælia. trux leuâ ſonat arcus, & aſpera plumis
Terga Cydonæa corythos arundine pulſat,
Electro pallens, & iaſpide clarus Eoa.
Cornipedem trepidos ſuetum præuertere ceruos

Velatum geminæ deiectu lyncis, & arma
Mirantem grauioris heri sublimis agebat,
Dulce rubens, viridique genas ſpectabilis æuo.
Arcades huic veteres aſtris Lunaque priores,
Agmina fida datis. nemorum vos ſtirpe rigenti
Fama ſatos, cùm prima pedum veſtigia tellus
Admirata tulit. nondum arua, domuſque nec vrbes,
Connubijſque modus. Quercus, laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos vmbroſa creauit
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit orno.
Hi lucis ſtupuiſſe vices, noctiſque feruntur
Nubila, & occiduum longe Titana ſecuti
Deſperaſſe diem. rareſcunt alta colonis
Mænala. Parthenium fugitur nemus, agmina bello
Rhipeque, & Stratie, ventoſáque donat Eniſpe.
Non Tegea, non ipſa Deo vacat alite felix
Cyllene, templúmque Aleæ nemorale Mineruæ:
Et rapidus Cliton, & qui tibi Phythie Ladon
Penè ſocer. candenſque iugis Lampia niuoſis,
Et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti.

VNDANTEMQVE SINVM. quia vndantem chlamydē quaſſando facit. NODIS HIBERIS. hiſpanicis, ideſt panno balthei. IMBELLI PARMA. cum qua nunquam pugnaſſet. MATRIS PRAELIA. hoc eſt ſcuto picta gerens prælia. Calydonium quippe aprum comitata viros Atalanta ſagittis fixit, vt priore libro docuimus. ASPERA PLVMIS. loricæ ſquamas explicuit, quam alij cataphractā vocāt. vnde Virg. *quē pellis ahenis in plumā ſquamis auro cōſerta tegebat.* CORYTHOS dicitur theca arcus, vt *pharetra* ſagittarū. aut certe *corythos* pro pharetris poſuit. vt Virg. *Corythique leues humeris & letifer arcus.* MIRANTEM GRAVIORIS HERI. armorum permutatio grauiorē equo fecerat dominū. addita enim lorica onerofior Parthenopæus extiterat. ARCADES HIC. Cicero pro Fundanio opinionis eius meminit, cum de nobilitate tractaret. Aiunt autem Arcades eſſe vetuſtos. denique cum Phrygibus de antiquitate certauerūt, hi ſingulos paruulos cum ſingulis nutricibus clauſerunt, quibus nutricibus ademerant linguas, vt experirentur vtrū vox eſſet innata, an diſceretur, & ſi eſſet innata quænam illa eſſet, Phrygum an Arcadum. producti autem pueri vere locuti eſſe dicuntur, qua ſignificatione Phrygum lingua panis intelligitur. Sic ego cognitū eſt Arcades non eſſe primigenas. Item de eodem, cur ſe Arcades nobiles dicant: Thucides libro. i. ait, hunc morem Græciæ fuiſſe, vt coacti in alienas ire terras, quas fertiles eſſe cognouerant, eaſdem vaſtabant veteribus incolis pulſis. ſed Arcades ſoli ob ſterilitatem agrorum commoti non ſunt, & ideo ſoli nobiles exiſtimantur. Ouid de his libro. ii. *Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur Arcades, & luna gens prior illa fuit.* NEMORVM VOS STIRPE RIGENTI. non quod de arboribus vere nati ſunt, ſed quia ad huc non erat vſus caſarum, & in morem pecorum vagabantur. filios autem ſuos, ait, arborum caueis aut concauis ſpecubus contegebant, quos tranſeuntes arborum filios exſtimabant: quam opinionem Virg. aſſerit dicens. *Genſque virum truncis & duro robore nata.* HI LVCIS STV-

PVISSE VICES. quaſi quod primi nati ſunt, quam diei nox obſcura ſuccederet. TITANA SECVTI. oculi ſecuti ſunt ſolis occaſum. DESPERASSE DIEM. dicit homines natos ex arboribus perpetuam noctem timuiſſe ſolis occaſu. RARESCVNT. deſolantur neceſſitate bellorum. vt Virg. *Squallent abductis arua colonis.* MAENALA PARTHENIVM. mons & nemus Arcadiæ. VENTOSA. *ventoſam* dixit aut tempeſtatibus grauem, aut vt quidam volunt in edito poſitam. NON IPSA DEO. Omnes hæ ciuitates Arcadiæ in Mænalo monte ſitæ ſunt. vnde Virg. *Tegæum ſubligat enſem.* CYLLENE. vt, *Cyllene gelido conceptum vertice fudit.* Et ſi fas eſt quenquam cepiſſe deorum. CLITON. & hic fluuius eſt Arcadiæ. POENE SOCER. propter Daphnen Ladonis filiam, quam Apollo dilexit. *pene* ait, quia virginitas damnum paſſa non eſt, & in laurum ante concubitum fuiſſe conuerſa dicitur. LAMPIA NIVOSIS. ciuitas Arcadiæ, niuoſis montibus conſtituta. ergo Lampiam à candore pruinarum dictam nominis ipſius proprietas monſtrat. λαμπρὸν enim Græcè ſplendidum dicitur. STYGA MITTERE. palus à qua Styx ſumit exordium. Conſtat inter prudentes Peneum vndas Stygi ſubmittere & ſubminiſtrare.

Venit & Idæis vlulatibus æmulus Azan.
Parrhaſiique duces; & quæ riſiſtis amores
Grata pharetrato Nonacria rura Tonanti.
Diues & Orchomenos pecorum, & Cynoſura ferarum.
Aephitios idem ardor agros, & Pſophida celſam
Vaſtat, & Herculeo vulgatos robore montes,
Monſtriferúmque Erymanthon, & æriſonum Stymphalon.
Arcades hi, gens vna viris, ſed diſſona cultu
Scinditur, hi Paphias myrtos à ſtirpe recuruant,
Et paſtorali meditantur prælia trunco.
His arcus, his tela ſudes, hic caſſide crines
Integit, Arcadij morem tenet ille galeri,
Ille Lycaoniæ rictu caput aſperat vrſæ.
Hos belli cœtus, iuratáque pectora Marti,
Milite vicinæ nullo iuuere Mycenæ.
Funereæ tum namque dapes, mediíque recurſus
Solis, & hic alij miſcebant prælia fratres.

AEMVLVS AZAN. *æmulus* quia in illo monte, vt Iuppiter, ita etiam Mater deorum colitur ritu: inde Azan apud Arcades Curetes hoc nomen habent, de monte Azane. vnde vulgo in ſacris Deæ magnæ dicitur *Azan*. NONACRIA. vna pars orationis eſt Nonacria, vt Trinacria. eſt autem nomen loci vel agri Arcadiæ, in quo Iupiter in ſpeciem Dianæ verſus, cum Calyſtone Lycaonis filia concubuiſſe narratur. Ouid. *Sic in virgine Nonacria.* CYNOSVRA. locus Arcadiæ, vnde & minor vrſa Cynoſura dicitur. Lucan. *propiorque mari Cynoſura feretur.* Aephitios, à ciuitate vel mõte ducis nomine nuncupatos. hi quoque Arcadiæ populi ſunt. HERCVLEO VVLGATOS ROBORE MONTES. Virtute Herculis cognitos. ERYMANTON ET STYMPHALON. quorum in altero aprum cepit, quem viuum Euryſtheo detulit. in altero aues, quæ Stymphalides appellantur, occidit. *Erymanton* quidam volunt locum eſſe, qui iuxta Parthenios agros eſt, vbi Hercules de Auge ſuſceptum filiũ expoſuit Telephum, quia ceruâ nutritus eſt; ſed hæc loca hic non conuenit ſuſpicari. Nam

Dum premis obnixo venabula comminus apro,
Poplite ſucciduo reſupinum ac penè ruentem:
Et ni curuato torſiſſem ſpicula cornu,
Nunc vbi bella tibi? nil te mea tela iuuabunt,
Nec teretes arcus, maculis nec diſcolor atris,
Hic, cui fidis equus. magnis conatibus inſtas,
Vix Dryadum thalamis, Erymanthiadúmque furori
Nympharum mature puer. ſunt omina vera.
Mirabar cur templa mihi tremuere Dianæ
Nuper, & inferior vultu dea viſa, ſacrique
Exuuiæ cecidere tholis. hinc ſegnior arcus,
Difficiléſque manus, & nullo in vulnere certæ.
Expecta dum maior honos, dum firmius æuum,
Dum roſeis venit vmbra genis, vultúſque recedunt
Ore mei. tunc tela tibi, ferrúmque quod ardes,
Ipſa dabo, & nullo matris reuocabere fletu.
Nunc refer arma domum, Vos autem hunc ire ſinetis
Arcades? O ſaxis nimirum, & robore nati.
Plura cupit, fuſi circum natúſque, ducéſque
Solantur, minuúntque metus, & iam horrida clangunt
Signa tubæ: nequit illa pio dimittere natum
Complexu, multúmque duci commendat Adraſto.

IAMQVE ATALANTEAS. Atalanta Iaſi filia fugiens concubitus in venando Dianæ comes eſt facta, ſed à Meleagro hoc adinſinuante compreſſa puerum edidit, cuius conceptum, quia diu ſub virginitate cœlauerat, Parthenopeum vocauit. Is admodum puer Polynici auxiliaturus Thebas petiit. PRAEDATORIS EQVI. *equum* pro equite poſuit. DVM PREMIS. Venatores enim cum inueſtigant, errant: cum proſequuntur, premunt. Virg. *Ingenti clamore premens ad retia ceruum.* VIX DRYADVM THALAMIS. Venereæ voluptati adeo filium dehortatur, vt nec virum credat. OMINA VERA. futuri. ſ. mali. id eſt, vera ſunt prodigia quæ videbam: quaſi irata, vel triſtis futura morte. INFERIOR. aut humilis aut non læta. HOC SEGNIOR ARCVS. Celeres ſagittas non mittens. VVLTVSQVE RECEDVNT. ne leuitate vultus fœmina eſſe credaris, dum tuo ore mei vultus recedunt. id eſt, dum viri ſumis formam, nam adhuc ſimilis es matri. O SAXIS NIMIRVM ET ROBORE NATI. vt origini conueniret animus: quia dura corda habetis, & non vos flectit miſericordia. nam maledicit illis dicendo *aſperos duróſque*, quia materno non commouentur affectu.

At parte ex alia Cadmi Mauortia plebes
Mœſta ducis furiis, nec molli territa fama,
(Quando his vulgatum deſcendere viribus Argos)

Tardius illa quidem, regis, cauſæque pudore,
Verùm bella mouet. nulli diſtringere ferrum
Impetus, aut humeros clypeo clauſiſſe paterno
Dulce, nec alipedum iuga comere, qualia vulgi
Gaudia, deiecti trepidæ, ſine mente, ſine ira
Promiſere manus. hic ægra in ſorte parentem
Vnanimem, hic dulces primæuæ coniugis annos
Ingemit, & gremio miſeros accreſcere natos.
Bellator nulli caluit deus. ipſa vetuſto
Mœnia laſſa ſitu, magnæque Amphionis arces,
Iam feſſum ſenio nudant latus. & fide ſacra
Aequatos cœlo ſurdum, atque ignobile muros
Firmat opus. tamen & Beotis vrbibus vltrix
Aſpirat ferri rabies. nec regis iniqui
Subſidio, quantum ſocia pro gente mouentur.

CADMI MAVORTIA THEBES. Thebani tranſitus ad Thebas. SVRDVM ATQVE IGNOBILE. Surdum opus procincti. diaſtole. illa vi operis, quod canente Amphione inſtructum eſt. modo autem ſurdum eſt, quia manu, non carmine condebatur. Ad Thebarum muros cantilena Amphion dicitur ſaxa traxiſſe. vt Virgil.

Canto quæ ſolitus, ſiquando armenta vocabat,
Amphion Dyrcæus. TAMEN ET BEOTIS VRBIBVS VLTRIX. Hoc dicit, Etheocli quoque dediſſe Beotiæ vrbes auxilia. Nullus enim regis cauſâ venit ad bellum, ſed aut vicinitate compulſæ ſunt, aut miſericordia ciuitatis.

Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti ſanie grauis, hirtaque ſetis
Ora cruentata deformis hiantia lana,
Decedit ſtabulis, huc, illuc, turbida verſans
Lumina, ſi duri comperta clade ſequantur
Paſtores, magníque fugit non inſcius auſi.
Accumulat crebros turbatrix fama pauores.
Hic iam diſperſos errare Aſopide ripa
Lernæos equites. hic te bacchate Cithæron
Ille rapi Theumeſon ait, noctiſque per vmbras
Nuntiat excubiis vigiles arſiſſe Plateas.
Iam Tyrios ſudaſſe lares, & ſanguine Dircen
Irriguam, fœtúſque nouos, iterúmque locutam
Sphynga petris, cui non eſt ſcire licentia paſſim,
Et vidiſſe fuit? nouus, his ſuper, anxia turbat

Corda

Corda metus. ſparſis, ſubito correpta, caniſtris
Syluestris regina chori, decurrit in æquum
Vertice ab Ogygio: trifidamque huc triſtis, & illuc,
Lumine ſanguineo pinum deiectat, & ardens
Erectam attonitis implet clamoribus vrbem.

DEFORMIS HIANTIA LANA. hyperbaton. *ora deformis*, deformia ora habens, & hiantita cruenta lana. TVRBIDA. non terribilia, ſed conturbata. NON INSCIVS AVSI. occiſi pecoris, vt conſcius audacis facti. ERRARE ASOPIDE RIPA. vt Lucan.

Et qui tauriferis vbi ſe Meuania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas Afferat.

ILLE RAPI THEVMESON. *Theumeſos* mons eſt haud longe à Thebis. NVNCIAT EXCVBIIS. id eſt, nunciat Argiuos hoſtili more excubias agere. VIGILES ARSISSE PLATEAE. pro multo lumine excubantium vigiles Plateas dicit arſiſſe. eſt autem ciuitas Beotiæ, in confinio hoſtium. ideo ſemper inuigilat, & quia in aditu eſt poſita, dicit primo fuiſſe vaſtatam. DYRCEN. Dyrce autem fons eſt Thebanorum, vtrumque monſtrauit. vt Virg. *Aeraque ſudant nec puteis manare cruor ceſſauit.* FOETVSQ. NOVOS. quos in Thebas Cadmus inuexit. Lucan. *Matremque ſuus conterruit infans.* Solent autem ad omen publicum portenta gigni: & eſt fœtus aut bicapitis, aut biformis. vt Lucan. *Numeróque modoque membrorum.* REGINA CHORI. vt choros ducebat ſacerdos vna Baccharum. Oſtendit autem antiſtitem Liberi, quæ Citheronem incolebat. TRIFIDAMQVE HVC TRISTIS ET ILLVC. pathos tribus modis fit. Attendamus igitur vt hæc complexus ſit facto. SPARSIS SVBITO CORREPTA CANISTRIS. Silueſtris regina chori. Trifidamque huc triſtis & illuc Lumine ſanguineo pinum deiectat, & ardens Erectam attonitis implet clamoribus vrbem. De fonte Virgiliano hunc locum deriuauit. Is enim Amatam in ſiluis eadem feciſſe deſcribit. pathos ipſius tribus modis oſtenditur. facto, *Ipſa inter medias flagrantem feruida pinum Suſtinet.* habitu, *ſanguineam voluens aciem.* dictu. *matres audite.*

Omnipotens Niſææ pater, cui gentis auitæ
Pridem lapſus amor. tu nunc horrente ſub arcto
Bellica ferrato rapidus quatis Iſmara thyrſo,
Pampineúmque iubes nemus irreptare Lycurgo,
Aut tumidum Gangen, aut clauſtra nouiſſima rubræ
Tethyos, Eoáſque domos flagrante triumpho
Perfuris, aut Hermi de fontibus aureus exis.
At tua progeneis, poſitis gentilibus armis
Quæ tibi feſta litat, bellum, lachrymáſque metúmque,
Cognatúmque nefas, iniuſti munera regni
Pendimus. æternis potius me Bacche pruinis
Trans & Amoſoniis vlulatum Caucaſon armis,
Siſte ferens, quàm monſtra ducum ſtirpémque profanam
Eloquar. en vrges? alium tibi Bacche furorem
Iuraui. ſimiles video concurrere tauros,
Idem ambobus honos, vnúſque ab origine ſanguis.

Ardua collatis obnixi cornua miſcent
Frontibus, alternáque truces moriuntur in ira.
Tu peior, tu cede nocens, qui ſolus auita
Gramina, communémque petis defendere montem.
Ha miſeri morum, bella tu ſanguine tanto,
Et ſaltus dux alter habet. ſic fata gelatis
Vultibus, & Baccho iam demigrante quieuit.

GENTIS AVITAE. propter Semelen, Cadmi filiam, matrem Liberi. GANGEN. fluuius Indiæ, per quem gentem poëta ſignificat. hunc primus Liber, ſecundus Alexander, tertius Apollonius * Ouidius de ipſo. *Per ſeptem portus in maris exit aquas.*

PANDIMVS. inuidioſe. quaſi pro ſacrificio bellum lachrymaſq. tibi pendimus. AMAZONIIS VLVLATVM CAVCASON ARMIS. *Caucaſus* mons eſt Scythiæ, ideo *vlulatum*, quod Amazones cum finitimis bellare dicuntur, quorum vlulatus *barritus*, id eſt, barbarus ritus. IVRAVI TIBI, in furorem ſacrorum non bellicum: hoc eſt, non vt bella canerem, ſed vt ſacrorum cauſas intelligerem. & bene de more militiæ *iuraui* dixit, quia militiæ ſacramentum dicitur. & ſacerdotio dixit iuraſſe, non bello. ET SALTVS DVX ALTER HABET. Creontem ſignificat, qui poſt interitum fratrum ſolus poſſedit imperium. GELATIS VVLTIBVS. pallore; nam iam depoſuerat numinis furorem.

At trepidus monſtro, & variis terroribus impar
Longæui rex vatis opem, tenebráſque ſagaces
Tireſiæ (qui mos incerta pauentibus) æger
Conſulit. ille deos non larga cæde iuuencum,
Non alacri penna, aut verum ſpirantibus extis,
Nec tripode implicito, numeríſque ſequentibus aſtra,
Thurea nec ſupra volitante altaria fumo.
Tam penitus, duræ quàm mortis limite manes
Elicitos patuiſſe refert: Lethæáque ſacra
Et merſum Iſmeni ſubter confinia ponto
Miſcentis, parat ante ducem, circúmque bidentum
Viſceribus laceris. & odori ſulfuris aura,
Graminibúſque nouis, & longo murmure purgat.

VARIIS TERRORIBVS IMPAR. qui non terretur: ac per hoc inconterritus; par eſt enim timori, qui non terretur. TENEBRASQVE SAGACES. quia cæcus, ſed diuinus Tireſias. *tenebras* dicit ignorantiam futurorum. *ſagaces*, quæ totum inueſtigauerant. CONSVLIT ILLE DEOS. immolationem hoſtiarum totam hanc de Lucano mutuatus eſt.

Non tripodas Phœbi, non Pythia conſulit antra,
Nec quæſiſſe libet primis quid frugibus altrix
Ore Ionis Dodona ſonet.

TRIPODE IMPLICITO. obſcuro Apollinis reſpōſo. NVMERISQVE SEQVENTIBVS ASTRA.

vt arithmetici, quos mathematicos dicimus, quorum in numeris eſt tota doctrina. eſt etiam ars quædam, ex fumo aræ verum prouidere, quia ex diuiſione ipſius fumi quæ ſunt futura cognoſcunt: quos Græci καπνομάντας appellant. ELICITOS PATVISSE REFERT. nam aliis rebus melius quam manibus elicitos. id eſt, tantum interius inferos aperire refert, quam ſint mortis dura ſpatia demerſa. CONFINIA. inter iuncturas Hiſmenii pelagique. PARAT ANTE DVCEM. ad futurum ſ. ſacrificium, ad Etheoclem verſus parat. Verbum figurauit à nomine. VISCERIBVS LACERIS. extis inciſis.

Sylua capax æui, validáque incurua ſenecta
Aeternum intonſæ frondis ſtat peruia nullis
Solibus. haud illam brumæ minuere, notúſue
Ius habet, aut Getica Boreas impactus ab Vrſa.
Subter opaca quies, vacuúſque ſilentia ſeruat
Horror, & excluſæ pallet mala lucis imago
Nec caret vmbra deo. nemori Latonia cultrix
Additur. hanc piceæ, cedríque, & robore in omni
Effictam, ſanctis occultat ſylua tenebris.
Huius inaſpectæ luco ſtridere ſagittæ,
Nocturníque canum gemitus, vbi limina patrui
Effugit, inque nouæ melior redit ora Dianæ.
Aſt vbi feſſa iugis, dulcéſque altiſſima ſomnos
Lux mouet, hic latè iaculis circùm vndique fixis,
Effuſam pharetra ceruicem excepta quieſcit.
Extra immane patens tellus Mauortia campi
Fœtus ager Cadmo: durus qui vomere primo
Poſt conſanguineas acies, ſulcóſque nocentes,
Auſſus humum verſare, & putria ſanguine prata
Eruit: ingentes infelix terra tumultus
Lucis adhuc medio, ſoláque in nocte per vmbras
Expirat, nigri cùm vana in prælia ſurgunt
Terrigenæ. fugit incepto tremebundus ab aruo
Agricola, inſanique domum rediere iuuenci.

CAPAX AEVI. antiquitas. AETERNVM INTONSAE. nunquam depoſitæ. AB VRSA. à ſeptentrionali plaga. SILENTIA SERVAT HORROR. poſſidet quædam veneratio, quia in magno ſilentio horror naſcitur. PALLET. pallor eſt imago lucis. SED MALA. id eſt, non ſimilis. NEC CARET VMBRA DEO. quaſi alios quoque deos habeat conſecratos. EFFICTAM. ſculptam, quaſi in omnibus arboribus imago eius eſſet inſculpta. HVIVS INASPECTAE, omnis lucus Dianæ eſt conſecratus, vt quercus Ioui. STRIDERE SAGITTAE. vt ſonus tantum ſit, viſus vero nullus. INQVE NOVAE MELIOR. quando inferos deſerit. Lucan. *Ad quos alio procedere vultu ficta ſoles Hecate.* IMMANE PATENS TELLVS. extra ipſum lucum campus latè diffunditur. QVI VOMERE PRIMO DVRVS.

quiſquis hunc primo arauit. id eſt, Cadmus ſatis draconis dentibus. INFELIX TERRA TVMVLTVS. Tumultus dicit illarum animaum, quæ ſe occiderunt. id eſt, aratoris proſciſſione indignantes pugnant inter ſe. SOLAQVE NOCTE. in qua ſolitudo eſt. INSANI IVVENCI. metu perterriti.

Hic ſenior vates, (Stygiis accommoda quippe
Terra ſacris, multóque placent ſola pinguia tabo)
Velleris obſcuri pecudes, armentáque ſiſti
Atra monet. quæcunque gregum pulcherrima ceruix
Ducitur. ingemuit Dirce, mœſtuſque Citharon,
Et noua clamoſæ ſtupuere ſilentia valles.
Tum fera cœruleis intexit cornua ſertis,
Ipſe manu tractans: notaque in limine ſyluæ,
Principio largos nouies tellure cauata
Inclinat Bacchi latices, & munera verni
Lactis, & Actæos imbres, ſuadúmque cruorem
Manibus aggeritur, quantum bibit arida tellus.
Trunca dehinc nemora aduoluit, mœſtúſque ſacerdos
Tres Hacatæ, totidémque ſatis Acheronte nefaſto
Virginibus iubet eſſe focos. tibi rector Auerni
Quanquam infoſſus humo, ſuperat tamen agger in auras
Pineus. hunc iuxta cumulo minor ara profundæ
Erigitur Cereri. frondes, atque omne cupreſſus
Intexit plorata latus. iámque ardua ferro
Signati capita, & frugum libamine puro
In vulnus cecidere greges. tunc innuba Mantho
Exceptum pateris prælibat ſanguinem, & omnes
Ter circùm acta pyras, ſancti de more parentis,
Semineces fibras, & adhuc ſpirantia reddit
Viſcera. nec rapidas cunctatur frondibus atris
Subiectare faces. atque ipſe ſonantia flammis
Virgulta, & triſtes crepuiſſe vt ſenſit aceruos
Tireſias (illi nam plurimus ardor anhelat,
Ante genas, impletque cauos vapor igneus orbes)
Exclamat. tremuere rogi, & vox impulit ignem.

SENIOR VATES. cauſam dicit cur ibi Tireſias ſacrificat, quia nunc terrigenarum ſanguine ſanguineus eſt locus. ſanguine enim inferi delectantur, SOLA PINGVIA TABO. ſatiata cruore. deſcribitur locus, in quo hæc contendit inportunus inferis ſacris. ARMENTAQVE SISTI ATRA MONET. vt Virg. *Quatuor hic primum nigrantis terga iuuencos conſtituit.*

STVPERE SILENTIA VALLES. Baccharum vocibus clamoſæ valles deſtitutæ immolatarũ pecudum mugitibus,ſtupuere dicit poetica phãtaſia omnem gregem in illo luco immolatum, vſqueadeo vt fons de quo potabant armẽta, & mons per quem errabant ingemiſcerent, cum ſe armẽtis deſtitutos viderent. Sic Ouid. de ſimili ſacrificio.

Dis tribus ille focos totidem de ceſpite ponit,
Leuum Mercurio: dextrum tibi bellica virgo.
Ara Iouis media eſt, mactatur vacca Mineruæ.
Alipedi vitulus, taurus tibi ſumme deorum.

IPSE MANV TRACTANS. cum oculorum officio manibus fungeretur. TELLVRE CAVATA. pro nouem ſcrobibus factis ,in quibus ductus aquæ,quæ ſacris eſt neceſſaria collocauit. ideſt nobiles latices fudit. ACTAEOS IMBRES. Actæa dicitur regio Attica,de qua & mella quæ veniunt & liquida ſunt, & nimis dulcia. vnde Virg. & montem Atticum Aracyntum Actæum dixit, quia omnis regio maritima *Actaum imbrẽ* mulſum dicit.aut *Actaeos imbres,* aquam fontis illius, vnde Actæon aſperſus , in ceruum mutatus eſt. Sed vtrum mulſum purum fontem an cruorem pecudum,quo poſſit tellus arida ſatiari incertum eſt. nonnulli rorem marinũ in Actæo Aracỹntho dicunt. SVADVMQVE CRVOREM.qui perſuadeat manibus ad ſuperos redire. AGGERITVR.infunditur.deeſt *tamen.* TRES HECATAE quia triformis eſt, aut quia eadẽ creditur Deum mater,Proſerpina, vel Terra ,vel Veſta. SATIS ACHERONTE. natis de Acheronte. etenim matre nocte , patre natæ Acheronte dicuntur. VIRGINIBVS. furiis. PROFVNDAE ERIGITVR CERERI. Tria ſunt in ſacrificiis loca, per quæ piationem facimus. Scrobiculo facto inferis, terreſtribus ſupra terram ſacrificamus, cæleſtibus extructis focis. vnde etiam nominata ſunt *altaria*, ad quæ ſacrificãtes manus porrigimus in altum. CVPRESSVS PLORATA.luctibus apta. Cupreſſus ſpecioſus puer dum venaretur in amorem ſui Apollinẽ compulit , a quo accepit ceruum pulcherrimum munere & manſuetum , quem cum diligeret, laſſus ſomnum ſub arbore capere cœpit , ſubitoque excitatus ſtrepitu , ceruum longe vidit ,credens ſilueſtrem, miſſa ſagitta eum interemit , agnitoque vſque eo ingemuit , vt ab omni cibo potuque abſtineret , quo tabeſcente Apollo miſertus eius,vertit eum in arborẽ ſui nominis . de quo Virg. *Funeſta fronde coronat.* Hæc cauſa eſt quare cupreſſus adhibetur locupletum funeribus. Lucan. *Et non plebeos luctus teſtata cupreſſus.* quia inceſtatas familias Romani hac notabant. quidam volunt ad hoc nomen electam arborem , quia infructuoſa apta defunctis eſt : vel quod in tutelam eam dixerint inferorum. SIGNATI CAPITA. deſignata capita habentes. prius enim ſetæ tolluntur,aut lana, & aris imponitur , & ita quaſi deſignatur immolationis victima. ET FRVGVM LIBAMINE PVRO. illibato, impolluto. ſignificat autem ſalſas fruges. IN VVLNVS CECIDERE GREGES. Sacerdotum conſuetudo talis eſt, vt aut ipſi percutiant victimas , & *agones* appellantur. aut ſic tenentes cultrum alter impingat. ideo dicitur. *In vulnus cecidere greges.* quia *victimatores* dicũtur. vt Virg. *Supponunt alij cultros.* MANTHO. filia Tyrheſiæ virgo. PRAELIBAT SANGVINEM.primo eſt ſanguinẽ libare, deinde immolare, tertio reddere, quarto litare. TER CIRCVMACTA PYRAS. cum ter omnes pyras circumiſſet. REDDIT VISCERA.aut aris imponit , aut nunciat patri ſuo. ATQVE IPSA SONANTIA FLAMMIS VIRGVLTA. hoſtias,& ſic futura dicit. Ars autem aruſpicina hæc habet, vt & thuris motus & crepitus , & fumi motus & flexus aruſpex ipſe colligat, quoniam hæc primum ſigna aut teſtãtur extorum promiſſus ſi bona ſint, aut ſi contraria refragantur. vt teſtatur liber de thuris ſignis qui ipſius Tyreſiæ ſcribitur. SENSIT. quia carebat oculis ſacerdos. PLVRIMVS ARDOR ANHELAT. hoc bene adiecit. Nam quomodo cæcus poſſet intelligere aras ardere, niſi ignis afflatu? ET VOX IMPVLIT IGNEM. id eſt illius precibus flamma nutrita eſt.

Tartareæ ſedes, & formidabile regnum
Mortis inexpletæ: tuque ô ſæuiſſime fratrum
Cui ſeruire dati manes, æternaque ſontum

Supplicis. atque imi famulatur regia mundi,
Soluite pulſanti loca muta, & inane ſeueræ
Perſephones, vulgúſque caua ſub nocte repoſtum
Elicite, & plena redeat Styga portitor alno.
Ferte ſimul greſſus, nec ſimplex Manibus eſto
In lucem remeare modus. tu ſepare cœtu
Elyſios Perſæe pios, virgáque potenti
Nubilus Arcas agat. contra per crimina functis
Qui plures Erebo, pluréſque e ſanguine Cadmi
Angue ter excuſſo, & flagranti præuia taxo
Tiſiphone dux pande diem: nec lucis egentes
Cerberus occurſu capitum detorqueat vmbras.

VVLGVSQVE CAVA NOCTE REPOSTVM. *Caua* patenti aut alta: ſed melius *caua nocte* eſt, vacua ab opere. REPOSTVM. ideo quod itidem ad ſuperos ad corpus reuertatur. ET PLENA REDEAT PORTITOR ALNO. Et portitor plena alno redeat ad hanc ſtyga. quomodo dicimus *viam redeat*. FERTE SIMVL GRESSVS. Nocentes inquit de tartaro, pii de Elyſio veniât. MANIBVS. manes Græcorũ dicit. NIRGAQVE POTENTI NVBILVS ARCAS AGAT. *Nubilus* infernus. imperat autem Mercurio & Libero, vt animas piorum euocent. Quare autem perſecate eſt ratio. Quidam enim volunt non Iouis filium eſſe Mercurium, ſed Pyrrhæ: in qua opinione & Heſiodus verſatur in his libris, quos de Theogonia ſcripſit. quidam Perſei. Cornulus quatuor Mercurios eſſe ſcribit. Vnum Iouis & Maiæ filiũ. alterum Cæli & Diei. tertium Liberi & Proſerpinæ. quartum Iouis & Cyllenes: a quo Argus occiſus eſt. quem ipſum ob hanc cauſá Græci profugum dicunt, AEgyptiis autem litteras demonſtraſſe. ergo Mercurium Liberi & Proſerpinæ filium dicunt animas euocare. de quo Virg. *Letheum ad fluuiũ deus euocat agmine magno*. PER CRIMINA FVNCTIS. Tiſiphone pande diem. Senſus hic eſt. Hecate & Mercurius pias animas ducât, nocêtes Tiſiphone. QVI PLVRES EREBO. vt Virgil. *Quæ maxima turba eſt* ſed modo aucti per ſanguinem Thebarum. TAXO. quia de hac arbore venenoſa faces furiæ dicuntur habere. TISIPHONE DVX. tu, inquit, Tiſiphone illos reduc qui ſcelerati ſunt, plurimique de ſtirpe Thebana. DETORQVEAT VMBRAS. auertat ad ſuperos quidem venire cupientes.

Dixerat. & pariter ſenior, Phœbeiáque virgo
Erexere animos. illi formidine nulla,
(Quippe in corde deus) ſolum tremor obruit ingens
Oedipodioniden, vatiſque horrenda canentis
Nunc humeros, nunc ille manus, & vellera preſſat
Anxius, inceptiſque velit deſiſtere ſacris.
Qualis Getulæ ſtabulantem ad confraga ſyluæ
Venator longo motum clamore leonem
Exſpectat firmans animum, & ſudantia niſu
Tela premens, gelat ora pauor, greſſuſque tremiſcunt
Quis veniat, quantúſque, ſed horrida ſigna frementis

Accipit, & cæca metitur murmura cura.
Atque hic Tireſias nondum aduetantibus vmbris,
Teſtor ait, diuos, quibus hunc ſacrauimus ignem,
Leuaque conuulſæ dedimus carcheſia terræ,
Iam nequeo tolerare moram. caſſúſne ſacerdos
Audior? an rabido iubeat ſi Theſſala cantu
Ibitis? & Scythicis quotiens medicata venenis
Colchis aget, trepido pallebunt tartara motu?
Noſtri cura minor. ſi non attollere buſtis
Corpora, nec plenas antiquis oſſibus vrnas
Egerere, & mixtos cœlique, erebique ſub vnum
Funeſtare deos libet. aut exanguia ferro
Ora ſequi, aut ægras functorum carpere fibras:
Ne tenues annos, nubémque hanc frontis opacæ,
Spernite ne moneo, & nobis ſæuire facultas.
Scimus enim, & quicquid dici, noſcique timetis,
Et turbare Hecaten ni te Thymbræe vererer,
Et triplicis mundi ſummum quem ſcire nefaſtum,
Illum ſed taceo. prohibet tranquilla ſenectus.
Iamque ego vos. auidè ſubicit Phœbeia Manto,
Audiris genitor, vulgúſque exangue propinquat.

ILLI FORMIDINE NVLLA. ſubaudimus, ſtabant Mantho & Tirheſias. ET VELLERA PRESSAT. amplectitur, conſtringit, petens auxilium timoris. CONFRAGA. aſpera & deſerta. ET SVDANTIA NIXV. ex manuum ſudore. nam per timorē ſudor oritur venatori. ET CAECA METITVR. quæ cæcat mentē & cōturbat cæca cura. TACITO ANIMO. non illū videt, ſed magnum eſſe clamore metitur. LEVAQVE CONVVLSAE DEDIMVS CARCHESIA TERRAE. qui ſiniſtra manu funduntur, leua manu infuderat. Inferis ſiniſtra manu immolamus pocula. CASSVSNE SACERDOS. & hunc locum de Lucano mutuatus eſt.

Tiſiphone vociſque meæ ſecura Megera,
Non agitis ſæuas Erebi per inane flagellis
Infelicem animam. COLCHIS AGET. ciuitas Scythiæ, de qua omnes veneficæ, vnde Medea. NOSTRI CVRA MINOR. hoc eſt, illis obtēperatis, & noſtra præcepta contemnitis. SVB VNVM FVNESTARE DEOS. pro in vnum & in communem imolationem hominis, propter necromantiam. his enim inferi delectātur. ET QVICQVID DICI NOSCIVE TIMETIS. hæc de Lucano mutuatur, cum minantem manibus Theſſalam induceret. NI TE TYMBRAEE VERERER. bene, licet magiam faceret, honorem ſeruauit Apollini: cuius reuerentia nolle ſe dicit germanæ eius dei inuocationis metu contumeliā facere. Ipſa autem Hecate *Diana* dicitur. Tetigit & philoſophicè partem ſacrorum iuxta picturam, quam in inferiore ad notationē cōmemorat. ET TRIPLICIS MVNDI. iuxta picturam illam veterem, in qua hæc tormenta deſcripta ſunt, & aſcenſio ad deum. dicit deum demogorgona ſummum, cuius nomen ſcire non licet. Infiniti autem philoſophorum, magorū, Perſæ etiam confirmant reuera eſſe, præter hos deos cognitos qui coluntur in templis, alium principem, & maxime deum ceterorum numinum ordina-

torem, de cuius genere ſint ſoli, Sol atque Luna: cæteri vero qui circumferuntur aſtra nominantur, quæ eius clareſcunt ſpiritu, maximis in hoc auctoribus, Pythagora, & Platone, & ipſo Tagete conuenientibus. Sed dire ſentiunt, qui eum intereſſe nefandis artibus actibúſque magicis arbitrantur. In verſu ergo poeta ſic dixit. illum, quaſi nomen ſciret ſic repetunt, vt prodiret. ſed hoc magis ad terrorem dixit, illum, vt putaretur ſcire. ſi ergo ſcire nefas eſt diſci à vate non potuit. licet magis frigidas habeant quas putant Dei nomine continere. ſed hoc Dei vocabulũ à nullo ſciri hominum poteſt. ſed quid veritas habeat percipe. Huius ne Dei nomen ſciri poteſt, qui nutu tantum regit & continet cuncta, cuius arbitrio deſeruiunt. cuius nec æſtimari poteſt mundus, nec finibus claudi. Sed cum magi vellent virtutis eius, vt putabant ſeſe comprehendere ſingulas appellationes, quas per naturarum poteſtates abuſiue modo deſignarunt, & quaſi plurimorum numinum nobilitate Deum appellare conati ſunt. quaſi ab effectu cuiuſque rei ductis vocabulis, ſicut Orpheus fecit, & Moyſes Dei ſummi antiſtes, & Eſaias, & his ſimiles. Ethruſci confirmant nymphã, quæ dum non nupta fuerit, prædicaſſe maximi Dei nomen exaudiri hominem per naturæ fragilitatem, pollutionemque fas non eſſe: quod vt documentis aſſereret in conſpectu cæterorum ad aurem tauri Dei nomen nominaſſe, quem illico vt dementia correptum, & nimio turbine coactum, exanimaſſe: ſunt qui ſe licet ſecreto ſcire dicunt, falſum ſciunt, quoniam res ineffabilis comprehendi non poteſt. VOS AVIDE. inferne canes eliciam vel inſequar, deeſt.

Panditur Elyſium Chaos, & telluris opertæ
Diſſilit vmbra capax, ſyluæque, & nigra pateſcunt
Tartara, liuentes Acheron eiectat arenas.
Fumidus atra vadis Phlegeton incendia voluit,
Et Styx diſcretis interflua Manibus obſtat.
Ipſum pallentem ſolio, circúmque miniſtras
Funeſtorum operum Eumenides, Stygiæque ſeueros
Iunonis thalamos, & mœſta cubilia cerno.
In ſpeculis mors atra ſedet. dominíque ſilentis
Adnumerat populos. maior ſupereminet ordo.
Arbiter hos dura verſat Gortynius vrna,
Vera nimis poſcens, adigitque expromere vitas
Vſque retro, & tandem pœnarum lucra fateri.
Quid tibi monſtra Erebi, Scyllas, & inane furentes
Centauros, ſolidóque intorta adamante gigantum
Vincula, & auguſtam centeni AEgæonis vmbram?
Immo, ait, ô noſtræ regimen, viréſque ſenectæ
Ne vulgato mihi. quis enim remeabile ſaxum,
Fallenteſque lacus, Tytiónque alimenta volucrum
Et caligantem longis Ixiona gyris
Neſciat? ipſe etiam, melior cúm ſanguis, opertas
Inſpexi ſedes Hecate ducente, priuſ-quam
Obruit ora Deus, totámque in pectora lucem
Detulit. Argolicas magis huc appelle precando,

Thebanáſque

Thebanáſque animas, alias auertere greſſus
Lacte quater ſparſas mœſtóque excedere luco
Nata iube. tum quis vultus, habitúſque, quis ardor
Sanguinis effuſi, gens vtra ſuperbior adſit,
Dic agedum, noſtrámque mone per ſingula noctem.

STYX. quæ meatu ſuo manes diſcernit a ſuperis: vt *& nouies Styx interfuſa coercet:* & ideo interfluá nominauit. IVNONIS THALAMOS Pythagoras dicit duo eſſe hemiſpheria, quibus proprios deos aſſignat, & facit ſuperioris regem Iouē, & reginam Iunonem. Inferioris Ditem Iouem eſſe infernum, Proſerpinam Iunonem infernam. Et duas Veneres vnam ſupernam, & alteram Libitinam, & alios Deos binos conſtituit, Hecaten, ſicut Ditem Iouem, ita & hanc Stygiá Iunonem. Vt Virg. *Iunoni inferna dictus sacer.* ARBITER HOS DVRA VERSAT CORTYNIVS VRNA. licet de diſceptatore animarum & cenſore vitæ alia ſit ſecreta & arcana veritas, tamen quod ex opinione tranſlatum eſt in fabulis ſcribam. Cortynius arbiter, Minos Cretenſis, cui ad gloriam & titulum ſola natalium ſufficeret claritas, meruit placiditate mentis, vt plus eū moribus quá claritate generis omnes mirarentur. Fuit enim Rex Cretæ itá vita clemens, vt quod eſt mirum, gauderent eū dominum quibus imperabat. defuncto deinde quantum máſuetudo mereatur nec fato quidem hoc honore priuatus eſt. nam dicitur apud manes de ſupremo exitu iudicare mortales. Veteres enim Græci, vt impios crudeles pœnas apud inferos luere, ſic bonum quemque adeptum bonæ vitæ præmia poſt mortem eſſe dixerunt: quod eſt bonitatis exemplum. quia Minos non vt regem aut tyrannum, ſed tanquam vnum de plebe ſe geſſit, quæ laus ſumma eſt. vt Seneca in Thyeſte.

Neſcitis cupidi arcium
Regnum quo iaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color.
Non frontis nota regia.
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus.
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens
Et nunquam ſtabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.

ARBITER HOS. quaſi quæſitor, ex ſorte iudex legit quos habeat in cōſilio: vt *quæſitor Minos vrnam mouet.* hic Iouis & Europæ filius, cuius fuere fratres Rhadamantus & Sarpedon. POENARVM LVCRA FATERI. pœnas quas apud ſuperos lucrati ſunt: vt. *quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani.* ANGVSTAM CENTENI AEGEONIS VMBRAM. Virg. *Aegæon qualis centum cui brachia dicunt.* *Anguſtam* tenuatam. nec enim in figura animæ tanta eſt magnitudo, quanta in corporis veritate. vel quem ſpatia tanta vix capiunt: vel quamuis centum manus fuerint, vmbra tamen eius memoratur anguſta, quia maior eſt in vmbra inani, quam in corpore magnitudo. REMEABILE SAXVM. Virg. *Saxum ingens voluunt alii.* Syſiphi exemplo illi ſignantur, qui contempta vera philoſophia, ad voluendum mundi onus crebo vertuntur. FALLENTESQVE LACVS. Tantali, cuius ab ore epulæ ſubtrahuntur. bene *lacus* pro potu poſuit. ſic Horat. *Tantalus a labris ſitiens fugientia captat flumina.* TYTION. quia Latonæ voluit vim inferre, eius pectus lacerat vultur. IXYONA GYRIS. cathimenō, quod rotæ volubilitate rapiatur. Ixyon Flegiæ filius cū miſericordia Iouis in cælū ſublatus fuiſſet Iunonē de ſtupro interpellare auſus eſt quæ de audacia eius conqueſta Ioui, ſuadente ipſo pro ſe nubem miſit, cum qua Ixyon cum coiret, geniti ſunt Centauri. Reuerſus autem ad mortales Ixyon gloriatus eſt cum Iunone concubuiſſe, ob quam cauſam eum Iuppiter fulmine percuſſit, & ad rotam voluendam ligauit. NOSTRAMQVE MOVE PER SINGVLA NOCTEM. quia cæcatus fuerat a Iunone Tyrheſias, qui maiorem multo libidinem mulierum locutus eſſet, ideo quia ante fœmina fuiſſet. & merito: quia vtriuſque ſexus fuerat expertus naturam, qua de re & ante dictum eſt.

Iuſſa facit, carmênque ſerit quo diſſipat vmbras,
Quo regit & ſparſas. qualis ſi crimina demat
Colchis, & AEæo ſimulatrix littore Circe.
Tunc his ſacrificum dictis affata parentem.
Primus ſanguineo ſubmittit inertia Cadmus
Ora lacu, iuxtáque virum Cythereia proles
Inſequitur, geminusque bibit de vertice ſerpens.
Terrigenæ comites illos gens Martia cingunt,
His æui menſura dies. manus omnis in armis,
Omnis & in capulo. prohibéntque, obſtántque, ruuntque,
Spirantum rabie. nec triſti incumbere ſulco
Cura, ſed alternum cuperent haurire cruorem.
Proxima natarum manus eſt, fletique nepotes.
Hic orbam Autonoen, & anhelam cernimus Ino
Reſpectantem arcus, & ad vbera dulce prementem
Pignus, & oppoſitis Semelen à ventre lacertis.
Penthea iam fractis genitrix Cadmeia thyrſis,
Iam dimiſſa deo, pectúſque adoperta cruentum
Inſequitur planctu. fugit ille per auia Lethes,
Et Stygios, ſuperoſque lacus, vbi mitior illum
Flet pater, & lacerum componit corpus Echion.
Triſtem noſco Lycum. dextrámque in terga reflexum
AEoliden, humero iactantem funus onuſto
Nec dum ille aut habitus, aut verſæ crimina formæ
Mutat Ariſtæo genitus. frons aſpera cornu eſt,
Tela manu, reiicitque canes in vulnus hiantes.
Ecce autem magna ſubit inuidioſa caterua
Tantalis, & tumido percenſet funera luctu
Nil deiecta malis. iuuat effugiſſe deorum
Numina, & inſanæ plus iam permittere linguæ.

CARMENQVE SERIT. Senſus. & ſerit carmen, quo collectas vmbras & non neceſſaria ſpargeret. neceſſarias vero ac paſſim vagantes in vnum cogeret. QVALIS SI CRIMINA DEMAT COLCHIS. Talis erat Mantho carminibus ademptis, qualis Medea aut Cyrce magica arte perfecta: vt collatio conueniret. Medeæ artem tulit herbarum, quia Mantho vno carmine potentiam exercet. Cyrcen autem non carminibus, ſed herbis conſtat valuiſſe, quia decipiebat poculis tranſeuntes: vt Virg. *potentibus herbis induerat Cyrcē vultus ac terga ferarū.* equidē cū ſit naturæ ratio fingendo corpora facere homines, qui fuerant beluæ, reſoluta feræ figura humanos vultus effingunt. Cyrce ergo fuit mortalis, quā ſtulti

Solis filiam fuiſſe dixerunt. ſi fas eſt, vt dei filia credatur eſſe mortalis. Sed ordinem fabulæ perſtringamus. Hæc igitur Cyree in inſula Mæonia delatos ad ſe in feras mutabat. Ad hanc forte delatus Vlyſſes Eurilocum cum viginti& duobus ſociis miſit, quos ab humana ſpecie commutauit. ſed Eurilocus inde fugit, & Vlyſſi nunciauit. Is ſolus ad eam proficiſcitur, cui in itinere remedium Mercurius dedit, monſtrauitque quomodo Cyrcen deciperet Qui poſteaquam ad eam venit, ab ea poeulo accepto Mercurii remedium miſcuit, & eduxit enſem, eique minatus eſt vt ſocios ſibi reſtitueret. Tunc Cyrce ſenſit ſine voluntate deorũ non eſſe factũ, fideque data ſocios ei reſtituit. Ipſe cum ea cõcubuit, ex qua Tellogonum procreauit. inde proficiſcens ad Auernum delatus ad inferos deſcendit. reliquos labores eius Tyrheſias vates edocuit. PRIMVS SANGVINEO. Eleganter cœpit a coditore Thebarum poſteriorum hiſtorias narraturus. Cadmum & Harmonien diximus in dracones eſſe conuerſos, quorum veniunt animæ vt bibant foſſam ſanguinis plenam. AMBORVM. Cadmi & Harmonies. TERRIGINAE. quos ſparſis draconis dentibus terra edidit. MENSVRA DIES. quibus naſcendi moriendique dies fuit. SPIRANTVM RABIE. ideſt furore viuentium adhue arma tractabant, ſuumque magis fundere ſanguinem feſtinabant, quam eum qui erat fuſus in foſa. SED ALTERNVM CVPERENT HAVRIRE CRVOREM. quos draconum dentibus ſatis tellus edidit: odia vetera retinentes potandi ordinem immatura feſtinatione turbarunt. FLETIQVE NEPOTES. Pentheus, Actæon, & Melicerta. ORBAM AVTONOEN. quia Actæonem filium perdidit. ANHELAM INO. vel furentẽ, quod ei nupſit pellex: vel quod mariti Athamãtis tela fugiens, cum Melicerta fluctibus ſeſe tradidit, quod Athamas Learchum occiderat. ET APPOSITIS SEMELEN A VENTRE LACERTIS. Quia cum proximas vidiſſet fulminis flammas pia mater, non immemor pignoris, manus ventri ne perimeretur oppoſuit. quaſi fulmẽ non ſibi, ſed filio formidaret. Mire autem dictum eſt, *in ventre*, quod inter periculum fulminis filio timeret. GENITRIX CADMEIA. Agauen dicit nõ Cadmi filiam, ſed quæ a Cadmo originem duceret, quæ filium furens occidit: ergo *genitrix Cadmeia* ambigue, non enim mater Cadmeia, ſed filia. ordo. Cadmeia genitrix inſequitur, quæ ſcitur eſſe Cadmeia. ECHION. pater Penthei. Actæonis vero Ariſteus fuit, filius Apollinis, & Cirenæ. TRISTEM NOSCO LYCVM. Hic eſt Lycus, qui Megærã filiam ſuam Herculi dedit vxorem. & ob hoc a Iunone in furorem verſus eſt, & filios Herculis ex Megæra ſuſceptos, Orea & Leontiadem, occidit. *Triſtem* ergo propter mortem nepotum. Hic eſt ergo Lycus maritus Antiopæ, Nyctei regis filiæ: & triſtis ob ſtuprum coniugis quam per uim ſtuprauerat Epaphus. ille eam proiecit. Epaphus autem fuit ex Ioue natus. quam fabulam latius aperiemus. Antiopa Nyctæi regis filia ab Epapho per dolum ſtuprata eſt, quæ ob id a viro Lyeo eſt eiecta ui: qua pulſa Dyrcen duxit vxorem, cui ſuſpicio incidit virum ſuum clam cum Antiopa concubuiſſe, itaque impetrauit a famulis; vt eã vinctam in tenebris clauderent, cui eum partus inſtaret, Iouis voluntate effugit vincula, & in monte Citherone partum expoſuit. natos, Zetum & Amphionem proiecit, hos paſtor pro ſuis educauit, quos poſtea mater agnouit, qui iniurias eius executi, Lycũ interfecerunt: Dyrcen tauro indomito religatam, vita priuauerunt. AEOLIDEM. Athamantem dicit AEoli filium cum humero onuſto, quia ſic pingitur inſequens Ino vxorem, collo portans filii Learchi cadauer. AVT VERSAE CRIMINA FORMAE. propter crimina, quia in Dianã nudã inciderat. FRONS ASPERA CORNV. Actæonẽ ſignificat, qui dicitur apud inferos eadẽ forma manſiſſe, qua apud ſuperos fuerat, habentẽ cornua. TANTALIS. Niobe Tantali filia & Peniopes, quæ partus ſui fœcunditate elata cum filiis ſeptem a Diana & Apolline probatur extincta. NIL DEIECTA MALIS IVVAT EFFVGISSE DEORVM NVMINA. Filiis delectatur extinctis amplius ſibi non poſſe deorũ iniuriam noeere, cum deſinr in quibus peccatorum licentia vindicetur. Nam ideo ſubdidit. *Et inſana iam plus permittere lingua.*

Talia dum patri canit intemerata ſacerdos,
Illius elatis tremefacta aſſurgere vittis
Canicies, tenuique impelli ſanguine vultus.

Nec iam firmanti baculo, nec virgine fida
Nititur, erectúſque ſolo, Deſiſte canendo
Nata ait, externæ ſatis eſt mihi lucis, inertes
Diſcedunt nebulæ, & vultum niger exuit aer.
Vmbríſne, an ſupero me miſſus Apolline complet
Spiritus? en video quæcunque audita. ſed ecce
Mœrent Argolici deiecto lumine Manes.
Toruus Abas, Prœtuſque nocens, mitíſque Phoroneus
Truncatúſque Pelops, & ſæuo puluere ſordens
Oenomaus, largíſque humectant imbribus ora.
Auguror hinc Thebis belli meliora. quid autem
Hic grege condenſo (quantum arma & vulnera monſtrant)
Pugnaces animæ, nobis in ſanguine multo
Oraque, pectoráque & falſo clamore leuatas
Intendunt ſine pace manus? rex, fallor, an hi ſunt
Quinquaginta illi? cernas Chroniúmque, Chromínque,
Phegeáque, & noſtra præſignem Mæona lauro.
Ne ſæuite duces. nihil hic mortalibus auſum
Credite conſiliis. hos ferrea neuerat annos
Atropos, exiſtis caſus. bella horrida nobis,
Atque iterum Tydeus. dixit, vittaque ligatis
Frondibus inſtantes abigit, monſtrátque cruorem.

Externae satis est mihi lucis. Duplex expoſitio hic eſt. Nam *externe* aut humanis aſpectibus, quoniam diuum lucem vult magis intelligi: aut certe quod ipſe diuinationem alieno fruebatur aſpectu. Inertes nebulae. *Inertes* epitheton nebulæ: nam vultum cæcitate obrutũ ad videnda quæ ſunt diuina perpetua nox exuit cæcitatis. Moerent Argolici. Coniecturam facit de ducum vultibus luctuum futurorum. Toruus Abas. Acryſij pater, quem iccirco toruum dicit, quod fuerit toruus in ciues. Proetusque nocens. Ideo nocens, quia Bellerophontem voluit innocentem occidere. Bellerophon Glauci filius, cum ignarus ad Prœtum in hoſpitium veniſſet, & vxor Prœti Sthenobea, ſiue Antia, illum amaret, nec ab eo impetrare potuiſſet vt ſecum concumberet, apud ſuum virum mentita eſt, ab eo ſe compellatam fuiſſe. Prœtus ad Adiuuarcem ſocerum ſuum miſit, & de eadem re Bellerophonti dedit tabellas perferendas ſocero; quibus lectis interficere voluit talem virum: ſed cum ille prudentia ſua & caſtitatis auxilio ſe ab inſtante periculo liberaſſet, ad interficiendam Chymeram miſſus eſt; quam ille Pegaſo iuuante proſtrauit. denuo eum miſit vt Calydonas vinceret, etiam illos cum viciſſet, & cum nouiſſime ſciuit Adiuuarces, quod ipſi fuiſſet cauſa tanti mali faciendi, crimina quæ in eum confixerant aboleuit, virtutéque eius laudans alteram filiam Alchimenem ei dedit vxorem. At Sthenobea re cognita ipſa ſe interfecit. ergo is Prœtus nocens quia innoxium iuuenẽ periculis tantis obiecit. hæc fabula apud Homer. lib. VI. eſt. ipſe Prœtus cuius filias ſub contumelia læſi numinis Iuno furore cõpleuit, quo ſe factas buculas putarent: de quibus Virg. *Prœtides implerunt falſis mugitibus agros.* Phoroneus. Hic eſt qui primus Iunoni ſacrificaſſe dicitur, vt Dardanus Ioui. Pho-

roneus autem Inachi filius, qui primus mortalibus regnauit, cuius filiam Nyoben, quia alia Tantali eſt, Iupiter primo mortalem dicitur compreſſiſſe.

TRVNCATVSQVE PELOPOS. Virg. *humeroque Pelops inſignis eburno.* SAEVO PVLVERE SORDENS OENOMAVS. *Sordens* quia per eum circum tractus eſt. *Saeuo* quia ibi occiſi fuerant innocentes. GREGE CONDENSO. Iſti ſunt quinquaginta quos Tydeus occidit. FALSO CLAMORE. Virg. *inceptus clamor fruſtratur hiantes.* INTENDVNT SINE PACE MANVS REX FALLOR AN HI SVNT. O rex Etheocles. Eos oſtendit Etheocli, quos ipſe etiam poſſet cognoſcere. *Sine pace* autẽ dixit, aut bellicoſas, aut ipſi diſcordes, cuius cauſa fuerant interempti. PRAESIGNEM MAEONA LAVRO. Mæonem illum vatem dicit. ideo præſignem lauro, quoniam fuit ſacerdos Apollinis, & diuinatione pollebat. Quem Tydeus à quinquaginta virorum cæde ſeruatum remiſit Thebas incolumem. Qui ſe in conſpectu regis donatam vitam reſpuens. conſcientia virtutis occidit. NE SAEVITE DVCES. Quaſi apud indignantes eos loquitur, qui fuerunt interempti à Tydeo, & caſum humanæ ſortis excuſat fatorum legibus eueniſſe. Omina proſpera viderat de parte Thebana, & Argolicos duces vultu pronunciaſſe de fato belli. Sed vidit illos Thebanos quos Tydeus peremit, quos hic minantes ciuibus ſuis placat: dicens fatorum fuiſſe legem vt tot caderent, non virtutis alienæ. dein ſuperſtitibus Thebanis, qui Tydeum viderent eſſe paſſurum. hoc autem mihi videtur dixiſſe Statium, fretus hiſtoriæ exemplo, vt animas ſeu manes iraſci diceret, & à Tyreſia placatos. Alexander igitur cum in Aſiam traduceret exercitum, conſpexit proximam littori manum armatorum, armis Achiuis candentibus, propterea tubam canere iuſſit, & milites nauibus egredi armatos. Sed cum abiret à conſpectu Macedonum ea ſpecies vmbrarum, ante cunctis perſpecta, poſtquam attigit Thraciam terram certior à vicinis factus, quod eiuſmodi viſiones ibi frequentiſſime fierent, ſuſpicatus animas eſſe Achiuorum, qui conſociati fœdere Theſſalis fuerant Hernico bello, inferias apud tumulos Achiuorum dedit, precatus aduerſus barbaram gentem auxiliarios ſibi fieri: opinatus eoſdem & in exceſſione claſſis apud littus ſibi viſos. Iſque in ea pugna, cum apud Granicum confligeret exercitus, multas ibidem ſpecies in prælia conſpectans, putans Macedonum exercitum, nec minus alias animas apparuiſſe barbarico habitu, ex aduerſo exiſtimantes hoſtium numerũ eo prælio multis ex vtraque parte cæſis. locus in quo ceciderunt faba primo floreſque nati fidem veteribus præbuit, quia abſtinendum vſu fabæ ſuadent. NIHIL HIC MORTALIBVS AVSVM. Quotiens ratione carent facti immanitate virtutes, humanis non ſunt aſſignandæ conſiliis. Virgil. ſimili admiratione ait. *Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra proueniunt.* EXISTIS CASVS. Euaſiſtis, vt furentum ducum placaret inferias. Euaſiſſe enim dicit caſus & fortunæ ludibria. nam Virg. *exiſſe* pro *euaſiſſe* poſuit. *atque oculis vigilantibus exit.* BELLA HORRIDA NOBIS. nobis vero ſuperſunt belli diſcrimina. Virg. *nos alias hinc ad lachrymas.*

Stabat inops comitum Cocyti in littore mœſto
Laius, immiti quem iam deus ales Auerno
Reddiderat, dirúmque tuens obliqua nepotem.
(Noſcit enim vultum) non ille ad ſanguinis hauſtus
Cætera ceu plebes, aliúmue accedit ad imbrem,
Immortale odium ſpirans. ſed proſilit vltro
Aonius vates. Tyriæ dux inclyte Thebes,
Cuius ab interitu non vlla Amphionis arces
Vidit amica dies, ô iam ſatis vlte cruentum
Exitium, & multum placata minoribus vmbra,
Quo miſerande fugis? iacet ille in funere longo

Quem premis, & iunctæ ſentit confinia mortis,
Obſitus, exhauſtus pedore, & ſanguine vultus,
Eiectúſque die. ſors leto durior omni,
Crede mihi. quænam immeritum vitare nepotem
Cauſa tibi? confer vultum, & ſatiare litanti
Sanguine, venturáſque vices, & funera belli
Pande vel infenſus, vel res miſerate tuorum.
Tunc ego, te optata vetitam tranſmittere Lethen
Puppe dabo. placidúmque pia tellure reponam,
Et Stygiis mandabo deis. mulcetur honoris
Muneribus, tingitque genas, dehinc talia reddit.

Non ille avt sangvinis havstvs. obliquus ob parricidium poſteris, horret nepotem Laius ſcelere procreatum, nec ſacrificii oblatione miteſcit: nam cum importune inſtantes abigit, illos quinquaginta qui manu Tydei fuerant interempti, quos vittis redimitos dicit vtpote reges, eoſque ſacrificii ſanguine placat oſtenſo. Illũ tamẽ non ſanguis ſacer, nõ alius liquor, qui ſacrificiis cõſueuit offerri mitigat. id eſt, vini, aut mellis, aut lactis, ſed immortale odiũ poſteris ſeruás, nulla oblatione ſacrificii placatur. Vidit amica dies. proſpera, id eſt, quæ ab execrabilibus facinoribus eſt aliena: nam poſt eius obitum vxor filii ſui Oedipodis eſt ſortita coniugium. Qui funeſtam rem ſæpiſſime fœcunditate partus incerti ſignificauit. Secutum eſt nihilominus, vt re cognita filius coniunx voluntaria ſe cæcitatis pœna damnaret, deinde voluntariũ Polynicis exilium, & poſt omnia imminens bellum. Placata minoribvs vmbra. Calamitatibus poſterorum. nam & parricida filius perpetua errat cæcitate damnatus. & in regno nepotes erant diſcordes cupiditate regnandi. Pedore. Squalore confectus. Eiectvsqve die. Excluſus à diei claritate. Crede mihi. Qui ſimili cæcatus crucior vita. Litanti. pro litato. Pande vel infensvs vel res miserate tvorvm. Quoniam ſi iratus es narra quod doleam: ſi placatus es, poſteris ede quod caueam. vt inferorum ſqualore perpetuo poſito regi ſuaderet, quæ poſcebat edicere, ſpem vlterioris ripæ, ad quam præter glorioſam mortem, quam belli neceſſitas ingerebat, violenter occiſi prohibebantur accedere, promittit carminibus poſſe concedere. Et deis inferis ſe commendat, quamuis eſſet contra iura prohibitum. Mvlcetvr honoris mvneribvs tingitqve genas. Placatus muneribus ſacerdotis ſumpſit ſacra libamina, & tunc demum reddidit conſultanti reſponſum. alii *tingitque genas*, magis intelligi volunt fletu, quam ſanguine.

Cur tibi verſanti manes, æquæue ſacerdos,
Lectus ego augurio, tantiſque potiſſimus umbris
Qui ventura loquar? ſatis eſt meminiſſe priorum.
Noſtráne præclari (pudeat) conſulta nepotes
Póſcitis? Illum illum ſacris adhibete nefaſtis,
Qui leto dedit enſe patrem, qui ſemet in ortus
Vertit, & indignæ regerit ſua pignora matri.
Et nunc ille deos, furiarúmque atra fatigat
Concilia, & noſtros rogat hæc in prælia manes.

Quòd ſi adeò placui deſlenda in tempora vates,
Dicam equidem, quo me Lacheſis, quo torua Megæra
Vſque ſinunt. bellum innumero venit vndíque bellum
Agmine, Lernæóſque trahit fatalis alumnos
Gradiuus ſtimulis. hos terræ monſtra, deúmque
Tela manent, pulchríque obitus, & ab igne ſupremo
Sontes lege moræ. certa eſt victoria Thebis,
Ne trepida, nec regna ferox germanus habebit.
Sed furiæ, geminúmque nefas, miſeróſque per enſes
Hei mihi crudelis vincet pater. Hæc vbi fatus,
Labitur, & flexa dubios ambage reliquit.

VERSANTI MANES. Conſideranti. POTISSIMVS. melior ad augurandum. POSITIS ILLVM. Schema epizeuſis, id eſt, repetitio nominis. dicit ergo Oedipum filium ſuum hæc ſacra debuiſſe facere, qui nece patris & matris concubitu Thebanum mouerat bellum. FVRIARVMQVE ATRA FATIGAT CONCILIA. imprecando filiis laſſat. Horat.

Preceque fatigent,
Virgines ſacra minus audientem,
Carmine Veſtam.

LERNAEOS. Græcos, à Lerna palude Arcadiæ. HOS TERRAE MONSTRA. Propter Amphiaraũ, qui hiatu terræ demerſus eſt. Seu propter Tydeum, qui prodigialiter Menalippi percuſſoris cerebrum vorando defunctus eſt. DEVMQVE TELA MANENT. propter Capaneum qui eo clarior fuit, quod Iouis fulmine meruerit interire. SONTES LEGE MORAE. id eſt, ex lege moræ venientes ne ſontes ſepelirentur Achiui. ſontes autem moræ optime, nocentes, quia differunt ſepulturam. Sed & in primo. *tumuliſque carentia regum funera.* HEI MIHI CRVDELIS. aut quia effectũm eſt quod optauit, aut quia ſuper-victurus eſt filiis.

Interea gelidam Nemeen, & conſcia laudis
Herculeæ dumeta, vagâ legione tenebant
Inachidæ. iam Sidonias auertere prædas
Sternere, ferre domos ardent, inſtántque. Quis iras
Flexerit, vnde moræ, medius quis euntibus error
Phœbe doce. nos rara manent exordia famæ.
Marcidus edomito bellum referebat ab Aemo
Liber. ibi armiferos geminæ iam ſidere brumæ
Orgia ferre Getas, canúmque vireſcere dorſo
Othryn, & Icaria Rhodopen aſſueuerat vmbra.

GELIDAM NEMEEN. ſylua in qua leo ille fuit, quem Hercules vicit. SIDONIAS. Thebanas, quia Thebarum conditor Cadmus. Sidonius vero Tyrius. MARCIDVS. laſſus, ebrius, aut quia molles faciat per pacem. BRVMAE. Eleganter *brumas* pro annis poſuit, non æſtates. quia apud Thraces & Getas perpetuæ ſemper habentur hyemes, vt Virgil. *Semper hyems, ſemper ſpirantes frigore venti.* dicit ergo duobus annis Thraces Getaſque

exutos furote bellandi docuiſſe culturas. VMBRA. id eſt, vitibus facere obſitam. *Icaria vmbra* dixit, quia Icarus comes Liberi accipitur, qui à Libero vini vſum vt mortalibus traderet ſumpſit, quod cum paſtoribus exhibuiſſet potandum, ebrii facti putauerunt ſe veneno eſſe temptatos, & Icarum peremerunt. cuius Erigone filia cum ductu cânis inuentum fleret cadauer, in vindictam patris deorum implorauit auxilium. recepti ambo locantur inter ſidera, Erygone in virginem, Icarus in ſtellam Bootæ. dicitur enim cum plauſtro ſuo receptus in cælum, vt Iuuenal. *aut illo tempore quo ſe frigida circumagunt pigri ſarraca Bootæ.*

Et iam pampineos materna ad mœnia currus
Promouet, effrenæ dextra, leuáque ſequuntur
Lynces, & vda mero lambunt retinacula tigres.
Poſt exultantes ſpolia armentalia portant
Seminecesque lupos, ſciſáſque Mimallones vrſas.
Nec comitatus iners, ſunt illic Ira, Furórque,
Et Metus, & Virtus, & nunquam ſobrius Ardor,
Succiduíque gradus, & caſtra ſimillima regi.
Iſque vbi puluerea Nemeen efferuere nube
Conſpicit, & ſolem radiis igneſcere ferri,
Necdum compoſitas belli in certamina Thebas,
Concuſſus viſis, quamquam ore, & pectore marcet,
Aeráque, timpanáque, & biforem reticere tumultum
Imperat, attonitas qui circùm plurimus aures.
Atque ita, me manus iſta, meámque excindere gentem
Apparat: & longè recalet furor, hoc mihi ſæuum
Argos, & indomitæ bellum ciet ira nouercæ.
Vſque adeòne parum cineri data mater iniquo?
Natalé ſque rogi? quæque ipſe micantia ſenſi
Fulgura? reliquias etiam, fuſæque ſepulchrum
Pellicis, & reſides ferro petit improba Thebas.
Nectam fraude moras. illum, illum tendite campum,
Tendite io comites, Hircanæ ad ſigna iugales
Intumuere iubas, dicto priùs aſtitit aruis.

ET IAM PAMPINEOS MATERNA AD MAENIA CVRRVS PROMOVET. Ouid.
Ipſe racemiferis frontem circundatus vmbris,
Pampineis agitant velatam frondibus haſtam.

MATERNA MOENIA. id eſt, ad Thebas, quia exinde fuit Cadmi filia Semele mater Liberi. LYNCES. Cũ Triptolemus beneficio Cereris fruges per omnes ſpargeret gentes, ad Lycum Siciliæ regem venit, & ibi pene deceptus eſt. volens enim Lycus, id quod hoſpes attulerat, fuiſſe ſuum monſtrare, Triptolemum inſidiis finire conatus eſt, at illo periculo cognito ſtricto gladio Lycum perſequi cœpit. ille in feram ſui nominis verſus morem

rum ſuorum colore diſtinctus eſt. vt Virg. *quid Lynces Bacchi variæ.* ARMENTALIA. equi non armenta. vt Virg. *armentalis equi mammis & lacte ferino.* MIMALLONES VERSAS. lingua Macedonum Bacchæ. hinc Perſius. *torua Mimallonees implerunt cornua bombis.* IRA FVRORQVE ET METVS ET VIRTVS ET NVNQVAM SOBRIVS ARDOR. quæ omnia naſcuntur ex vino. Virg. *Bacchus & ad cupam cauſas dedit.* SVCCIDVIQVE GRADVS. Ebrietate titubantes. AERAQVE TYMPANAQVE. Virg. *tympana vos buxuſque vocant.* ARGOS. in plurali numero maſculini tantum generis eſſe Virg. docet. *ſi patrios vnquam remeaſſem victor ad Argos.* in ſingulari vero * *Saeuos Argos.* notandũ neutri generis ciuitatem *Argos* dictam, nam Horatius in neutro genere poſuit, *aptum equis Argos.* CINERI DATA MATER INIQVO. Illud dicit tempus, quo fraude Iunonis Semele mater optauit Iouem eo cultu videre, quo cum Iunone concumberet, quod cum ferre non potuiſſet, diuino igni apud Thebas conſumpta eſt. merito ergo eam ciuitatem matris ſepulchrum Liber appellat. SENSI. ad exaggerationem materni ſupplicii dicit etiam ſe in vtero matris conſtitutum ſenſiſſe fulmina. NECTAM FRAVDE MORAS. nectam iniciam, diis enim ſolum conceditur vt contra fata moram faciant. vt Virg. *hæc trahere, atque moras tantis licet addere rebus.* in opinione ergo multorum eſt, multa fieri extra legem fatorum. nam ſi in hoc quod fixum eſt & ineluctabile dilatio & mora habentur, fides decreti violatur, & quaſi vincitur fatum. vnde Cicero *multa fiunt præter naturam præterque fatum.*

ILLVM TENDITE CAMPVM. deeſt *in.* HIRCANAE. Scythiæ tygrides. vt Virg. *Hircanæque admorunt vbera tygres.* DICTO PRIVS. dicto citius tumida æquorum placat.

Tempus erat, medij cum ſolem in culmina mundi
Tollit anhela dies, vbi tardus hiantibus aruis
Stat vapor, atque omnes admittunt æthera luci.
Vndarum vocat ille deas, mediúſque ſilentum
Incipit. Agreſtes fluuiorum numina Nymphæ,
Et noſtri pars magna gregis, perferte laborem,
Quem damus. Argolicos paulum mihi fontibus amnes,
Stagnáque, & errantes obducite puluere riuos,
Præcipuè Nemees, quæ noſtra in mœnia bellis
Nunc iter ex alto fugiat liquor, adiuuat ipſe
Phœbus, adhuc ſummo, (ceſſet ni veſtra voluntas)
Limite: vim cœptis indulgens aſtra, meæque
Aeſtifer Erigones ſpumat canis. Ite volentes
Ite in operta ſoli. poſt vos ego gurgite pleno
Eliciam, & quæ dona meis ampliſſima ſacris
Veſter habebit honos, nocturnáque furta licentum
Cornipedum, & cupidas Faunorum arcebo rapinas.
Dixerat. Aſt illi tenuis percurrere viſus
Ora ſitus, viridíſque comis exhorruit humor.

TOLLIT ANHELA DIES. *Anhela*, id eſt, æſtuoſa, quando ſol in cancro eſt. & neceſſe eſt quando ſol medio cælo eſt omnia illuſtret. MEDIVSQVE SILENTVM. Cum ſilerent Nymphæ, quibus conuocatis medius ipſe conſtiterat. AGRESTES FLVVIORVM. Oratio

Liberi ad Nymphas, vt cuncta ſiti exhauſta ſiccarent. numina autem ſunt fluuiorum Nymphæ, à fontibus enim originem ducunt. vnde Virg. *laurentes Nymphæ genus amnibus vnde eſt.* ET NOSTRI PARS MAGNA GREGIS. Noſtri comitatus maxima portio. RIVOS. id eſt vis tanta ſit ſiccitatis, vt riuorũ aluei puluere impleantur. NEMEES. Paludis nomen vnde erant Argiui, ex qua & campum ſignificat, quo aduentat exercitus Argiuus. EX ALTO FVGAT LIQVOR. penitus imperat vt humor ex alto in profundum diſcedat. ADHVC SVMMO. quia medio cæli ſpatio violentior terris ſolis ardor infunditur, per quem vnda ſiccatur. vt Virg. *& medium ſol igneus orbem. a. u. h. e. c. ſ.* Et ſenſus hic eſt. Ceſſet veſtra voluntas niſi ſummo limite indulgent aſtra vim cœptis. MEAE ERIGONES SPVMAT CANIS. id eſt, quam ego vindicaui, id eſt, Erigone: ſingulis enim menſibus aliorum ſyderum ortus ingreditur. canicularem ergo dicit ſtellam, quæ ideo inter ſidera recepta eſt, quia ſeruauit cadauer Learci interempti: aut quia ipſa Erigone nunciauit interitum domini. & bene ait, *meaque*, propter Icarum patrem. hodieque enim ſacra Liberi dantur in honorem Erigones. Virg. *oſcilla ex alto ſuſpendunt mollia pinu.* LICENTER CORNIPEDVM. Licenter facientium Panum: nam Fauni ſolent Nymphas ad vſum libidinis rapere. etiam Faunos ſumpto vino in Venerem conſtat eſſe petulantes. Conſtat etiam Liberum, & Apollinem eſſe, & Solem. ideo iuuenes omnes imberbes, quia ignis non ſeneſcit. VIRIDISQVE COMIS. Ad imitationem radiorum qui luce ſua funduntur. quia ergo aut ipſe Liber à ſe cœpit ardorem, aut velociter quod petierat impetrauit, vt virides vuæ ſitu caloris horreſcerent.

Protinus Inachios haurit ſitis arida campos.
Diffugere vndæ. ſqualent fontéſque, lacúſque,
Et caua feruenti dureſcunt flumina limo,
Aegra ſolo macies tenerique ab origine culmi
Inclinata ſeges. deceptum margine ripæ
Stat pecus, atque amnes quærunt armenta natatos.
Sic vbi ſe magnus refluus ſuppreſsit in antra
Nilus, & Eoæ liquentia pabula brumæ
Ore premit, fumant deſertæ gurgite valles,
Et patris vndoſi ſonitus expectat hiulca
Aegyptos, donec Phariis alimenta rogatus
Donet agris, magnúmque inducat meſsibus annum.
Aret Lerna nocens, aret Lyrcæus, & ingens
Inachus, aduoluenſque natantia ſaxa Charadrus.
Et nunquam in ripis audax Eraſinus, & æquus
Fluctibus Aſterion. ille alta per auia ſuetus
Audiri, & longè paſtorum rumpere ſomnos.
Vna tamen tacitas (ſed iuſſu numinis) vndas
Hæc quoque ſecreta nutrit Langia ſub vmbra.
Nondum illi raptus dederat lachrymabile nomen
Archemorus, nec fama deæ. tamen auia ſeruat
Et nemus, & fluuium. manet ingens gloria Nympham,

Cùm triſtem Hypſipylen ducibus ſudatus Achæis
Ludus, & atra ſacrum recolit trieteris Ophelten.

PROTINVS INACHIOS. Græcus exercitus iam deſcribitur. *Inachius* autem *campus* Argiuus. vt, *Iuno Inachiis ſeſe referebat ab Argis.* AEGRA SOLO MACIES. *Aegra* quaſi macilenta. vt Virg. *& victum ſeges ægra.* SIC VBI SE MAGNIS. Ouid. libro primo.

Sic vbi deſeruit madidos ſeptemfluus agros,
Nilus, & antiquo ſua flumina reddit alueo,
Aetheréque recens exarſit ſidere limus
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inueniunt, & in his quædam modo cœpta per ipſum,
Naſcendi ſpatium, quædam imperfecta, ſuiſque
Trunca vident humeris.

BRVMAE. illo tempore quo bruma apud Aegyptum eſſe creditur. Et ABORE LIQVENTIA. Aegypti liquore naſcentia. ergo hoc tacit Nilus, quod apud alias gentes bruma, id eſt, imbres. vt Lucan. *atque hyemes afferre ſuas.* HIVLCA AEGYPTOS. Calore fiſſa. vt Virg. *aut vbi hiulca ſiti findit canis æſtifer arua.* MAGNVMQVE INDVCAT MESSIBVS ANNVM. Lucan. *effuſis magnum Libyæ tulit imbribus annum.* AVDAX ERASINVS. qui ripis ſuis ſe contineri non patitur, & iccirco dixit audacem. id eſt, grauiter ſonantem. ASTERION. Eraſino contrarius fluuius. nam cum ſit illæ populator arborum, hic eſt fructibus æquus: & hæc flumina in Nemea ſilua ſunt omnia. IVSSV NVMINIS. ipſius Liberi. bona vero œconomia. nam ſi ei Langia defeciſſet periſſent Argiui, & non eſſet bellum quod fataliter debebatur. LANGIA. fons eſt qui poſtea vocatus eſt Archemorus, & huic conſecratus eſt fons & Nympha, cuius famam poſtea Argiui accepto beneficio extulerunt, quia non perdiderat aquam. iuxta hunc fontem agon celebratur in honorem Archemori conſecratus, & in Nymphæ beneficium. Archemorus eſt Lycurgi filius Græci, quem Hypſipyle acceperat nutriendum, quæ dum ſitientibus Græcis fontem demonſtrat Langiam, regium puerũ ictu ſerpentis amiſit. Is eſt puer Opheltes, qui poſt Archemorus eſt dictus; nomen enim lachrymabile ſignificat Archemorus, ἀπὸ ΘCAPXNCINCωgλC * eo quod primus occiſus eſt. NOMEN. fama vel gloria. Hyſipyle Lemnias fuit. quodam tempore dum Lemniadum viri in Thracia pugnantes triennio tenerentur; indignatæ deſiderio fœminæ necem aduerſus omnes coniurauerunt, vt omnes perimerent, inter quas ſola Hypſipyle Thoanti patri pepercit. Ex quo armauit cæterarum in ſe furorem; quæ dum fugeret capta ad Lycurgum regem Græciæ ducta eſt, in cuius ſeruitio cum filium Opheltem nutriret, puer dracone periit, qua orbitate rex iratus cum in Hypſipylen ius dominii exercere vellet, eamque filio inferias mittere, à Græcis prohibitus eſt. Quibus ſitientibus fontem demonſtrauit. Græcis vero poſtea reſponſum eſt, non prius eos ad Thebas peruenire, niſi placaſſent manes Archemori, pro qua re illi ludos funebres conſtituerunt, de quibus ipſe poeta plenius loquitur.

Ergo, nec ardentes clypeos vectare, nec arctos
Thoracum nexus (tantum ſitis horrida torquet)
Sufficiunt. non ora modo, anguſtiſque peruſti
Faucibus, interior ſed vis quatit aſpera pulſu
Corda, gelant venæ, & ſiccis cruor æger adhæret
Viſceribus. tunc ſole putris, tunc puluere tellus
Exhalat calidam nubem. non ſpumeus imber
Manat equûm. ſiccis illidunt ora lupatis.

Ora cathenatas procul exertantia linguas,
Nec legem dominúmue pati: ſed perfurit aruis
Flammatum pecus.. huc illuc impellit Adraſtus
Exploratores. ſi ſtagna Licinia reſtent,
Si quis Amymones ſupereſt liquor. omnia cæcis
Ignibus hauſta ſedent. nec ſpes humentis Olympi.
Ceu flauam Libyen, deſertáque pulueris Afri
Colluſtrent, nulláque vmbratam nube Syenen.
Tandem inter ſyluas (ſic Euius ipſe parabat)
Errantes, ſubitam pulchro in mœrore tuentur
Hypſipylen. illi quamuis & ab vbere Opheltes
Non ſuus, Inachíj proles infauſta Lycurgi
Dependet, neglecta comam, nec diues amictu,
Regales tamen ore notæ, nec merſus acerbis
Extat honos. tunc hæc (adeò ſtupefactus) Adraſtus.

ERGO NEC ARDENTES CLYPEOS PORTARE NEC ARCTOS THORACVM NEXVS. Quia arcti & anguſti efficiebantur per anhelitum hominum. nam anhelitu ſolet corpus intumeſcere. CATHENATAS. frenatas. AMIMONES. ab Amimone Danai filia nuncupatus fons. CAECIS. latentibus, quia ignorabantur. SEDENT. quaque inceditur & deprimitur. FLAVAM LIBYEN. Iupiter Epaphum, qui hoc petiuerat, in Agyptum oppida communire, ibique regnare iuſſit. Oppidum Memphin & alia plura conſtituit, & ex Caſſiopa vxore ſuſcepit filiam Libyen, quæ poſtea in Africa regnum poſſedit. cuius nomine terra Libyes eſt appellata. SYENEN. Ciuitas quæ Aethiopiam ab Aegypto diuidit: quia ibi nunquam pluit, ideo nulla nube vmbratam dicit. SVBITAM PVLCHRO IN MOERORE. cum ſeptem duces Thebas oppugnatum veniſſent, & aquam quærerent, Adraſtus deuenit ad Hypſipilen Thoantis filiam, cuius alumnus Archemorus periit, & ludos funebres inſtituerunt, quibus ludis Hypſipyle duos filios ex Iaſone excepit, qui & ipſi matrem quærentes currendo vicerunt, quorum nomina præco cum pronunciaſſet Iaſonis & Hypſipyles filios eſſe, mater eos agnouit, qui à rege impetrarunt, vt matrem recuperatam Lemnũ reuocarent. PROLES INFAVSTA LYCVRGI. Lycurgi duo fuerunt, Thracius & Nemeus, de quo loquitur poeta. Ille in mari præcipitatus dicitur, quia primum aquis vina permiſcuit & rem in hauſtu ſinceram pluribus venenis infecit. INFAVSTA. ideo dicit, quia peritura.

Diua potens nemorum, nam te vultúſque, pudórque
Mortali de ſtirpe negant, quæ læta ſub iſto
Igne poli non quæris aquas, ſuccurre propinquis
Gentibus: Arcitenens ſeu te Latonia caſto
De grege tranſmiſit thalamis, ſeu lapſus ab aſtris
Non humilis fœcundat amor, neque enim ipſe deorum
Arbiter. Argolidum thalamis nouus; aſpice mœſta

Agmina, nos ferro meritas excindere Thebas
Mens tulit. imbelli ſed nunc ſitis anxia fato,
Submittitque animos, & inertia corpora carpit.
Da feſſis in rebus opem, ſeu turbidus amnis,
Seu tibi fœda palus. nihil hac in ſorte pudendum,
Nil humile eſt. Tu nunc ventis, pluuióque rogaris
Pro Ioue, tu refugas vires. & pectora bello
Exanimata reple. ſic hoc tibi ſydere dextro
Creſcat onus. tantum reduces det flectere greſſus
Iuppiter, O quanta belli donabere præda!
Direæos tibi diua greges, numerúmque rependam
Plebis, & hic magna lucus ſignabitur ara.

SEV TE LATONIA CASTO. Sive te, inquit, Diana de grege ſuo vxorem dedit alicui, ſiue te deus aliquis ſuo amore dignatus eſt. nam poſſe hoc fieri Iouis docemur exemplis, qui multas Græciæ fœminas amauit. TRANSMISIT THALAMIS. Hoc eſt in matrimoniũ collocauit, hoc ideo quia videt illã infantem ferre. NON HVMILIS FOECVNDAT AMOR. id eſt, a numine compreſſa peperiſti. *non humilis*, quia non patitur iniuriam numen ſi tecum, id eſt, cum argius concumbat. ARBITER ARGOLICVM THALAMIS NOVVS. quaſi qui conſueuit cum argolicis matribus ſæpe concumbere, an quia Inachi Argiui filiam amauit, & Danaen. Item Acriſi Argiui filiam. ergo veriſimile eſt & hanc Iouis paruiſſe complexibus, quia Iupiter frequenter eſt Argiuarum concubitu delectatus. CARPIT. conſumit. vt *carpit. enim vires paulatim vritque videndo fœmina.* SEV TIBI FAEDA PALVS. Cœnoſa ſordibus. vnde Lucan. *moriensque recepit quas nollet victurus aquas.* NVMERVMQVE REPENDAM. ideſt omnis te plebs venerabitur, vt pro numero exercitus de Thebanis gregibus tot tibi victimas immollemus: perſeuerat in opinione quam cœpit, vt tot hoſtias de grege Thebano numeret, quantus fuerat plebis numerus nominatus.

Dixit, & orantis media inter anhelitus ardens
Verba rapit, curſúque animæ labat arida lingua.
Idem omnes pallórque viros, flatúſque ſoluti
Oris habet. reddit demiſſo Lemnia vultu.
Diua quidem vobis, & ſi cœleſtis origo eſt,
Vnde ego? mortales vtinam haud tranſgreſſa fuiſſem
Luctibus. altricem mandati cernitis orbam
Pignoris, at noſtris an quis ſinus, vberáque vlla
Scit deus. & nobis regnum tamen, & pater ingens.
Sed quid ego hæc? feſſóſque optatis demoror vndis?
Mecum age nunc: ſi forte vado Langia perennes
Seruat aquas. ſolet & rapidi ſub limine cancri
Semper, & Icarij quamuis iuba fulguret aſtri,
Ire tamen. ſimul hærentem, ne tarda Pelaſgis

Dux foret. ha miſerum vicino ceſpite alumnum
(Sic Parcæ voluere) locat, ponitque negantem
Floribus aggeſtis, & amico murmure dulces
Solatur lachrymas. Qualis Berecyntia mater,
Dum circa paruum iubet exultare Tonantem
Curetas trepidos. illi certantia plaudunt
Orgia, ſed magnis reſonat vagitibus Ide.
At puer in gremio vernæ telluris, & alto
Gramine, nunc faciles ſternit procurſibus herbas
In vultum nitens, caram modò lactis egeno
Nutricem clangore ciens, iterumque renidens,
Et teneris meditans verba illuctantia labris,
Miratur nemorum ſtrepitus, aut obuia carpit,
Aut patulo trahit ore diem, nemoriſque malorum
Inſcius, & vitæ multum ſecurus, inerrat.
Sic tener Odryſia Mauors niue, ſic puer Ales
Vertice Mænalio, talis per littora reptans
Improbus Ortygiæ latus inclinabat Apollo.

Mediam inter anhelitus. inter media verba rapit. An melius ſic; media verba interrumpit. Curſu animae. Spiritus vitæ flatuſque ſoluti. Patuli. ad auras capiendas. Egent enim humore vitali, ideo aerem expetunt. Etsi caelestis origo est. Nam pater eius Thoas Liberi patris filius fuiſſe dicitur: ergo iſta neptis Liberi fuit. Orbam. hæc cum Iaſone in Lemno aliquando concubuit, ex quo eſt enixa geminos, quorum alter Thoas, alter Euneus dictus eſt, quos fugiens reliquit in Lemno. & quia viuerent orbam pignoris ſe eſſe confeſſa eſt. An qvis sinvs. ideſt ſi meis filiis adhuc eſſem nutrix. Demoror vndis. Voluit dicere de ſuis liberis, ſed pudore reuocata noluit eum pandere, quod videbatur ſine pudore fuiſſe: aut in media oratione conticuit, cum illi magis deſiderio audiendi ſuccenderentur. Icarii astri. Canem Syrium dicit. Qui cum Erigone patris eius corpus oſtẽdit, in ſiderum numerum Liberi beneficio collocatus eſt. Alvmnvm. Archemorum Lycurgi filium, quẽ draco interemit, cui proprium nomen eſt Opheltes, Ponitqve negantem. Ordo eſt. Lachrymas poni negant murmure conſolatur & floribus. poni autem abuti ſignificat. *& ponit negantem*. id eſt inuitũ & recuſantem. Expreſſit enim morem infantiæ, quia nolunt a nutricibus ſeparari. Cvretas trepidos. aut ad naturam retulit Curetum, quod ſint celeres ac feroces, aut trepidos metu Saturni intelligamus: vel quaſi iam deum formidantes Iouem. Plavdvnt orgia. ad certationem plaudunt, hoc eſt feriunt *orgia* ideſt tympana. Magnis resonat vagitibvs Ide. poſtquam Ops Iouem ex Saturno peperit, commendaſſe dicitur in Ida monte ne a Saturno interiret, propter excluſionem regni, quod Protheus edixerat. itaque cum Opẽ rogaſſet vbi eſſet quod pepererat, illa lapidem ei inuolutum veſte monſtrauit, quem Saturnus vorauit. Amalthea nutrix ne vagitus pueri audiretur, Corybantes poſuit. Quia *Curetes* Latine *lares familiares* appellantur. Nitens. pronus reptas. Renidens. labra contrahens. Verba illvctantia labris. Quia infanti quaſi quoddam eſt inter verba & labra certamen, nã dum conatur verba proferre, impeditur a labris immaturis. Ortygiae. Iupiter cum Aſterien Titani filiam amaret, & illa eum contem-

neret, in auem Ortygiã conuerſa eſt, quam nos coturnicem dicimus, eamque in mare deiecit. vnde inſula Ortygia eſt dicta. poſtea ibi Latona enixa eſt Apollinem & Dianam, quibus natis inſula Delos eſt nominata. INCLINABAT. ſuo ſcilicet pondere.

Illi per dumos & opaca virentibus vmbris
Deuia: pars cingunt, pars arcta plebe ſequuntur,
Præcelerantq́ue ducem. medium ſubit illa per agmen
Non humili feſtina modo. iamque amne propinquo
Rauca ſonat vallis, ſaxoſumq́ue impulit aures
Murmur. ibi exultans conclamat ab agmine, primus
Sicut erat leuibus tollens vexilla maniplis
Argus, Aquæ, longúſque virum ſuper ora cucurrit
Clamor, Aquæ. ſic Ambraciꝗ per littora ponti
Nauticus in remis iuuenum monſtrante magiſtro
Fit ſonus, inq́ue vicem contra percuſſa reclamat
Terra, ſalutatus cùm Leucada pandit Apollo.
Incubuere vadis paſsim diſcrimine nullo
Turba ſimul, primiq́ue. nequit ſecernere mixtos
Aequa ſitis. frenata ſuis in curribus intrant
Armenta, & pleni dominis, armiſque feruntur
Quadrupedes. hos turbo rapax, hos lubrica fallunt
Saxa, nec implicitos fluuio reuerentia reges
Proterere, aut merſiſſe vado clamantis amici
Ora. fremunt vndæ, longúſque à fontibus amnis
Diripitur. modo lene virens, & gurgite puro
Perſpicuus, nunc ſordet aquis egeſtus ab imo
Alueus. inde toros riparum, & proruta turbant
Gramina. iam craſſus cœnóque & puluere torrens,
Quamquam expleta ſitis, bibitur tamen. agmina bello
Decertare putes, iuſtúmque in gurgite Martem
Perfurere, aut captam tolli victoribus vrbem.

ARGVS AQVAE. Hic vexillum portabat, & vt erat in armis poſitus exclamauit aquæ ſunt hic. cui tota multitudo reſpondet exercitus *aquæ*. vt Virg: *Italiam Italiam primus conclamat Achates, Italiam læto ſocij clamore ſalutant.* SIC AMBRACII PONTI. Ciuitas Epyri, de qua mare nomen accepit. Lucan, *Oraque malignos Ambraciæ portus.* LEVCADA PANDIT APOLLO. Hoc eſt facit videri montem ipſum. *Leucada*, promontoriũ Epyrotici maris. AEQVA SITIS. vt omnibus æqua ſitis fuerat, ita omnibus æquam fecerat dignitatem. IN CVRRIBVS. Pro cum curribus implicitu vt biberent. DIRIPITVR. populatur, bibentibus ſiccantur tori riparum.

Atque aliquis regum medio circunfluus amni,
Syluarum Nemea longè regina virentum
Lecta Ioui ſedes, quàm nunc, non Herculis actis
Dura magis, rabidi cum colla minantia monſtri
Angeret, & tumidos animam anguſtaret in artus,
Hac ſæuiſſe tenus populorum incepta tuorum
Sufficiat: túque ô cunctis inſuete domari
Solibus, æternæ largitor corniger vndæ,
Lætus eas. quacunque domo gelida ora reſoluis
Immortale tumens. neque enim tibi cana reportat
Bruma niues, raptáſque alio de fonte refundit
Arcus aquas, grauidiue indulgent nubila Cori:
Sed tuus, & nulli ruis expugnabilis aſtro.
Te nec Apollineus Ladon, nec Xanthus vterque,
Sperchiúſque minax, centaureúſque Lycormas
Præſtiterint: tu pace mihi, tu nube ſub ipſa
Armorum, feſtáſque ſuper celebrabere menſas,
Ab Ioue primus honos. bellis modo lætus ouantes
Accipias: feſſíſque libens iterum hoſpita pandas
Flumina, defenſáſque velis agnoſcere turmas.

Silvarvm nemea longe. Poeta memor ſui laudat Nemeam ſiluam quæ inter Thebas & Argos eſt, quod in ea Iupiter colitur, cuius ſacerdos erat Lycurgus rex, pater Archemori. Cana reportat. flumina enim quæ ex niuibus vel imbribus ſunt vires poſſunt ſiccari: vel hoc intelligendum, non interim effunduntur niuentium verticibus montium, cum Solis calore liquantur. Apollinevs ladon. ſiue quod lauros habenta circa ripas ſuas, quæ in tutela ſunt ipſius, propter Daphnen, cuius hic fluuius pater eſt. Xanthvs vterqve. quia Lyciæ & Troiæ eſt. Sperchivs. Theſſaliæ fluuius Centauris vicinus. Lycormas. Thebanus fluuius, quem *Centaureum* dixit, quod in eo Herculis ſagittis Centaurus Neſſus fit interemptus. vt Lucan. *Et Meleagream maculatus ſanguine Neſſi.* Centaureum ideo, quia hunc Neſſus Centaurus cuſtodiebat. Herculis vero fabula omnibus eſt notiſſima. A Iove primvs honos. poſt Iouem tu ſecundus, inuocabere. ſic Horat. *tu ſecundo Cæſare regnes.*

EXPLICIT
Thebaidos liber qvartvs.

ARGVM.

ARGVMENTVM
LIBRI QVINTI
THEBAIDOS.

POſtquam pulſa ſitis releuataque membra fluentis,
Inachides iuuenes, ante omnes mitis Adraſtus,
Hyſipyles cœlum, gentem, patriámque requirit.
Ingemit illa quidem, & tádem vix mœſta profatur:
Lemnos erat patria, princeps mihi ſanguinis Euan,
Hic Veneris rabie ætas cuncta perempta virorum eſt.
Aſt ego ſola meum carum miſerata parentem
Committo incolumem ventis. mox ipſa per vndas
Exceſſi geminam linquens de Iaſone prolem.
Hæc fata, Archemorum ſacro ſerpente peremptum
Conſpicit Eurydice, genitrix miſeranda querelis
Intonat, & placat Graiorum turba Lycurgum.

INTERPRETATIO.

DEſcriptio alacris exercitus. allocutio Adraſti ad Hyſipylen petentis vt ſibi narret quo eſſet genere procreata, vel quemadmodum nunc ſeruiat. Illius reſponſio quemadmodum coniurauerint Lemniades mulieres ira Veneris, hortante Polixone, vt omnẽ virilem necarent ſexum, & quomodo ipſa Thoanti pepercerit patri, eumque præuio Libero patre, cuius filius erat, impoſuerit naui, & ipſa acceperit regnum. aduentum Argonautarum & eorum labor tam contra tempeſtatem, quam contra Lemniadas, quæ eos bellis laceſſebant. pacis petitio ab Iaſone. quomodo ſuſcepti ſint hoſpitio Argonautæ, & in conſortium etiam cubilis admiſſi. quomodo ipſa à Iaſone decepta, vt eius matrimonio conſentiret. Argonautarum diſceſſio. fama quod viueret Thoas. fuga Hypſipyles & captiuitas, & venditio Lycurgo facta. pueri Archemori deſcriptio, draconis, & Erigones. Executio occidentis Archemorum. ipſius draconis à Capaneo interitus. planctus Hypſipyles ſupra Archemori cadauer. Lycurgi aduentus volentis occidere Hypſipylen. defenſio Argiuorum. iniurioſa militis indignatio circa Lycurgum pro Hypſipyle. interuentus filiorum Hypſipyles de Iaſone ſuſceptorum. Amphiarai allocutio ſuadentis vt conſecretur Archemorus.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER QVINTVS Incipit.

PVLSA ſitis fluuio, populataq́. gurgitis aluum
Agmina, linquebant ripas, amnémq. minorem.
Acrior & campum ſonipes rapit, & pedes arua
Implet ouans. rediere viris animiq́ue, minæq́ue,
Votáque, ſanguineis mixtum ſeu fontibus ignem
Hauſiſſent belli, magnáſque in prælia mentes:
Diſpoſiti in turmas rurſus, legemque ſeueri
Ordinis, vt cuique ante locus ductórq. monentur
Inſtaurare vias. tellus iam puluere primo
Creſcit, & armorum tranſmittunt fulgura ſyluæ.

PLACIDI LACTANTII INTERPRETATIO.

PVLSA SITIS FLVVIO POPVLATAQVE GVRGITIS ALVVM. Hunc librum Poeta extra ordinem carminis fecit, exceſsit enim oeconomiam ſuam. poſtquam ductu Hypſipyles Argiuus exercitus, ſitis ardore ſuccenſus, vires liquore & hauſtu recuperauit, rurſus ordinatur ad bellum. In quo libro ludi funebres ſanciuntur Archemoro, qui primus in hoc bello, vt Protheſilaus in Iliaco, expertus eſt mortem. POPVLATA. agentis hic eſt, non patientis AMNEMQVE MINOREM. quem per potum minorem fecit exercitus. ANIMIQVE. quia vacuantur cum exuuntur, & vbi corpus muniunt implentur. vt Lucan. *ſic gurgite puro vita redit.* HAVSISSENT BELLI. vota quæ ante ſuſceperat pro aqua inueniẽda. LEGEMQVE SEVERI. quam confundi militaris prohibet diſciplina. MONETVR. ideſt vnuſquiſque poſt potum locum ſuum & dignitatem recipit. CRESCIT. quia dum erigitur puluis creſcit terra in altitudinem.

Qualia trans pontum Phariis defenſa ſerenis
Rauca Paretonio decedunt agmina Nilo,
Cùm fera ponit hyems. illæ clangore fugaci
Vmbra fretis, aruíſque volant. ſonat auius æther.
Iam Borean imbréſque pati, iam nare ſolutis
Amnibus, & nudo iuuat æſtiuare ſub AEmo.
Hic rurſus ſimili procerum vallante corona
Dux Talaionides, antiqua vt forte ſub orno
Stabat, & admoti nixus Polynicis in haſtam:
At tamen ô quæcunque es ait, cui gloria tanta
Venimus innumeræ fatum debere cohortes:
Quem non ipſe deum ſator aſſernetur honorem,
Dic age (quando tuis alacres aſsiſtimus vndis)
Quæ domus, aut tellus, animam quibus hauſeris aſtris?
Dic quis & ille pater? neque enim tibi numina longè:
Tranſierit fortuna licet, maiórque per ora
Sanguis, & afflicto ſpirat reuerentia vultu.

PHARIIS. AEgyptiis. *Pharos* enim ciuitas eſt AEgypti. RAVCA PARETRONIO. lætitiæ congrua comparatio. ſic Argiui poſt ſitim læti & alacres erant, vt redeuntes grues ex AEgypto in Thraciam quando fugiunt. notum quod Aegyptus calorē aeris tēpore auget æſtatis. CVM FERA PONIT HYEMS. deſinit, vt Virg. *cum venti poſuere.* VMBRA FRETIS ARVISQVE VOLANT. vt ſint vmbræ fretis & aruis. Quaſi ipſæ grues vmbra fretis ſint, volens multitudinem deſignare. omne qua præteruolant ſpacium pennarum denſitate inumbrantes. AVIVS AETHER. hominibus ſcilicet. NVDO. ſine honore ſiluarum, & bene *nudo*, veſtiuntur enim arboribus. vt Salluſt. *veſtitus oleaſtro, ac myrtetis, aliisque generibus arborum.* HAEMVS. mons Thraciæ. DVX THALAIONIDES. Adraſtus Talai & Eurynomes filius. CVI GLORIA TANTA. quaſi ad gloriam Hypſipyles pertinet, quia saluti ſit reſtitutus exercitus. DEBERE COHORTES. ſenſus: quia noſtram vitam tibi dedimus. vt pro ſalute, quā tot cohortibus dederat, eoſdem habeat debitores. QVANDO. pro quoniā. Virg. *quando hac te cura remordet.* QVAE DOMVS. cuius regionis eſſet, aut vnde originem duceret. ET ILLE PATER. emphaſis eſt. vt. *qui te talem genuere parentes.* TRANSIERIT FORTVNA LICET. id eſt, quamuis a te fortuna emigrarit. fortunā autem dixit felicitatē.

Ingemit, & paulum fletu cunctata modeſto
Lemnias orſa refert. Immania vulnera rector
Integrare iubes. furias, & Lemnon, & arctis
Arma inſerta toris, debellatóſque pudendo
Enſe mares. redit ecce nefas, & frigida cordi
Eumenis. ô miſeræ quibus hic furor additus! ô nox!
O pater! illa ego ſum (pudeat ne fortè benignæ
Hoſpitis) illa duces, raptum quæ ſola parentem

Occului. quid longa malis exordia necto?
Et vos arma vocant, magnique in corde paratus.
Hoc memoraſſe ſat eſt, claro generata Thoante
Seruitium Hypſipyle veſtri fero capta Lycurgi.
Aduertere animos, maiórque, & honora videri
Parque operi tanto. cunctis tunc noſcere caſus
Ortus amor. pater ante alios hortatur Adraſtus.
Imo agedum (primi longè damus agmina vulgi
Nec facilis Nemeæ latas euoluere vires
Quippe obtenta comis, & ineluctabilis vmbra)
Pande nefas. laudeſque tuas. gemitúſque tuorum
Vnde hos aduenias regno deiecta labores.
Dulce loqui miſeris, vetereſque reducere queſtus,

LEMNIAS ORSA. Lemniades cum diis omnibus decimas frugum ſingulis annis ſoluerent, ſolam Venerem eſſe prætermittendam duxerunt. Quæ irata his odoré in miſit hircinum, quas mariti execrantes deſerta Lemno odio coniugum Thracas petiuerunt. eorumque ſibi filias aſciuere coniugio. Quod vbi Lemniadibus compertum eſt, ſtimulante Venere in omne genus virile coniurant, remeanteſque ex Thracia viros omnes peremerunt: inter quas Hypſipyle patri Thoanti ſola ſubuenit, vt non ſolum parceret, verum etiam fugientem perſequeretur ad littus. Tunc Thoanti Liber occurrit, eumque in inſulam Chion proſpera nauigatione perduxit. Lemnon Argonautæ peruenerunt, quos Lẽniades ſuſcipientes hoſpitio, cum his concubuerunt. Hypſipyle ex Iaſone duos filios procreauit, Oeneum & Thoantem. Cum pluribus diebus detenti eſſent ab Hercule obiurgati diſceſſerunt. Lemniades autem poſtquam intellexerant Hypſipylen patrem ſuũ ſeruaſſe, in terficere illam conatæ ſunt. Illa dum fugit a prædonibus capta, Nemeam deportata eſt, & Lycurgo regionis eius regi in ſeruitutem diſtracta. INTEGRARE. implere vel renouare: vt Virg. *miſerabile carmen integrat*. INSERTA. inducta vt Virg. *Clypeoq. ſiniſtrã inſertabã aptans*. ita inquit fuimus furore mutatæ, vt noſtro fœdere ſexus omnis virilis occumberet. FVROR ADDITVS. bene *additus*: cum libido iam eſſet in furia, vel quaſi naturalem haberent furorem. ILLA EGO SVM PVDEAT NE. ſenſus eſt. nec vos pudeat quod me benignam fortuna fecerit non voluntas. hoſpitem autem ſe dixit. id eſt ego illa ſum quæ non fortuna ſuadente bene feci, ſed ſponte occului patrem. Ordo. illa quæ raptum ſola parentem occului, ne ſe tanquã parricidã audientes horrerent. PARQVE OPERI TANTO. beneficio, quæ tantum merito ſeruaret exercitum. Lucan. *Tu nomina tanto inuenies operi*. NEC FACILIS NEMEAE. Explicare tantam multitudinem. id eſt, anguſta via eſt, per quam omnes tranſire non poſſumus: ergo dum mora eſt in tranſitu narrandi ſpacium habes.

Incipit. Ægæo premitur circunflua Nereo
Lemnos, vbi ignifera feſſus reſpirat ab Aetna
Mulciber. ingenti tellurem proximus vmbra
Veſtit Athos, nemorúmque obſcurat imagine pontum.
Thraces arant contra, Thracum fatalia nobis
Littora, & inde nefas. florebat diues alumnis

Terra, nec illa Samo fama, Delóue ſonanti
Peior, & innumeris quas ſpumifer aſſilit Aegon.
Dis viſum turbare domos. nec pectora culpa
Noſtra vacant. nullos Veneri ſacrauimus ignes,
Nulla Deæ ſedes. mouet & cœleſtia quondam.
Corda dolor, lentóque irrepunt agmine pœnæ.
Illa Paphon veterem, centúmque altaria linquens
Nec vultu, nec crine prior, ſolueſſe iugalem
Ceston, & Idalias procul ablegaſſe volucres
Fertur. erant certè media quæ noctis in vmbra
Diuam alios ignes, maioráque tela gerentem,
Tartareas inter thalamis volitaſſe ſorores
Vulgarent. vtque implicitis arcana domorum
Anguibus, & ſæua formidine cuncta repleuit
Limina, nec fidi populum miſerata mariti,
Protinus à Lemno teneri fugiſtis amores,
Motus Hymen, verſæque faces, & frigida iuſti
Cura tori, nullæ redeunt in gaudia noctes,
Nullus in amplexu ſopor eſt. odia aſpera vbique,
Et furor, & medio recubat diſcordia lecto.
Cura viris tumidos aduerſa Thracas in ora
Eruere, & ſæuam bellando frangere gentem.
Cumque domus contra, ſtantéſque in littore nati,
Dulcius Aedonias hyemes, Arctónque frementem
Excipere, aut tandem tacita poſt prælia nocte
Fractorum ſubitas torrentum audire ruinas.
Illæ autem triſtes (nam me tunc libera curis
Virginitas, annique tegunt) ſub nocte, diéque
Aſſiduis ægrè lachrymis, ſolantia miſcent,
Colloquia, aut ſæuam ſpectant trans æquora Thracem.

Thracvm fatalia nobis. id eſt, vicinitas Thraciæ in nos ſuum tranſtulit nefas. nam quemadmodum Procne filium necauit, ita & nos in Lemno maritos peremimus: vel quia exemplum de cæde maritorum petitum eſt à crudelitate Tydei, qui fuit ex Thracia. Spvmifer assilit aegon. mare Aegeum, quod inſulas plurimas habet, dictum ab Aegeo patre Theſei: & eleganter inſulam inſulis comparauit. Assilit. inſulas. id eſt, circunfluit. Nvlla deae sedes. quia adulterium Veneris in honorem Vulcani damnauerant, inde nulla Veneris ſedes in Lemno eſt. Vnde iratum numen odorem fœminis hircinum immiſit, ob quam cauſam horruiſſe viri dicuntur vxores. Igitur pergentes ad Thraciam eorum filias ſortiti ſunt, quo dolore commotæ Lemniades reuerſos viros

vniuerſos peremerunt. Sed hanc veritaté poeta declinauit. Alii dicunt téplum Veneris fuiſſe in Lemno, Græcorũ opinione celebratum. Diuerſa eſt odii cauſa. nã hoc alii aſſerũt quod adulterium eius in hac inſula videtur eſſe detectum. vt ipſa Venus. *hoc mihi Lemniaca de te meruere catenæ:* ideo etiam illas ineptas filias Solis acriter proſecuta eſt.

QVONDAM. interdum. vt *quondam etiam victis redit in præcordia virtus.* LENTO AGMINE. inceſſu & impetu. id eſt, tarde veniunt pœnæ. vt Horat. *Raro antecedentem ſcelestum deſeruit pede pœna claudo.* PRIOR SOLVISSE IVGALEM CESTON. id eſt, ſui diſſimilis omnibus deliciarum ſignis amotis, quoniam ira molles proiicit habitus. *Ceston* eſt vinculum ornamenti, quo circundatur Venus, omnibus illecebris nuptiarumque cupiditatibus elaboratum. quo matrimonia dicitur alligare. Declinatur autem hæc *Ceſtos.* vt *Lemnos, Delos.* ſpecialiter tamen zonam Veneris debemus accipere, quæ non rutilo auro gemmiſque ſit, ſed pelle, vt probentur corporeæ voluptates. Ceſton autem dicitur, quod copulæ & matrimonio vis ſit, quia adeo quæ adulterio perpetrantur inceſta dicuntur, quaſi quod non vinctum fuerit ſit inceſtum. ABLEGASSE VOLVCRES IDALIAS. id eſt, Columbas. Epitheton de numinis ſede, quod ſint Veneri conſecratæ. IGNIS. habet enim Venus ignes nunc cupiditatis nunc odii, ſecundum fidem ſacrorũ, vel precationũ Veneris verticordiæ præcipue, quæ rogatur vt amores initiat, rurſum vt auferat. Si enim poteſtas eſt dandi, nihilominus ius eſt tollendi. & amore ſublato, aut naturaliter odium reſidet, aut immittitur. vt Virg. *Quæ mihi reddat eum vel eo me ſoluat amantem.* TARTAREAS. ſunt qui dicerent Venerem ſe cum furiis coniunxiſſe. Et bene philoſophi, quod obſcure hic poeta tetigit, furias amori coniunctas eſſe dixerunt, ſecundum Virgilium. *In furias ignemque ruunt.* talia enim pro amore committunt, qualia per furorem ſolent. quid eſt enim voluptas Veneris, niſi mera inſania? ideo Venus ignis dicitur: ideo Vulcani & Martis cõiunx .i. ignis & furoris. Idcirco furiæ ignis facibus diſtinguntur armatæ. NEC POPVLVM FIDI MISERATA MARITI. ideo fidi, quia poſt adulterium dilexit vxorem. dixerat enim ſupra. *vbi ignifera feſſus reſpirat ab Aetna,* dicuntur ſpiramina ignis in hac inſula eſſe, quæ cõſtat afflari ſemper. ANIMIQVE TEGVNT. defendunt, id eſt, ſeparant à tali conſilio: ſiue *tegunt,* à curis defendunt. vt Virg. *hunc tegere, & dira valeam ſubducere pugna.*

Sol operum medius ſumma librabat Olympo
Lucentes, ceuſtaret, equos: quater axe ſereno
Intonuit, quater antra dei fumantis anhelos
Exeruere apices: ventiſque abſentibus Aegon
Motus, & ingenti percuſſit littora ponto.
Cùm ſubito horrendas æui matura Polyxo
Tollitur in furias, thalamiſque inſueta relictis
Euolat. inſano veluti Theumeſia Thyas
Rapta deo, cùm ſacra vocant, Idæáque ſuadet
Buxus, & à ſummis auditus montibus Euan:
Sic erecta genas, aciémque effuſa, trementi
Sanguine, deſertam rabidis clamoribus vrbem
Exagitat, clauſáſque domos, & limina pulſans,
Concilium vocat infelix. comitatus eunti
Hærebant nati. atque illæ non ſegnius omnes
Erumpunt tectis, ſummáſque ad Pallados arces

Impetus. huc propere ſtipamur, & ordine nullo
Congeſtæ. ſtricto mox enſe ſilentia iuſſit
Hortatrix ſcelerum, & medio ſic auſa profari eſt.

STARET EQVOS. Quia meridie curſus ſolis videtur ſtare. QVATER AXE SERENO INTONVIT. de numero tonitruum ratio eſt. nam omnis impar numerus proſpera ſignificat, & viuis adſcribitur. Id vero quod par, exit infectum: quod ergo nihil agit defunctorum eſt. vt Virg. *numero deus impare gaudet.* Et vbique mortuis geminum, hoc eſt, parem adſcribit numerum vel dualẽ. quatuor iuuencos inferis Orphei immolat, quatuor tauros inferis mactat. ideo hic quater aduerſum tonat; & nitide obſeruauit, vt ſenæ horæ eo tempore diuiderentur à ſole, vt par numerus, quia eſt viuis cõtrarius, poneretur. dicitur autem hic impar numerus à Pythagora repertus, & maſculinæ virtutis, & deorum ſuperum, propter trinam regulã diuinæ rationis. ergo huiuſmodi ſigna contigerant. vt *Quater ipſo in limine porta ſubſtitit, atque vtero ſonitum quater arma dedere.* nam occulte Virg. de numero actus equi infernam infauſtamque rem, id eſt, mortem pronunciari prædicebat. EXERVERE APICES. flammarum ſcilicet. vt *de vertice viſus Iuli fundere lumen apex.* AEGON. promontorium Lemni. id eſt, mare Aegeum. INSVETA. hoc eſt præter ſolitum tollitur in furorem. TAEVMESIA THYAS. *Thyas Theumeſia* Beotia. Theumeſus enim campus eſt iuxta Thebas, prope Citheron. Thyas eſt Baccha ἀπεyciikλachγni * INSANO DEO. inſanum Liberum dicit, qui cultores ſuos faciat inſanos. TREMENTI SANGVINE. inſtabili furore. INFOELIX COMITATVS. quia eos primum occiſura eſt, vt fidem faciat ceteris ſuadere. SVMMASQVE AD PALLADOS ARCES. oportune in templo virginis deæ in maritorum interitũ fœminæ coniurant vniuerſæ: hæc enim dea videtur damnaſſe matrimonium virginitate contenta.

Rem ſummam inſtinctu ſuperum, meritique doloris
O viduæ (firmate animos, & pellite ſexum)
Lemniades, ſancire paro. ſi tædet inanes
Aeternum ſeruare domos, turpémque iuuentæ
Flore ſitum, & longos ſteriles in luctibus annos:
Inueni, promitto, viam (nec numina deſunt)
Qua renouanda Venus. modo par inſumite robur
Luctibus, atque adeò primum hoc mihi noſcere detur,
Tertia canet hyems, cui connubialia vincla,
Aut thalamis ſecretus honos? quod coniuge pectus
Intepuit? cuius vidit Lucina labores?
Dicite. vel iuſtos cuius pulſantia menſes
Vota tument? qua pace feras, volucréſque iugari
Mos datus? heu ſegnes! potuítne vltricia Grais
Virginibus dare tela pater, lætúſque dolorum,
Sanguine ſecuros iuuenum perfundere ſomnos?
At nos vulgus iners. quod ſi propioribus actis
Eſt opus, ecce animos doceat Rhodopeia coniux

Vlta manu thalamos, paritérque epulata marito.
Nec vos immunis ſcelerum, ſecuráue cogo.
Plena mihi domus en, atque ingens cernite ſudor.
Quatuor hos vnà, decus, & ſolatia patris
In gremio (licet amplexu, lachrymiſque morentur)
Tranſadigam ferro, ſaniémque & vulnera fratrum
Miſcebo, patremque ſuper ſpirantibus addam.
Ecqua tot in cædes animum promittit? agebat
Pluribus, aduerſo nituerunt vela profundo.

Rem svmmam. Quam merito habemus in viros: Inſtinctu enim ſuperorum, non humano errore paramus iſta comittere. Ordo eſt. Rem ſummã ſancire paro. O vidvae. viduas maritatas videtur incongrue poſuiſſe, ſed ad explicandum dolorem muliebrem dixit. hoc eſt. Cum habeatis viros, illis longe à vobis pofitis, viduarum viuitis more. bene ergo viduitatis nomen appoſuit. quo vocabulo iam de coniugibus deſperarent, & vt quaſi alienos ſine affectu videantur occidere. Sexvm. non dixit ſexum pellite, id eſt, naturam mutate, quod fieri nulla poterat ratione, ſed pulſa fœminea imbecillitate, viriles ad facinus arripite animos. Aeternvm. ſic ait, quaſi ſemper deſint mariti. vt Virg. *Solane perpetua mærens carpere iuuenta.* Ivventae flore. ideo poſuit *iuuenta* ne ſpes ſit vlterius, neve malum ſit temporale. Sitvm. vetuſtatem, quæ turpis eſt in iuuene. vt Virg. *Non ego victa ſitu.* Renovanda Venvs. Venerem hic pro maritis poſuit. id eſt, vt inueniamus alios viros. Cvi connvbialia vincla. interrogatiue, hoc eſt cui veſtrum fuit honos thalami ſecretus. Cvi conivge pectvs intepvit. cuius pectus intepuit blandientis mariti complexu. Lvcina labores. ab inutilibus maritis argumentatur, & docet quid habeant vtilitatis ſi voluerint mutare conſilia. Vota tvment. methaphora ab incluſis, qui pulſant vt aperiatur, & hic partus incluſus eſt. non vota tument, ſed creſcentibus menſibus tumet vterus, propter quem partum vt detumeſcant vota ſuſcipiuntur. Grais virginibvs. Danaum dicit qui quinquaginta filiabus ſuaſit, vt ſponſos ſuos eadem nocte qua fuerant coniunctæ, perimerent. quarum omnes ſponſi filii Aegiſti fratris Danai fuerunt. & totum hoc ab exemplis poſuit.

Qvod si propioribvs actis. à recenti exemplo, vt ad tempus referatur. recentiore enim exemplo, id eſt, ſiue quia prope erat Thraciæ, in qua Procne, Pandionis filia, Terei vxor, in vltionem ſuam, quod maritus cum Philomena concubuiſſet, Ityn filium quem de Thereo ſuſceperat, interemit: ſiue propter Harpalicen quam cum pater amaſſet & compreſſiſet, illa filiũ ex inceſto natum patri appoſuit comedendum: quam opinionem Virgil. ſecutus ait. *patriſque epulandum apponere menſis.* præterquam quod aptum videatur exemplũ, maior neceſſitas perſuaſionis erit, cum etiã vicinũ dicetur. nam Thracia quæ Lemno vicina eſt, duobus maximis exemplis, id eſt Procnes & Harpalices, Lemniades matres ad perficiendũ nefas hortatur. de duabus ergo hiſtoriis ſimilibusque vis ad rem aptari poteſt, & aptata hortatur ad facinus. nam ſicut bona ſuaſio bonis debet ſuſcitari, & aſſeri exemplis, ſic & mala malis: nulla enim rei argumenta deſunt.

Et eſt in vtroque pugna bona bonis vt Virg. *ſic fratrem Pollux alterna morte redemit.* Mala malis vt Lucan. *nec longe fatorum exempla petantur, fraterno primi maduerunt ſanguine muri.* Rodopasia conivnx. hoc hiſtoria non habet quod Procne pariter cum Thereo filium comediſſet: ſed vt Lemniadum animos hoc ſcelere magis accenderet, Procnen quoque pariter epulatam, pro loco perſuaſionis ſuæ neceſſario, fuiſſe mentita eſt. Secvra ne cogo. nec vos ideo ego hortor ad ſcelus quod minime orbitate plena mihi ſit domus filiis. & eſt figurata antipophora: ne ideo videatur hoc ipſa perſuadere, quia non habet quod ipſa perimat. ſudorem autem dixit filiorum multiplicem partum

tum, in quo dolore nimium laboratur: ſiue ſudorem occidendorum quatuor poſuit filiorum: ſiue ſudorem dixit liberos, quos parturiendo & educando ſudauit. LACHRYMISQVE. vt oſtenderet grandi neceſſitate ad tale compelli facinus. quo crudelior fiat, ſentire ſe dicit affectum. PATREMQVE SVPER SPIRANTIBVS ADDAM. vt Virg. *natumque patremque cum genere extinguam.*

Lemnia claßis erat. rapuit gauiſa Polyxo
Fortunam, atque iterat. ſuperiſne vocantibus vltro
Deſumus? ecce rates. deus has, deus vltor in iras
Adportat, cœptiſque fauet. nec imago quietis
Vana meæ, nudo ſtabat Venus enſe. videri
Clara mihi, ſomnóſque ſuper. Quid perditis æuum?
Inquit. age aduerſis thalamos purgate maritis.
Ipſa faces alias, melioráque fœdera iungam.
Dixit. & hoc ferrum ſtratis, hoc (credite) ferrum
Impoſuit. quin ô miſeræ, dum tempus agit rem,
Conſulite. en validus ſpumant euerſa lacertis
Aequora: Biſtonides veniunt fortaſſe maritæ.
Hinc ſtimuli ingentes, magnúſque aduoluitur aſtris
Clamor: Amazonio Schytiam feruere tumultu,
Lunatúmque putes agmen deſcendere, vbi arma
Indulget pater, & ſæui mouet oſtia belli.
Nec varius fremor, aut ſtudia in contraria rapti
Diſſenſus vt plebe ſolet. furor omnibus idem,
Idem animus ſolarè domos. iuuenúmque, ſenúmque,
Præcipitare colos, pleniſque adfrangere paruos
Vberibus, ferróque omnes exire per annos.
Tunc viridis latè lucus iuga celſa Mineruæ
Propter, opacat humum niger ipſe, ſed inſuper ingens
Mons premit, & gemina pereunt caligine ſoles:
Hic ſanxere fidem. tu Martia teſtis Enyo
Atque inferna Ceres, Stygiæque Acheronte recluſo,
Ante preces venere deæ. ſed fallit vbique
Mixta Venus. Venus arma tenet, Venus admouet iras.
Nec de more cruor, natum Caropeia coniux
Obtulit. accingunt ſeſe, & mirantia ferro
Pectora, congeſtiſque auidæ ſimul vndique dextris,
Perfringunt, ac dulce nefas in ſanguine viuo
Coniurant, matrémque recens circumuolat vmbra.

FORTVNAM. occaſionem temporis. vt Virg. *ſi fortuna permittit vti.* nata perſuaſio eſt reuertentium virorum. dicit enim deorum nutu factum eſſe, vt eo tempore coniuges aduenirent, quo de eorum cæde tractatum eſt; probabiliaq; argumento agendi vaſtitate neceſſarium facit, dicendo. *dum hos dies vltor in iras.* SVPERIS NE VOCANTIBVS. vt Virgil. *Dis equidem auſpicibus reor & Iunone ſecunda.* NEC IMAGO QVIETIS. confirmat audaciam ſuam deos adiuuare ſomni expoſitione. & eſt ratio philoſophica, cur quæ futura ſint miſeris mortalibus, præſagiis ſomniorum demonſtrentur. ſed de multis paululum dicã. Natura rerum ex qua homines mixti ſunt, affectus ſuos ſilere non patitur. Et cur per ipſam eſſentiam corporis ſenſus permiſtus, eſt animæ diuina prouidentia. quæ quamuis cæco carcere & tenebris clauſa teneatur, quid e contrario natura factura ſit ſomniorum vaticinatione denunciat. VANA MEAE. id eſt, nec ſomnium meum vanum eſt, ſed verum. ergo debet perfici, quoniam ſomnium veritatis imago eſt. vt Virg. *nam mihi per ſomnum Caſſandræ vatis imago ardentes dare viſa faces.* & alibi. *nec ſopor illud erat.* QVID PERDITIS AEVVM. iuuentutem veſtram quid perditis maritis orbatæ. ADVERSIS THALAMIS. inimicis, conſideranda eſt perſuaſio in qua primum eſt beneficium, quod mala tollit, deinde quod optima pollicetur, *aduerſis* autem dicit, qui non reuerſi ſunt, & qui nos negligunt: vt Virg. *fontesque aduertitur.* DIXIT. hoc loco poeta dicta factaque complexus eſt. DVM TEMPVS AGIT REM. id eſt, dum opportunitas eſt agendæ rei. vt Virg. *Iam tempus agit rem.* BISTHONIDES. Thraciæ. dixerat enim ſuperius, mulieres omnes hoc dolere, quia omnes Lemnii iuuenes odio odoris vxorum in Thraciam profecti ſunt, in eodem loco coniugiis copulati. BISTHONIDES. fœmininum genus poſuit. ſi de viris diceret *Biſthones* dixiſſet; ideo additum propter ſocietatem coniugii. nam maritos eorum venire notiſſimum eſt. LVNATVM. peltatum, quod ſcuta Amazonum, quas *peltas* appellant, in modum lunæ formata ſint. vt Virg. *ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Pentheſilea furens.* INDVLGET PATER. *pater* aut ſecundum conſuetudinem poetarum dixit, qui ſolẽt deos patres vocare. vt Virg. *Quidue pater Neptune paras.* aut *pater*, id eſt Mars, quia Pentheſileæ, ſiue omnium Amazonum proprie Mars dicitur *pater.* SOLARE DOMOS. vaſtare. id eſt, ſolas facere. Compoſitiuum *deſolare.* vt eſt. *Solorum nemorum.* IVVENVMQVE SENVMQVE. id eſt, indiſcrete omnes occidere.

PLENISQVE AFFRANGERE PARVOS VBERIBVS. id eſt, violenter & ipſis vberibus appoſitos enecare. & hoc incongrue poeta poſuit. cum tanto tempore dicat earum maritos abfuiſſe, vnde Lemniadibus lactantibus filii? purgatur obiectio ſi dicatur, etiam trimos infantes lactare poſſe: ait enim ſuperius, *tertia canet hyems cui connubialia vincla.* OMNES. EXIRE PER ANNOS. id eſt, nullam in necando ætatem excipere. vt Lucan. *Crimine quo eadem parui potuere mereri, ſed ſatis eſt iam poſſe.* IVGA CELSA. templa Mineruæ ſunt.

PROPTER OPACAT HVMVM. vicini agri ſpacia inumbrat. NIGER. vmbroſus. ET GEMINA PEREVNT CALIGINE SOLES. *gemina.* duplici, hoc eſt montis & nemoris. SANXERE FIDEM. fidem in ſcelus firmauere. ENYO. Bellona, ſoror Martis. ideo *Martiam* dixit, quæ aui nomen pro actu ipſo accepit, quaſi *bello nata.* ATQVE INFERNA CERES. Proſerpina. MIXTA VENVS. quicquid agitur, quicquid nefarie cogitatur, Venus vrget infenſa; & cum hoc poeticum videatur, tamen vera eſt ratio. cuncta enim mala quæ geruntur, per Venerem fiunt, cui omnes propemodum mortales ſtudent. NEC DE MORE CRVOR. non ſacrificium ſecundum immolantium meritum factum eſt, pecudum aut ſuum cruore, ſed humano ſanguine à matribus iuratur in ſcelus, & futuri parricidii crudelitas ſancitur. Saluſtius, cum Catilinam parricidium patriæ coniuratis monſtraret ſancire, ait: *Plenum humani ſanguinis poculum circumtuliſſe; & hic omnes contra ſalutem patriæ deguſtaſſe.* NEC DE MORE CRVOR. In ſacris enim Liberi conſuetudo talis eſt, vt occiſo capro omnes ſacrati ſanguinem eius bibant, eſt enim animal eius vitibus infenſum. vnde Virg. *non aliam ob cauſam Baccho caper omnibus aris caditur.* hoc ſane animal contrarium eſt Libero. vt etiam aliis diuerſis deis, & pecus quod hic vult deus ſibi mactari, alius non vult: vt Venus. *haud equidem tali me dignor honore.* ET MIRANTIA. id eſt, admiratione digna. & quæ niſi à talibus matribus violare ferro nullus videret. IN SANGVINE VIVO. recenti vel adhuc tepido. aut certe quo vita firmatur. Ergo cum adhuc non eſſet puer emortuus. oſtẽdere volẽs poeta furoris inſaniam, vix paſſæ emori filios in ſanguine ſemiuiui coniurant.

CIRCUMVOLAT UMBRA. & hoc poeticè, vt Euripides. * Syrſeen operſu. Virgilius. *Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas.* *

Talia cernenti mihi quantus in oſsibus horror?
Quiſue per ora color? qualis cùm cerua cruentis
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur, & in volucri tenuis fiducia curſu,
Præcipitat ſuſpenſa fugam: iam iámque teneri
Credit, & eluſos audit concurrere morſus.
Illi aderant. primis iámque offendêre carinæ
Littoribus. certant ſaltu contingere terram
Præcipites. miſeri quos non aut horrida virtus
Marte ſub Odryſio, aut medij inclementia ponti
Hauſerit! alta etiam ſuperum delubra vaporant,
Promiſsáſque trahunt pecudes. niger omnibus aris
Ignis, & in nullis ſpirat Deus integer extis.

QUALIS CUM CERVA. comparatio, non ſecundum artem poeticam: circumuenta nefariam matrem in vindictam ſui recens mactati filii vmbra. SUSPENSA. ſollicita. vt eſt. *Somno excitat omnis ſuſpenſum.* Aut velocitate corporis pendens. vt Virgil. *mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti ferret iter.* CONCURRERE MORSUS. vt Virgil. *increpuit malis, morſuque eluſus inani.* NIGER OMNIBUS ARIS. hic enim color conuenit morituris. Virg. quia Dido erat quæ ſacrificium faciebat, ait. *latices nigreſcere ſacros.* SPIRAT DEUS INTEGER EXTIS. eſt quoddam in extis ſignum quod Deus appellatur, quod ſi integrum apparuit, propicium numen oſtendit. ſin vero dimidium, iratum ſignificat numen, aut certe non præſens.

Tardius humenti noctem deiecit Olympo
Iuppiter, & verſum miti, reor, æthera curâ
Suſtinuit. dum fata vetant. nec longius vnquam
Ceſſauere nouæ perfecto ſole tenebræ.
Sera tamen mundo venerunt aſtra, ſed illis
Et Paphos, & nemoroſa Thaſos, crebræque relucent
Cyclades. vna graui penitus latet obruta cælo
Lemnos, in hanc triſtes nebulæ, & plaga cæca ſuperne
Texitur, vna vagis Lemnos non agnita nautis.

TARDIUS HUMENTI. Lucan. *Segnior oceano quam lex æterna vocaret.* VERSUM AETHERA. iuxta rationem, qua antipodes feruntur. Virg. *noxque vbi primus equis oriens afflauit anhelis Illic ſera rubens accendit lumina veſper.* ergo ordo talis eſt. & verſum æthera miti cura ſuſtinuit. *Verſum æthera*, quia nox à quibuſdam axis conuerſione fit. vt Virg. *Vertitur interea cælum, & ruit oceano nox.* MITI CURA. benigna mente diem tardauit, & curſus aeris,

quo Iupiter ſolem retineret, longiores fecit, imminentia cupiens nefariæ noctis facta tardaſſe. LATET OBRVTA CAELO LEMNOS. id eſt, cum aſtris relucentibus aliæ inſulæ cernerentur, immanitate futuri ſceleris obruta ſola Lemnos latebat.

Iam domibus fuſi, nemorum per opaca ſacrorum
Ditibus indulgent epulis, vacuántque profundo
Aurum immane mero. dum quæ per Strymona pugnæ,
Quis Rhodope, gelidóue labor ſudatus in Aemo
Enumerare vacat. nec non manus impia nuptæ
Serta inter, feſtáſque dapes, quo maxima cultu
Quæque iacent. dederat mites Cytherea ſuprema
Nocte viros, longóque breuem poſt tempore pacem
Nequicquam, & miſeros perituro afflauerat igne.
Conticuere chori, dapibus, ludóque licenti
Fit modus, & primæ decreſcunt murmura noctis,
Cùm conſanguinei mixtus caligine leti
Rore madens Stygio, morituram amplectitur vrbem
Somnus, & in placido fundit grauia otia cornu,
Secernítque viros. vigilant nuptæque, nurúſque
In ſcelus, atque hilares (acuunt fera tela ſorores)
Inuaſere nefas: cuncto ſua regnat Erinnys
Pectore. non aliter Scythicos armenta per agros
Hircanæ clauſere leæ, quas exigit ortu
Prima fames, auidíque implorant vbera nati.

IAM DOMIBVS FVSI. id eſt in ſomnum demiſſi. vt Virgil. *ſub remis fuſi per dura ſedilia nautæ.* AVRVM IMMANE. id eſt, aureas pateras. vt Virg. *grauem gemmis auroque popoſcit.* IMPLEVITQVE MERO PATERAM. dicit ergo hos grauibus poculis ebrios factos, vt merito crederentur à fœminis interempti. PER STRYMONA. per Thraciam: Strymon enim fluuius Thraciæ. RHODOPE ET HAEMVS. montes eiuſdem prouinciæ. dum ergo commemorant quem laborem pertulerunt apud fluuium Strymonem, vel apud montem Hæmum. MITES CYTHEREA SVPREMA. & hic obſcure illud poeta tangit, & fœtoris cauſam hircini, quem dudum Venus Lemniadibus miſerat, nunc dulci odore leniſſet. PERITVRO. non longo tempore duraturo. DECRESCVNNT MVRMVRA. paulatim vigiliæ hominibus deficiunt vt ab omnibus eatur in inſaniam. SECERNITQVE VIROS. quos vt læufero ſopore confunderet, ſeparauit. HYRCANAE. Hyrcania Iudiæ regio, qua tygrides generantur. EXIGIT ORTV. id eſt euocat incipiente die. *exigit* proprie Græca annotatione ſignatum, quaſi ex eo agit.

Quos tibi (nam dubito) ſcelerum de mille figuris
Expediam caſus? Helimum temeraria Gorge
Euinctum ramis, altáque in mole tapetum

Efflantem ſomno creſcentia vina, ſuperſtans
Vulnera diſiecta rimatur veſte, ſed illum
Infelix ſopor admota ſub morte refugit:
Turbidus, incertúſque oculis vigilantibus hoſtem
Occupat amplexu. nec ſegnius illa tenentis
Pone adigit coſtas, donec ſua pectora ferro
Tangeret, is demum ſceleri modus. ora ſupinat
Blandus adhuc, oculíſque tremens & murmure Gorgen
Quærit, & indigno non ſoluit brachia collo.
Non ego nunc vulgi quamquam crudelia pandam
Funera, ſed propria luctus de ſtirpe recordor.
Quid te flaue Cydon? quid te per colla refuſis
Intactam Crenææ comis? quibus vbera mecum
Obliquumque à patre genus? fortémque timebam
Quem deſponſa Gyan? vidi lapſare cruentæ
Vulnere Mirmydonis, quidque inter ſerta choróſque
Barbara ludentem fodiebat Epopea mater?
Flet ſuper æquæuum ſoror exarmata Lycaſte
Cydimon. heu ſimiles perituro in corpore vultus
Aſpiciens, florémque genæ, & quas finxerat auro
Ipſa comas. tum ſæua parens iam coniuge fuſo
Aſtitit, impellitque minis, atque inſerit enſem.
Vt fera, quæ placido rabiem deſueta magiſtro
Tardius arma mouet, ſtimulíſque, & verbere crebro
In mores negat ire ſuos, ſic illa iacenti
Incidit, vndantémque ſinu collapſa cruorem
Excipit, & laceros premit in noua vulnera crines.

TEMERARIA GORGE. improba vel audax, quæ prima cæpit id ſcelus. RIMATVR. quærit, ſcrutatur tangere. tunc enim credidit ſe peremiſſe, ſi tam diu transfigeret dormientem, donec adactum ferrum ipſa ſentiret. INDIGNO. nõ indigno collo, ſed indignæ vxoris. nam amplexus eam fuerat auxilium petens. PROPRIA DE STIRPE. cognationis meæ ſcelera} referam. QVID TE FLAVA CYDON. quod te Crenæe vidi lapſare. hos ſibi dicit & lactis alimentis, & affinitate fuiſſe coniunctos. Cydon vidi lapſare quem fortè deſponſata metuebam. quia virtus pueri formidanda puellis eſt. OBLIQVVMQVE A PARTE GENVS. quia collactaneus meus fuerat, & patris mei nothus. *obliquum* ergo dicit ex cõcubina progenitum. vt Lucan. *obliquo maculat qui ſanguine regnũ, & Numides cõtingit auos* FINXERAT. compoſuerat. INCIDIT. ordo. incidit collapſa, id eſt, a matre compulſa.

Vt verò Alcimeden etiamnum in murmure truncos
Ferre patris vultus, & egentem ſanguinis enſem

Conſpexi, riguere comæ, atque in viſcera ſæuus
Horror iit. , meus ille Thoas, mea dira videri
Dextra mihi. extemplo thalamis turbata paternis
Inferor. ille quidem dudum (quis magna tuenti
Somnus?) agit verſans ſecum (& ſi lata receſsit
Vrbe domus) qui nam ſtrepitus? quæ murmura noctis?
Cur fremebunda quies? trepido ſcelus ordine pando,
Quis dolor, vnde animi, Vis nulla arcere furentes:
Huc ſequere ô miſerande, premunt, aderúntque moranti,
Et mecum fortaſſe cades. hic motus, & artus
Erexit ſtratis. ferimur per deuia vaſtæ
Vrbis, vbi ingentem nocturnæ cædis aceruum
Paſsim, vt quoſque ſacris crudelis veſpera lucis
Strauerat, occulta ſpeculamur nube latentes.
Hic impreſſa toris ora, extantéſque recluſis
Pectoribus capulos, magnarum & fragmina truncæ
Haſtarum, & ferro laceras per corpora veſtes,
Crateras pronos, epulaſque in cæde natantes
Cernere erat, iuguliſque modò torrentis apertis
Sanguine commixto redeuntem in pocula Bacchum.
Hic iuuenum manus, & nullis violabilis armis
Turba ſenes. poſitique patrum ſuper ora gementum
Seminices pueri, trepidas in limine vitæ
Singultant animas. gelida non ſæuius Oſſa
Luxuriant Lapitharum epulæ, ſi quando profundo
Nubigenæ caluere mero. vix primus ab ira
Pallor, & impulſis ſurgunt ad prælia menſis

IN MVRMVRE. adhuc murmurantis. EGENTEM SANGVINIS. Quia ſenem occiderat & gladium cruore non tinxerat. MEVS ILLE THOAS. hic Thoas Hypſipyles pater, rex fuit Lemnius. ETSI LATA RECESSIT. dicit occaſionem ab vrbe diſiunctæ domus opportunitatem liberandi patris dediſſe. QVI NAM STREPITVS. ordo, ille quidem dudum ſecum agit verſans quinam ſtrepitus, quæ murmura noctis. cæterum illæ duæ ſententiæ per parenthesin interpoſitæ ſunt, vna qua generaliter dicit non eſſe quietos regnantibus ſomnos: altera in qua domus remota a ciuitate fuiſſe monſtratur.

ET MECVM FORTASSE CADES. bene de periculo ſuo dubitauit, quia de ſexu muliebri non coniurauerant occidendo Lemniades. perimenda enim hæc fuerat, vt proditrix coniurationis. CRVDELIS VESPERA. eo quod nox veniens eos ſomno proſtrauerat. Inter *veſper* & *veſperam* hoc intereſt. *Veſper* eſt ſtella, *Veſpera* tempus quo ingreditur nox, quod hoc loco poeta deſcribit. HIC IMPRESSA THORIS ORA. *hic* pro ibi. *Impreſſa.* implicita ora ad lectum. GELIDA NON SAEVIVS OSSA. Centauri, Ixyonis & Nubis filii, quam pro ſe Iuno mutauit: qui cum in nuptiis Perithoi ebrietaté caluiſſent, & vellent puellæ nubentis irrumpere thalamum, a Lapithis, quorum rex fuit Perithous, interemp-

ti ſunt. NVBIGENAE. Herculis fabulam tangit: qui cum hoſpitio ad Dexaminum regem veniſſet, Deianiram filiam eius corrupit, & fidem dedit ſe eam vxorem eſſe ducturum: poſt diſceſſum Eurytion, Iouis filius, Centaurus vxorem Deianiram petiuit, cuius pater vim timens Eurytioni promiſit, qui conſtituto die cum fratribus ad nuptias venit. Eo forte die quo nuptiæ celebrantur ſuperueniens Alcides Centauros interfecit Deianiráque inſperate ſuo matrimonio copulauit. Item aliter. Centauri, cum in matrimonium Perithous Hippodamiam duceret, vino pleni Lapitharũ vxores conati ſunt rapere, qui omnes a Lapithis occiſi ſunt. vnde Virg.

Bacchus & ad culpam cauſas dedit. Ille furentes
Centauros letho domuit: Rhætumque, Pholumque,
Et magno Hyleum Lapythis cratere minantem, VIX, mox.

Tunc primùm ſeſe trepidis ſub nocte Thyoneus
Detexit, nato portans extrema Thoanti
Subſidia, & multa ſubitus cum luce refulſit.
Agnoui. non ille quidem turgentia ſertis
Tempora, nec flaua crinem diſtinxerat vua,
Nubilus, indignumque oculis liquentibus imbrem
Alloquitur. Dum fata dabant tibi, nate, potentem
Lemnon, externis etiam ſeruare timendam
Gentilius, haud vnquam iuſto mea cura labori
Deſtitit. abſciderant triſtes crudelia Parcæ
Stamina, nec dictis ſupplex quæ plurima fudi
Ante Iouem fruſtra, lachrymiſque auertere luctus
Contigit. infandum natæ conceſſit honorem.
Accelerate fugam. tuque ô mea digna propago
Hac rege virgo patrem, gemini quà brachia muri
Littus eunt. illa, quà rara ſilentia porta,
Stat funeſta Venus. ferroque accincta furentes
Adiuuat. (vnde manus? vnde hæc Mauortia diuæ
Pectora?) tu lato patrem committe profundo.
Succedam curis: ita fatus in aera rurſus
Soluitur: & noſtrum viſus arcentibus vmbris
Mitis, iter longæ clarauit limite flammæ.
Quà data ſigna ſequor. dein curuo robore clauſum
Dis pelagi, ventiſque, & Cycladas Ægæoni
Amplexo, commendo patrem. nec fletibus vnquam
Fit modus alternis: ni iam dimittat Eoo
Lucifer aſtra polo, tum demum littore rauco
Multa metu reputans, & vix confiſa Lyæo
Diuidor, ipſa gradu nitens, ſed & anxia retro

Pectora, nec requies, quin & ſurgentia cælo
Flamina, & è cunctis proſpectem collibus vndas.

THYONEVS. ſic Thyoneus, quomodo *Semeleus*. Liberi enim patris mater Thyone dicta eſt, quæ & Semele appellatur: & in hoc colore Virgilium poeta ſecutus eſt. nam ille in perturbatione Troiani excidii dicit, Venerem Aeneæ ſubueniſſe, iſte Thoanti Liberum patrem ET MVLTA SVBITVS CVM LVCE. quotienſcunque numina ſe mortalibus ingerunt, multo luminis ſe ſplendore perfundunt. NVBILVS. triſtis: pro calamitate propriæ ciuitatis, quæ plurima fudi. ex eo, quod dicitur factum intelligitur. INFANDVM NATAE. ideſt Veneri. nihil ergo ſine Iouis nutu numinibus cõceditur facere. vt Virg. *Conceſſit in iram ipſe deum antiquam genitor Calydona Dianæ*. videns ergo ſine iuſſu Iouis ne numinibus quidem licere ſuas iniurias vindicare. vt Horat.

——Ni tuis Veneriſque gratæ
Vocibus diuum pater annuiſſet
Rebus Aeneæ potiore ductos
Alite muros.

MAVORTIA DIVAE. pudicæ Veneri. exclamatio cũ admiratione Liberi patris, ſed iucunda & vere poetica. cum ſciamus Venerem ſemper laſciuam & delicatam, mirandum vnde in delicato pectore tam repentina crudelitas. ARCENTIBVS VMBRIS. ideſt quanquam arcentibus vmbris: & eſt anacoluton. vt ſit, quã quam arcentibus vmbris, tamen iter claruit limite longæ flammæ. Longæ autem dixit ſtellæ ductu. *Clareat* ergo pro clarum fecit. CVRVO ROBORE CLAVSVM. fluuiali nauigio, quod ſinu roboris incauatur: & ideo clauſum, quaſi in anguſto roboris collocatum. AMPLEXO. participium. hoc eſt, huic Egeoni cycladas amplexo, pro amplectenti patrem commendo.

Exoritur pudibunda dies, cœlumque retexens
Auerſum Lemno iubar, & declinia Titan
Oppoſita iuga nube refert, patuere furores
Nocturni, lucíſque nouæ formidine cunctis,
Quanquam inter ſimiles habitus rubor. impia terræ
Infodiunt ſcelera, aut feſtinis ignibus vrunt.
Iam manus Eumenidum, captáſque refugerat arces
Exſaturata Venus. licuit ſentire quid auſæ,
Exturbare comas, & lumina tingere fletu.

PVDIBVNDA. nomen eſt non participium. nam tempore caret, & patiendi ſignificatione priuatur: & indicat non pudentem, ſed pudenti ſimilem, qui erubeſcit admiſſum facinus temporis alieni, & lucem etiamſi nollet nocturna cædis crudelitate fœdari. IVBAR. oſtendit poeta generis eſſe neutri. & Ouidius hoc genere declinauit. *per iubar hoc iuro*. DECLINIA. quæ declinarent & fugerent. oppoſita enim nube vultus ſuos, Lemniadum crimine declinauerat ſol. IVGA. pro equis poſuit. REFERT. fugit enim ſol crudelitatem: aut *refert* deflectit melius intelligamus. HABITVS RVBOR. quanquã inter ſimiles rubor non habetur, tamen conſcientia noui criminis ſe inuicem formidabant.

Inſula diues agris, opibuſque, armiſque, viriſque
Nota ſitu, & Geticonuper ditata triumpho,

Non

Non maris incurſu, non hoſte, nec æthere læuo,
Perdidit vna omnes orbata, exciſaque mundo
Indigenas. non arua viri, non æquora verrunt.
Conticuere domus, cruor altus, & oblita craſſo
Cuncta rubent tabo. magnæque in mœnibus vrbis
Nos tantum: & ſæui ſpirant per culmina manes:
Ipſa quoque arcanis tecti in penetralibus alto
Mollior igne pyram. ſceptrum ſuper armaque patris
Iniicio, & notas rogum geſtamina veſtes,
Ac prope mœſta regum confuſis ignibus aſto
Enſe cruentato, fraudemque & inania buſta
Plango metu. ne fortè premant, caſſúmque parenti
Omen, & hac dubios leti precor ire timores.
His mihi pro meritis, vt falſi criminis aſtu
Parta fides. regno, & ſolio conſidere patris
Supplicium datur. anne illis obſeſſa negarem?
Acceſsi, ſæpe ante deos teſtata, fidémque,
Immeritaſque manus. ſubeo (prò dira poteſtas)
Exangue imperium, & mœſtam ſine culmine Lemnon.
Iam magis atque magis vigiles dolor angere ſenſus,
Et gemitus clari, & paulatim inuiſa Polyxo,
Iam meminiſſe nefas, iam ponere Manibus aras
Conceſſum, & multum cineres iurare ſepultos.
Sic vbi ductorem trepidæ ſtabulique maritum,
Quem penes & ſaltus & adultæ gloria gentis,
Maſſylo frangi ſtupuere ſub hoſte iuuencæ,
It truncum ſine honore pecus, regémque peremptum
Ipſe ager, ipſi amnes, & muta armenta queruntur.

INSVLA DIVES AGRIS. verba plangentis: & ideo pronunciatione ſenſus eſt adiuuandus. NOTA SITV. corporis nobilis. ET GETICO TRIVMPHO. Thracico bello: ex quo redeuntes victores Lemniadum multas in triumpho contulerant opes.

NON MARIS INCVRSV. id eſt non naufragio, non bello, non peſtilentia perierunt. NON ARVA VIRI. officia virorum ceſſaſſe dicit, quibus fuerat Lemnos orbata. SCEPTRVM SVPER ARMA. ſceptrum ad regni ornamenta, arma tettulit ad virtutem. SINE CONIVGE LEMNOS. ideſt ſine viris, aut ſine culmine dignitatis. VIGILES. epitheton commune. *Vigil ſenſus*. aut quia maritorum deſiderio nocte fortius cogitatur. INVISA POLYXO. quæ ſuaſerat ſcelus. MASSYLLO SVB HOSTE. ſub Mauro leone.

Ecce autem ærata diſſellens æquora prora
Pelias intacti latè ſubit hoſpita ponti
Pinus. agunt Minyæ. geminus fragor ardua canet
Per latera. abruptam credas radicibus ire
Ortygiam, aut fractum pelago decurrere montem.
Aſt vbi ſuſpenſis ſiluerunt æquora tonſis,
Mitior & ſenibus Cygnis, & pectine Phœbi,
Vox media de puppe venit. maria ipſa carinæ
Accedunt. (poſt noſſe datum eſt) Oeagrius illic
Acclinis malo medius interſonat Orpheus
Remigiis, tantóſque iubet neſcire labores.
Illis in Scythicum Borean iter. oráque primum
Cyaneis arctata vadis. nos Thracia viſu
Bella ratæ, vario tecta incurſare tumultu
Denſarum pecudum, aut fugientum more volucrum.

Ecce avtem. aduentum Argonautarum deſcribit ad Lemnum, qui miſſi erant a Pelia rege ad Colchos, Phryxei arietis pellē auream deferendā. Pinvs pelias. Argo nauim dicit, quæ in Pelio monte Theſſaliæ fabricata eſt. Cicero, *Vtinam in nemore Pelio caſa ſecuribus ad terram cecidiſſent abiegnæ trabes.* ſiue *Pelion* vnum è numero Argonautarum ſignificat filium, cuius ciuitas eſt Phtia. cuius Virgil. meminit, *Phtiam claráſque Mycenas.* aut certe Pelion Neptuni filium, qui illius loci ſummam obtinebat. huic enim reſponſum fuit, vt ab eo ſpoliaretur arce, qui altero ei nudo pede occurriſſet. quapropter hoc velocius ſuſtinuit, quo euitare tentauit. Iaſon ſiquidem, natus ex AEſone fratre regis, occurſurus ſacris quæ Neptuno is faciebat, dum per Euhenum flumen tranſit, detentum limo alterum pedis calciamentum negligit, atque ita fato agente deuenit ad Peliam, qui in illo timens quicquid ab oraculo fuerat dictum, ſub ſpecie gloriæ miſit ad Colchos, ad auferendam auream arietis pellem. ergo Pelias pinus Argo nauem dicit, quæ in Pelio mōte Theſſaliæ fabricata eſt. Hospita. quaſi prima. Intacti ponti. quia ante Argo nauem inviolatus fuit. Agvnt minyae. Theſſalia Minya rege Theſſalorum, a cuius nomine omnes Argonautæ *Minyæ* appellati ſunt. Canet. ſpumat, ideſt, læua dextraque reuulſi fluctus cano littore feruebant. Tonsis. remis. Mitior et senibvs cygnis. Ouid. *Verba ſono tenui mærens fundebat, vt olim Carmina iam moriens canit exequialia cygnus.* Orphevs. quemadmodum in naui caneret dicit. cuius dulcedinem morientis cygni comparat cantilenæ. dicuntur enim cygni mortis tempore dulcius ſolito canere. Accedvnt. conſentiunt, vt tranquilla ſubdant. Sic Terent. in Adelp. *Accedo vt melius dicas.* aut *accedunt* vt audiant. quaſi ſenſum recipientia. Sed melius conſentiunt. Nescire labores. id eſt, cantus dulcedine laborem ſentire non ſinit. Oraqve primvm. Symplegadas, vt aſſerit Euripides. Cyaneis. maris. Cyane Nympha in Sicilia. Venus indignata quod Proſerpina ſuum numen contemneret coniugia ſpernens * qui territus viribus Typhei euomentis AEtnam, cui ſubiectus erat cum ab inferis emerſiſſet, intulit amorem, vt Proſerpinam circa cacumen AEthnæ flores legentem eriperet, qua compreſſa, cum properaret, curruque fugeret Cyane nympha, quam dilexerat Anapus amnis, intercedēte tardatus eſt. at ille incenſus ira moræ, intercedentem vt rumperet ſceptro percuſſit, præcepſque in inferna demerſa eſt, & in liquorem conuerſa: cuius lacus contiguus eſt Arethuſæ. Nos Thracia visv. Nos putamus Thraces in vltionem venire nauigio, qui victi à viris fuerant Lemniadum.

Heu vbi nunc furiæ? portus, amplexáque littus
Mœnia, qua longè pelago deſpectus aperto
Scandimus, & celſas turres. huc ſaxa, ſudéſque,
Armáque mœſta virum, atque infectos cædibus enſes
Subuectant trepidæ, quin & ſquallentia texta
Thoracum, & vultu galeas intrare ſoluto
Non pudet audaces. rubuit mirata cateruas
Pallas, & aduerſo riſit Gradiuus in Aemo.
Tunc primùm ex animis præceps amentia ceſſit.
Nec ratis illa ſalo, ſed diuum ſera per æquor
Iuſtitia, & pœnæ ſcelerum aduentare videntur.
Iamque aberant terris, quantum Cortynia currunt
Spicula: cæruleo grauidam cùm Iuppiter imbri
Ipſa ſuper nubem ratis armamenta Pelaſgæ
Siſtit agens. inde horror aquis, & raptus ab omni
Sole dies, miſcet tenebras. quîs protinus vnda
Concolor: obnixi lacerant caua nubila venti,
Diripiúntque fretum: nigris redit humida tellus
Verticibus, totúmque Notis portantibus æquor
Pendet, & æquato iam iam prope ſydera dorſo
Frangitur, incertæ iam nec prior impetus alno,
Sed labat: extantem roſtris modò gurgite in imo,
Nunc cælo Tritona ferens: nec robora proſunt
Semideum heroum, puppémque inſana flagellat
Arbor: & inſtabili procumbens pondere curuas
Raptat aquas, remíque cadunt in pectus inanes.

SOLVTO. molli aut muliebri. ADVERSO. vtrum ſitu aduerſum poſuit. id eſt, poſitione loci, an *aduerſo*, inimico. quippe Mars merito Lēnum oderat, quia in illa inſula a Vulcano cum Venere fuerat deprehenſus. CORTINIA tantum inquit a portu aberat nauis, quàntum Cretenſium ſagittarum iactus exprimitur. *Cortinia* enim dixit Cretēſia. PELASGAE. Græcæ nauis. id eſt Argo. HORROR. obſcuritas. SOLE DIES. pro ab omni die raptus eſt ſol: noue dictum. REDIT HVMIDA TELLVS. harenæ funditus auulſæ impetu iactantur aquarum. TRITONIA PVPPIS. Solet en.m omnis nauis pictura quacunque ſignari. vt Virgil. *Hunc vehit immanis Triton.* INSANA ARBOR. vel magna, vel inſtabilis. nimis poetice dixit, *inſana arbor*. accipimus enim mobilem, vt hi qui inſani, loco ſtare non poſſunt.

Nos quoque per rupes, murorumque aggere ab omni
Dum labor ille viris, fretaque indignantur, & Auſtri,

Deſuper inualidis fluitantia tela lacertis
(Quid non auſa manus) Telamona, & Pelea contra
Spargimus, & noſtro petitur Tirynthius arcu.
Illi quippe ſimul bello, pelagoque laborant
Pars clypeis munire ratem. pars æquora fundo
Egerere. aſt alij pugnant, ſed inertia motu
Corpora, ſuſpenſæque carent conamine vires.
Inſtamus iactu telorum, & ferrea nimbis
Certat hyems: vaſtæque ſudes, fractique molares,
Spiculáque, & multa crinitum miſsile flamma,
Nunc pelago, nunc puppe cadunt. dat operta fragorem
Pinus, & abiunctis regemunt tabulata cauernis.

DVM LABOR ILLE VIRIS. Dum Argonautæ tempeſtate iactantur. FLVITANTIA. ordo: inualidis lacertis fluitantia tela ſpargimus. & bene *inualidis*, vt pote fœmineis. FLVITANTIA. incerta. QVID NON AVSA MANVS. Senſus. quod ſcelus non auſæ ſumus? nam cum occidiſſemus viros, etiam ſemideos bello attrectare tentauimus. AEQVORA FVNDO EGERERE. hoc eſt, ſentinã facere. Ouid. *Egerit æquore fluctus*, refundit in æquor. CARENT CONAMINE VIRES. Lucan. *Incertaſque manus ictu languente per vndas exercent.* Omne enim corpus, quod motu alterius rei commouetur, ad iaciendum ſtabilem non habet firmitatem. ſicut Saluſt. *Imbecilla eſt fortitudo dum pendet.* FERREA NYMBIS. iaculorum pluuiam deſcribit. vt Virgil. *Ac ferreus ingruit imber.* CRINITVM MISSILE. lanceis per ſtuppam ignem inſertum demonſtrat. nam quando flammam aliquis quatit, vt iaciat, quoſdam crines facit, vt Virg. *Crinemque volantia ſydera ducunt.* ET ABIVNCTIS REGEMVNT TABVLATA. *abiunctis* ergo hyphen noli accipere. operta autem pinus pellibus vt mos eſt. abiunctis, quidam hyphen legunt diuiſis. Sic in Olympio. *abiungere luna iuuences.* cui contrarium eſt *coniungere.*

Talis Hyperborea virides niue verberat agros
Iuppiter. obruitur campis genus omne ferarum,
Deprenſæque cadunt volucres. & meſsis amaro
Strata gelu. fragor inde iugis, inde amnibus ira.
Vt verò eliſit nubes Ioue tortus ab alto
Ignis, & ingentes patuere in fulmine nautæ,
Diriguere animi: manibúſque horrore remiſsis
Arma aliena cadunt. redeunt in pectora ſexus.
Cernimus Aeacidas, muríſque immane minantem
Antæum, & longa pellentem cuſpide rupes
Iphiton. attonito manifeſtus in agmine ſupra eſt
Amphitryoniades. puppémque alternus vtrinque
Ingrauat, & medias ardet deſcendere in vndas.

At leuis, & miſeræ nondum mihi notus Iaſon,
Tranſtra per, & remos, impreſſáque terga virorum
Nunc magnum Oeniden, nunc ille hortatibus Idam,
Et Talaum, & cana rorantem aſpergine ponti
Tyndariden iterans, gelidíque in nube parentis
Vela laborantem Calain ſubnectere malo,
Voce, manúque rogat. quatiunt impulſibus illi
Nunc freta, nunc muros. ſed nec ſpumantia cedunt
Aequora, & incuſſæ redeunt à turribus haſtæ.
Ipſe graues fluctus, claúumque audire negantem
Laſſat agens Tiphys, paliétque, & plurima mutat
Imperia, ac leuas, dextráſque obtorquet in vndas
Proram, naufragis auidam concurrere ſaxis.
Donec ab extremæ cuneo ratis Aeſone natus
Palladios oleæ, Mopſi geſtamina ramos
Extulit, & ſocium turba prohibente popoſcit
Fœdera. præcipites vocem inuoluêre procellæ.

HYPERBOREA NIVE. Scythica. Hyperborei enim montes trans Aquilonem ſunt: & eſt vocabulum Græcum. ὑπὲρ enim Græce Latine *vltra* dicitur, βόρεας *aquilo* nuncupatur. AMARO. noxio vnicuique enim res quæ nocet, amara eſt. vt Virgil. *Triſtia temptantum ſenſu torquebat amaro.* ARMA ALIENA. non maritorum ſuorum arma dixit: ſed *arma aliena*, id eſt, ſexus alterius. nam cum per timorem viſorum Argonautarum reuocamur ad ſexum, repetit vires ſuas natura, cum alienas non potuiſſet implere. AEACIDAS. Thelamonem & Peleum, Aeaci filios. ANCAEVM. Lycurgi filium & Salaminæ. ALTERNVS. eleganter alternus, ne in vno latere forte cōſiſtens mole corporis aut virtutis verteret nauem. alternus ergo nunc huc nunc illic, in neutra parte conſiſtens. AT LEVIS. *leuis* vtrum hoc epitheton ad diſcretionem Herculis dicitur, quia ille grauis. an ad animi mobilitatem, quia nullam Iaſon firmo amore poſſedit vxorem. deſerta enim Hypſile Medeam duxit. relicta Medea, Glaucen ſortitus eſt vxorem. Hoc ideo dixit, quia cum Argonautæ Lemnum fuiſſent ingreſſi, hanc Iaſon ſuo matrimonio ſociauit, quam vtero grauem reliquit: ex quo conceptu geminos edidit Hypſipyle. OENIDEN. Meleagrum ſignificat. AVDIRE NEGANTEM. non obtemperantem dextræ. Lúcan. *Qua nullam melius pelago turbare carinam Audiuere manum.* audire & nauis & currus dicitur. vnde Virg. *neque audit currus habenas.* hic ergo Typhis gubernator nauis Argo. MVTAT IMPERIA. *mutare imperia* eſt modo huc modo illuc nauem conuertere. MOPSI GESTAMINA. quia Mopſus tanquam vates Argonautarum olea fuerat coronatus. huic Mopſo ſe Amphiaraus ab Iaſone prælatum fuiſſe iactauit, ait enim. *nec me ventura locuto Sæpius in dubiis auditus Iaſone Mopſus.* INVOLVERE PROCELLAE. vox enim quæ aut in ſpelunca emittitur, aut in antro, vel certe per littora ipſa inuoluitur: quia aut caua loca ſunt, aut curua. quæ vero in libero aere iactatur late fuſa reſpondet.

Tunc modus armorum. paritérque exhauſta quierunt
Flamina, confuſóque dies reſpexit Olympo.

Quinquaginta illi trabibus de more reuinctis
Eminus abrupto quatiunt noua littora ſaltu.
Magnorum decora a'ta patrum, iam fronte ſereni,
Noſcendíque habitu. poſtquam timor, iráque ceſſit
Vultibus. arcana ſic fama erumpere porta
Cœlicolas, ſi quando domus, littúſque rubentum
Aethiopum, & menſas amor eſt intrare minores.
Dant fluuij montéſque locum. tum terra ſuperbit
Greſſibus, & paulum reſpirat cœlifer Atlas.
Hic & ab aſſerto nuper Marathone ſuperbum
Theſea & Iſmarios, Aquilonia pignora, fratres,
Vtraque quis rutila ſtridebant tempora penna,
Cernimus. hic Phœbo non indignante priorem
Admetum, & duræ ſimilem nihil Orphea Thracæ.
Tunc prolem Calydone ſatam, generúmque profundi
Nereos, ambiguo viſus errore laceſſunt
Oebalidæ gemini. chlamys huic, chlamys ardet & illi,
Ambo haſtile gerunt, humeros exertus vterque,
Nudus vterque genas, ſimili coma fulgurat aſtro.
Ardet iter, magnique ſequens veſtigia mutat
Herculis, & tarda quamuis ſe mole ferentem.
Vix curſu tener æquat Hylas. Lernæaque tollens
Arma, ſub ingenti gaudet ſudare pharetra.

De more. contrarie poeta dixit *de more.* ergo hic ait de propria ipſorum conſuetudine. Rubentum. quia iuxta mare rubrum ſunt: ſiue quia vicina ſignata eſt ſoli. Aethiopas ergo hoc loco deſcribit, quia cum gigantes * ab ipſis ſuſceoti dicuntur hoſpitio. aut certe propter iuſtitiam à numinibus diliguntur. hoc etiam Homerus in primo ſignificauit, eo quod Iuppiter cum his propter iuſtitiam & æquitatem morum deſerto cælo frequenter epuletur. dicuntur enim iuſtiſſimi homines eſſe Aethiopes, & ideo relicto orbe freque iter eos reuiſunt cælicolæ. Caelifer Athlas. Iuuenal. de raritate numinum dixit.

—Nec turba deorum
Talis vt eſt hodie, contentaque ſidera paucis
Numinibus miſerum vrgebant Atalanta minori
Pondere.

quod hic de abſentia numinum reſpirare dixit Athalantem. Ab asserto Marathone. *Marathon* ciuitas, in qua Theſeus nutrius eſt, quam cum Perſæ inuaſiſſent, ab Athenienſibus Theſeo duce, cæde magnorum virorum liberati ſunt. vnde factum eſt vt ita Athenienſes iurent, *Martis & Marathoni.* Hic et ab asserato. Minos, Iouis & Europæ filius, cum patri ſacrificaturus ad aras accederet, orauit potentiam numinis, vt dignam aris ſuis hoſtiam ipſe præberet, itaque ſubito taurus apparuit nimio candore perfuſus: quem admiratus Minos, religionis oblitus, armenti ſui maluit eſſe ductorem, cuius ardore Paſiphae dicitur arſiſſe. igitur contemptus à filio

Iuppiter indignatus, furorem tauro ſubiecit,& Cretenſium non ſolum agros, ſed etiam mœnia vniuerſa vaſtauit. Hunc Hercules miſſus Euriſtei imperio ſuperauit, victumque Argos vſque perduxit, ibi conſecratus Iunoni ab Euriſteo. ſed Iuno exoſa munus, quod ad Herculis gloriam pertinebat, taurum in Atticam regionem expulit, ibi à monte eius Marathonius appellatus eſt, quem poſtea Theſeus Aegei filius interemit, quo facto æternos ſibi gloriæ titulos comparauit. HISMARIOS FRATRES. Zetum & Calaim dicit, Hiſmarii & Aquilonis filios, id eſt, Thraces à monte Hiſmaro, cuius etiam Virg. meminit. *Nec tantum Rhodope miratur, & Hiſmarus Orphea.* & inde præcioſiores dicuntur à nimietate frigoris virides lapides, qui ſmaragdi nuncupantur. NON INDIGNANTE PRIOREM. bene *non indignante*, quia Admeti pecus pauerat, & obſequiis eius emeritus, ei tamen fauebat, apud quem paſſus videbatur iniuriam: quia iuxta Amphryſum fluuium pauit pecus. vnde Virg. *Et te memorande canemus paſtor ab Amphryſo.* quia fabricatores fulminis ſagitta percuſſerat, quoniam Aeſculapius Apollinis filius fuerat fulminatus. rogatu enim Dianæ Hippolytum ad auras ſuperas reuocarat. vnde Virg. *Peonii reuocatum herbis & amore Dianæ.* GENERVMQVE NEREOS. Peleum ſignificat, qui Thetidem Nerei filiam duxit vxorem, Achillis matrem. OEBALIDAS. id eſt, Caſtor & Pollux, qui Spartani fuiſſe dicuntur, quia Oebalia vrbs Spartæ eſt. ARDET. ſplendet. Virgil. *Tyrioque ardebat murice læna.* VIX CVRSV TENER AEQVAT HYLAS. Virgilium imitatus hoc loco poeta eſt, dicendo. *Sequiturque patrem non paſſibus æquis.* Hercules cum acceſſiſſet comes Argonautis, Hylam Thiodamantis filium ſecum duxit armigerum, admirandæ pulchritudinis iuuenem, qui remum fregit in mari, cum pro ſuis remigat viribus, cuius reparandi gratia Myſiam petens ſiluam fertur ingreſſus. Hylas vero cum aquatum perrexiſſet, conſpectus à Nymphis raptus eſt, quem dum Hercules quærit, relictus ab Argonautis in Myſia eſt. vnde Virg. *Nautæ quo fonte relictum Clamaſſent, vt littus Hyla, Hyla, omne ſonaret.*

Ergo iterum Venus, & tacitis corda aſpera flammis
Lemniadum pertentat amor. tunc regia Iuno
Arma, habitúſque virum, pulchræque inſignia gentis
Mentibus inſinuat, certatimque ordine cunctæ
Hoſpitibus patuere fores. tunc primus in aris
Ignis, & infandis venere obliuia curis.
Tunc epulæ, felixque ſopor, nocteſque quietæ,
Nec ſuperum ſine mente reor, placuere, fatentes.
Furſitan & noſtræ fatum excuſabile culpæ
Noſcere cura, duces. cinerem, furiáſque meorum
Teſtor, vt externas non ſponte aut crimine tedas
Attigerim (ſcit cura deum) & ſi blandus Iaſon
Virginibus dare vincla nouis. ſua iura cruentum
Phaſin habent. alios Colchi generaſtis amores.

ET TACITIS CORDA ASPERA FLAMMIS. Occultis. vt Virg. *Et tacitum viuit ſub pectore vulnus.* Ita, inquit, Lemniades coniugalia iura deſciuerant, & idcirco Argonautis iunguntur, vt cum abire cœperint Argonautæ, denuo ſuas relictis Lemniadibus videantur iniurias vindicare. REGIA IVNO. Iuno, inquit, fecit nobis mentem benignam, quia Argonautis fauebat propter Iaſonem, quia eam fluuium tranſiecerat cum ſe in anum illa ſimularet, vt eorum cupientiſſime thalamis iungeretur. & ideo hic Iunonem viros nitidos

effeciſſe ſubiunxit, vt nuptiis, non adulterio, ſi hoc Venus efficeret, placuiſſent.

FATVM EXCVSABILE CVLPAE. fatum noſtræ culpæ, quod viros occideremus. minuit ergo amoris inuidiam cum dicit culpæ. vt Virg. *Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ.* BLANDVS IASON. ſubaudimus *erat.* Iaſon blandus dare vincla virginibus nouis, id eſt, qui ſolitus ſit mutare coniugia, cui ſeſe poſtea addixit Médea. tertio Glaucen vel vxorem habuit vel dimiſit. PHASIN. fluuius quem ideo cruentum dicit, quod per eum Medea fugiens patrem inſequentem interempti dicitur fratris membra iactaſſe. ſiue fluuius Scythiæ Phaſis eſt, barbarorum cædibus cruentus aſſidue. COLCHI. ciuitas eiuſdem gentis, Medeæ patria. ALIOS AMORES. quia poſt Hypſipylen Medeam duxit vxorem. .·.

Iámque exuta gelu tepuerunt ſidera longis
Solibus, & velox in terga reuoluitur annus.
Iam noua progenies, partúſque in vota ſoluti,
Et non ſperatis Lemnos celebratur alumnis.
Nec non ipſa tamen thalami monimenta coacti
Enitor geminos, duróque ſub hoſpite mater
Nomen aui renouo. nec quæ fortuna relictis
Noſſe datum, iam plena quater-quinquennia purgunt.
Si modò fata ſinunt, aluítque rogata Lycaſte.
Detumuere animi maris, & clementior Auſter
Vela vocat. ratis ipſa moram, portúſque quietos
Odit, & aſſueti tendit retinacula ſaxi:
Inde fugam Minyæ, ſocióſque appellat Iaſon
Efferus. O vtinam iam tum mea littora rectus
Præteruectus aquis, cui non ſua pignora cordi,
Non promiſſa fides. certè ſtat fama remotis
Gentibus, æquorei redierunt vellera Phryxi.

NON SPERATIS ALVMNIS. Vnde enim ſperarent filios habere poſſe, quæ viros omnes occiderant. ENITOR. pario. vnde *enixæ* dicuntur quæ generant. QVATER-QVINQVENNIA. viginti annos oſtendit, ex quo ediderat ex Iaſone filios. ODIT. dure animauit nauem dicendo, *moram odit.* Virg. colli oculos dedit dicendo. *Aduerſaque aſpectat deſuper arces,* mirabilis allocutio eſt, quotiens dura à poetis animantur.

VELLERA PHRYXI. Phryxus & Helle Athamantis Aeolo geniti & Nephiles filii fuerunt. quos cum nouerca proſequeretur infeſta, arietem velleris aurei conſcenderunt, mare ingreſſi patriam Colchos petebant. Sed enim Helle, vtpote puella, ſexu infirmior in mare delapſa, nomen Helles ponto tribuit. Phryxus deuenit ad Colchos, ibique immolato ariete, pellem eius auream Marti dicauit, quam draco peruigil cuſtodiebat: ad quam repetendam Iaſon à Pelia rege miſſus, ſemideos Græciæ congregauit, qui ex nauis nomine *Argonautæ* ſunt dicti, quæ à velocitate *Argo* nominata eſt, quod dicente Homero primo Iliados datur agnoſci, ait enim. ἢ, κύνας ἀργὸς. id eſt, *canes veloces.* quæ cum prædictis prima omnium ingreſſa eſt mare. Sed Iaſon vbi Colchos aduenit, adamatus à Medea Æëtæ regis filia, anguem carminibus ſoporatum necauit, & ablatam pellem reuexit in patriam.

Vt ſtata lux pelago, venturúmque æthera ſenſit
Tiphys, & occidui rubuere cubilia Phœbi:
Heu iterum gemitus, iterúmque nouiſſima nox eſt.
Vix reſerata dies, & iam rate celſus Iaſon
Ire iubet, primóque ferit dux verbere pontum.
Illos & ſcopulis, & ſummo vertice montis,
Spumea porrecti dirimentes terga profundi
Proſequimur viſu, donec laſſauit euntes
Lux oculos, longúmque polo contexere viſa eſt
Aquor, & extremi preſſit freta margine cœli.
Fama ſubit portus, vectum trans alta Thoanta
Fraterna regnare Chio. mihi crimina nulla,
Et vacuos arſiſſe rogos; fremit impia plebes
Sontibus accenſæ ſtimulis, facinúſque repoſcunt.
Quin etiam occultæ vulgò increbreſcere voces.
Solâne fida ſuis? nos autem in funere lætæ?
Non deus hæc, fatúmque quod imperat vrbe nefanda.
Talibus exanimis dictis (& triſte propinquat
Supplicium) nec regna iuuant, vaga littora furto
Incomitata ſequor, funeſtáque mœnia linquo:
Quà fuga nota patris. ſed non iterum obuius Euan.
Namme prædonum manus huc appulſa tacentem
Arripit, & veſtras famulam tranſmittit in oras.
Talia Lernæis iterat dum regibus exul
Lemnias, & longa ſolatur damna querela,
Immemor abſentis (ſic Di ſuaſiſtis) alumni.
Ille graues oculos, languentiáque ora comanti
Mergit humo; feſſúſque diu puerilibus actis
Labitur in ſomnos, prenſa manus hæret in herba.

VT STATA LVX PELAGO. Statuta die, qua aſcenderant Argo nautæ. TYPHIS. gubernator nauis Argo. RVBVERE CVBILIA PHOEBI. Phyſici ſerenitatem futuram dicunt, ſi ſole occidente nubes rubeſcant. VIX RESERATA DIES. Bene oſtendit tota nocte Iaſonem vigilaſſe. ſiquidem ortum Luciferi prius aſpexit. CONTEXERE. Aequare. quia longè proſpicientibus videtur mare cælo coniunctum. Sic enim lumina noſtra falluntur, vt putemus maris fluctus vſque ad cæli marginem peruenire. FAMA SVBIT. Senſus. rumor allatus eſt Lemnum, patrem meum Thoantem in Chio regnare, nec mihi cum cæteris Lemniadibus ſcelus fuiſſe commune. NON DEVS HAEC. Verba Lemniadum incuſantium Hypſipylen, quod ſola in patrem ſcelerata non fuerit. & acute dictum. Iam, inquit, illa fecimus nec deorum nutu, nec neceſſitate fatali. His enim defenſionibus facinus excuſatur. Ergo cum vna eſt innocens, reliqui purgationem perdiderunt.

Evan. Liber pater, qui Thoanti patri ſuo fuerat, cũ eiiceretur, auxiliatus. Et vestras famvlam. eleganter iterat. ante enim quã inciperet ab origine Lemniadum facta narrare, dixit. *Seruitium Hyſipyle veſtri fero capta Lycurgi.* Solatvr damna. dixit & hunc ſenſum poeta ſuperius. *Dulce loqui miſeris.* Immemor absentis. infantuli Ophelus, Lycurgi. ſ. filii, quem nutriendum à patre ſuſceperat. Sic di svasistis. interpoſitio. id eſt, hoc diis placuit. Alvmni. non filii, ſed qui alebatur. Comanti hvmo. herboſæ. Heret. dicticôs expreſſit ætatem. nam in actus ludicros cum ſomno requieſcit, infantia quicquid tenuerit non relinquit

Interea campis nemoris ſacer horror Achæi
Terrigena erigitur ſerpens, tractúque ſoluto
Immanem ſeſe vehit, ac poſt terga relinquit.
Liuida fax oculis, tumidi ſtat in ore veneni
Spuma virens. ter lingua vibrat, terna agmina adunci
Dentis, & auratæ crudelis gloria frontis
Prominet. Inachio ſanctum dixere tonanti
Agricolæ, cui cura loci, & ſylueſtribus aris
Pauper honos. nunc ille dei circundare templa
Orbe vago lábens, miſeræ nunc robora ſyluæ
Atterit, & vaſtas tenuat complexibus ornos.
Sæpe ſuper fluuios geminæ iacet aggere ripæ
Continuus, ſquamíſque inciſus adæſtuat amnis.
Sed nunc Ogygii iuſſis quando omnis anhelat
Terra dei, trepidæque latent in puluere Nymphæ,
Sæuior anfractu laterum ſinuoſa retorquens
Terga ſolo, ſiccíque nocens furit igne veneni.
Stagna per, arentéſque lacus, fontéſque repreſſos
Voluitur, & vacuis fluuiorum in vallibus errat.
Incertúſque ſui liquidum nunc aera lambit
Ore ſupinato, nunc arua gementia radens
Pronus adhæret humo. ſi quid viridantia ſudent
Gramina. percuſſæ calidis afflatibus herbæ
Qua tulit ora cadunt, moritúrque ad ſibila campus.
Quantus ab arctois diſcriminat æthera plauſtris
Anguis, & vſque notos, alienúmque exit in orbem.
Quantus & ille ſacri ſpiris intorta mouebat
Cornua Parnaſi, donec tibi Delie fixus
Vexit arundineam centeno vulnere ſyluam.

TERRIGENA EXORITVR. de nemore. & eſt ordo. Interea ſacer ſerpens terrigena exoritur nemoris Achei horror, appoſitiuè. AGGERE RIPAE. id eſt, vt aque ripam longitudinis ſuæ magnitudine tangebat. OGYGII. Thebani. hoc eſt, Liberi patris, ab vno de terrigenis, cuius voluntate aruerunt cuncta amnis flumina, & torrentes Nymphæ. INCERTVSQVE SVI. de vita deſperans, id eſt, quid agat ignarus, vel quo tendat. AETHERA PLAVSTRIS. anguis illius meminit, qui creditur locatus in cælo, per Aratum celebratus. hunc deſcribit diuidentem plauſtra * occiuæ vſque in auſtralem partem, hoc eſt alienum in orbem. poetice autem dicit ſtellarum figuras, quibus plauſtrum efficitur, in vtroque ſydus accipiens: de quo Virg. *Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis.* VEXIT HARVNDINEAM. ex monte Parnaſo, Pythonem dicit ſerpentẽ, qui cum Latonam Ioue grauidam perſequeretur Iunonis iuſſu, & illa fugiens ad mare vſque perueniſſet, oportune Delos inſula, quæ inſtabilis fluctibus vehebatur, admota littoribus ſuſcepit Latonam, & ingenti periculo liberauit. Ibi Apollinem edidit & Dianam. poſt Apollo in vindictam matris Pythona occidit ſagittis, & Delon inſulam ſtabilitate donauit.

Quis tibi parue deus tam magni pondera fati
Sorte dedit? túne hoc vix prima ad limina vitæ
Hoſte iaces? an vt inde ſacer per ſæcula Graiis
Gentibus, & tanto dignus morerere ſepulchro?
Occidis extremæ diſtrictus verbere caudæ
Ignaro ſerpente puer, fugit illicet artus
Somnus, & in ſolam patuerunt lumina mortem.
Cùm tamen attonito moriens vagitus in auras
Excidit, & ruptis immutuit ore querelis,
Qualia non totas peragunt inſomnia voces:
Audit Hypſipyle, facilémque neganria curſum
Exanimis genua ægra rapit. iam certa malorum
Mentis ab augurio, ſparſóque per omnia viſu
Luſtrat humum quærens, & nota vocabula paruo
Nequicquam ingeminans, nuſquam ille, & prata recentes
Amiſere notas. viridi piger accubat hoſtis
Collectus gyro, ſpatioſáque iugera complet,
Sic etiam obliqua ceruicem expoſtus in aluo.
Horruit infelix viſu. longóque profundum
Incendit clamore nemus. nec territus ille,
Sed iacet. Argolicas vlulatus flebilis aures
Impulit. extemplo, monitu ducis aduolat ardens
Arcas eques, cauſámque refert. tum ſquammea demum
Toruus ad armorum radios, fremitúmque virorum
Colla mouet. rapit ingenti conamine ſaxum
Quo diſcretus ager, vacuáſque impellit in auras

Arduus Hippomedum. quo turbine bellica quondam
Librati ſaliunt portarum in clauſtra molares.
Caſſa ducis virtus. nam mollia colla refuſus
In tergum ſerpens venientem exhauſerat ictum.

AMISERE NOTAS. vt etiam miſeræ ambiguitas naſceretur, quia pratorum ſigna defecerant. omnia enim perierant ſerpentis afflatu, & deſtinctum floribus campum ariditas indiſcreta confuderat. VIRIDI veneno ſo. Horat. *Hic virides metuunt colubras.* IVGERA COMPLET. magnitudine corporis ſui terræ iugera infinita compleuerat. ARCAS EQVES. Parthenopæus. VACVAS. late diffuſas. MOLARES. ſaxa ingentia, ex quibus molæ fiunt.

Dat ſonitum tellus, nemorúmque per auia denſi
Diſſultant nexus. at non mea vulnera clamat
(Et trabe fraxinea Capaneus ſubit obuius.) vnquam
Effugies, ſeu tu pauidi ferus incola luci,
Siue deis. vtinámque deis conceſſa voluptas.
Non ſi confertum ſuper hæc tua membra Giganta
Subueheres. volat haſta tremens, & hiantia monſtri
Ora ſubit, linguaq́ue ſecat fera vincla triſulcæ,
Pérque iubas ſtantes, capitíſque inſigne coruſci
Emicat, & nigri ſanie perfuſa cerebri
Figitur haſta ſolo. longus vix vota peregit
Membra dolor. rapido celer ille volumine telum
Circuit, auulſúmque ferens in opaca refugit
Templa dei. hic magno tellurem pondere menſus
Implorantem animam dominis aſsibilat aris.
Illum & cognatæ ſtagna indignantia Lernæ,
Floribus & vernis aſſuetæ ſpargere Nymphæ,
Et Nemees reptatus ager, lucoſque per omnes
Siluicolæ, fracta gemuiſtis arundine Fauni.
Ipſe etiam è ſumma iam tela popoſcerat æthra
Iuppiter, & dudum nimbíque, hyemeſque coibant.
Ni minor ira deo, grauioráque tela mereri
Seruatus Capaneus. moti tamen aura cucurrit
Fulminis, & ſummas libauit vertice criſtas.

DAT SONITVM TELLVS. quia non reſultat vox, niſi aliqua ſoliditate oppoſita. ET TRABE FRAXINEA CAPANEVS. parentheſis eſt. SEV TV PAVIDI FERVS INCOLA LVCI. Inter *pauidum* & *pauentem*; hoc intereſt. *Pauidus* eſt qui pauorem incutit. *pauens* qui ti-

met. ergo pauidi luci ſummitate arborum, ſiue religionis metu incutientis pauorem. VTINAMQVE DEIS. optat deorũ eſſe ſerpentem. eſt enim contemptor numinum, & quærit inuenire facultatem calcandæ religionis. GIGANTA. gigantes ſerpentinis pedibus eſſe dicuntur, quos *dracompedes* vocant. Ouid. in v. Faſtorum. *Ille manus illis dedit, & pro cruribus angues.* COGNATAE. in eadem palude Lerna & nata dicitur, & perempta, ergo cognatæ. ſiue quod aliquando Lerna ſimilem habuit peſtem, ſiue quia iſte anguis videatur ab hydra originem ducere. HARVNDINE FAVNI. canna & ferula coronantur Fauni. hæc ornamenta ſua hos comminuiſſe mortuo ſerpente commemorat, more lugentum. SVMMA POPOSCERAT AETHRA. pro ſplendore ætheris. Virg. *Nec lucidus æthra ſiderea polus.* ergo commotus Iupiter Capanei voce ſacrilega iam popoſcerat fulmina, niſi ira moleſtior ſacrilegium diſtuliſſet. NI MINOR IRA DEO. ideo hic Capaneus fulminatus non eſt, quia fulminandus eſt in bello, quando Iouem ipſum eſt prouocaturus iniuriis, tunc merito interibit. maiore enim pœna pro immanitate plectetur culpæ: ideo minor ira deo, quia iuſtus, cum plus peccauerit, punietur. VERTICE CRISTAS. iam quaſi fulmine conſecratus eſt.

Iamque pererratis infelix Lemnia campis
Liber vt angue locus, modico ſuper aggere longè
Pallida ſanguineis infectas roribus herbas
Proſpicit. huc magno curſum rapit efferra luctu.
Agnoſcitque nefas: terræque illiſa nocenti
Fulminis in morem, non verba in funere primo,
Non lachrymas habet. ingeminat miſera oſcula tantum
Incumbens, animæque fugam per membra tepentem
Quærit hians, non ora loco, non pectora reſtant.
Rapta cutis. tenera oſſa patent, nexúſq. madentes
Sanguinis imbre noui, totúmque in vulnere corpus.
Ac velut aligeræ ſedem, fœtúſque parentis
Cum piger vmbroſa populatus in ilice ſerpens,
Illa redit, querulæque domus mirata quietem
Stat ſuper impendens, aduectóſque horrida mœſto
Excutit ore cibos: cùm ſolus in arbore cara
Sanguis, & errantes per capta cubilia plumæ.

PERERRATIS. participium paſſiuum poſuit, cũ ratio non admittat. LONGE. ipſa altitudo longitudinis magnum indicat ſpacium, quo liber pluribus foret aſpectus. NON LACHRYMAS. ideſt oculi ſine lachrymis patuere. TOTVMQVE IN VVLNERE CORPVS. id eſt totum corpus vulneri vix prope ſufficiet. CVM PIGER. Proſantidi aſtolen. Piger quãtum ad alites pertinet.

Vt laceros artus gremio miſeranda recepit
Intexitque comis, tandem laxata dolore
Vox inuenit iter, gemitúſque in verba ſoluti.
O mihi deſertæ natorum dulcis imago

Archemore. O rerum & patriæ ſolamen ademptæ,
Seruitiique decus, qui te mea gaudia ſontes
Extinxere dei? modò quem digreſſa reliqui
Laſciuum, & prono vexantem gramina curſu?
Heu vbi ſyderei vultus? vbi verba ligatis
Imperfecta ſonis? riſuſque & murmura ſoli
Intellecta mihi? quoties tibi Lemnon, & Argos
Sueta loqui, & longa ſomnum ſuadere querela?
Sic equidem luctus ſolabar, & vbera paruo
Iam materna dabam, cui nunc venit irritus ori
Lactis & infelix in vulnera liquitur imber?
Noſco deos. ô dura mei præſagia ſomni,
Nocturnique metus, & nunquam impune per vmbras
Attonitæ mihi viſa Venus. quos arguo diuos?
Ipſa ego te (quid enim timeam moritura fateri)
Expoſui fatis. quæ mentem inſania traxit?
Tantáne me, tantæ tenuere obliuia curæ?
Dum patrios caſus, famæque exorſa retracto
Ambitioſa meæ, pietas hæc magna, fidéſque
Exolui tibi Lemne nefas. vbi letifer anguis
Ferte duces. meriti ſi quà eſt mihi gratia duri,
Si quis honos dictis. aut vos extinguite ferro,
Ne triſtes dominos, orbámque inimica reuiſam
Eurydicen. quanquam haud illi mea cura dolendo.
Ceſſerit. hócne ferens onus illætabile matris
Transfundam gremio? quam me prius ima ſub vmbras
Mergat humus; ſimul hæc terráque, & ſanguine vultum
Sordida, magnorum circa veſtigia regum
Vertitur, & tacitè mœrentibus imputat vndas.

PRAESAGIA SOMNI. ſuperius dixit. *iam certa malorum mentis ab augurio.* AMBITIOSA. nullius tanta fuit cupiditas, quæ tantam extingueret religionem. EXOLVI TIBI. Hoc eſt quod ſuperius ait. *Noſco deos.* NE TRISTES DOMINOS. Lycurgum & Eurydicen ſignificat, parentes Archemori. Dominos vero dixit ſecundum ius gentium, quia victi vel capti ſeruilibus deputantur officiis. VVLTVM SORDIDA. ſordidum habens vultum. MOERENTIBVS. quia cauſa huius mali Argiui fuerunt, quibus dum Hypſipyle aquas oſtendit, oblita puerum expoſuit morti

Et iam ſacrifici ſubitus per tecta Lycurgi
Nuntius implerat lachrymis ipſúmque, domúmque.

Ipſum aduentantem Perſei vertice ſancto
Montis, vbi aduerſo dederat proſecta Tonanti,
Et caput iratis rediens quaſſabat ab extis.
Hic ſeſe Argolicis immunem ſeruat ab armis
Haud animi vacuus, ſed templa, aræque tenebant.
Nec dum etiam reſponſa deum, monituſque vetuſti
Exciderant, voxque ex adytis accepta profundis,
Prima Lycurge dabis Dyrcæo funera bello.
Id cauet, & mœſtus vicini puluere Martis
Angitur ad lituos, perituriſque inuidet armis.
Ecce fides ſuperum, laceras comitata Thoantis
Aduehit exequias. contra ſubit obuia mater,
Fœmineos cœtus, plangentiaqua agmina ducens.

SACRIFICI. Lycurgi, ſacerdotis Iouis. VBI ADVERSO DEDERAT PROSECTA TONANTI. Aduerſo id eſt aduerſanti. dederat enim numen ſigna contraria. *Proſecta* autem dicuntur exta cum redduntur inſpecta. verbo ſacrificantium vſus eſt. particulæ enim minutæ membrorum omnium *proſecta* dicuntur in ſacris, quæ inferuntur aris. Lucan. *Si pectora pleno Sæpe dedi, laui calido proſecta cerebo.* SERVAT AB ARMIS. hic inquit ideo a Thebano bello ſe abſtinet ne Polynici ferat auxiliũ: quia conſulenti reſponſum fuerat Thebanum bellum ipſius ſanguine imbuendum, quod tamen contingit per mortem filij, quẽ ſerpens peremit. PRIMA LYCVRGE. hoc verſu tenor oraculi continetur. INVIDET ARMIS. quod non iret à bellum. THOANTIS. Hypſipyle, patronymicum a Thoante patre: accentus in fine eſt.

At non magnanimo pietas ignaua Lycurgo,
Fortior ille malis, lachrymáſque inſána reſorbet
Ira patris. longo rapit arua morantia paſſu
Vociferans. Illa autem vbi nam? cui parua cruoris
Lætáue damna mei? viuitne? impellite raptam,
Ferte citi comites. faxo omnis fabula Lemni
Et pater, & tumidæ generis mendacia ſacri
Exciderint. ibat, letumque inferre parabat
Enſe furens rapto. venienti Oeneius heros
Impiger obiecta proturbat pectora parma.
Ac ſimul infrendens, Siſte hunc veſane furorem
Quiſquis es, & pariter Capaneus, acérque reducto
Affuit Hippomedon, rectóque Erymanthius enſe,
Ac iuuenem multo perſtringunt lumine. at inde
Agreſtum pro rege manus, quos inter Adraſtus
Mitior, & ſociæ veritus commercia vitæ

Amphiaraus ait. Ne quæſo. abſiſtite ferro,
Vnus auum ſanguis, neue indulgete furori.
Tuque prior. ſed non ſedato pectore Tydeus
Subiicit, Anne ducem, ſeruatricemque cohortis
Inachiæ ingratis coram tot millibus audes
Mactare in tumulos? quanti pro funeris vltor!
Cui regnum, genitórque Thoas, & lucidus Euan
Stirpis auus. timidóne parum quod gentibus acti s
Vndique in arma tuis, inter rapida agmina pacem
Solus habes? habeas, & te victoria Graium
Inueniat tumulis etiamnum hæc fata gementem.

GENERIS MENDACIA SACRI. propter Liberum patrem Thoantis, cuius filia dicitur fuiſſe Hypſipyle. INFRENDENS. *infrendere* eſt dentes dentibus quatete. vt Virg. *Dentibus infrendens.* Infantes enim ſine dẽtibus *infrendes* dicũtur. RECTOQVE ERYMANTHIVS ENSE. quidam *Rectorque Erymanthius* legunt, ſed male. Erymanthium ergo Parthenopeũ dicit, ab Erymãtho mõte Arcadiæ. RECTO ENSE. protenſo gladio. PERSTRINGVNT. obcæcant. Lucan. *Obliqua perſtringens lumina flamma.* id eſt, aut armorũ lumine obcæcant, aut limis oculis intuentur. COMMERTIA VITAE. alij *vitta* legunt; ergo ſi *vitæ*, quia omnes Argiui erant, ſiue quia commercia vitæ communia ſunt irruentes caſus excipere. Si *vitta* quia ſacerdos erat Apollinis. VNVS AVVM SANGVIS. à Perſeo enim, Danai filio, omnes Græci originem ducunt. INDVLGETE. permittite ſeu operam date. vt Virgil. *iuuat indulgere labori.* SEDATO PECTORE. patienti. magna enim virtus eſt quæ iraſci non nouit. INGRATIS. non reddentibus beneficia, aut præſtito minime gratiam relaturis. STIRPIS AVVS. Hypſipyle dicit Liberum patrem propter Thoantem auum fuiſſe.

Dixerat. & tandem cunctante modeſtior ira
Ille refert, Equidem non vos ad mœnia Thebes
Rebar, & hoſtiles huc adueniſſe cateruas.
Pergite in in exicidium ſocij, ſi tanta voluptas
Sanguinis, imbuite arma domi. atque hæc irrita dudum
Templa Iouis (quid enim haud licitum?) ferat impius ignis.
Si vilem, tanti premerent cùm pectora luctus,
In famulam ius eſſe ratus, dominóque, ducíque.
Sed videt hoc, videt ille deum regnator, & auſis
Sera quidem, manet ira tamen. ſic fatus, & arces
Reſpicit, atque illic alio certamine belli
Tecta fremunt. volucres equitum præuerterat alas
Fama recens, geminos alis complexa tumultus.
Illi ad fata rapi, atque illi iam occumbere leto,
Sic meritam Hypſipylen iterant: credúntque, nec iræ
Fit mora. iamque faces, & tela penatibus inſtant,

Vertere

Vertere regna fremunt, raptúmque auferre Lycurgum,
Cum Ioue, cúmque aris. reſonant vlulatibus ædes
Fœmineis, verſuſque dolor dat terga timori.
Alipedum curru ſed enim ſublimis Adraſtus
Secum ante ora virum fremebunda Thoantida portans
It medius turmis. & parcite parcite, clamat,
Nil actum ſæuè. meritus nil tale Lycurgus
Excidium, gratíque inuentrix fluminis ecce.

THEBES. ſingulariter dixit. ET HOSTILES. ſubaudi; non rebar huc vos hoſtiliter aduenìſſe,in excidium ſcilicet meum. ARMA DOMI. id eſt, domeſtica cæde. ſubaudis mea morte, & ſocium regni communis. TEMPLA IOVIS. quæ coluntur fruſtra, aut nihil præſtant. IMPIVS IONIS. Incendite templa, quia parum eſt ſi famulorum ius domini perdiderunt. QVID ENIM HAVD LICITVM. ſubaudi feceram, ſi vilis ancillæ morte luctus meos vltus eſſem. SERA QVIDEM. Tibullus.

A, miſeret ſiquis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

PRAEVERTERAT ALAS. nunciatum fuerat Argiuis Hypſipylen ad ſupplicium trahi. GEMINOS TVMVLTVS. quia vnus erat in ciuitate, alter vbi Lycurgus eſt. VERSVSQVE DOLOR. timore belli in metum verſus dolor mortis Archemori. ANTE ORA VIRVM. ſecum Hypſipylen ferebat,impetum furentis exercitus, Adraſtus cupiens refrenare, qui eam putabant interemptam fuiſſe.

Sic vbi diuerſis mari euertére procellis
Hinc Boreas, Eurúſque, illinc niger imbribus Auſter.
Pulſa dies, regnantque hyemes, venit æquoris alti
Rex ſublimis equis, geminúſque adſpumea Triton
Frena natans, latè pelago dat ſigna cadenti:
Et iam plana Thetis, monteſque, & littora creſcunt.
Quis ſuperum tanto ſolatus funera voto
Penſauit lachrymas? inopináque gaudia mœſtæ
Rettulit Hypſipyle? tu gentis conditor Euan,
Qui geminos iuuenes Lemni de littore vectos
Intuleras Nemeæ, mirandáque fata parabas
Cauſa viæ genitrix, nec inhoſpita tecta Lycurgi
Præbuerant aditus, & protinus ille tyranno
Nuntius, extinctæ miſerando vulnere prolis.
Ergo adſunt comites (prò ſors, & cæca futuri
Mens hominum) regique fauent. ſed Lemnos ad aures
Vt primùm, dictúſque Thoas, per tela, manúſque
Irruerant, matrémque auidis complexibus ambo
Diripiunt flentes, alternáque pectora mutant.

Illa velut rupes immoto ſaxea viſu
Hæret, & expertis non audet credere diuis.
Vt verò & vultus, & ſigna Argoa relictis
Enſibus, atque humeris amborum intextus Iaſon,
Ceſſerunt luctus, turbatáque munere tanto
Corruit, atque alio maduerunt lumina fletu.
Addita ſigna polo, lætoque vlulante tumultu
Tergáque, & æra dei motas crepuere per auras:

SIC VBI DIVERSIS MARIA. Virgiliana comparatio eſt, ſed contraria. nam ille ad Neptuni comparationem virum bonū poſuit, hic ad Adraſti Neptunū. VENIT AEQVORIS ALTI. ordo: Sic venit rex æquoris, ſicut vbi maria diuerſis prælis euertere venti. GEMINVS TRITON. Duobus corporibus factus. vt. *vtroque refrigent Pectore montano duplex Hyleus ab antro.* ET IAM PLANA THETIS. Virg. *Sic cunctus pelagi cecidit fragor.* EVHAN. Inuenit poeta quod primum dubitabat: Euhan Liber a quo Hypſipyle originem ducit. QVI GEMINOS IVVENES. tunc enim Hypſihylen matrem quærentes illuc deuenerant, a quibus cognita eſt: hi nunc a Lycurgo hoſpitio ſuſcepti. MIRANDAQVE FATA. quæ cogant Hypſipylen de ſeruitio ad regnum redire. PROH SORS. eleganter more comœdiæ cōtigit agnitio filiorū. NON AVDET CREDERE. Incredula diu ſūt lætitiæ vota. tarde enim fidem adhibemus, cum quæ optamus eueniunt. INTEXTVS IASON. pater iuuenū, ex quo hos apud Lemnum ediderat Hypſipyle. ATQVE ALIO. quæ paulo ante luctu flebat, nunc gaudio. alio ergo fletu, ſcilicet gaudio. Terent, *Lachrymo gaudio.* Immoderata enim lætitia, & maxime parentum, habet lachrymas ſuas. SIGNA POLO. datum eſt ſignum cælo. velut barritus. Liber dedit ſonitum tympanorum.

Tunc prius Oeclides, vt prima ſilentia vulgi
Mollior ira dedit, placidáſque acceſſit ad aures.
Audite ô ductor Nemeæ, lectique potentes
Inachidæ, quæ certus agi manifeſtat Apollo.
Iſte quidem Argolicis haud olim indebitus armis
Luctus adeſt, recto deſcendunt limite parcæ.
Et ſitis interitu fluuiorum, & letifer anguis,
Et puer, heu noſtri ſignatus nomine fati
Archemorus. cuncta hæc ſuperum demiſſa ſuprema
Mente fluunt. differte animos, feſtináque tela
Ponite. manſuris donandus honoribus infans.
Et meruit, det pulchra ſuis libamina virtus
Manibus, atque vtinam plures innectere pergas
Phœbo moras, ſempérque nouis bellare vetemur
Caſibus, & ſemper Thebe funeſta recedat.
At vos magnorum tranſgreſsi fata parentum
Felices, longum quibus hinc per ſæcula nomen,

Dum Lernæa palus, & dum pater Inachus ibit,
Dum Nemee tremulas campis iaculabitur vmbras,
Ne fletu violate ſacrum, ne plangite diuos.
Nam deus, iſte deus, Pyliæ nec fata ſenectæ
Maluerit, Phrygis aut degere longius annis.
Finierat, cælóque cauam nox induit vmbram.

TVNC PVER. Lycurgi filius. ideſt. qui primo Opheltes dicebatur. Sed quoniam initia Thebani belli eius initiata ſunt morte, iure fatali poſtea Archemorus nominatus eſt, Græci pronunciatione ſermonis. ἀρχὴ enim Græce *principium* dicitur. μόρος *mors* ſermone eodem nuncupatur. PHOEBE MORAS. ſciebat aduerſa denunciata ne pugnarent ideo *nectemoras*. DVM LERNAEA PALVS. Virgilius. *in freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ*. PYLIAE NEC FATA SENECTAE. Pylias ſenex, iam annos Neſtoris dicit. *Phrygios* autem *annos*, Priami dixit: quem vrbis Troiæ excidium vidiſſe, certiſſimum eſt, Virg. *Satis vna ſuperque Vidimus excidia & capta ſuperauimus vrbi*. Sed amborum annos dicit debere contemni. neuter enim poſt mortem eſt conſecratus. alii vero Tithonem eſſe dicunt Laomedontis fratrem, quem Aurora dicitur adamaſſe. & poſtea cum ille longæ vitæ fata defleret, in cicadam mutatus eſt. CAVAM. obſcuram: omne enim quod cauum, obſcurum, aut *cauam*, inanem. vt Virg. *Nox atra cauam circumvolat vmbram*.

EXPLICIT
THEBAIDOS LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM
LIBRI SEXTI
THEBAIDOS.

VT puer eſt functus, ſerpentis vulnere læſus,
Inſtituunt Danai ludos, hortamine vatis.
Fama vocat cunctos, aruis ac mænibus adſunt.
Primus ſudor equis venit certamine campi.
Extitit hic Dorion victor, Polynice cadente.
Proximus Oeclides. ſed ſumpſit prœmia laudis.
Decipitur curſu puer Arcas. poſtea victor
Hippomedon diſco laudatur ab agmine iacto.
Vix rapitur Lacon Capanei cæſtibus altis.
Tydeus Agileũ ſuperauit agone palæſtræ.
Lex prohibet binos nudo concurrere ferro.
Ipſi iactanti remeat iactata ſagitta.

INTERPRETATIO.

HIC ſextus liber continet agonis cauſa per totam Græciam famam futuri certaminis cucuriſſe. Sequuntur exequiæ Archemori. deſcriptio planctus Euridices matris, & patris Lycurgi. deſcriptio vna Archemori, altera expiationis. deſcriptio circenſium, cum omnium ducum nominibus, & equorum, & ipſius certaminis varietate, vel euentu. in quo docetur Apollinis fauore Amphiarao conceſſam eſſe victoriam. currentium puerorum deſcriptio: in quo certamine vincit Parthenopeus. Diſcobelo: in quo certamine vincit Hyppomedon. deinde pugiles: in quo certamine Capaneus vincit Alcidama. deinde luctatio; in quo certamine vincit Tydeus Agilleam. prohibitio monomachiæ, Amphiarai & Polynicis. Adraſti regis ſagittæ iactus, cum prodigio teli ad dominum reuertentis.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER SEXTVS

Incipit.

NVNTIA *multiuago Danaas perlabitur vrbes*
Fama gradu, ſancire nouo ſolemnia buſto
Inachidas, ludúmque ſuper, quo Martia bellis
Præſudare paret, ſeſéque accendere virtus.
Gratum ex more decus. Primus Piſæa per arua
Hunc pius Alcides Pelopi certauit honorem,
Puluereúmque fera crinem derterſit oliua.
Proxima vipereo celebrauit libera nexu
Phocis Apollineæ bellum puerile pharetræ.
Mox circùm triſtes ſeruata Palæmonis aras
Nigra ſuperſtitio. quoties animoſa reſumit
Leucothoe gemitus, & amica ad littora feſta
Tempeſtate venit, planctu conclamat vterque
Iſthmos, Echioniæ reſponſant flebile Thebæ.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

SANCIRE NOVO SOLEMNIA BVSTO. Agon Archemori apii corona celebratur. idcirco, quia puer hic, cuius memoriæ certamen Nemeum dicatum eſt, admodum paruus obierat. nam humilis herba immaturi luctus oſtendit indicium. quidam ſuper hanc herbam puerum reptantem à nutrice derelictum eſſe, & à ſerpente interemptum volunt; ex hoc creditum eſt coronæ genus indicium immaturæ mortis electum eſſe. nam in hoc agone etiam poetæ certantes coronantur apio. vnde Virg. *Floribus atque apio crines ornatus amaro.* HVNC PRIMVS ALCIDES. primus Hercules hunc honorem manibus

Pelopis exhibuit, qui erat Herculi per Alcmenam genere coniunctus.hoc ordine. Pelopis & Hippodamiæ Liſidice filia.Liſidices Alcmena. Iouis & Alcmenæ Hercules. prima ergo certaminum genera hæc fuerunt,quæ per ordine n hoc loco poeta deſcribit. Olympia in honorem Pelopis, cuius victores oleaſtro coronantur. Pythia in honorem Apollinis, cuius victores lauro coronantur. Iſthmia in honorem Palæmonis, cuius victores pinu coronantur. Nemea in honorem Archemori,cuius victores apio coronantur.apium autem dixit, quia Hercules Pelopi in honorem conſanguinitatis id exhibuit. CERTAVIT HONOREM. In honorem ipſius conſecrauit. FERA OLIVA. pro oleaſtro poſuit, quia victores ipſius certaminis hac fronde coronantur. poſſumus & *feram* pro feraci intelligere. VIPEREO CELEBRAVIT LIBERA NEXV. Pythone enim interfecto Achei agonem Apollini inſtituerunt, quem *Pythiacum* nominauerunt. MOX CIRCVM TRISTES. ſic vocantur. Iſthmia celebrantur apud Corynthum in honorem Palæmonis & Leucotheæ marinorum deorum. Iſthmos, terra in longum porrecta, quæ Ionium ab Aegeo diuidit. Ouid.

Et ſpatio concreta breui freta bina repellit,
Vnaque pulſatur terra duabus aquis.

Et nunc eximij regum quibus Argos alumnis
Connexum cælo, quorúmque ingentia tellus
Aonis, & Tyriæ ſuſpirant nomina matres,
Concurrunt, nudáſque mouent in prælia vires.
Ceu primum auſuræ trans alta ignota biremes
Seu Tyrrhenam hyemem, ſeu ſtagna Aegæa laceſſunt,
Tranquillo prius arma lacu, clauumque, leuéſque
Explorant remos, atque ipſa pericula diſcunt.
At cùm experta cohors, tum pontum irrumpere freta
Longius, ereptáſque oculis non quærere terras.
Clara laboriferos cœlo Tithonia currus
Extulerat, vigiléſque deæ pallentis habenas
Et nox, & cornu fugiebat Somnus inani.

CONNEXVM CAELO. genus, id eſt, qui originem ducunt,propter illam opinionem, quia dicuntur dii terrenis fœminis mixti liberos procreaſſe. diſputatio eſt, quæ dicit bonorum hominum animas ac virorum fortium à diis ſumpſiſſe principium. AONIS. Bœotiam dixit, quia ab his vaſtabatur. TYRIAE SVSPIRANT NOMINA MATRES. Thebanas ſignificat,à Cadmo Tyrio conditore.ſuſpirant autem nomina, quia virtute Græcorum orbabuntur, maritis omiſſis aut liberis. NVDAS VIRES. ſine ferro. IN PRAELIA. in luctamen. INCVRSVS. inceſtus. BIREMES NAVES. duplicem habentes ordinem remorum. ET CORNV FVGIEBAT SOMNVS INANI. *inani cornu* idcirco dixit, quia illud noctis tempore totum diffuderat,quod idem poeta ſuperius manifeſtius aſſeruit,dicens. *cornu perfuderat omni.* nam ſic à pictoribus ſimilatur, vt liquidum ſomnium ex cornu ſuper dormientes videatur effundere. Sic Ennius. *Cum ſeſe exiccat ſomno Romana iuuentus.*

Iam plangore viæ, gemitu iam regia mugit
Flebilis, acceptos longè nemora auia frangunt

Multiplicántque ſonos. ſedet ipſe exutus honoro
Vittarum nexu genitor, ſqualléntiáque ora
Sparſus, & incultam ferali puluere barbam.
Aſperior contra, planctúſque egreſſa viriles
Exemplo famulas premit, hortatúrque volentes
Orba parens, laceráſque ſuper procumbere nati
Relliquias ardet, totienſque auulſa refertur.
Arcet & ipſe pater. mox vt mœrentia dignis
Vultibus Inachij penetrarunt limina reges,
Ceu noua tunc clades, & primo ſaucius infans
Vulnere, letaliſue irrumperet atria ſerpens:
Sic alium ex alio quanquam laſſata, fragorem
Pectora congeminant, integratóque reſultant
Accenſæ clamore fores. ſenſere Pelaſgi
Inuidiam, & lachrymis excuſant crimen obortis.
Ipſe datum quoties, interciſóque tumultu
Conticuit ſtupefacta domus, ſolatur Adraſtus
Alloquijs genitorem vltro. nunc fata recenſens
Réſque hominum duras, & inexorabile penſum:
Nunc aliam prolem, manſuráque numine dextro
Pignora. nondum orſis modus, & lamenta redibant.
Ille quoque affatus non mollius audit amicos,
Quam trucis Ionij rabies clamantia ponto
Vota virùm, aut tenues curant vaga fulmina nimbos.

EXVTVS HONORO NEXV. Lugubriter indutus. ARCET ET IPSE PATER. penſanda eſt in matre doloris acerbitas, cum & pater prohibeat luctum. DIGNIS VVLTIBVS. *dignis* dixit, pro aptis temporibus, ac per hoc lachrymantibus. CEV NOVA TVNC CLADES. lachrymas orbitatis ingredientium Argiuorum renouare ſolatia. naturale eſt enim vt intermiſſa lamenta repetantur, cum aliquis aduenerit notus. Virg.

Vt vero Aeneas tectis ſeſe extulit altis,
Ingentem gemitum tunſis ad ſidera tollunt
Pectoribus.

RESVLTANT ACCENSAE CLAMORE FORES. ædes reſiliunt. SENSERE PELASGI. id eſt, agnouere Argiui lamentationis argumento ſibi imputari cauſam mortis Archemori. ET LACHRYMIS EXCVSANT. flendo oſtendunt interitum Archemori non ſua culpa, ſed fatorum ordine proueniſſe. DATVM QVOTIENS. id eſt, quotiens ei fletum ſtupore permiſſum eſt. PENSVM. pro ſtatutis fatorum poſuit.

Triſtibus interea ramis, teneráque Cupreſſo
Damnatus flammæ torus, & puerile pheretrum
Texitur: ima virent agreſti ſtramina cultu.

Proxima gramineis operoſior area ſertis,
Et picturatus morituris floribus agger.
Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo
Eoas complexus opes, incanáque glebis
Thura, & ab antiquo durantia cinnama bello.
Summa crepant auro, Tyrióque attollitur oſtro
Molle ſupercilium, teretéſque hinc vndique gemmæ
Irradiant, medio Linus intertextus acantho
Letiferique canes. opus admirabile ſemper
Oderat; atque oculos flectebat ab omine mater.
Arma etiam, & veterum exuuias circundat auorum
Gloria mixta malis, afflictæque ambitus aulæ.
Ceu grande exequiis onus, atque immenſa ferantur
Membra rogo: ſed caſſa tamen, ſteriliſque dolentes
Fama iuuat, paruique augentur funere manes.
Inde ingens lachrymis honor, & miſeranda voluptas,
Muneráque in cineres annis grauiora feruntur.
Namque illi & pharetras, breuioráque tela dicarat
Feſtinus voti pater, inſontéſque ſagittas.
Iam tunc & nota ſtabulis de gente probatos
In nomen paſcebat equos, cinctúſque ſonantes
Armáque maiores expectatura lacertos.
Spes auidæ, quas non in nomen credula veſtes
Vrgebat ſtudio? cultúſque inſignia regni
Purpureos? ſceptrúmque minus? cuncta ignibus atris
Damnat atrox, ſuáque ipſe parens geſtamina ferri,
Si damnis rabidum queat exſaturare dolorem.

TRISTIBVS INTEREA RAMIS. non ramis triſtibus, ſed ipſis triſtibus, qui pyram frondibus intexebant. FERETRVM. φέρετρον Græce dicitur, vnde per διαίρεσιν *feretrum* facit. nam Latine *capulus* dicitur, ab eo quod corpus capiat. vnde Plautus. *Capularis ſenex.* id eſt dignus feretro.

AREA. locus ipſius rogi *area* dicitur. ET PICTVRATVS MORITVRIS FLORIBVS AGGER. Compoſitus recenti thure & cynnamo: vt oſtenderet poeta orientales partes viciſſe. ARABVM STRVE. odoribus Arabicis. INCANA. non longa ætate corrupta. AB ANTIQVO. veteris belli prædam iſtis oſtendit odoribus. Liber enim deuicta India hoc vnguenti genus aduexit, gentibuſque dedit. & bene dixit *durantia.* conſtat enim cinnama fugere; vel ad illud magis dixiſſe videtur, quod cynnamum odorem ſuum longo tempore non amittit. Lucan. *Quod nondum euanuit aura cynnamon.* SVMMA CREPANT AVRO. *crepant*, id eſt ſonant. Auri enim textilis ſonus talis eſt. aut illud quod in flexuoſas laminas cæſum eſt. Virg. *Sic leni crepitabat bractea vento* MOLLE SVPERCILIVM. *ſupercilium* pro faſtidio poſuit. TERETES GEMMAE. multi ſeparant gemmas à margaritis.

garitis. vt Cicero. *nullam gemmam, aut margaritam.* & gemmas volunt dici diuerſi coloris, margaritas vero albas. vel gemmas integras, margaritas pertuſas. Dicimus autem & hoc *margaritum*, & hæc *margerites*, quod Græcum eſt. IRRADIAT MEDIO LINVS INTERTEXTVS ACHANTO. Hanc hiſtoriam in primo libro, Adraſto narrante, cognouimus, Linum filium Apollinis & Pſamates, Crotopi filiæ, expoſitum à matre, à canibus fuiſſe diſcerptũ. hæc ergo fabula cum arte eſſet intertexta, odioſa erat matri, quia miſerationem paruuli commouebat. pari enim modo etiam Archemori mors videbatur illata. GLORIA MIXTA MALIS. quoniam maiorum ornamenta funeri adhibebantur. ET MISERANDA VOLVPTAS. fletum. ſc. quod planctus quaſi voluptatem afferat orbitatis parentibus. FESTINVS VOTI. id eſt, votis antecedens ætatem filii. figuratum nomen vel à participio *feſtinans*, vel à verbo *feſtino*. Virgil. *Tibi quam noctes feſtina dieſque.*

Parte alia gnari monitis exercitus inſtat
Auguris, aeriam truncis nemorúmque ruina
Montis onus cumulare pyram, quæ crimina cæſi
Anguis, & infauſti cremet atra piacula belli.
His labor abſciſſam Nemeen, vmbroſáque Tempe
Præcipitare ſolo, lucóſque oſtendere Phœbo.
Sternitur extemplo veteres incædua ferro
Sylua comas, largæ qua non opulentior vmbræ,
Argolicos inter, ſaltúſque educta Lycæos
Extulerat ſuper aſtra caput. ſtat ſacra ſenecta
Numine, nec ſolos hominum tranſgreſſa veterno
Fertur auos, Nymphas etiam mutaſſe ſuperſtes,
Faunorúmque greges. aderat miſerabile luco
Excidium. fugere feræ, nidóſque tepentes
Abſiliunt (metus vrget) aues. cadit ardua fagus,
Chaoniúmque nemus, brumáque illæſa cupreſſus.
Procumbunt piceæ, flammis alimenta ſupremis,
Orníque, iliceæque trabes, metuendáque ſucco
Taxus, & infandos belli potura cruores
Fraxinus, atque ſitu non expugnabile robur.
Hinc audax abies, & odoro vulnere pinus
Scinditur, acclinant intonſa cacumina terræ
Alnus amica fretis, nec inhoſpita vitibus vlmus,

GNARI MONITIS. conſcii præceptorum. AVGVRIS. pater pyram filio faciebat, ſacerdos ſerpenti; quia fuiſſe Martis filius credebatur. NYMPHAS. Nymphæ diu viuunt & tamẽ moriuntur. iſtam autem pyram dicit illis antiquiorem fuiſſe, & poſt mortem illorum incolumem ob honorem numinis perduraſſe. *Veterno* autem dixit ad oſtentationem ætatis antiquæ. ILLAESA CVPRESSVS. quæ nunquam exuitur honore foliorum. CHAONIVMQVE NEMVS. Ouid. hanc enumerationem arborum epithetis ſuis decimo libro monſtrauit.

Vmbra loco venit, non Chaonis abſuit arbor,
Non nemus Heliadum, nec frondibus aſculus altis,
Nec tiliæ molles, nec fagus, & innuba laurus,
Et coryli fragiles, & fraxinus vtilis haſtis.
Enodiſque abies, curuatáque glandibus ilex.
Et platanus genialis, acerque coloribus impar
Amnicolæque ſimul ſalices, & aquatica lotos,
Perpetuóque virens buxus, tenueſque myricæ.
Et bicolor myrtus, & Bacchis cærula pinus.
Vos quoque flexipedes hederæ veniſtis, & vna
Pampineæ vites, & amictæ vitibus vlmi.
Ornique, & piceæ, pomoque onerata rubenti
Arbutus, & lentæ victoris præmia palmæ.
Et ſuccincta comas, hirſutaque vertice pinus
Grata deum matri, ſiquidem Cybelius Athis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

CHAONIVMQVE NEMVS. Arbores dicit, quæ maxime abundant in eo nemore Ioui ſacrato, vbi etiam ipſæ per columbas dabant reſpōſa. Virg. *Atque habita Graiis oracula quercus.* dixit autem *Chaonium nemus*, à toto partem oſtendens.

Dat gemitum tellus. non ſic euerſa feruntur
Hiſmara, cùm fracto Boreas caput extulit antro.
Non graſſante Noto citius nocturna peredit
Flamma nemus. linquunt flentes dilecta locorum
Otia cana Pales, Syluanúſque arbiter vmbræ,
Semideúmque pecus. migrantibus aggemit illis
Sylua, nec amplexæ dimittunt robora Nymphæ.
Vt cùm poſſeſſas auidis victoribus arces
Dux raptare dedit: vix ſigna audita, nec vrbem
Inuenias. ducunt, ſternúntque, abiguntque, ferúntque
Immodici. minor ille fragor quo bella geruntur.

HISMARA. mons Thraciæ, vnde boreas naſcitur. vt Virg. *Miratur & Hiſmarus Orphea.* hic genere neutro poſuit. vt *Menala, Gargara.* ARBITER VMBRAE. id eſt, domus nemorum. SEMIDEVMQVE PECVS. Panes. tetigit hanc opinionem, vt diceret Nymphas & Faunos eſſe mortales. Virg. dixit Turnum à Venilia Nympha natum, ab Aenea monſtrat occiſum, cum ipſius auctor ſanguinis immortalis eſſet. Sunt qui dicunt illam auram numinis, quæ fontibus arboribuſque deuincta eſt, caſu aut aqua ſiccata, aut exciſa arbore, æque illico emori. ſed abſurdum eſt vt numen moriatur. neque enim res poteſt in aliquo caſu occidere, * cum omnium viſibilium, & quæ incorporea ſunt multis viſa mori opinantur. Cæterum ſucciſa arbore, aut ſiccato fonte, ille ſpiritus qui ſocietate tenebatur illius naturæ aſtrictus fugit inuitus, interdum aufertur ratione diuina. Cæterum nec ipſis arboribus cōtingit interitus. ſoluta enim figura ad naturam ſuam recidunt. vnde Virg. *Scilicet huc reddi, deinde ac reſoluta referri.* OMNIA. nec morti eſſe locum. Lucan. in ix lib. *Innocuos vita patientes ætheris imi Fecit, & æternos animam collegit in orbes.* quia dicit Pythagoras animas bonorum virorum in ſtellas poſſe conuerti. *Semideos.* autem

Panes dixit, quia partem habent deorum, partem hominum. IMMODICI MINOR ILLE FRAGOR. ille fragor immodici tumultus non erat minor eo tumultu, quo geſturi erant bella. id eſt maiore clamore diripiunt vrbem, quam ante pugnauerant.

Iámque pari cumulo geminas hanc triſtibus vmbris,
Aſt illam ſuperis æquus labor auxerat aras,
Cùm ſignum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes
Lege Phrygum mœſta. Pelopem monſtraſſe ferebant
Exequiale ſacrum, carménque minoribus vmbris
Vtile. quo geminis Niobe conſumpta pharetris
Squallida biſſenas Sipylon deduxerat vrnas.
Portant inferias, arſuráque fercula primi
Graiorum, tituliſque pios teſtantur honores
Gentis quiſque ſuæ. longo poſt tempore ſurgit
Colla ſuper iuuenum (numero dux legerat omni)
Ipſe fero clamore torus. cinxere Lycurgum
Lernæi proceres, genitricem mollior ambit
Turba, nec Hypſipyle raro ſubit agmine. vallant
Inachidæ memores, ſuſtentant liuida nati
Brachia, & iuuentæ concedunt plangere matri.
Illic infauſtos vt primum egreſſa penates
Eurydice, nudo vocem de pectore rumpit.
Planctúque, & longis præfata vlulatibus infit.

IAMQVE PARI TVMVLO. ſimilibus pyris. vna pro filio Lycurgi, altera pro Amphiarai ſerpente. TIBIA IVBET. Iubet enim religio vt maioribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur. Perſius. *Hinc tuba, candelæ.* Homerus in funere Hectoris dicit.

Tunc pyra conſtruitur quo bis ſex corpora Graium,
Quadrupedéſque adduntur equi, currúſque, tubæque,
Et clypei, galeæque cauæ, Argiuaque tela.

LEGE PHRYGVM. eſt enim in muſicis modus qui dicitur *Phrygius*, quem poeta dicit ad euocationem animæ conuenire, quem Pelopem Phrygium aſſerit lyra dediſſe. ita & Homerus. ne autem eſſet quæſtio vnde hoc Argi nouerint, ſubdidit facultatem, vt Pelops Phrygius docuerit.
QVO GEMINIS NIOBE CONSVMPTA PHARETRIS. Id eſt, Apollinis & Dianæ. Niobe ſecundum Homerum duodecim filios habuit, Sophocles autem dicit eam quatuordecim habuiſſe. amborum opinionem ſecutus poeta diuerſis locis, vtrunque taxauit in hoc loco: *bina per ingentes ſtipabant funera portas.* eſt autem ordo. quo carmine Niobe ſqualida biſſenas Sipylon deduxerat vrnas: quia occiſis liberis apud Thebas ad patriam Sipylon funera cuncta deduxerat. *Sipylon* mons eſt in quo Niobe in ſaxum dicitur mutata. GENTIS QVISQVIS SVAE. Hyperbaton, ſed eius ordo talis eſt: longo poſt tempore ſurgit colla ſuper iuuenum, quos iuuenes ipſe dux legerat. FERO CLAMORE. hoc eſt, minatur ne triſte vitarent officium.

Non hoc Argolidum cœtu circundata matrum
Speraui te nate ſequi, nec talia demens
Fingebam votis annorum elementa tuorum,
Nil ſæuum reputans. & enim his in finibus æui
Vnde ego bella tibi, Thebáſque ignara timerem?
Cui ſuperum noſtro committere ſanguine pugnas
Dulce? quis hoc armis vouit ſcelus? at tua nondum
Cadme domus, nullus Tyrio grege plangitur infans.
Primitias egomet lachrymarum, & cædis acerbæ
Ante tubas ferrúmque tuli. dum deſide cura
Credo ſinus fidos altricis, & vbera mando.
Quid ni ego? narrabat ſeruatum fraude parentem,
Inſontéſque manus. en quam ferale putemus
Abiuraſſe ſacrum, & Lemni gentilibus vnam
Immunem furiis. hæc illa, & creditis auſæ?
Hæc pietate potens? ſolis abiecit in aruis
Non regem, dominúmue, alienos (impia) partus
Hoc tantum, ſyluæque infamis tramite liquit.
Quem non anguis atrox (quid enim hac opus hei mihi leti
Mole fuit?) tantum cœli violentior aura,
Impulſæque noto frondes, caſſúſque valeret
Exanimare timor. Nec vos inceſſere luctu
Orba habeo, fixum matri, immotúmque manebat
Hac altrice nefas. atqui & blandus, & illam
Matre magis ſolam noſſe, atque audire vocantem,
Ignarúſque mei: nulla ex te gaudia matri.
Illa tuos queſtus, lachrymoſóſque impia riſus
Audiit, & vocis decerpſit murmura primæ.
Illa tibi genitrix ſemper, dum vita manebat.
Nunc ego. ſed miſeræ mihi nec punire poteſtas
Sic meritam. quid dona duces? quid inania fertis
Iuſta rogis? illam (nil poſcunt amplius vmbræ)
Illam (oro) cineri ſimul, exciſæque parenti
Reddite quæſo duces. per ego hæc primordia belli
Cui peperi, ſic æqua gemant mihi funera matres
Ogygiæ. ſternit crines iterátque precando,
Reddite, nec verò crudelem, auidámque vocate
Sanguinis, occumbam pariter dum vulnere iuſto
Exſaturata oculos, vnum impellamur in ignem.

FINGEBAM VOTIS ANNORVM. *elementa* pro initijs poſuit: omnium enim humanarum rerum initia *elementa* ſunt dicta. QVID NI EGO. deeſt occidi filium quem negligenti commiſi. nam dolori vox conuenit interrupta. SERVATVM FRAVDE PARENTEM. illi ego paruulum crederem, quæ a ſe patrem fuiſſe ſeruatum iactabat. ABIVRASSE SACRVM. id eſt, facinus execrandum: aut quia ſacramentum fuit inter Lemniades. ABIVRASSE. a ſuo animo abdicaſſe. HAEC ILLA EST. demonſtrative, id eſt, quæ fuerit auſa dominũ proiicere, linquere. NON REGEM. conceſſione. ALIENOS. deeſt *ſed*. INFAMES. periculoſos. vt Horatius. *Infames ſcopulos Acroceraunia*. TRAMITE. *trames* eſt via tranſuerſa. Ergo in periculoſæ ſiluæ via, quod eſt tramite, filiũ dimiſit expoſitum: proprie tamen *trames* eſt via priuata, non publica, id eſt, quæ paucis cognita, vnumquemque ad agrum proprium ducit. Salluſtius: *per tramites occultos exercitũ Metelli anteuenit*. ILLA TIBI GENITRIX. Hypſipyleo dicit letitiæ blandimenta ſenſiſſe de luctu. PRIMORDIA BELLI. oro vos per primordia belli: per mortem filii Argiuos adiurat, cuius obitu Thebanum, velut ſacro aliquo, initiatum eſt bellum.

Talia vociferans alia de parte gementem
Hypſipylen (neque enim illa comas nec pectora ſeruat)
Agnouit longè, & ſocium indignata dolorem.
Hoc ſaltem ô proceres, tuque ô cui pignore noſtro
Partus honos, prohibete nefas. auferte ſupremis
Inuiſam exequiis. quid ſe funeſta parenti
Miſcet? & in noſtru ſpectatur & ipſa ruinis?
Cui luget complexa ſuos? ſic fata repente
Concidit, abruptiſque immutuit ore querelis.
Non ſecus ac primo fraudatum lacte iuuencum,
Cui trepidæ vires, & ſolus ab vbere ſanguis
Seu fera, ſeu duras aduexit paſtor ad aras,
Nunc vallem ſpoliata parens, nunc flumina queſtu
Nunc armenta mouet, vacuoſque interrogat agros
Tunc piget ire domum, mœſtóque nouiſsima campo
Exit. & appoſitas impaſta auertitur herbas.
At genitor, ſceptrique decus, cultúſque Tonantis
Inicit ipſe rogis, tergoque & pectore fuſam
Cæſariem ferro minuit, ſectiſque iacentis
Obnubit tenuia ora comis, ac talia fletu
Verba pio miſcens, Alio tibi perfide pacto
Iuppiter hunc crinem voti reus ante dicaram:
Si pariter virides nati libare dediſſes
Ad tua templa genas, ſed non ratus ore ſacerdos,
Damnatæque preces. ferat hæc quæ dignior vmbra eſt.
Iam face ſubiecta primis in frondibus ignis
Exclamat. labor inſanos arcere parentes.

SEV DVRAS EVEXIT PASTOR AD ARAS. non *aras duras*, ſed *paſtor*. NVNC FLVMINA QVAESTV. ordo. non ſecus ſpoliata parens nunc vallem, nunc quæſtu flumina, nunc armenta mouet.

CVLTVSQVE TONANTIS. infulas dicit quibus ornatus inceſſerat, quia erat ſacerdos. CAESARIEM. nouo ſermone *cæſariem* poſuit pro barba. Supra vultũ filij ſui & comã miſit & barbã ALIO TIBI PERFIDE PACTO. datur enim ſacerdotibus dolor immenſus. vt Virg. *quem non incuſaui amens hominumque, deorumque*. LIBARE DEDISSES. libatio duabus rebus expeditur, lacte & ſanguine. vnde Virgil. *duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro*. quod alterum eorum alimonium ſit vitæ retinendæ: alterum virium continendarum. quia vita hominum his rebus iuuatur: eamque propterea, ſepultutæ commendare ſolent, vt ſocietate parta curationis lucis amiſſæ, poſteritas defectionis honoretur: vnde & flores ſparguntur in honorem mortuorum infantum. vnde Virgil. *purpureos ſpargam flores*. ergo numerat Ioui Lycurgus debuiſſe crinem ſuum cum primitiis filii pubeſcentis barbæ templis libare. FERAT HAEC QVAE DIGNIOR VMBRA EST. id eſt, quoniam preces meæ, vel vota nihil valuerunt, quod ſeruabatur aris, mittatur exequiis. EXCLAMAT. crepitu ſonat. omnis enim clamor ſonus eſt. INSANOS. Impatienter dolentes, vel dolore furiatos.

Stant iuſſi Danai, atque obtentis eminus armis,
Proſpectu viſus intercluſere nefaſto.
Ditantur flammæ. non vnquam opulentior illo.
Ante cinis, crepitant gemmæ, atque immane liqueſcit
Argentum, & pictis exſudat veſtibus aurum.
Nec non Aſſyriis pingueſcũnt robora ſuccis,
Pallentique croco ſtrident ardentia mella,
Spumantéſque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratiſsima cymbia lactis.
Tunc ſeptem numero turmas (centenus vbique
Surgit eques) verſis ducunt inſignibus ipſi
Graiugenæ reges, luſtrántque, ex more, ſiniſtro
Orbe rogum, & ſtantes inclinant puluere flammas.
Ter curuos egere ſinus, illiſáque telis
Tela ſonant. quater horrendum pepulere fragorem
Arma. quater mollem famularum brachia planctum,
Semianimes alter pecudes. ſpirantiáque ignis
Accipit armenta. hic luctus abolere, nouíque
Funeris auſpicium, vates quanquam omina ſentit
Vera, iubet, dextro gyro, & velantibus haſtis
Hac redeunt, raptúmque ſuis velamen ab armis
Quiſque iacit, ſeu frena libet, ſeu cingula flammis
Mergere, ſeu iaculum, ſummæ ſeu caſsidis vmbram.
Multa gemunt contra raucis concentibus agri.
Et lituis aures circum pulſantur acutis.
Terretur clamore nemus. ſic Martia vellunt

Signa tubæ, nondum ira calet, nec ſanguine ferrum
Irrubuit, primo bellorum comitur illo
Vultus, honoris opus. Stat adhuc incertus in alta
Nube, quibus ipſe Mauors indulgeat armis.

INTERCLVSERE NEFASTO. ne ardens filii funus parentes aſpicerent. PALLENTIQVE CROCO. epitheton hoc genus croci non expreſſit: neutro enim genere nuncupatur Salluſtius. *In qua crocum gignitur*. Virgil. *crocumque rubentem*, maſculino genere dixit poeticè. ET ATRI SANGVINIS. duas res mittit, vnam quæ nutrit animam, id eſt lac: alteram qua conſtat, id eſt ſanguis. nec mirandum quia ſanguinem ad inferos placandos intulerit: nam ſanguis proprie videtur animæ eſſe poſſeſſio, vnde *exangues* mortuos dicimus. CYMBIA. pocula nauibus ſimilia, vt & ipſa nominis figura indicat, diminutiue a *cymba* dicta. TVNC SEPTEM NVMERO TVRMAS. ordo: tunc ſeptem numero turmas verſis ducunt inſignibus. SVRGIT EQVES. id eſt equis ſedentes reuerſis peditibus. SINISTRO ORBE. quia nihil dextrũ mortuis conuenit. vt funeribus abſoluantur, dextro ordine redeunt. INCLINANT PVLVERE FLAMMAS. flammarum apicem vis pulueris equorum pedibus mota flectebat. MOLLEM FOEMINARVM BRACHIA PLANCTVM. nunc percuſſionem manuum ſignificat. *planctus* etenim dicitur omnis colliſio Varronis opinione. *Ideo mulieres ſolitas in luctu ora lacerare, vt ſanguine oſtenſo inferis ſatisfiat*. QVANQVAM OMINA SENSIT. id eſt quamuis nouerit calamitatem imminere immutabilem: tamen dextro orbe redeunt milites, vt exoluant ſe, ne exequiis implicentur. RAPTVMQVE SVIS VELAMEN AB ARMIS. Vnusquiſque Amphiarai iuſſu quodcũque ex armis rapium in ignem iaciebat, vt inde expiatio fieret occiſi ſerpentis.

Finis erat, lapſuſque putres iam Mulciber ibat
In cineres. inſtant flammis, multóque ſoporant
Imbre rogum, poſito donec cum ſole labores
Exhauſti: feris vix ceſſit cura tenebris.
Roſcida iam nouies cœlo dimiſerat aſtra
Lucifer, & totidem lunæ præuenerat ignes
Mutato Nocturnus equo. nec conſcia fallit
Sidera, & alterno deprenditur vnus in ortu.
Mirum opus accelerante manu, ſtat ſaxea moles
Templum ingens cineri. rerúmque effectus in illo
Ordo docet caſus. Feſſis hic flumina monſtrat
Hypſipyle Danais, hic repsat flebilis infans,
Hic iacet, extremum tumuli circum aſperat orbem
Squammeus. expectes morientis ab ore cruenta
Sibila, marmorea ſic voluitur anguis in haſta.

PVTRES. molles. MVLTOQVE SOPORANT. id eſt aqua extinguunt. LVCIFER. Lucifer & mane oritur & veſpere, ſed equo mutato: quam rem ſciunt ſydera, quod vnum aſtrum ſit, nec falluntur ſicut mortales, qui putant duos eſſe. Poetæ autem quadrigas dant ſoli, bigas lunæ, equos ſingulos ſyderibus. eundem ergo Veſperum vult haberi: vt Horatius Veſperum pro Lucifero poſuit. *nec tibi Veſpero ſurgente decedunt amores, nec rapidum fugiente ſolem*. EXPECTES. laus operis.

Tantalus inde parens, non qui fallentibus vndis
Imminet, aut refugæ ſterilem rapit aera ſyluæ,
Sed pius, & magni vehitur conuiua Tonantis.
Parte alia victor curru Neptunia tendit
Lora Phelops, preſſátque rotas auriga natantes
Myrtilus, & volucri iam iamque relinquitur axe.
Et grauis Acriſius, ſpeciéſque horrenda Chorœbi.
Et Danae culpata ſinus. atque amne reperto
Triſtis Amymone, paruóque Alcmena ſuperbit
Hercule, tergemina crinem circundata luna.
Iungunt diſcordes inimica in fœdera dextras
Belidæ fratres. ſed vultu mitior aſtat
AEgyſtus, Danai manifeſtum agnoſcere ficto
Ore nefas, paciſque malæ, nocti ſque futuræ.
Mille de-hinc ſpecies. tandem ſatiata voluptas,
Præſtantéſque viros vocat ad ſua præmia virtus.

INDVLGENS INACHVS VRNAE. Virgil. *cælataque amnem fundens pater Inachus vrna.* IVPITER ATQVE HOSPES IAM TVNC AVRORA COLEBAT. hoc eſt, hi qui in oriente ſunt. colitur autem in AEgypto, vbi etiam Iſis vocatur. Simul notandum quod communis generis declinauit *hoſpes*, cum legerimus: *bellum ô terra hoſpita portas.* NON QVI FALLENTIBVS VNDIS. hoc eſt, regali habitu, & in meliore fortuna. id eſt, qualis fuerat antequam deos offenderet. STERILEM RAPIT. id eſt, qui fugientibus pomis vacuum rapit aera. Ergo hic *ſiluam* poſuit pro arboribus. vnde Virg. *pomaque & Alcinoi ſiluæ.* NEPTVNIA TENDIT LORA PELOPS. Virg. *humeroque Pelops inſignis eburno.* a Neptuno enim aptatus curuli certamine equos acceperat, quorum curſu omnes anteiret, ipſum quoque Oenomaũ ſuperauit, qui a Myrtilo ſuppoſito axe cereo ſuperatus eſt ab his. vnde Horat. *Myrthoum pauidus nauta ſecet mare.* dicitur enim prædictus auriga præcipitatus a Pelope in mare. SPECIESQVE HORRENDA CHOROEBI. hic eſt Chorœbus qui monſtrum Apollinis interemit, & pro omnibus ſe deuouit. ideo *horrenda*, id eſt venerabilis. aut *horrenda*, ſpecie terribili, quaſi cõtemptor vitæ mortiſque. ET DANAE CVLPATA SINVS. Danae Acriſii filia, hæc cum a patre ob cuſtodiendam virginitatem arctius ſeruaretur, dicitur eius ſpecie captus Iupiter ſeſe in imbrem aureum demutaſſe, & ita in modum pluuiæ ſinum Danaes penetraſſe. Ex qua coniunctione Iupiter Perſeum edidit. vnde Horatius.

Sed non Acryſium virginis abditæ
Cuſtodem pauidum Iupiter & Venus
Miſiſſet. Terentius.
Deum ſe in hominem conuertiſſe, ac per alienas tegulas
Veniſſe clanculum per impluuium, fucum factum mulieri.
At quem deum! qui templa cæli ſumma ſonitu concutit.

TRISTIS AMYMONE. Belus Danai pater, Danaus Amymones. Amymone à Neptuno compreſſa Nauplium generauit, Nauplius Palamedem. vnde Virgil. *Belide nomen Palamedis.* TERGEMINA CRINEM. Quia cum Hercules naſceretur, continuæ tres noctes dicuntur fuiſſe: *tergemina* autem *nocte*, non ſex ſed tribus, vetuſte poſuit, vt Virgil. *tergemini nece Geryonis.* BELIDAE FRATRES ex Belo nati, Danaus & AEgyſtus fratres, his cum par numerus filiorum filiarumque eſſet, Danaus deprehendit oraculo ſe ab vno AEgyſti fratris filio occidendum: itaque ſimulauit ſe fratris filiis natas in matrimonii conſortium

traditurum: armauitque occulte filias cõiugali nocte, vt ſponſos ſuos occiderent. Vniuerſæ voluntatem patris ſecutæ ſponſos ſuos occiderunt, ſola Hypermneſtra Lino pepercit: a quo poſtea Danaus, vt oraculi fides impleretur, occiditur. *Inimica* ergo *in fœdera* dixit, quia dextrarum coniunctio ad diſcordiam profecit.

Primus ſudor equis. dic inclyte Phœbe regentum
Nomina, dic ipſos neque enim generoſior vnquam
Alipedum collata acies, ceu præpete curſu
Confligant denſæ volucres, aut littore in vno
AEolus inſanis ſtatuat certamina ventis.
Ducitur ante omnes rutilæ manifeſtus Arion
Igne iubæ. Neptunus equo (ſi certa priorum
Fama patet) primus teneris læſiſſe lupatis
Ora, & littoreo domitaſſe in puluere fertur
Verberibus parcens, & enim inſatiatus eundi
Ardor, & hyberno par inconſtantia ponto.
Sæpe per Ionium, Libycumque natantibus ire
Interiunctus equis. omnéſque aſſuetus in oras
Cœruleum deferre patrem. ſtupuere relicta
Nubila: certantes Eurique, Notique ſequuntur.

PRIMVS SVDOR EQVIS. Virgil. *Prima citæ claſſis ponam certamina Teucris.* ARION. equus Adraſti, qui ex Neptuno & Cerere natus dicitur, humano veſtigio dextri pedis. EVRI NOTHIQVE SEQVVNTVR. equi velocitate etiam nubila vincebantur: quaſi & ipſe certaret. Item *Euri ſequuntur*, diuine dictum: dedit illis victoriæ votum, ſed ademit effectũ.

Nec minor in terris bella Euryſthea gerentem
Amphitryoniaden alto per gramina ſulco
Duxerat. ille etiam ferus, indociliſque teneri.
Mox diuum dono regis dignatus Adraſti
Imperia, & multum mediis manſueuerat annis.
Tunc rector genero Polynici indulget agendum
Multa monens, vbi feruor equo, qua ſuetus ab arte
Mulceri, nec ſæua manus, nec liber habenis
Impetus. vrge alios inquit, ſtimuliſque, miniſque,
Ille ibit, minus ipſe voles. ſic ignea lora
Cùm daret, & rapido Sol natum imponeret axi
Gaudentem, lachrymans aſtra inſidioſa docebat,
Nolenteſque teri zonas, mediamque polorum

Temperiem: pius ille quidem, eſt formidine cautus,
Sed iuuenem duræ prohibebant diſcere Parcæ.

ALTO PER GRAMINA SVLCO. id eſt orbita illius currus quem ducebat: ideo quia ſeſſoris pondere prægrauabatur, altius infigebátur terræ veſtigia. ASTRA INSIDIOSA. periculoſa: ideo quia ſunt ſigna viſu terribilia. monebat ergo Phaetontem Sol, vt non ageret currus per auſtralem, ſed ſeptentrionalem plagam. Lucanus de Phaetonte in libro qui inſcribitur Iliacon, ita.

Haud aliter raptum tranſuerſo limite cæli
Flammati Phaetonta polis videre, Deique,
Cum vice mutata totis in montibus ardens
*Terra dedit cælo * naturaque verſa.*

EVRYSTHEA. id eſt ad quem Euryſteus eum mittebat. Euryſtheus enim rex Græciæ perſa genus, qui Iunonis inſtinctu imperabat Herculi, vt varia monſtra ſuperaret, quibus poſſet perire. vnde Virgil. *quis aut Euryſthea durum.* *durum* vocat ideo, quia potuit ad complendum nouercale odium ſufficere.

Oebalios ſublimis agit ſpes poxima palmæ
Amphiaraus equos. tua furto lapſa propago
Cyllare, dum Scythici diuerſus ad oſtia ponti
Caſtor, Amyclæas remo permutat habenas.
Ipſe habitu niueus: niuei dant colla iugales.
Concolor eſt albis & caſsis, & infula, criſtis.
Quin & Theſſalicis fœlix Admetus ab oris
Vix ſteriles compeſcit equas, centaurica dicunt
Semina credo, adeò ſexum indignantur, & omnis
In viris adducta Venus. noctemque, diémque
Aſsimulant, maculis internigrantibus albæ
Tantus vterque color. credi nec degener illo
De grege Caſtalio, ſtupuit qui ſibila cannæ
Lætus, & audito contemſit Apolline paſci.

OEBALIOS. Laconicos. FVRTO. Adulterio furtim commiſſo. CYLLARE. Equi Caſtoris, Cyllarus & Xantus. aliter enim Virgil. *Pollucis habenis Cyllarus.* Sed non indifferenter iunguntur vocabulo, qui ſunt vitæ permutatione coniuncti: & templum Caſtoris dicimus, cum ſit duorum. & legimus *Caſtor vterque bonus.* Conſtat autem hunc Caſtorem inter Argonautas fuiſſe, & eum omiſſo equorum ſtudio remigem factum, quo tempore occaſio data eſt, vt Cyllarus vocaretur. Sed debet proprie Caſtoris dici. fuit enim hoc ſtudium huic, vt Homerus aſſerit. Κάστορ᾽ ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν πολυδεύκεα. Horatius enim *Caſtor gaudet equis ſomo prognatus eodem pugnis.* FOELIX ADMETVS. propter amicitiam Herculis, propter receptam dictus vxorem. IN VIRIS ADDVCTA VENVS. cupido libidinis migrauit in viros. DE GREGE CASTALIO. de Pegaſi grege, qui fontem Hippocrenem, Appollini & Muſis dicatum, vngula ſua produxit. Neptunus enim pater quorundam equorum fertur, Pegaſi ex Meduſa, Arionis ex Cerere. ergo quæ Admeti regis, perſeo colore fuerunt.

Ecce & Iaſonidæ iuuenes noua gloria matris
Hypſipyles ſubiere iugo, quo vectus vterque
Nomen auo gentile Thoas, atque omine dictus
Euneos Argoo. geminis eadem omnia, vultus,
Currus, equi, veſtes, par & concordia voti
Vincere: vel ſolo cupiunt à fratre relinqui.
It Chromis, Hippodamúſque, alter ſatus Hercule magno,
Alter ab Oenomao. dubites vter effera preſſet
Frena magis. Getici pecus hic Diomedis: at ille
Piſæi iuga patris habet. crudelibus ambo
Exuuiis, diróque imbuti ſanguine currus.
Metarum inſtar erat hinc nudo robore quercus,
Olim omnes exuta comas, hinc ſaxeus vmbo
Arbiter agricolis finem iacet inter vtrumque,
Quale quater iaculo ſpatium ter arundine vincas.

Ecce et iasonidae ivvenes. ex Iaſone & Hypſipyle duo nati ſunt filii, Thoas & Euneus, quorum Thoas maternum auũ nomine refert, Euneus vocatus alter ominis cauſa a patre nauigaturo: quorum nomina oportuno tempore poeta commemorat. hi vero quia certaturi noti non eſſe debuerant, adeo fraterna contentio fuit, vt nec victus doleat, nec victor inſultet. Hic Chromis. Chromin dicit Herculis filium, quẽ conſtat equos habuiſſe Thracas, quos Hercules extincto rege abduxerat, humanis carnibus veſci conſuetos: cum multi hoc exitio interiiſſent hoſpites, hunc Hercules, ne ab eodem circumuentus periret, equorum ſuorum fecit pabulum: quos filio ſuo habendos conceſſit. Alter ab oenomao. Hippodamum dicit Oenomai currus regentem: eorum enim equorum non diſſimilis eſt fama, exitio tot procorum. ideo ambigit poeta, quibus equis ab eo maior crudelitas aſcribatur. Ex vtroque enim ſtabulo proceſſit horrenda crudelitas. Frena. genus pro ſpecie: equos enim ſignificat.

Interea cantu Muſarum nobile mulcens
Concilium, citharæque manus inſertus Apollo
Parnaſſi ſummo ſpectabat ab æthere terras,
Orſa deum (nam ſæpe Iouem, Phlægrámque, ſuíque
Anguis opus, fratrúmque pios cantarat honores)
Tunc aperit quis fulmen agat, quis ſydera ducat
Spiritus. vnde animi fluuiis, quæ pabula ventis.
Quo fonte immenſum viuat mare, quæ via Soles
Præcipitet. noctem quæ porrigat. ima ne tellus,
An media, & rurſus mundo ſuccincta latenti.
Finis erat, differt auidas audire ſorores:
Dumque chelym lauro, textumque illuſtre coronæ

Subligat, & picto diſtinguit pectora limbo,
Haud procul Herculeam Nemeen clamore reductus
Aſpicit, atque illic ingens certaminis inſtar
Quadriiugi. noſcit cunctos, & forte propinquo
Conſtiterant Admetus, & Amphiaraus in aruo.

MANVS INSERTVS. manus habens inſertas. PHLEGRAM. regio eſt in qua debellati Gigantes ignitis fulminibus perierunt. φλέγαι enim Græce *ignire* proprie dicitur. ANGVIS. Pythonis. FRATRVMQVE HONORES. id eſt, ea facta quæ reliqui dii gloria ſua ſignant. QVIS SIDERA DVCAT SPIRITVS. ſecta Platonica dicit omnia ſpiritu diuino gubernari. vnde Virg.

Principio cælum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra,
Spiritus intus alit.

Etenim illa anima quæ vinculum mundi nectit, mens & ſpiritus vocata eſt: quæ dat mortalium animis cunctas ſpecies, motumque & vitam. vt Virg. *mens agitat molem*, quæ Platone atteſtante affirmatur. Sed huius tractatus ſecretæ philoſophiæ magna laus Perſis debetur, quod eam gentem horum ſecretorum primum ratio habita eſt. vel Perſes ſcilicet ille magnus præceptor huius philoſophiæ. VIVAT MARE. oſtendit poeta, viuum & viua, poſſe dici ea quæ neque anima, neque ſpiritu mouentur. QVAE VIA SOLES PRAECIPITET NOCTEM QVAE PORRIGAT. Theſis philoſophica; terra elementorũ omnium ima ſit, an ſuſpenſa. vt Lucretius. ergo vtrum voluatur cælum, quod accidit ſi media eſt terra, quod ſi in imo deſinit eſſe immobile. Sed cum diſputantium diſcordat opinio, verum nobis dicet ſi qui rite cognouit originum cauſas. vnde Virg. *fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas*. MVNDO SVCCINCTA LATENTI, *Latentem mundum*. Antipodas dicit. *ſuccincta* autem pro pendenti, quia ſi media eſt nulla ſtabilitate firmatur. ſed de his rebus prout ingenio meo connectere potui, ex libris ineffabilis doctrinæ Perſei præceptoris, ſeorſum libellum compoſui, Lactantius Placidus. DVMQVE CHELIM LAVRO. citharædorum diſciplinam expreſſit, quibus moris eſt finito carmine coronam detractam capiti, cytharæ ſubligare. LIMBO. zona ſeu faſcia. *limbus* enim proprie faſcia picta dicitur. quæ imis aſſuitur veſtibus. vt Virgil. *Sydoniam picta clamydem circundata limbo*. aliter *limbus* eſt faſcia quæ ambit extremitatem veſtium, ſecundum antiquum ritum, vt victoris clamydem auratam, habentem circum purpuram. CERTAMINIS INSTAR. ſpeciem enim belli quadriiugum certamen adduxerat cupido vincendi.

Tunc ſecum, Quiſnam iſte duos fidiſſima Phœbo
Nomina commiſit deus in diſcrimina reges?
Ambo pii, carique ambo. nequeam ipſe priorem
Dicere. Pheliacis hic cum famularer in aruis,
(Sic Iouis imperia, & nigræ voluere ſorores)
Thura dabat famulo, nec me ſentire minorem
Auſus: at hic tripodum comes, & pius artis alumnus
Aetheræ, potior meritis tamen ille. ſed huius
Extrema iam fila colu, datur ordo ſenectæ
Admeto, ſerumque mori. tibi nulla ſuperſunt.

Gaudia, iam Thebæ iuxta, & tenebroſa vorago:
Scis miſer, & noſtræ pridem cecinere volucres.

PELIACIS. montem Pelion in Theſſalia eſſe notiſſimum eſt, prope quem deus Apollo Admeti regis pauit armenta. Conſtat autem huius iniuriæ hanc potiſſimum fuiſſe cauſam. fulminato ab Ioue Aeſculapio, qui reuocare ad vitam auſus eſſet Hyppolitum, pater Apollo vbi ſe videt orbatum, ſagittis Cyclopas occidit, qui Iouis fulmina fabricare conſueuerant: ob hoc mortalem indutus formam, pecus Admeti iuxta fluuium pauit Amphryſum. AT HIC TRIPODVM COMES. Amphiaraus ſcilicet. & notandum, varietatem nominum ſolis pronominibus ſeparatam. illic & huius meritis, tamē ille Admetus. DATVR ORDO SENECTAE SERVMQVE MORI. beneficio enim vxoris Alceſte Admetus diſtulerat mortem. cuius talis eſt fabula. Alcaſtes vxor Admeti fuit, hæc cum agnouiſſet viro ſuo finem propinquare vitæ, ſeſe obtulit morti, quam cum extinctam Admetus impatienter doleret, Herculis laboribus ei reducta ab inferis dicitur. eleganter ergo hic poeta *ſerum mori* Admeto poſuit, videlicet, pro quo alter conceſſit in fata. vnde Iuuenalis. *Spectant ſubeuntem fata mariti Alceſten.* ET NOSTRAE PRIDEM CECINERE VOLVCRES. ſenſus, etiam auium noſtrarum augurio moriturum te eſſe præuidiſti.

Dixit, & os fletu pene inuiolabile tinctus.
Extemplo Nemeen radiante per æthera ſaltu
Ocyor, & patrio venit igne, ſuíſque ſagittis.
Ipſe olim in terris, cœlo veſtigia durant.
Claráque per Zephyros etiamnum ſemita lucet.
Et iam ſortitus Protheus verſarat ahena
Caſside, iámque locus cuique eſt, & liminis ordo.
Terrarum decora ampla viri decora ampla iugales
Diuum vtrumque genus, ſtant vno margine clauſi,
Spéſque, audáxque metus, vnà & fiducia pallens:
Nil fixum cordi pugnant exire, pauéntque,
Concurrit ſummos animoſum frigus in artus.
Qui dominis, idem ardor equis. face lumina ſurgunt,
Ora ſonant morſu, ſpumíſque, & ſanguine ferrum
Vritur, impulſi nequeunt obſiſtere poſtes,
Clauſtráque, compreſſæ transfumat anhelitus iræ.
Stare adeo miſerum eſt. pereunt veſtigia mille
Ante fugam, abſentémque ferit grauis vngula campum.
Circunſtant fidi, nexúſque, & torta iubarum
Expediunt, firmantque animos, & plurima monſtrant.

ET OS FLETV. noluit dare pathos mortali numini. philoſophice potius, quam poëtice. Ouidius idem de Apolline, Coronide occiſa.

Collapſámque fouet, ſeráque ope vincere fata

Nititur, & medicas exercet inaniter artes.
Quæ poſtquam fruſtra tentata, rogúmque parari
Senſit, & arſuros ſupremis ignibus artus,
Tunc vero gemitus (neque enim cæleſtia tingi
Ora decet lachrymis) alto de corde petitos
Edidit.

DECORA. alias, *decorique*, vt propter metrum ea ſyllaba breuis accipiatur. DIVVM VTRVNQVE GENVS. quia equi & auriga diuino oriuntur ex ſemine. VRITVR. calidum fit, ſiue calore atteritur. VESTIGIA MILLE. quia illud videbatur geri, quod adhuc non ceperat. familiare enim generoſorum equorum eſt, inquietudine pedum anticipare curſum. quia multa ſtans mutat veſtigia. Virg. *Stare loco neſcit.*

Inſonuit contra Tyrrhenum murmur, & omnes
Exiliere loco. quæ tantum carbaſa Ponto?
Quæ bello ſic tela volant? quæ nubila cœlo?
Amnibus hybernis minor eſt, minor impetus igni:
Tardius aſtra cadunt. glomerantur tardius imbres.
Tardius è ſummo decurrunt flumina monte,
Emiſſos videre, atque agnouere Pelaſgi.
Et iam rapti oculis, iam cæco puluere mixti
Vna in nube latent. vultúſque vmbrante tumultu,
Vix inter ſeſe clamore, & nomine noſcunt.
Euoluêre globum, & ſpatio quo quiſque valebat
Diducti, delet ſulcos iterata priores
Orbita. nunc auidi prono iuga pectore tangunt,
Nunc pugnante genu preſſis duplicantur habenis.
Colla toris crinita tument, ſtantéſque reflectit
Aura iubas, bibit albentes humus arida nimbos.
Fit ſonus, immaniſque pedum, tenuiſque rotarum.
Nulla manus requies, denſiſque inſibilat aer
Verberibus. gelida non crebrior exilit Arcto
Grando, nec Oleniis manant tot cornibus imbres.

TYRRHENVM MVRMVR. tubam ſignificat, quam Meleus Tyrrhenorum imperator primus inuenit: à qua opinione nec Virg. diſcrepat, cum dicit: *Tyrrhenuſque tubæ mugire per æthera clangor.* TARDIVS ASTRA CADVNT. parabola per hyperbolen, quæ tunc adhibetur, cum nec illa quidem quæ comparantur ad exprimendam ſimilitudinem poſſe ſufficere ſcriptor affirmat. VIX INTER SESE. ordo vix ſeſe internoſcunt clamore & nomine, aut enim confundit clamore ſonum ſpectantium multitudo, aut frequenter increpitat, cuius fauor aduenit: vtrunque autem turbationem facit. EVOLVERE GLOBVM. id eſt, primam metam tranſierunt. REPETIT. diſpergit, diſſoluit. ALBENTES NIMBOS. ſpumas aut ſudores. OLENIIS. *Olenium* Arcadiæ opidum, vndè Oleniam capram volunt fuiſſe, Iouis nutricem. hæc cum filiis ſuis inter ſidera recepta eſt, cuius ſydus imbriferum dicitur. vnde Virg.

Quantus ab occaſu veniens pluuialibus hœdis
Verberat imber humum.

Eſt ergo ſignum hyemale Aquarium ſequens. dicit igitur verberum crebritatem aſſiduos imbres poſſe ſuperare.

Senſerat adductis alium præſagus Arion
Stare ducem loris, dirúmque expauerat inſons
Oedipodioniden. iam illinc à limine diſcors,
Iratúſque oneri inſolito truculentior ardet.
Inachidæ credunt accenſum laudibus. ille
Aurigam fugit, aurigæ furiale minatur
Efferus, & campo dominum circumſpicit omni,
Ante tamen cunctos; ſequitur, longéque ſecundus
Amphiaraus agit, quem Theſſalus æquat eundo
Admetus. iuxta gemini, nunc Euneos ante,
Et nunc ante Thoas. cedunt, vincúntque, nec vnquam
Ambitioſa pios collidit gloria fratres.
Poſtremum diſcrimen erant Chromis aſper, & aſper
Hippodamus. non arte rudes, ſed mole tenentur
Cornipedum. prior Hippodamus fert ora ſequentum,
Fert gemitus. multáque humeros incenditur aura.
Sperauit flexæ circùm compendia metæ
Interius ductis Phœbeius augur habenis
Anticipaſſe viam, nec non & Theſſalus Heros
Spe propiore calet, dum non cohibente magiſtro
Spargitur in gyros, dextérque exerrat Arion.
Iam prior Oeclides. & iam non tertius ibat
Admetus. laxo cum tandem ex orbe reductus
Aequoreus ſonipes premit, euadítque parumper
Gauiſos. ſubit aſtra fragor, cœlúmque tremiſcit,
Omniáque excuſſo patuere ſedilia vulgo.
Sed nec lora regit, nec verbera pallidus addit
Labdacides: laſſa veluti ratione magiſter
In fluctus, in ſaxa ruit. nec iam amplius aſtra
Reſpicit, & victam proiecit caſibus artem.
Rurſus præcipites in recta, ac deuia campi
Obliquant, tendúntque vias, iterum axibus axes
Inflicti, radiíſque rotæ. pax nulla, fidéſque.
Bella geri ferro leuius, bella horrida credas:

Is furor

Is furor in laude eſt. trepidant, mortémque minantur,
Multáque tranſuerſis perſtringitur vngula campis.
Nec iam ſufficiunt ſtimuli, nec verbera, voce
Nominibúſque cient Pholoen Admetus, & Irin
Funalémque Thoen. rapidum Daneius augur
AEſcheton increpitat, meritúmque vocabula Cygnum.
Audit & Herculeum Strimon Chromin. Euneon audit
Igneus Aechion. tardúmque Cydona laceſſit
Hippodamus, variúmque Thoas rogat ire Podarcem.
Solus Echionides errante ſilentia curru
Mœſta tenet, trepidáque timet ſe voce fateri.

CIRCVMSPICIT OMNI. id eſt, pro omni campo circumſpiciendo facit, huc atque illuc circumcurrendo. CHROMIS ASPER. Herculis filius: Hippodamus Oenomai filius. MOLE TENENTVR. vt Virgil. *.melior remis ſub pondere pinus tarda tenet.* INCENDITVR AVRA. id eſt equorum afflatu. LAXO CVM TANDEM AB ORBE. id eſt, ab exteriore gyro. AEQVOREVS SONIPES. Arionem dicit æquoreum; Ait enim ſupra *Neptunus equo ſi certa priorum fama patet.* LABDACIDES. patronymicum, ſignificat Polinycem, cuius auus Laius Labdacii fuit filius. DEVIA CAMPI. antiptoſis eſt, dum in directa tendunt, in deuia obliquant. MORTEMQVE MINANTVR. Virgil. *Vitamque volunt pro laude paciſci.* MVLTAQVE TRANSVERSIS. multa currentes faciunt per tranſuerſa camporum. PHOLOEN ADMETVS ET IRIN. equarũ nomina: ſupra enim ſic dixit. *vix ſteriles compeſcit equas.* CYGNVM. de colore candenti nomen accepit, quia igneus fuit. IGNEVS AECHION. iucunde Græco nomini expoſitionem adiecit, quia *Aechion* dicitur de calore, vnde & Hyperion, quamuis alii Potermenii accipiant. vtrumque tamen recte.

Vix dum cœptus equis labor, & iam puluere quarto
Campum ineunt, iámque & tepidis ſudoribus artus
Effœti, & craſſum rapit, eiectátque vaporem
Cornipedum flammata ſitis. nec iam integer illis
Impetus, & longi ſuſpendunt ilia flatus.
Hic anceps fortuna diu decernere primum
Auſa venit. ruit Aemonium, dum feruidus inſtat
Admetum ſuperare Thoas. nec prætulit vllam
Frater opem. velit ille quidem. ſed Martius ante
Obſtitit Hippodamus, mediáſque immiſit habenas.
Mox Chromis Hippodamum metæ interioris ad orbem
Viribus Herculeis, & toto robore patris
Axe tenet prenſo. luctantur abire iugales
Nequicquam, frenóſque, & colla rigentia tendunt.
Vt Siculus ſi quando rates tenet æſtus, & ingens

ab equis. ſic Virg. duces nauium non ſuis nominibus, ſed intelligendos fecit dicendo; *Et nunc Piſtrix habet, nec victum præterit ingens Centaurus Sergeſtum.* ſignificare volens, & Mneſteum. HEROS LEMNIVS. Vnum de geminis Hypſipyles dicit, quorum alter Thoas iam ruerat, dum Admetum præterire feſtinat.

Quis mortis Thebanæ locus, niſi dura negaſſet
Tiſiphone? quantum poteras dimittere bellum?
Te Thebæ, fratérque palàm, te plangeret Argos.
Te Nemea, tibi Lerna comas, Lariſſáque ſupplex
Poneret. Archemori maior colerere ſepulchro.
Tunc vero Oeclides, quanquam iam certa ſequenti
Præmia, cùm vacuus domino præiret Arion.
Ardet adhuc cupiens vel inanem vincere currum.
Dat vires, refouétque deus. volat ocyor Euro,
Ceu modo carceribus dimiſſus in arua ſolutis,
Verberibúſque iubas, & terga laceſſit habenis,
Increpitans Scetúmque leuem, Cygnúmque niualem.
Nunc ſaltem dum nemo prior, rapit igneus orbes
Axis, & effoſſæ longe ſparguntur arenæ,
Dat gemitum tellus, etiam tunc ſæua minatur.
Forſitan & victo prior iſſet Arione Cygnus
Sed vetat æquoreus vinci pater. hinc vice iuſta
Gloria manſit equo, ceſſit victoria vati.
Huic pretium palmæ, gemini cratera ferebant
Herculeum iuuenes. illum Tirynthius olim
Ferre manu ſola, ſpumantémque ore ſupino
Vertere, ſeu monſtris victor, ſeu Marte, ſolebat.
Centauros habet arte truces, aurúmque figùris
Terribile, hic mixta Lapitharum cæde notantur
Saxa, faces, aliíque iterum crateres, vbique
Ingentes morientum iræ. tenet ipſe furentem
Hyleum, & torta molitur robora barba.
At tibi Mæonio fertur circumflua limbo,
Pro meritis admete chlamys, repetitáque multo
Murice. Phrixei natat hic contemptor ephebus
Aequoris, & picta tranſlucet cærulus vnda.
In latus ire manus, mutatúrúſque videtur
Brachia, nec ſiccum ſperes in ſtamine crinem.
Contra autem fruſtra ſedet anxia turre ſuprema

Seſtias in ſpeculis. moritur propè conſcius ignis.
Has Adraſtus opes dono victoribus ire
Imperat, at generum famula ſolatur Achæa

QVIS MORTIS THEBANAE LOCVS. verba poetæ cum exclamatione. quaſi crudelitate futura ad parricidium ſeruaretur. SAEVA MINATVR. Amphiarao ſcilicet, qui hiatu terræ recipiendus erat. ARIONE CYGNVS. equus Amphiarai. HINC VICE IVSTA. Quomodo iuſſus ordo dictabat. SEV MARTE SOLEBAT. multa enim bella Hercules per exercitum geſſit: vt contra Euryſtheum, contra Echaliam, contra Troiam. vnde Virg. *Troiamque, Echaliámque*, nec non etiam in Africa, teſte Salluſt. qui ait. *poſtquam Hercules in Africa, ſicut putant, interiit, exercitus eius varius gentibus permixtus eſt.* TERRIBILE. declamatio à contrario, propter emphaſin, quia aurum naturaliter delectare ſolet, vt ipſe alibi. *armaque in auro triſtia.* SAXA FACES. pugna Centaurorum & Lapytharum in cratere picta erat, qui in conuiuio efferati furore nec poculis pepercerunt. vnde Virgil. *Et magno Hylæum Lapythis cratere minantem.* ET TORTA MOLITVR. Hoc declamationis genus & alibi poeta ſeruauit, laudando ſcilicet Adraſti pateram, qua dicit expreſſum fuiſſe Perſeum Gorgonæ caput tenentem, & vt morientis Gorgonæ expreſſius deſcriberet vultum, ait. *illa graues oculos languentiaque ora petentem pene mouet, viuoque etiam palleſcit in auro.* REPETITA. iterum picta. vnde Lucan. *cuius pars maxima ſucco Cocta diu virus non vno duxit aëno.* PHRYXEI AEQVORIS. Helleſpontiaci, vbi Helles Phryxi ſoror in mare cecidit, dicit ergo Leandrum in chlamyde pictum fuiſſe natantem. TRANSLVCET. bene *tranſlucet*, quia à perfectis ita pinguntur natantes, vt inter vndas eorum membra perluceant. Leandri autem fabula eſt Ouidio referente, notiſſima. SESTIAS IN SPECVLIS. id eſt, Hero cuius poeta ex loci vocabulo nomen adiecit. *Seſton* in Propontide littore locus eſt, de quo Lucan. *coniungere Seſton Abydo.* MORITVR. extinguitur. CONSCIVS IGNIS. lumen amoris, quod Hero ſolabatur lucendo, vel quod tenebat ipſa in turri. AT GENER. ſecutus Virgil. perditorum præmia poeta ſeruauit, ad conſolandum enim generum Polynicen ei Adraſtus famulam dedit, ſicut ille Sergeſto ſeruam. vt, *olli ſerua datur.*

Sollicitat tunc ampla viros ad premia curſu
Præceleres, agile ſtudium, & tenuiſſima virtus
Pacis opus, cum ſacra vocant, nec inutile bellis
Subſidium, ſi dextra neget. prior omnibus Idas
Nuper Olympiacis vmbratus tempora ramis
Proſilit. excipiunt plauſu Piſæa iuuentus
Eleæque manus. ſequitur Sicyonius Alcon,
Et bis in Iſthmiaca victor clamatus arena
Phædimus. alipedúmque fugam prægreſſus equorum
Ante Dimas, ſed tunc æuo tardante ſecutus.
Multi & quos varij tacet ignorantia vulgi
Hinc, atque hinc ſubiere. ſed Arcada Parthenopæum
Appellant, denſique cient vaga murmura Circi:
Nota parens curſu. quis Mænaliæ Atalantes
Neſciat egregium decus? & veſtigia cunctis

Indeprenſa procis? onerat celeberrima natum
Mater. & ipſe procul fama iam notus inermes
Narratur ceruas pedes inter aperta Lycæi
Tellere, & emiſſum curſu deprehendere telum.
Tandem expectatus volucri ſuper agmina ſaltu
Emicat, & torto chlamydem diffibulat auro.
Effulſere artus. membrorúmq. omnis aperta eſt
Lætitia, inſignéſque humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis, latuítque in corpore vultus.
Ipſe tamen formæ laudem aſpernatur, & arcet
Mirantes. tunc Palladios non inſcius hauſtus
Incubuit, pinguíque cutem fuſcatur oliuo.
Hoc Idas, hoc more Dimas, aliique niteſcunt.
Sic vbi tranquillo pellucent ſydera ponto
Vibratúrque fretis cæli ſtellantis imago,
Omnia clara nitent. ſed clarior omnia ſupra
Heſperus exercet radios, quantúsque per altum
Aethera, cæruleis tantus monſtratur in vndis.

SOLLICITAT. tranſacto curuli certamine eos poeta deſcribit, quibus curſu certandum eſt. ET TE NVISSIMA VIRTVS. Definitio quid ſit curſus. ideſt, pars non ſatis admiranda virtutis. & cum pleniſſime rem, quam cœperat definiret, adiecit PACIS OPVS. ſunt etiam ſacra, quæ curſu celebrantur. Et vt agones declararet poeta non ſatis eſſe virtuti, adiecit NEC INVTILE BELLIS. id eſt fugæ neceſſarium, cum vincere non datur. VMBRATVS TEMPORA RAMIS. ideſt, vmbrata habens tempora cinica corona. ſicut Virgil. *atque vmbrata gerens, ciuili tempora quercu* SICYONIVS ALCON. Virg. *teritur Sicyonia bacca trapetis.* IN ISTHMIACA. ideſt in agone, qui *Iſthmia* vocatur, in honorem Leucothoæ & Palæmonis, apud Corinthũ conſecratus. MENALIAE. Atalantæ confundit hiſtoriam. hãc enim Atalantem Hippomenis vxorem diximus filiam Sic̃onei fuiſſe. illam autẽ qui cum procis curſu contendit Oenomai filiam, vxorem Pelopis. Sed parem hiſtoriam poſuit Virgil. ille enim ait. *Et manibus Progne pectus ſignata cruentis*: cum hoc conſtet Philomelam feciſſe. ſed mutauit hiſtoriam. DIFFIBVLAT. pote dixit: proiecit a ſe. PALLADIOS. id eſt oleum. LAETITIA. ideſt, pulchritudo ſeu venuſtas. DETERIORA GENIS. veſtitus pulcher videbatur, ſed pulchrior factus eſt nudus: latuit vultus membrorum comparatione. nudato enim corpore membrorum, pulchritudo venuſtatem vultus obnubilat.

Proximus eſt forma, nec multum ſegnior Idas
Curſibus, atque æuo iuxta prior. attamen illi
Iam tenuem pingues florem induxere palæſtræ,
Deſerpitque genis, nec ſe lanugo fatetur
Intonſæ ſub nube comæ. tunc rite citatos
Explorant, acuúntque gradus, variásque per artes

Parthenopæus init, correpto crine reductum
Occupat, & longæ primus ferit oſtia metæ.
Arcades arma fremunt. armis defendere regem
Ni raptum decus, & meriti reddantur honores,
Contendunt, totóque parant decedere Circo.
Sunt & quis Idæ placeat dolus. ipſe regeſta
Parthenopæus humo vultúmque, oculóſque madentes
Obruit, acceſsit lachrymarum gratia formæ.
Pectora nunc mœrens, nunc ora indigna cruento
Vngue ſecat, meritámque comam. furit vndique clamor
Diſſonus, ambiguúmque ſenis cunctatur Adraſti
Conſilium. tandem ipſe refert. Compeſcite litem
O pueri, virtus iterum tentanda. ſed ite
Limite non vno, latus hoc conceditur Idæ,
Tu diuerſa tene. fraus curſibus omnis abeſto.

MENALIVS. Parthenopæus Arcas, quia Mænalus mons eſt Arcadiæ. ut ipſe inferius. *A vertice crinis Arcados.* ideſt, Parthenopæi. NEQVICQVAM. quia moriturus. LIBER NEXV. id eſt crinis, quia ſolutus eſt. Crinis, ſubaudi Parthenopæi. ARMA FREMVNT. id eſt, minātur. OCVLOSQVE MADENTES. id eſt, lachrymis plenos. vt Virg. *Tutatur fauor Euryalum, lachrymaque decoræ.* MERITAMQVE COMAM. id eſt, male ſibi meritam, quæ cauſam mortis excepit. Retentione enim crinis ſui Parthenopæi tardata eſt victoria.

Audierant, dictóque fauent. mox numina ſupplex
Affatu tacito iuuenis Tegeæus adorat.
Diua potens nemorum (tibi enim hic tibi crinis honori
Debitus, éque tuo venit hæc iniuria voto)
Si bene quid genitrix, ſi quid venatibus ipſe
Promerui, ne (quæſo) ſinas hoc omine Thebas
Ire, nec Arcadiæ tantum meruiſſe pudorem.
Auditum, manifeſta fides, vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis interuenit aer,
Raráque non fracto veſtigia puluere pendent.
Irrupit clamore fores, clamore recurrit
Ante ducem, preſſáque leuat ſuſpiria palma.
Finiti curſus operúmque inſignia præſto:
Arcas equum dono, clypeum gerit improbus Idas.
Cætera plebs Lyciis gaudet contenta pharetris.

TEGEVS. Arcadius. POTENS NEMORVM. Dianam potentem nemorum dicit. INIVRIA VOTO. Quia crinem tibi ſeruabā conſecratum intonſum. EXILIS PLANTIS INTERVENIT AER. id eſt pene volat, & inter plantas ipſius & terram aer medius calcabitur. NON FRACTO. hoc eſt. non depreſſo. PENDENT. id eſt, non ſignant veſtigiis terram. SVSPIRIA PALMA. i. anhelum laborem victrici conſolatus eſt palma. IMPROBVS IDAS. propter fraudem retenti crinis.

Tunc vocat, emiſſo ſiquis decernere diſco
Impiger, & vires velit oſtentare ſuperbas.
It iuſſus Pterelas, & ahenæ lubrica maſſæ
Pondera, vix toto curuatus corpore iuxta
Deiicit. inſpectant taciti, expendúntque laborem
Inachidæ. mox turba ruunt, duo gentis Achææ,
Tres Ephyreiadæ, Piſa ſatus vnus, Acarnan
Septimus, & plures agitabat gloria Niſæ.
Arduus Hippomedon cauea ſtimulante tuliſſet
In medios, lateque ferens ſub pectore dextro
Orbem alium. hunc potius iuuenes qui mœnia ſaxis
Frangere, qui Tyrias deiectum vaditis arces:
Hunc rapite. aſt illud cui non iaculabile dextræ
Pondus, & abreptum nullo conamine iecit.
In latus. abſiſtunt procul, attonitique fatentur
Cædere: vix vnus Phlegyas, acerque Meneſtheus
(Hos etiam pudor, & magni tenuere parentes)
Promiſere manum. conceſsit cætera pubes
Sponte, & adorato redit illa in gloria diſco.

PTERELAS. diſcum adtulit ad quem certarent, non tamen vnus ex certantibus fuit. EXPENDVNT. exiſtimant. TVRBA RVVNT. feſtinant. CAVEA STIMVLANTE. hortantibus ſociis, qui prope ipſum ſpectabant. ORBEM. diſcum. NVNC RAPITE. raptim mittite. CVI NON IACVLABILE. Interrogtiue cũ deſpectu. NVLLO CONAMINE. facile & ſine labore. VIX VNVS. ordo vix permiſere manus: & notandum quare vnum dixit, cum alterius etiam nomen adiecit. Sed hoc ſecutus Virgilium fecit: ille enim ait. *Vix vnus Elenor, & Lycus elapſi.* MAGNI TENVERE PARENTES. ne parentum ſuorũ viderentur minuiſſe virtutem.

Qualis Biſtoniis clypeus Mauortis in aruis
Luce mala Pangæa ferit, ſolémque refulgens
Territat, incuſſáque dei graue mugit ab haſta.
Piſæus Phlegyas opus inchoat, & ſimul omnes
Abſtulit in ſe oculos. exhauſto in corpore virtus
Promiſſa, ac primum terra, diſcúmque, manumque,

Aſperat.

Aſperat. excuſſo mox circum puluere verſat
Quod latus in digitos, mediæ quod certius vlnæ
Conueniat. non artis egens: hic ſemper amori
Ludus erat. patriæ non tantum vbi laudis obiret
Sacra, ſed alternis Alpheon vtrinque ſolebat
Metiri ripis. & qua latiſſima diſtant
Non vnquam merſo tranſmittere flumina diſco.
Ergo operum fidens, non protinus horrida campi
Iugera, ſed cœlum dextera metitur, humíque
Preſſus vtroque genu, collecto ſanguine diſcum
Ipſe ſuper ſeſe rotat, atque in nubila condit.
Ille citus ſublime petit, ſimiliſque cadenti
Creſcit in aduerſum, tandemque exhauſtus ab alto
Tardior in terram redit, atque immergitur aruis.
Sic cadit, attonitis quotiens auellitur aſtris
Solis opaca ſoror. procul auxiliantia gentes
Aera crepant, fruſtráque timent; at Theſſala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.
Collaudant Danai, ſed non tibi molle tuenti
Hippomedon, maiórque manus ſperatur in æquo.
Atque illi extemplo, cui ſpes infringere dulce
Immodicas, Fortuna venit. quid numina contra
Tendere fas homini? ſpatium iam immane parabat
Iam ceruix conuerſa, & iam latus omne redibat:
Excidit ante pedes elapſum pondus, & ictus
Deſtituit, fruſtráque manum demiſit inanem.
Ingemuere omnes, rariſq́ ea viſa voluptas.

LVCE MALA PANGAEA FERIT. terribilis ſplendoris ictu ferit. *Pangea* mons eſt Thraciæ: vnde Lucanus. *video Pangæa niuoſis cana iugis.* MVGIT. clypeus ſcilicet.

IN SE OCVLOS. populi videlicet. ASPERAT. aſperum facit ne dum iaceret laberetur. VERSAT. conſiderat. Circumverſabat enim Phlegias diſcum, vt colligeret quam partem lateris eius haberet in digitis, quam brachio retentans alæ ſubderet. SACRA. id eſt agoné Iouis Olympici, qui circa Alpheum fluuium Piſarum celebratur: cuius ripas ſolitus erat Phlegias diſco tranſire. Secundum autem Alpheum Olympicum exerceri certamen Virgilio teſte cognouimus: ait enim *Cuncta mihi Alpheum linquens lucoſque Molorchi.* SED CAELVM METITVR DEXTRA. Phlegias iaculatus eſt diſcum tantummodo oſtentationis gratia, non cauſa certaminis: & latum voluit potius quam in altitudinem iaculari. COLLECTO SANGVINE. collecta virtute. SIMILISQVE CADENTI. ad viſum retulit. CRESCIT IN ADVERSVM. i. in altitudinem, quæ aſcedenti aduerſa eſt diſco. quia neceſſe eſt vt omnes res aſcendentes, altitudinis nimietate lenteſcant. EXHAVSTVS AB ALTO. id eſt, cōſumpto impetu quo miſſus fuerat. IMMERGITVR ARVIS. de grauitate caſus altitudinis

mensura monſtratur. SOLIS OPACA SOROR. ſic ſibi inſania hominum & ſtulta perſuaſio vindicat, quod carminibus lunam cælo eripiant. quam opinionem executus Virg. ait. *Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.* & alibi ſignificat eam inductam eſſe velleribus, dicendo.

Munere ſic niueo lanæ, ſi credere dignum eſt,
Pan deus Arcadiæ captam te Luna fefellit.

Si credi fas eſt de tanti numinis maieſtate, ad amorem Endimyonis deſcendiſſe, quod lex ſpheræ, & curſus motuſque aſtrorum non patitur. PROCVL AVXILIANTIA. Ad opinionem hominum retulit, quod arbitrentur deficienti lunæ auxiliari, ſi æra percutiant. MOLLE TVENTI. deſpicienti, contemnenti, id eſt quaſi cum facile eſſet Phlegea iactu ſuperare. MAIORQVE MANVS SPERATVR IN AEQVO. id eſt maiore virtute opus eſſe in longitudinem, quam in altitudinem iaculaturo. ATQVE ILLI EXTEMPLO. id eſt ſubito fortuna venit, cui dulce eſt fiduciam immodicæ virtutis auferre. FORTVNA VENIT. Nunc aduerſa intelligendum. ETIAM LATVS OMNE REDIBAT. iaculantem deſcribit. moris eſt enim diſco certantibus; vt niſi flexo toto corpore nequeant iaculari. RARISQVE EA VISA VOLVPTAS. pauci ceperunt de eluſi caſibus voluptatem, quod diſcum Phlegeas muliebriter laudatus amiſerat. ſeu quoniam in rebus quoque ſeriis riſus emittitur: ideo paucos extitiſſe dicit, quibus Phlegeæ caſus lætitiam ſuſcitaret.

Inde ad conatus timida ſubit arte Meneſtheus
Cautior, & multum te Maia nate rogato
Molis prægrauidæ caſtigat puluere lapſus.
Illa manu magna, & multum felicior exit.
Nec partem exiguam Circi tranſuecta quieuit.
Fit ſonus, & fixa ſignatur terra ſagitta.
Tertius Hippomedon valida ad certamina tardos
Molitur greſſus. namque illum corde ſub alto
Et caſus Phlegyæ monet, & fortuna Meneſthei.
Erigit aſſuetum dextræ geſtamen, & alte
Subſtentans, rigidúmque latus, forteſque lacertos
Conſulit, ac vaſto contorquet turbine, & ipſe
Proſequitur, fugit horrendo per inania ſaltu,
Iamque procul meminit dextræ, ſeruátque tenorem
Diſcus. nec dubia iunctáue Meneſthea victum
Tranſabiit meta. longe ſuper æmula ſigna
Conſedit, viridéſque humeros, & opaca Theatri
Culmina, ceu late tremefecit mole ruinæ.
Quale vaporiferæ ſaxum Polyphemus ab Aetna
Lucis egente manu, tamen in veſtigia puppis
Audita, iuxtaque inimicum exegit Vlyſſem.

TIMIDA. hypallage, pro ipſe timidus. CASTIGAT PVLVERE LAPSVS. corrigitur, hoc eſt aſperſione pulueris ne ei elaberetur effecit. FIXA SIGNATVR. quouſq; diſcus Meneſthei vu eute fuerat miſſus. moris enim fuerat, vt locus cadentis diſci fixa ſignaretur ſagitta. Et

FORTVNA MENESTEI. id eſt timor alterius vel imitatio fortunati. DEXTRAE GESTAMEN. hoc eſt, quod conſueuerat etiam aliis certaminibus iaculari. PER INANIA SALTV. vt iactum vigor corporis adiuuaret. SERVATQVE TENOREM. manus, qua fuerat miſſus. TENOREM. iaculũ. MENESTEA VICTVM. ſolet enim hoc certamine de victoria dubitari. HVMEROS. Extremos colles qui ſpacium theatri cingebant. ET OPACA THEATRI. Theatrum dicit deductum vtrimque vallium prona & ſupina aſcenſu arduo lenitatem *opaca autem *culmina* quia ſylue ſummis montibus imminebant. POLYPHEMVS. Homerum ſecutus eſt qui dicit, Cyclopem iecisse in Vlyſſis nauem, quia impediente cæcitate eam tenere non poterat. EXEGIT. tranſmiſit.

Tunc genitus Talao victori Tigrin inanem
Ire iubet, fuluo quæ circumfuſa nitebat
Margine, & extremos auro manſueuerat vngues.
Gnoſiacos arcus habet, & vaga tela Meneſtheus.
At tibi ait Phlegya caſu fruſtrate ſiniſtro
Hunc quondam noſtri decus, auxiliúmque Pelaſgi
Ferre damus (neque enim Hippomedon inuiderit) enſem.
Nunc opus eſt animis infeſtos tollere cæſtus
Comminus. hæc bellis & ferro proxima Virtus.
Conſtitit immanis cerni, immaniſque timeri
Argolicus Capaneus. ac dum nigrantia plumbo
Tegmina cruda boum, non mollior ipſe, lacertis
Induitur. date tot iuuenum de millibus vnum
Huc ait. atque vtinam potius de ſtirpe veniret
Aemulus Aonia, quem fas dimittere leto,
Ne mea crudelis ciuili ſanguine Virtus.
Obſtupuere animis, fecitque ſilentia terror.

VICTORI TIGRIN. Simili modo etiam in primo libro de pelle dixit. *tergo videt huius inanem Impexis vtrinque iubis horrere leonem.* & notandum quod metri neceſſitate *tigrin* accuſatiuum græcum poſuit, pro *tigrem*. MANSVEVERAT VNGVES. præciſa ſummitate vnguium, extremitas quæ nocere poterat, fuerat auro veſtiente mollita. AVXILIVMQVE PELASGI. regis Græcorum: quia gladius huic validus & aureus fuit. ET FERRO PROXIMA VIRTVS. quia & cæſtu homines occiduntur. NON MOLLIOR IPSE. æque duriſſimus: cuius cutis hominis erat durata in boum pelles. NEC MEA CRVDELIS. ſubaudimus *eſſet*. minatur enim ſe illum occiſurum qui contra ſteterit: ideo venire hoſtes optabat.

Tandem inſperatus nuda de plebe Laconum.
Proſilit Alcidamas. mirantur Dorica regum
Agmina. ſed ſocij fretum Polluce magiſtro
Norant, & ſacras inter creuiſſe palæſtras.
Ipſe deus poſuitque manus, & brachia finxit,
(Materiem ſuadebat amor) tunc ſæpe locauit

Comminus, & ſimili ſtantem miratus in ira
Suſtulit exultans, nudumque ad pectora preſsit.
Illum indignatur Capaneus, ridetque vocantem
Vt miſerans, poſcitque alium. tandémque coactus
Reſtitit, & ſtimulis iam languida colla tumeſcunt.
Fulmineas altè ſuſpenſi corpora plantis
Erexere manus. tuto procul ora receſſu
Armorum inſpeculis, aditusque ad vulnera clauſi.
Hic quantus ſtygiis Tityus conſurgat ab aruis
Si toruæ patiantur aues, tanta vndique pandit
Membrorum ſpatia, & tantis ferus oſſibus extat.
Hic paulo ante puer, ſed enim maturius æuo
Robur, & ingentes ſpondet tener impetus annos,
Quem vinci haud quiſquam, ſæuo nec ſanguine tingi
Malit, & erecto timeat ſpectacula voto.

NVDA DE PLEBE LACONVM. ſiue amore ceromatis ad certamina præparata, vel fortia. SOCII FRETVM. id eſt Lacones. MATERIEM SVADEBAT AMOR. vt doceret quod delectabatur. POLLVCE MAGISTRO. deus enim Pollux hoc exercitio, dum inter mortales eſſet delectabatur. & hunc Alcidama induit. NVDVMQVE AD PECTORA PRESSIT. id eſt cõplexus eſt fouendo. poeta morem ceromatis executus eſt deſcribendo. *nudum* hic alii fortem intelligi volunt. RIDETQVE VOCANTEM. Prouocantem. LANGVIDA COLLA TVMESCVNT. qui languida habebat. quoniã dedignabatur certamen. ORA RECESSV. *habent* ſubaudimus *manibus implicatis*. PAVLO ANTE PVER. Alcidamas adoleſcens, qui ætatem corporis mole vincebat: id eſt, cuius virtus ætatem virilem præceſſerat. TENER IMPETVS ANNOS. id eſt magna in eo ex impetu ætatis teneræ virtutis futuræ indoles cernebatur. QVEM VINCI. aliquem ipſorum: populus enim iunioribus ſolet fauere. ordo ergo talis eſt. neque quiſquam malit aliquem vinci aut tingi ſæuo ſanguine. ERECTO VOTO. ſuſpenſo fauore, propter incertum victoriæ exitum.

Vt ſeſe permenſi oculis, & vterque priorem
Sperauere locum, non protinus ira, nec ictus.
Alternus paulum timor, & permixta furori
Conſilia, inclinant tantum contraria iactu
Brachia, & explorant cæſtus, hebetántque terendo.
Doctior hic differt animum, metuénſque futuri
Cunctatus vires diſpenſat. at ille nocendi
Prodigus, incautuſque ſui ruit omnis, & ambas
Conſumit ſine lege manus, atque irrita frendit
Inſurgens, ſeque ipſe premit. ſed prouidus aſtu,
Et patria vigil arte Lacon, hos reiicit ictus

Hos cauet. interdum nutu, capitiſque citati
Integer obſequio, manibus nunc obuia tela
Diſcutiens, inſtat greſſu, vultúque recedit.
Sæpe etiam iniuſtis collatum viribus hoſtem
(Is vigor ingenio, tanta experientia dextræ eſt)
Vltro audax animis inſtátque & obumbrat, & altè
Aſſilit. vt præceps cumulo ſalit vnda minantes
In ſcopulos, & fracta redit; ſic ille ferentem
Circuit expugnans. Leuat ecce, diúque minatur
In latus, inque oculos. illum rigida arma cauentem
Aduocat, & manibus nec opinum interſerit ictum
Callidus, ac mediam deſignat vulnere frontem.

Et vterqve priorem. id eſt, vtrique ſperabant quod ab alterius manu certamen inciperet. vnde Lucan. *inde manum ſpectant, tempus quo noſcere poſſint facturi quæ monſtra ferant.* Hebetantqve terendo. vanis ictibus cæſtuum acumen obtundunt. Explorant. conſiderant fortitudinem cæſtuum. Doctior hic differt animvm. Alcidamas differt animum, ſpiritum ſeruat. Vires dispensat. paulatim erogat. At ille nocendi. Capaneus in aduerſarii nece profuſior. Sine lege. ſine artis lege. artis ipſius lex eſt, vt vna manus reuerſa alteram feriat. conſumpſit ergo ambarum manuum ictum & perdidit. Providvs actv. Sagacitate. Hos reiicit ictvs. refundit, eludit, euitat. Interdvm nvtv capitisqve citati. Velocis capitis motu. Instat gressv. vt caueret ictus certaminis anterbat pede, facie recedebat. quod ipſe ait ſupra, *toto procul ora receſſu.* Inivstis. non æquis; quia Capaneus erat fortior. ergo frequenter. quamuis enim pateretur, tamen aliquando commotus attemptat. Experientia. ars experimento collecta. Fracta. Diuiſa neſcit, quia ictum furore non ſenſerat.

Iam cruor, & tepido ſignantur tempora riuo.
Neſcit adhuc Capaneus ſubitúmque per agmina murmur
Miratur, verùm vt feſſam ſuper ora reduxit
Forte manum, & ſummo maculas in vellere vidit,
Non Leo, non iaculo tantum indignata recepto
Tigris, agit toto cedentem feruidus aruo
Præcipitátque retro iuuenem, atque in terga ſupinat,
Dentibus horrendum ſtridens, geminátque rotatas
Multiplicátque manus. rapiunt conamina venti,
Pars cadit in cæſtus. motu Spartanus acuto
Mille cauet lapſas circum caua tempora mortes:
Auxilióque pedum. ſed non tamen immemor artis
Auerſus fugit, & fugiens tamen ictibus obſtat.
Et iam vtrumque labor, ſuſpiriáque ægra fatigant.

Tardius ille premit, nec iam hic abſiſtere velox.
Defectique ambo genibus, pariterque quierunt.

SVMMO MACVLAS IN VELLERE VIDIT, quia laneos pentodactylos habent ſub cæſtibus, qui eminent ſupra brachia. alii autem volunt poetam de barba dixiſſe. PRAECIPITATQVE RETRO. verſo gradu cogit aufugere. RAPIVNT CONAMINA VENTI. excipiunt ſiue fruſtrantur, id eſt, in vacuum mi[illegible] irum eius impetus perierunt. MORTES. quaſi ſinguli ictus Capanei ſingulas mortes afferent. AVERSVS FVGIT. ita Alcidamas auerſus cedebat furori, vt nunquam fugiens videretur. graue enim viro forti crimen eſt terga dediſſe certamini.

Sic vbi longa vagos laſſarunt æquora nautas,
Et ſigno de puppe dato, poſuere parumper
Brachia, vix requies, iam vox ciet altera remos.
Ecce iterum immodicè venientem eludit, & exit
Sponte ruens, merſuſque humeris effunditur ille
In caput. aſſurgentem alio puer improbus ictu
Perculit, euentuque impalluit ipſe ſecundo.
Clamorem Inachidæ, quantum non littora tollunt,
Non nemora. illum ab humo conantem vt vidit Adraſtus,
Tollentémque manus, & non toleranda parantem,
Ite oro ſocij furit. ite, opponite dextras,
Feſtinate, furit. palmámque, & premia ferte.
Non prius, effracto quam miſceat ora cerebro,
Abſiſtet, video. moriturum auferte Lacona.
Nec mora, prorumpit Tydeus, nec iuſſa recuſat
Hippomedon. tunc vix ambo conatibus ambas
Reſtringunt, cohibéntque manus ac plurima ſuadent.
Vincis, abi. pulchrum eſt vitam donare minori.
Noſter & hic, belliqúe comes. nil frangitur Heros,
Ramúmque, oblatúmque manu thoraca repellit
Vociferans, liceat non has ego puluere craſſo,
Atque cruore genas, meruit quibus iſte fauorem
Semiuir infodiam? mittámque informe ſepulchro
Corpus? & Oebalio donem lugere magiſtro?
Dixit. at hunc ſocij tumidum & viciſſe negantem
Auertunt. contra laudant inſignis alumnum
Taygeti, longéque minus riſere Lacones.

DE PVPPE. a gubernatore. nam pertica eſt quædam in naui quam hortator remigum tenet, quam ſi incuſſerit, remiges non deſinunt; ſi depoſuerit, quieſcunt à labore. hanc *caſteriam* Plautus nominauit in Aſinaria: *quin pol ſi repoſiu remum ſola ego in caſteria.* IAM VOX CIET ALTERA REMOS. Quia primo ſigno ceſſatum fuerat à labore, vox ſequens denuo remiges excitauit. ECCE ITERVM. poſtquam paulum quieuerunt, rurſus, ineunt pugnam. IMMODICE. violenter, quaſi qui exceſſerit modum: venientem Capaneum elidit Alcidamas. EXIT. euitat, declinat. EFFVNDITVR ILLE. Capaneus.

ALIO PVER IMPROBVS ICTV. Alcidamas improbus magnus alio ictu, quia iam ſupra illum percuſſerat. IMPALLVIT IPSE SECVNDO. etiam ipſe eſt felici euentu perterritus, ne poſt ſecundum vulnus iratum Capaneum ferre non poſſet. ITE ORO SOCII. ſeparatim & ſuſpenſe legenda ſunt, quæ locutio conuenit attonitis, & iratis. attonitis vt hoc loco. & Virgil. *Euge nate propinquent.* RAMVM. palmam. THORACA. qui erat palmæ præmium. LICEAT. exclamatio iraſcentis indignatione permixta. ET VICISSE NEGANTEM. ne ab intentione occidendi Alcidamanta tardaretur, negat ſe viciſſe Capaneus.

Iamdudum variæ laudes, & conſcia Virtus
Tydea magnanimum ſtimulis ingentibus angunt.
Ille quidem & diſco bonus, & contendere curſu,
Nec cæſtu bellare minor. ſed corde labores
Ante alios erat vncta Pales, ſic ocia Martis
Degere & armiferas laxare aſſueuerat iras
Ingentes contra ille viros Acheloia circùm
Littora, felicéſque deo monſtrante palæſtras.
Ergo vbi luctandi iuuenes animoſa citauit
Gloria, terrificos humeris Aetolus amictus
Exuitur, patriúmque ſuem. leuat ardua contra
Membra, Cleonææ ſtirpis iactator Agylleus
Herculea non mole minor. ſic grandibus alte
Inſurgens humeris, hominem ſuper improbus exit.
Sed non ille rigor, patriúmque in corpore robur.
Luxuriant artus, effuſáque ſanguine laxo
Membra natant. inde hæc audax fiducia tantum
Oenidæ ſuperare parem. quamquam ipſe videri
Exiguus, grauia oſſa tamen, nodiſque lacerti
Difficiles, nunquam hanc animum Natura minori
Corpore, nec tantas auſa eſt includere vires.

ANGVNT. ſtimulant. LABORIS. artis peritiam. VNCTA PALES. palæſtræ ſtudium. bene addidit *vncta*, ad diſcretionem paſtoralium certaminum, & luctationem naturalem. Virg. de palæſtra ruſticorum. *Corporáque agreſti nudant prædura palæſtrâ.* alibi. *Exercent patrias oleo labente palæſtras nudati ſocii.*

FELICESQVE DEO. quia victor ſemper exitit, deo monſtrante. Mercurium intelligimus, ipſe enim huius artis inuentor fuit. Horat. *Et decoræ more palæſtræ.* Felices palæſtras dixit. vt Virgil. *Quo non felicior alter ſtringere tela manu.* id eſt peritior. PATRIVMQVE

SVEM. Calidonii apri pellem. LEVAT. ſpoliat. MEMBRA CLEONEAE. *Cleone* ciuitas Corintho vicina. NEC MOLE MINOR. magnitudine corporis non inferior, ex proceritate corporis humanam fortunam videbatur excedere. SED NON ILLE RIGOR. Herculis. ſc. EFFVSAQVE MEMBRA. plana, non toroſa. SANGVINE LAXO. cutem enim fluentem mollior ſanguis efficit. INDE HAEC AVDAX FIDVCIA. quia proceritati Agylloi nullum animi neque membrorum ineſſet robur. DIFFICILES. duri, aſperi.

Poſtquam oleo gauiſa cutis, petit æquor vterque
Procurſu medium, atque hauſta veſtitur arena.
Tum madidos artus alterno puluere ſiccant,
Colláque demerſere humeris, & brachia late
Vara tenent. iam tunc aſtu deducit in æquum
Callidus, & celſum procuruat Agyllea Tydeus
Summiſſus tergo, & genibus vicinus arenæ.
Ille autem Alpini veluti regina Cupreſſus
Verticis, vrgentes ceruicem inclinat in auſtros,
Vix ſeſe radice tenens, terræque propinquat,
Iamdudum ætherias eadem reditura ſub auras.
Non ſecus ingentes artus præcelſus Agylleus
Sponte premit, parúmque gemens duplicatur in hoſtem.
Et iam alterna manus, frontémque, humeróſque, latúſque,
Colláque, pectoráque, & vitantia crura laceſſit.
Interdúmque diu pendent per mutua fulti
Brachia, nunc ſæui digitorum vincula frangunt.

TVM MADIDOS. infuſos oleo, non ſudore. VARA. paululum flexa crura, ſeu foris extenſa. vt Horat. *Hunc varum diſtortis cruribus*. quos vulgo *vaſcos* vocant. DEDVCIT IN AEQVAM. deflectit vt ſibi æquet, aſtu ſperantis fiduciam. SVMMISSVS TERGO. inclinans dorſum ſuum, vt ſe Tydeus inflecteret. VRGENTES. prementes. REDITVRA SVB AVRAS. ſi ventorum flatus admitterent. FRONTEMQVE HVMEROSQ. πολυσύνδετα ſunt.

Non ſic ductores gemini gregis horrida tauri
Bella mouent. medio coniux ſtat candida prato
Victorem expectans. rumpunt obnixa furentes
Pectora, ſubdit amor ſtimulos, & vulnera ſanat.
Fulminei ſic dente ſues, ſic hiſpida turpes
Prælia villoſis ineunt complexibus vrſi.
Vis eadem Oenidæ. nec ſole, aut puluere feſſa
Membra labant. riget atra cutis, duríſque laborum
Caſtigata toris, contra non integer ille
Flatibus alternis, ægróque effœtus hiatu

Exuit ingeſtas fluuio ſudoris arenas,
Ac ſurtim rapta ſuſtentat pectora terra.
Inſtat agens Tydeus, ictúmque in colla minatus
Crura ſubit. cœptis non eualuere potiri
Fruſtratæ breuitate manus, venit arduus ille
Deſuper, oppreſſúmque ingentis mole ruinæ
Condidit, haud aliter collis ſcrutator Iberi
Cum ſubiit, longéque diem, vitámque reliquit,
Si tremuit ſuſpenſus ager, ſubitúmque fragorem
Rupta dedit tellus. latet intus monte ſoluto
Obrutus, ac penitus fractum, obductúmque cadauer
Indignantem animam propriis non reddidit aſtris.

CASTIGATA compoſita, ſeu potius maculis aſperata. NON INTEGER ILLE. Agylleus, & ſubaudiendum *viribus non integer.* EFFOETVS. viribus fatigatus. HARENAS. quas Tydeus in eum ingeſſerat. NON VALVERE POTIRI. id eſt, neuter valuit incepta perficere CONDIDIT. celauit, quia ſub ingenti Agyllei corpore exiguitas Tydei eſt cælata. SVSPENSVS AGER. definitio ſpeluncæ. ſiue ad naturam terræ retulit, quæ dicitur in medio aere ſuſpenſa ſiue quod intrinſecus vacuant terræ venas, qui metallum aliquod quærunt. INDIGNANTEM ANIMAM. dicunt philoſophi indignari animas, quod inuitæ de hac luce diſcedant vt Virgil. *Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.*

PROPRIIS NON REDDIDIT ASTRIS. ingens expoſitio eſt, quomodo vel quare animæ ad aſtra redeant, poſtquam exutæ fuerint nefando corpuſculo, vt non ſolum bene meritorum, ſed etiam ſontium illuc ferantur, vt aut pro vitæ præcio optima mercede æternæ lucis donentur, aut pro male commiſſis ab ipſis aſtris ſtelliſque puniantur atque conſummantur; non quidem vt pereant, ſed affligantur. Et ideo ab his puniuntur ſecundum Pythagoram, qui ait animas bonorum virorum in ſtellas poſſe reuerti. Virgil.

Scilicet huc reddi deinde ac reſoluta referri
Omnia, nec morti eſſe locum, ſed viua volare
Syderis in numerum, atque alto ſuccedere cælo.

Lucanus in nono.

Innocuos vita patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

Acrior hoc Tydeus, animíſque, & pectore ſupra eſt.
Nec mora, cum vinclis tenerique elapſus iniquo
Circuit errantem, & tergo nec opinus inhæret.
Mox latus, & firmo celer implicat ilia nexu
Poplitibus, genua inde premens euadere nodos
Nequicquam, & lateri dextram inſertare parantem
Improbus, horrendum viſu ac mirabile pondus
Subſtulit. Herculeis preſſum ſic fama lacertis
Terrigenam ſudaſſe Libyn, cum fraude reperta

Raptus in excelſum, nec iam ſpes vlla cadendi,
Nec licet extrema matrem contingere planta.
Fit ſonus, & latos attollunt agmina plauſus.
Tunc altè librans inopinum ſponte remiſit,
Obliquúmque dedit, procumbentémque ſecutus
Colla ſimul dextra, pedibus ſimul inguina vinxit.
Deficit obſeſſus, ſolóque pudore repugnat,
Tandem preſſus humi, pronámque extenſus in aluum
Sternitur, ac longo mœſtus poſt tempore ſurgit,
Turpia ſignata linquens veſtigia terra.
Palmam autem dextra, leuáque nitentia dono
Arma ferens Tydeus. quid ſi non ſanguinis huius
Partem haud exiguam (ſcitis) Dircæus haberet
Campus vbi hæ nuper Thebarum fœdera plagæ?
Hæc ſimul oſtentans, quæſitáque præmia laudum
Dat ſociis, ſequitur neglectus Agyllea thorax.

ANIMISQVE ET PECTORE SVPRA EST. Licet infra ſit corpore. CVM VINCLIS ONERIQVE. illius ſcilicet, qui eum brachiis alligauerat. ELAPSVS INIQVO. ſubductus graui ponderi. *iniquum* enim graue dicimus. Virg. *Et iniquo pondere raſtri.* ET FIRMO. ordo, mox latus firmo nexu implicat, genua premens ad ilia. IMPROBVS. magnus, quia cum eſſet paruus ſtatura magni ponderis alte ſuſtulerat virum; ſiue quod ſe maiorem nexibus implicaſſet. TERRIGENAM SVDASSE LIBYN. Antheum dicit, quem Hercules apud Sumentum Africæ ciuitatem palæſtrico certamine ſuperauit, quem cum nequiret elidere, medium corripiens brachiorum ſuorum nexu confregit, quia terræ beneficio fortior cadendo ſurgebat. QVOD SI NON SANGVINIS HVIVS. Si non exhauſtus fuiſſet viribus in Thebano campo, in quo quinquaginta inſidiantes vno relicto ſuperſtite occidit. THEBARVM. Exegeſis. quod ſi hæ plagæ Thebana fœdera. HAEC SIMVL. ſubaudiendum *cum diceret.* PRAEMIA LAVDVM DAT SOCIIS. virtutis inſignia. NEGLECTVS THORAX. vetus.

Sunt & qui nudo ſubeant concurrere ferro.
Iámque aderant inſtructi armis Epidaurius Agreus:
Et nondum fatis Dircæus agentibus exul.
Dux vetat Iaſides. Manet ingens copia leti
O iuuenes, ſeruate animos, auidúmque furorem
Sanguinis aduerſi. túque ô quem propter auita
Iugera, dilectas cui deſolauimus vrbes,
Ne precor ante aciem, ius tantum caſibus eſſe,
Fraterniſque ſinas (abigant hoc numina) votis.
Sic ait. atque ambos aurata caſſide ditat.

Tunc genero ne laudis egens, iubet ardua necti
Tempora, Thebarúmque ingenti voce citari
Victorem. diræ retinebant omina Parcæ.
Ipſum etiam proprio certamina feſſa labore
Dignari, & tumulo ſupremum hunc addere honorem,
Hortantur proceres. ac ne victoria deſit
Vna ducum numero, fundat vel Lycia cornu
Tela rogant. tenui vel nubila tranſeat haſta.
Obſequitur gaudens, viridíque ex aggere in æquum
Stipatus ſummis iuuenum deſcendit. at illi
Pone leues portat pharetras, & cornua iuſſus
Armiger ingentem iactu tranſmittere circum
Eminus, & dictæ dare vulnera deſtinat orno.

INSTRVCTI ARMIS. modo ſagittariorum vult monſtrare certamina, id eſt, iactum velocium ſagittarum. ſed iaculatores non exhiberi permiſit. commemorationem iſtius ſpectaculi dixit, ſed ipſam non exhibuit voluptatem. EPIDAVRIVS. Epidaurus ciuitas Peloponenſis equis nobilis, vt ipſe in catalogo. *Qui rura domitant Epidauria.* SVNGVINIS ADVERSI. hoſtilis vel Thebani. CVI DESOLAVIMVS VRBES. propter quem reliquimus patriam. ABIGANT HOC NVMINA. vt antequam prælium committatur moriaris. NEC LAVDIS EGENS. ne inhonoratus abiret. LEVES PHARETRAS. non inanes, ſed in quibus ſagittæ eſſent haud pinnatæ.

Quis fluere occultis rerum neget omina cauſis!
Fata patent homini. piget inſeruare, peritque
Venturi promiſſa fides. ſic omnia caſum
Fecimus, & vires auxit Fortuna nocendi.
Campum emenſa breui fatalis ab arbore tacta
Horrendum viſu, per quas modo fugerat auras
Venit arundo retro. verſúmque à fine tenorem
Pertulit, & notæ iuxta ruit ora pharetræ.
Multa duces errore ferunt. hi nubila, & altos
Occurriſſe notos. aduerſo roboris ictu
Tela repulſa alij. penitus latet exitus ingens,
Monſtratúmque nefas. vni remeabile bellum,
Et triſtes domino ſpondebat arundo recurſus.

FLVERE. venire vel procedere. NEGET OMINA CAVSIS. incuſat poeta eos qui dicunt futura non portendi mortalibus. INSERVARE. attendere auſpicia: & eſt verbum augurum de cælo ſeruatum. dicit ergo. Piget nos inſiſtere, id eſt, non quærimus

futura. & ideo perit venturi fides promiſſa. SIC OMNIA CASVM. *Omina* ſunt rerum futurarum ſigna, ſiue bonarum, ſiue malarum. *caſus* autem ſunt ſubiti euentus. Cum enim non quærimus quæ futura ſunt, non procuramus aduerſa. cum neglectu noſtro improuiſa proueniunt mala, quæ accidunt caſui deputamus. FATALIS. harundinem fatalem dixit, quæ futura monſtraret. TENOREM. curſum, impetum.
ET NOTAE IVXTA RVIT ORA PHARETRAE. ante ora eius cecidit, qui pharetram tenebat. vt Ouid. de telo. *Reuolat nullo referente cruentum.* ERRORE SERVNT. diſſerunt, diſputant. RECVRSVS. ſoli Adraſto ſagitta ſuum reditum pollicetur.

EXPLICIT
THEBAIDOS LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM
LIBRI SEPTIMI
THEBAIDOS.

HIC Iouis imperio Martem Cyllenius ales
Excitat in Graios reſides:tunc ille furorem
Inſtaurat belli, ac Thebas ardentibus offert.
Labdacios tendit lachrymis defendere Liber.
Antigone è muris ſociorum diſcere vultus
Exquirit. fidus cui pandit ſingula Phorbas.
Mox Iocaſta gemens natum,Graioſque precatur
Vt placidus Thebas ineat, fratremque repoſcat
Imperium,Tydeus prohibet ſua vulnera narrans.
Hic Tigrium interitus partes pugnare coegit.
Bellantem curru Amphiaraum telluris hiatus
Obruit: ingemuitque cadens, lucemque reliquit.

INTERPRETATIO.

HIC liber habet indignationem Iouis contra Martem,quod bella Thebana lẽtius gererentur.miſſionẽ Mercurii ab Ioue ad eum incitandum. Deſcriptionem domus Martis in Thracia,cum omnibus eius miniſtris. Allocutionem Martis ad Mercurium. Allocutionem Adraſti regis ad tumulum Archemori. immiſſionem timoris,& nimiam augurii formidinem : pariterque cupiditatem ad bellum ocius præparandum. Conqueſtionem Liberi apud Iouem pro Thebanis: Iouiſque reſponſionem vindictam promittentis. Sequitur deſcriptio catalogi exercitus Thebanorum. Interrogatio Antigones. reſponſio Phorbantis. allocutio Etheoclis animantis exercitum. Inſtantis belli prodigia. aduentus Argiuorum ad Thebas, collocatioque caſtrorum. egreſſus cum filiabus Iocaſtæ ad Argiuorum caſtra. admiſſio & cõqueſtio de bello. Tydei relatio.Occiſio tigrium manſuetarum. deinde ingruentis belli timoris deſcriptio. Et hinc atque illinc ſingularia vel confuſa certamina,diuerſo caſu variaque victoria,cum deſcriptione & allocutionibus exultantium ducum.Amphiarai præcipue pugna deſcribitur: circa quam Apollinis fauor, & poſtea confeſſio cũ dolore mõſtratur. reſponſio Amphiarai commendantis filium,&petentis per eundẽ de vxore vindictam. hiatus terræ,& Amphiarai cum armis & curru ad inferos deſcenſio.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER SEPTIMVS Incipit.

ATQVE ea cunctantes Tyrij primordia belli
Iuppiter haud æquo reſpexit corde Pelaſgos,
Concuſsitque caput, motu quo celſa laborant
Sidera. proclamatque adici ceruibus Atlas.
Tunc ita velocem Tegees affatur alumnum.
I medium rapido, Boreamque illabere ſaltu
Biſtonias ſuper vſque domos, axemque niuoſi
Sideris: oceano vetitum qua Parrhaſis ignem
Nubibus hybernis, & noſtro paſcitur imbri.
Atque ibi ſeu poſita reſpirat cuſpide Mauors,
(Quanquam inuiſa quies) ſeu quod reor, arma, tubaſque
Inſatiatus habet, caraque in ſanguine gentis
Luxuriat, propere monitus, irámque parentis
Ede, nihil parcens, nempe olim accendere iuſſus
Inachias acies, atque omne quod Iſtmius vmbo
Diſtinet, & raucæ circumtonat ira Maleæ

PLACIDI LACTANTII INTERPRETATIO.

ATQVE EA CVNCTANTES. deſcribitur Iouis iracundia. allocutio ad Mercurium, vt Iouis minas nunciet Marti, &accuſet eum quod patiatur Græcos apud tumulum Archemori voluptatibus occupari. & vt eos furoris ſtimulis Mars armet ad bellum. CVNCTANTES. morantes ſiue manentes. CERVICIBVS. dicit iracundia Iouis cælo pondus augeri: & hoc Atlantem queri. QVA PARRHASIS. Arcas a gente dicta : vnde fuit

Calyſto Lycaonis filia, quæ in urſam, hoc eſt ſeptentrionem dicitur verſa. Lucan. *Parrhaſis obliquos Helice cum verteret axes.* Calyſto ergo ipſa eſt, quæ Arctophylax dicitur viſa: quæ nunquam oceano tingitur. ET NOSTRO PASCITVR IMBRI. ideſt cæleſti liquore, non marino, vt cetera ſidera. nam & ſol & aſtra cetera aquis paſcuntur oceani. nam vt oſtẽderet Lucan. ignes ſolis aquis nutriri, ait. *Non pabula flammis.* ISTHMIVS VMBO. *Iſthmos* eſt terra inter duo maria in longum porrecta. hæc enim duo maria orientem occidentẽque diſcriminant. Ionium oriente, AEgeũ occidente diuidit. omne ergo quod Iſthmius umbo diſtinet, ideſt Achaiam. in cuius parte Pelops regnauit, duo maria circundant, adeo vt inſulam facerent, niſi vtrumque pelagus interiecta terra diuideret. ideo autem *vmbonem montis* dixit, quia eius pars erectior imminet mari. MALEAE. *Malea* promontoriũ Græciæ, quod intrat mare, & per quinquaginta miliaria introrſus extenditur: vbi vnda ita ſæua eſt, vt nauigantes videatur perſequi. vnde Virgil. *Maleæque ſequacibus vndis.* hoc autem promontorium a Maleo Græciæ rege nomen accepit: quod intra ſe Peloponeſum includit ac tenet.

Illi vix muros: limenq́ue egreſſa iuuentus
Sacra colunt. credas bello rediiſſe, tot inſtant
Plauſibus, offenſique ſedent ad iuſta ſepulchri.
Hic ne tuus Gradiue furor? ſonat orbe recuſſo
Diſcus, & Oebalii coeunt in prœlia cæſtus.
At ſi ipſi rabies, ferríque inſana voluptas
Qua tumet, immeritas cineri dabit impius vrbes
Ferrum, ignémque ferens, implorantesque tonantem
Sternet humi populos, miſerúmque exhauriet orbem.
Nunc lenis belli, noſtráque remittitur ira.
Quod niſi præcipitet pugnas, dictóque iubentis
Ocyus impingit Tyrius Danaa agmina muris,
(Nil equidem crudele minor) ſit mite, bonumque
Numen, & effreni laxentur in otia mores.
Reddat equos, enſémque mihi, nec ſanguinis vltra
Ius erit, aſpicium terras, pacémque iubebo
Omnibus, Ogygio ſat erit Tritonia bello.

ILLI VIX MVROS. ideſt fines patriæ. figura qui ſunt illi, ideſt iuuentus Argiua. Græci inquit ſic litant, quaſi iam victores reuertantur ad patriã. OFFENSIQVE SEDENT. irati quod eorum gratia periiſſet Archemorus: ſiue *Offenſi* occupati, nouo ſermone dixit. SEPVLCHRI. Archemori. cui ludos funebres celebrant. SONAT ORBE RECVSSO. furore tuo hæc Gradiue feciſti certamina, vt aut diſco certarent, aut cæſtibus. OEBALII. Pollucis, vt ſupra. *Oebalio donem lugere magiſtro.* INSANA VOLVPTAS. deeſt *fuerit.* NVNC LENIS. quaſi ideo nunc Mars lenis ſit, nec noſtra iracundia flectitur. NIL EQVIDEM CRVDELE MINOR. nil minor illi quod crudele ſit, ideſt Matri. ſed bonum & mite numẽn efficiam. minatur Iupiter ſe Martem mitẽ efficere, quod ſcit cruento numini eſſe contrarium, vt mores illi, qui infreni eſſe conſueuerant, ocii languore torpeſcant, & ſit numẽ eius mite: graue enim malum eſt facit enim bonum a ſuo inſtituto traducere. IVS ERIT humani ſanguinis: aut ius aut auſpicium non erit: ius poteſtas, auſpicium frequentia. OCT

cto. Thebano. Vna enim porta ex ſeptem *Ogygia* nuncupatur. SAT ERIT. ad excindendas Thebas.

Dixerat, & Thracum Cyllenius arua ſubibat:
Atque illum arctoæ labentem cardine portæ
Tempeſtas æterna plagæ, prætentaque cœlo
Agmina nimborum, primique Aquilonis hiatus
In diuerſa ferunt. crepat aurea grandine multa
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri,
Hic ſteriles delubra notat Mauortia ſyluas
Horreſcitque tuens. vbi mille furoribus illi
Cingitur, aduerſo domus immanſueta ſub Aemo.
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur aduerſum Phœbi iubar, ipſaque ſedem
Lux timet, & dirus contriſtat ſydera fulgor.
Digna loco ſtatio. primis ſalit Impetus amens
E foribus, cæcumque Nefas, Iræque rubentes,
Exanguesque Metus, occultisque enſibus adſtant
Inſidiæ, geminúmque tenens Diſcordia ferrum.
Innumeris ſtrepit aula minis. triſtiſsima Virtus
Stat medio, lætusque Furor, vultúque cruento
Mors armata ſedet. bellorum ſolus in aris
Sanguis, & incenſis qui raptus ab vrbibus ignis,
Terrarum exuuiæ circum, & faſtigia templi
Captæ inſignibant gentes, cælatáque ferro
Fragmina portarum, bellatricéſque carinæ,
Et vacui currus, protritáque curribus ora.
Penè etiam gemitus. adeo vis omnis, & omne
Vulnus vbique ipſum, ſed non vſquam ore remiſſo
Cernere erat. talem diuina Mulciber arte
Ediderat, nondum radiis monſtratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.

LABENTEM. intrantem portas ſeptentrionis. PRAETENTA. circumfuſa, adiacentia. AGMINA NIMBORVM. infinitus numerus nubium. HIATVS. principium flatus: quia venti pinguntur hiantes. PROTEGIT. tuetur. GALERI. pilei. HIC STERILES. ephexegeſis eſt: qui deus ſterilis ſyluæ. DELVBRA MAVORTIA NOTAT. aſpicit auium more, quæ volando aſpiciunt vel notant in quibus inſideant locis. MILLE FVRORIBVS. mille miniſteriis Martis. CINGITVR. multatur. IRASQVIETA. immanſueta, ſine

ſine quiete. LATERVM. parietum, id eſt, ab ea parte qua murata eſt. TECTA DOMVS. ad deſcriptionem cruentæ domus adiecit, omnia ferro fuiſſe conſtructa, vt vbicunque adſpiceres mortalẽ domnim ex ipſius ædificii fabricatione cognoſceres: cuius terroris ſpeciem vt Virgil. explicaret, ait. *Porta aduerſa ingens, ſolidoque adamante columnæ*. LAEDITVR ADVERSVM PHOEBI IVBAR. offuſcatur Phœbi iubar. id eſt ſolis ſplendor læditur. id eſt ſplendore ferri repercutitur. IMPETVS AMENS. Singulis miniſteriis Martis epitheta, nomina aptando, coniunxit: & finxit officiorum diuerſitatem, vt omnia Martis miniſteriis conuenirent. GEMINVMQVE TENENS DISCORDIA FERRVM. mirum; geminũ dixit: ferrum tenere diſcordiam, quæ ſemper ſolet duorum inimicitia vel mortibus gratulari. ſiue propter fratres: quia in hoc bello maxime fratrum diſcordia præliatur. INNVMERIS. mitte infinitum numerum finxit, quippe pro peccatorum genere iam minatur ſupplicia diuerſorum. TRISTISSIMA VIRTVS. non religionis aut pietatis cauſa commota, ſed ideo in hoc bello triſtem dixit eſſe virtutem, quia parricidiis militauit. MORS ARMATA SEDET. quia ſemper eripit vitam. INSIGNIBANT. ornabant, ſiue inſignia faciebant. PENE ETIAM GEMITVS. egregie, vt in cruenta domo omnia ingemiſcentia cernerentur. VBIQVE IPSVM. ſubaudis *Martem putares*: vbique ſimulat, nuſquam tamen hilariore vultu cõſpicitur. NONDVM RADIIS. quæſtionem, quæ poteſt cõmoueri quare adulterio Marti Vulcanus habitaculum fundaſſet, argutiſſime diuinus hoc loco poeta diſſoluit. dicit enim, ante domum Marti Vulcanum ædificaſſe, quam iniuriam pateretur: quia ſol radiis ſuis magnifici flagitii detector fuiſſe narratur. ſed ſi ideo res male commiſſa diſplicuit, ſupereſt vt inueniatur cariſſimũ numen. FAEDA CATENATO. Hæc inquit limina prius Vulcanus extruxit, qui Martis & Veneris de Solis indicio adulterium cognouiſſet: quo comperto, vtrumque ſubtiliſſimis deuinxit catenis, atque in conuentum numinum adduxit adulteros.

Quærere templorum regem vix cœperat ales
Mænalius, tremit ecce ſolum, & mugire refractis
Corniger Hebrus aquis. tunc quod pecus vtile bellis
Vallem infeſtabat, trepidus ſpumare per herbas,
Signa aduentantis, clauſæque adamante perenni
Diſſiluere fores. Hircano in ſanguine pulcher
Ipſe ſubit curru, diráque aſpergine latos
Mutat agros, ſpolia à tergo flenteſque cateruæ.
Dant ſyluæ, nixque alta locum. regit atra iugales
Sanguinea Bellona manu, longáque fatigat
Cuſpide. diriguit viſu Cyllenia proles,
Summiſitque genas. ipſi reuerentia patri
Si prope ſit, demátque minas, nec talia mandet.
Quod Iouis imperium? magno quid ab æthere portas?
Occupat Armipotens. neque enim hunc germane ſub axem
Sponte venis, hyemeſque meas: cui roſcida iuxta
Mænala, & æſtiui clementior aura Lycæi,
Ille refert conſulta patris. nec longa moratus
Sicut anhelabant iuncto ſudore volantes
Mars impellit equos, reſideſque in prælia Graios

Ipſe etiam indignans. vidit pater altus, & ira
Iam lenior, tardo flectebat pondere vultum.
Vt ſi quando ruit, debellatáſque relinquit
Eurus aquas, pax ipſa tumet, pontúmque iacentem
Exanimis iam voluit hyems. nondum arma carinis
Omnia, nec toto reſpirant pectore nautæ.

TREMIT OMNE SOLVM. adueniente Marte terra concuſſa eſt. QVOD PECVS VTILE BELLIS. equi Martis. SVBIT CVRRVM. ingreditur ſeu aduenit. ASPERGINE. *aſpergo* gutta eſt terræ cruore permixta. MVTAT AGROS. ſanguine inficit, *Maculat*, variat ſiue diſtinguit. FLENTESQVE CATERVAS. captiuorum ſcilicet. NIX ALTA LOCVM. aduenie̅te deo omnia quæ in medio ſunt, locum dare neceſſe eſt. NEC TALIA MANDAT. ſi aduentum Martis talem iuxta Iouem caſus afferret, multa de ira ſua, & mandatorum acerbitate minuiſſet. QVOD IOVIS IMPERIVM. allocutio Martis interrogantis Mercurium, qualia ad ſe Iouis mandata portaret. OCCVPAT ARMIPOTENS. interrogando Mars præuenit. MAENALA. Mænalus & Lycæus montes Arcadiæ amœniſſimi. MORATVS. nulla mora diſcit patris præcepta. SICVT ANHELABANT. de bello Scythico remeantes. IVNCTO SVDORE. iteratio prioris & ſequentis laboris. RVIT. cadit vel deſinit flare. PAX IPSA TVMET. ipſa tranquillitas inquieta. EXANIMIS. ſine vento. id eſt, reliquiæ tempeſtatis licet ſint ſine flatu ventorum, tamen adhuc exagitant mare.

Finierat pugnas honor exequialis inermes
Nec dum aberant cœtus, cunctiſque ſilentibus Heros
Vina ſolo fundens, cinerem pacabat Adraſtus
Archemori. Da parue tuum trieteride multa
Inſtaurare diem, nec ſaucius Arcadas aras
Malit adire Pelops, Elæáque pulſet eburna
Templa manu, nec Caſtalius altaribus anguis,
Nec ſua pinigero magis adnatet vmbra Lycæo.
Nos te lugenti puer inficiamur Auerno,
Mœſtáque perpetuis ſolemnia iungimus aſtris,
Nunc feſtina cohors. at ſi Bœotia ferro
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris
Tunc deus. Inachias nec tantum culta per vrbes
Numina, captiuis etiam iurabere Thebis.
Dux ea pro cunctis. eadem ſibi quiſque vouebat.

INERMES. vt ſupra *ludricas pugnas viſendi vulgus inermes Fama vocat*. CINEREM PACABAT ADRASTVS. Diis enim inferis & manibus hoc, vt inter triennium haec ſacra celebrentur frequentius.

TRIETERIDE MVLTA. *trieterica* ſacra ſunt, quæ intermiſſo triennio celebrantur. NEC SAVCIVS ARCADES ARAS. Pelops ſcilicet, quia patre Tantalo numinibus epulandus a

appoſitus. HELEA QVE PVLSET. *Helea.* id eſt Græciæ: vbi ludi funebres & Olympicus inſtitutus eſt agon, in quo certamine oleaſtro victores coronari conſueuerũt. EBVRNA MANV. vt, *Humeroque Pelops inſignis eburno.* NEC CASTALEIS. Pythij agonis. Apollinem dicit, in cuius honorem extincto ſerpente agon celebratur Pythius, cuius victores lauro coronantur. VMBRA LYCAEO. licet alibi *vndam* legamus, tamen melius *vmbram* accipimus, propter Meliceꝛten, qui ſe de Lycæo monte præcipitauit in mare, in cuius honorem agon celebratur Iſthmiacus, cuius victores pinu coronantur. INFICIAMVR AVERNO. ideſt, cum deum colimus inficiamur te mortuum. id eſt mentimur vel negamus. *Auerno.* inferis, lugenti infernali. IVNGIMVS. ludos tuos cæleſtium agonibus conferimus. PER VRBES. promittit Adraſtus ſe numen Archemori omnibus Græciæ ciuitatibus indicaturum: non ſolum liberis, verum etiam bello victis.

Iam pronis Gradiuus equis Ephyræa premebat
Littora, qua ſummas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, & alterna geminum mare protegit vmbra.
Inde vnum dira comitum de plebe Pauorem
Quadrupedes anteire iubet. non alter anhelos
Inſinuare metus, animúmque auertere veris
Aptior, innumeræ monſtro vocéſque, manusque,
Et facies. quæcunque libet bonus omnia credi
Author, & horrificis lymphare incurſibus vrbes.
Si geminos ſoles, ruituráque ſuadeat aſtra,
Aut nutare ſolum, aut veteres deſcendere ſyluas,
(Ha miſeri) vidiſſe putent. tunc acre nouabat
Ingenium, falſo Nemeæum puluere campum
Erigit. attoniti tenebroſam à vertice nubem
Reſpexere duces. falſo clamore tumultum
Auget, & arma virum, curſusque imitatur equorum,
Terribilemque vagas vlulatum ſpargit in auras.
Exiluere animi, dubiúmque in murmure vulgus
Pendet, vbi iſte fragor? ni fallimur aure. ſed vnde
Puluereo ſtant aſtra globo? num Iſmenius vltro
Miles? ita eſt. veniunt. tanta eſtne audacia Thebis,
An dubitent? agedum inferias, & buſta colamus.

ACROCORINTHVS. mons eſt circa Corinthum immẽſæ altitudinis, cuius vmbra vtrũque mare tegi poeta deſcribit. BONVS OMNIA CREDI. ad omnia credenda idoneus eſt auctor timor: quo faciente, interdum etiam impoſſibilia credimus. nihil eſt enim quod credere hominẽ non ſuadeat timor. LYMPHARE. furiare. VIDISSE PAVENT. ad augendã credulitatem nouarum rerum ita dicta confirmant, vt quæ timore mentiuntur, ſe vidiſſe confirment. TVNC ACRE NOVABAT. ſi deorum aliquis mentiatur, facile poteſt falſa ſuadere mortalibus. NI FALLIMVR AVRE. SED VNDE. *aure* hic poſuit, pro auditu: & eſt oratio ſe invicem interrogantis. NI FALLIMVR. id eſt, niſi decipimur auditu. & videntur interpoſita verba pauoris, & quaſi reſpondentis, vt docet ipſa commatica pronunciatio. de-

nique concluſit *Hæc pauor attonitis.* ET BVSTA COLAMVS. Ironia, quaſi per remiſſionem animi, & occupationem ludorum ſint ab hoſte contempti.

Hæc Pauor attonitis, varióſque per agmina vultus
Induitur, nunc Piſæis è millibus vnus,
Nunc Pylius, nunc ore Lacon, hoſtéſque propinquos
Adiurat, turmaſque metu conſternit inani.
(Nil falſum trepidis) vt vero amentibus ipſe
Incidit, & ſacræ circùm faſtigia vallis
Turbine præuectus, rapido ter ſuſtulit haſtam,
Ter contorſit equos, clypeum ter pectore plauſit,
Arma, arma inſani, ſua quiſque, ignotáque nullo
More rapit. mutant galeas, alienáque cogunt
Ad iuga cornipedes. ſerus omni in pectore ſæuit
Martis amor, cædiſque nihil flagrantibus obſtat.
Præcipitant, redimúntque moras. ſic littora vento
Incipiente fremunt, fugitur cum portus, vbique
Vela fluunt, laxi iactantur vbique rudentes.
Iamque natant remi, natat omnis in æquore ſummo
Anchora. iam dulcis medii de gurgite ponti
Reſpicitur, tellus, comitéſque à puppe relicti.

VARIOSQVE PER AGMINA VVLTVS. vt manifeſtius quæ velit timor affirmet, diuerſarum gentium indutus vultibus, ſe exercitibus miſcet. NVNC PYLIVS. ex illa ciuitate. Horat. *Neſtora Pylius.* ADIVRAT. iureiurando confirmat. NIL FALSVM. Argiuis omnia credentibus nil falſum videbatur. FASTIGIA VALLIS. in qua ſacra fuerant celebrata in honorem Archemori. INSANI. fortes. NVLLO MORE RAPIT. raptum facit inuadere præter conſuetudinem. PRAECIPITANT. feſtinant, accelerant, vt tarditatis moras celeritate compenſent. INCIPIENTE FREMVNT. vociferatione præparantium nauigium perſtrepunt littora. VELA FLVVNT. ſola deſcendunt.

Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes
Bacchus iter, gemuit Tyriam conuerſus ad vrbem,
Altricémque domum, & patrios reminiſcitur ignes.
Purpureum triſti turbatus pectore vultum,
Non crines, non ſerta loco, dextrámque reliquit
Thyrſus, & intactæ ciciderunt cornibus vuæ.
Ergo vt erat lachrymis, lapſóque inhonorus amictu
Ante Iouem (tunc forte polum ſecretus habebat)
Conſtitit, haud vnquam faciè conſpectus in illa,
(Nec cauſæ latuere patrem) ſupplexque profatur.

GLOMERARE COHORTES. præter ordinem feſtinanter impingere. REMINISCITVR IGNES. in mentem veniunt patris fulmina, quibus ſe vtero matris excuſſit. PVRPVREVM. pulchrum. THYRSVS. haſta. CORNIBVS VVAE. dicit mœſticia Liberum ornatum capitis poſuiſſe. vbique enim vuis decoratus oſtenditur. Ouid. lib. Faſtorum. vi.

Bacche racemiferos hedera diſtincte capillos,
Si domus illa tua eſt, dirige vatis opus.
Arſerat obſequio ſemele Iouis, accipit Ino
Te, puer, & ſumma ſedula nutrit ope.
Intumuit Iuno rapta quod pellice natum
Educet, at ſanguis ille ſororis erat.
Hinc igitur, furiis Athamas in imagine falſus,
Túque cadens patria, parue Learche, manu.

ET TVNC FORTE. interpoſitio eſt. SECRETVS HABEBAT. aut cura laxatus, aut ſecretus tunc erat Iouis.

Exſcindiſne tuas diuum ſator optime Thebas?
Sæua adeo coniux? nec te tellurꝭ amatæ,
Deceptique larꝭ miſeret? cinerúmque meorum?.
Eſto, olim inuitum iaculatum nubibus ignem
Credimus. en iterum atra refers incendia terris,
Nec Stygiæ iurata, nec pellicis arte rogatus.
Quis modus? an nobis pater iratúſque, bonúſque,
Fulmen habes? ſed non Danaia limina talis,
Parrhaſiúmque nemus, Ledæáſque ibis Amyclas.
Scilicet è cunctis ego neglectiſſima natis
Progenies? ego nempe tamen qui dulce ferenti
Pondus eram. cui tu dignatus limina vitæ
Præreptúmque iter, & maternos reddere menſes.
Adde quod imbellis, raríſque exercita caſtris
Turba meas acies, mea tantum prælia norunt.
Nectere fronde comas, & ad inſpirata rotari
Buxa, timent thyrſos nuptarum, & prælia matrum.
Vnde tubas, Martémque pati? quin feruidus ecce
Quanta parat? quid ſi ille deos Curetas in arma
Ducat? & innocuis iubeat decernere peltis?
Quin etiam inuiſos (ſic hoſtis defuit?) Argos
Elicis, ô ipſis genitor grauiora periclis
Iuſſa, nouercales ruimus ditare Mycenas.
Cedo equidem. quò ſacra tamen, ritúſque peremptæ
Gentis? & in tumulos ſi quid male fœta reliquit
Mater abire iubes? Thracen, ſyluáſque Lycurgi?
Anne triumphatos fugiam captiuus ad Indos?

Da ſedem profugo. potuit Latonia frater
Saxa (nec inuideo) defigere Delon, & imis
Commendare fretis. cara ſubmouit ab arce
Hoſtiles Tritonis aquas. vidi ipſe potentem
Gentibus Eois Epaphum dare iura. nec vllas
Cyllene ſecreta tubas, Minoáue curat
Ida. quid heu tantum noſtris offenderis aris?
Hic tibi (quando minor iam noſtra potentia) noctes
Herculeæ, placidúſque vagæ Nycteidos ardor,
Hic Tyrium genus, & noſtro felicior igne
Taurus, Agenoreos ſaltem tutare nepotes.

Exeindiane tvas. cum exprobatione affectum mœroris, & cum dolore mouet inuidiam. Deceptiqve laris. dolo Iunonis dicit morte matris ſuæ Semeles viduatos penates. Olim invitvm. Synæreſis, vt hoc enim Semele pateretur. Extorsit. petiit vt ad ſe fulminibus armatus intraret. dicit enim nunc Liber, ſi ante inuitus dum amatæ nil negas in Thebas fulmen eiecisti: nunc inquit quis compulit vt bellum eis iuberes inferri. Danabia. id eſt, quando ad Danaen veniſti. Parrhasivmqve nemvs. ſilua vbi Calyſto à Ioue compreſſa eſt, quæ poſtea *Helice* nomen accepit. Ledaeamqve. id eſt, cum ad Ledam veniſti. E cvnctis ego. ſe dicit Liber à multis mortalibus ſæpe fuiſſe neglectum, vt Lycurgo atque Pentheo. nam Ouid. quodam loco verba Penthei iniuriantis Liberum ita deſcripſit.

Quis furor anguigenæ proles mauortia veſtras
Attonuit mentes Pentheus ait: ærane tantum,
Aere repulſa valent, & adunco tibia cornu,
Et magicæ fraudes, vt quos non bellicus enſis,
Non tuba terruerit, non strictis agmina telis,
Fœminea voces, & mota inſania vino,
Obſcœnique greges & inania tympana vincant.
Vos ne ſenes miſeri, qui longa per æquora vecti,
Hac Tyron, hac profugos poſuiſtis ſede penates,
Nunc ſinatis ſine Marte capi.

Pondvs eram. quoniam fulmina a matre fœmori Iouis eſt inſitus. vnde Liber *Bimater* appellatus eſt, quod duas veluti matres habuit. *Dithyrambus* dictus eſt, quod velut per duas portas exierit: ſed hoc fabuloſum intelligitur. ſub hac autem figura myſticum philoſophiæ ſecretum eſt. nam & illud falſiſſimum eſt quod Tireſias ſubit * * * Bvxa. tibia vel ſcabellum, quod in ſacris tibicines pede ſonare conſueuerunt. Timent Thyrsos. quomodo Thebani bella non timeant, qui bacchantium matrum Thyrſos horreſcunt. & vt bellandi inter illos monſtraret ſpeciem, ait, *Timent nuptarum prælia matrum.* Peltis. lunatis ſcutis, quibus vtuntur Amazones. Sic hostis defvit. interpoſitio narrationis. Ditare Mycenas. inimicos Argos Thebanorum ſpoliis ditare. Senſus, melius iratus alios hoſtes eliceret, ne vos inimicorũ faceret prædam. Sylvasqve Lycvrgi. Lycurgus Thracum rex fuit, qui Liberum deum eſſe negabat. Anne trivmphatos. Liber enim dicitur deinde egiſſe triumphũ. vnde Virg. *Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis Liber, agens celſo Niſæ de vertice tigres.* Latonia frater. Apollinẽ dicit, qui Delon inſulam in honorem materni partus ſtabilem fecit. Commendare fretis. id eſt, duabus inſulis alligare. *freta* enim proprie maria dicuntur, quæ æſtu rapido vicinas terras interfluunt. de qua inſula ait Vergil. *Mycone celſa Gyaróque reuinxit.* Hoſtiles Athenas dicit,

quas cum inundaſſet Neptunus, Minerua eas diluuio liberauit. pro qua vrbe contendiſſe dicitur cum Neptuno inuent is muneribus: Neptunus ſc. equum, Minerua oliuam. quam fabulam tetigit Virgil. dicens.

—Cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridente. Item.
—Oleaque Minerua inuentrix.

EPAPHVM. Iouis & Io filium, qui regnauit in Aegypto. cuius mater verſa eſt in iuuencam. vnde Virg. *At leuem clypeum ſublatis cornibus Io.* CYLLENE. Arcadia, in qua Mercurius dicitur natus. MINOAVE CVRAT. Minos & Rhadamantus Iouis & Europæ filii, Cretenſium reges. ſed vt conciliet Iouem in amorem Thebarum commemorat quos mortalium amare dignatus ſit fœminarum; Alcmenam, Antiopam, Nicteidem, poſtremo Europam, cuius frater Cadmus condidir Thebas. HIC TIBI QVANDO. quoniam. ordo eſt hic tibi noctes Herculeæ, & ardor Anthiopæ filiæ Nictei, quæ à Lyco expulſa per Dyrcen à Ioue in taurum verſo corrupta eſt. vnde Zetus & Amphion progeniti feruntur. NICTEIDOS ARDOR. amor Antiopæ Nictei filiæ. HIC TYRIVM GENVS. propter Europam & Cadmum, quod Cadmus Tyrii Agenoris filius fuit, qui Thebas condidit frater Europæ. cuius rei neceſſitudine Thebanis conciliare vult Iouem. FELICIOR IGNE amore. felicior ergo Europa Semele, quippe quæ fulmen pro amore perpeſſa eſt. ideo noſtro igne felicior.

Inuidiam riſit pater, & iam poplite flexum,
Sternentémque manus tranquillus ad oſcula tollit.
Inque vicem placida orſa refert. Non coniugis iſta
Conſiliis (vt rere) puer. nec ſæua roganti,
Sic expoſtus ego. immoto deducimur orbe
Fatorum, veteres, ſeræque in prælia cauſæ.
Nam cui tanta quies irarum? aut ſanguinis vſus
Parcior humani? videt axis, & iſta per æuum
Mecum æterna domus, quoties iam torta reponam
Fulmina, quam rarus terris hic imperet ignis.
Quin etiam inuitus magna, vlciſcendáque paſſis
Aut Lapithas Marti, aut veterem Calydona Dianæ
Expugnare dedi. meáque eſt iactura, pigétque
Tot mutare animas, tot reddere corpora vitæ.
Labdacios verò, Pelopíſque à ſtripe nepotes
Tardum abolere mihi. ſcis ipſe vt crimina mittam
Dorica, quam promptè ſuperos inceſſere Thebæ.
Te quoque, (ſed quoniam vetus excidit ira) ſilebo.
Non tamen aut patrio reſperſus ſanguine Pentheus,
Aut matrem ſceleraſſe toris, aut crimine fratres
Progenuiſſe reus, lacero tua luſtra repleuit
Funere. vbi fletus? vbi tunc ars tanta precandi?
Aſt ego non proprio diros impendo dolori

Oedipodionidas. rogat hoc tellúſque, pollúſque,
Et pietas, & læſa fides, naturáque, & ipſi
Eumenidum mores. ſed tu ſuper vrbe moueri
Parce tua. non hoc ſtatui ſub tempore rebus
Occaſum Aoniis. veniet ſuſpectior ætas,
Vltoréſque alij. nunc regia Iuno queretur.

INVIDIAM RISIT PATER. inuidioſam orationem ridendo Iupiter mitiorem effecit. vt Virg. *Olli ſubridens hominum ſator atque deorum.* POPLITE FLEXVM. id eſt, genibus inclinatum. SIC EXPOSTVS EGO. ſic fatis ſum ſubditus, vt imminentia mutare non poſſim. dicit ergo non Iunonis gratia Thebis indicimus bellum, ô puer, vt putas, neque enim mutabilis eſſe poteſt Iupiter, qui immoto fatorum ordine ea, quæ ſemel ſunt decreta, complere non differt. Iſti, vero populi, id eſt, Argiui ſiue Thebani ad hoc fataliter nati ſunt, vt bellis intereant. REPONAM. reuocem, reprimam, cohibeam.

EXPVGNARE DEDI. Mars Lapitas immiſſis furorum ſtimulis perdidit. Calydoniam Diana miſſu ſæuiſſimi apri vaſtauit. TARDVM ABOLERE MIHI. id eſt, ſero illis irrogo digna ſupplicia. CRIMINA DORICA. Græca, propter iniurias Tantali: quia extincto filio Pelope, ei humanos artus appoſuit epulandos. SANGVINE PENTHEVS. commemorando quod Pentheus innocens crudeliter punitus eſt, & Liberum in Thebas vindicem ſeuerum eſſe. Comparauit enim Oedipi Pentheique facinora, qui nec parricidium fecit, nec cum matre concubuit. cum Pentheus iſta non fecerit, tamen lacero funere tua luſtra compleuit. ergo tu qui tam ſæuiſſime paruæ culpæ reos punire conſueuiſti, non debes tam flebiliter pro nefandiſſimis ſupplicare. FRATRES PROGENVISSE REVS. quia Oedipus maritus & filius matris, & patris filii fratres ſunt. nullus igitur ibi pietatis ordo ſeruatus eſt, vbi fuit Iocaſta & vxor & mater. NON HOC STATVI. ordo non hoc tempore ſtatui Thebas euertere. & hoc dicendo ſpes aliqua poſtulatæ veniæ promittitur. dicit enim Iupiter ſe, vt cætera numina, imminentia mala poſſe differre, in totum vero mutare non poſſe. VLTORESQVE ALII. Theſeum dicit, qui ſecundo bello Thebas euertit. NVNC IVNO QVERETVR. nunc Iuno triſtabitur, quoniam in primo bello omnes, excepto Adraſto, Argiuorum duces perierunt.

His ille auditis, mentémque habitúmque recepit.
Vt cum ſole malo, triſtíque roſaria pallent
Vſta noto, ſi clara dies, Zephyríque refecit
Aura polum, redit omnis honos, emiſſáque lucent
Germina, & informes ornat ſua gloria virgas.
Nuncius attonitas iam-dudum Etheoclis ad aures
Explorata ferens, longo docet agmine Graios
Ire duces, nec iam Aoniis procul adſore campis.
Quacunque ingreſſi tremere, ac miſereſcere cunctos
Thebarum, qui ſtirpe refert, qui nomine, & armis.
Ille metum condens audire expoſcit, & odit
Narrantem. hinc ſocios dictis ſtimulare, ſuáſque
Metiri decreuit opes. extinxerat omnem

Aoniam

Aoniam, Eubœámque, & Phocidos arua propinquæ
Mars. ita dulce Ioui. longo fugit ordine velox
Teſſera, propellunt acies, ſeſéque ſub armis
Oſtentant. ſubeunt campo, qui proximus vrbi
Damnatus bellis patet, expectátque furores.
Non dum hoſtis contra, trepido tamen agmine matres
Conſcendunt muros, inde arma nitentia natis,
Et formidandos monſtrant ſub caſsi de patres.

MENTEMQVE HABITVMQVE RECEPIT. Dixerat poeta ſuperius, *Lapſoſque inhonorus amictu. &c. Purpureum triſtis turbatus pectore vultum.* ergo audita oratione Iouis Liber vno tempore ornatum lætitiamque recepit. SOLE MALO. torrido ſeu igneo. TRISTI NOTHO. nubilo auſtro. eſt autem floribus inimicus. vt Virgil. *Floribus auſtro perditus.* REDIT OMNIS HONOS. ſic inquit lætitia Liberi mutatus eſt vultus è grandi triſtitia, quemadmodum flores flante auſtro. Et ſolis nimio calore paleſcunt, perduntque gratiam aſpectus ſui. ac rurſus ſi placidi Fauonii ſpirauerit flatus, & virentes herbas frigidior ventus erexerit, & odorem recipiunt & colorem. EXPLORATA. certa. LONGO. AGMINE. ordinibus compoſitis. IRE. pro venire. vt Virgil. *Vos nunc à nauibus itis.* TREMERE ET MISERESCERE. Tremebant cuncti & terrebantur Argiuorum aduentu, qui Thebanis conſanguinitate coniuncti fuerant. qui vero erant extranei miſerabantur, cum in memoriam reducerent perituras Thebas. NOMINE ET ARMIS. ſubaudiendum, *ceteros anteibat.* ILLE METVM CONDENS. Etheocles metum diſſimulans. TESSERA. bellorum ſignum eſt. vt *hoſpitalem teſſeram* dicimus. Veteres enim, quoniam non poterant omnes hoſpites ſuos noſcere, teſſeram illis dabant, quam illi ad hoſpitia reuerſi oſtendebant præpoſito hoſpiti: vnde intelligebant hoſpites. hic tamen proprie *teſſeram* ſignum belli poſüit. CAMPO QVI PROXIMVS VRBI. campum ſubeunt qui patet ante vrbem, qui eſt ad ſiſtenda bella damnatus, id eſt, deſtinatus.

Turre procul ſola non dum conceſſa videri
Antigone populis, teneras defenditur atra
Veſte genas, iuxtáque comes, quo Laius ibat
Armigero, tunc virgo ſenem regina veretur.
Quæ ſic orſa prior. Speſne obſtatura Pelaſgis
Hæc vexilla pater? Pelopis deſcendere totas
Audimus gentes. dic ô precor (extera regum
Agmina nam video) quæ noſter ſigna Menœceus,
Quæ noſter gerat arma Creon. quam celſus ahena
Sphynge, peringentes Homoloidas exeat Hæmon.
Sic rudis Antigone. ſenior cui talia Phorbas.
Mille ſagittiferos gelidæ de colle Tanagræ
Promouet ecce Dryas. hic cui niuea arma tridentem,
Atque auro rude fulmen habent, Orionis alti
Non falſus virtute nepos. procul oro paternum

ii

Omen, & innuptæ vetus excidat ira Dianæ.
Iungunt ſe caſtris, regiſque in nomen adoptant
Ocaleæ, Medeónque, & conſertiſsima ſyluis
Nyſa, Dioneiſque auilus circumſona Thiſbe.
Proximus Eurymedon, qui paſtoralia Fauni
Arma patris, pinúſque iubas imitatur equinas
Terribilis ſyluis. reor & Mauorte cruento
Talis erit. dites pecorum comitantur Erythræ.
Qui Scolon, denſámque iugis Etheonon iniquis,
Qui breue littus Hyles, Atalantêmque ſuperbi
Schœnon habent, notique colunt veſtigia campi.
Fraxineas vibrant Macetum de more ſariſſas,
Sæuáque difficiles excludere vulnera peltas.

Nondvm concessa videri. pudicarum virginum morem deſcripſit, quia nunquam virgines facile videntur à populo. Antigone. Oedipi filia, Polynieis ſoror. Defenditvr. occultatur. Armigero. qui Lai ante fuit armiger, eo nunc Antigone vtebatur cuſtode. Spes-ne. hanc œconomiam tranſtulit iuxta Homerum, per inquiſitionem catalogi. inducit hic per Antigonem, vt illic per inquiſitionem Priami, & relationem Helenæ. Haec vexilla. hoc eſt, Thebanorum militum manus poterit tam immenſum Argiuorum exercitum ſuperare, & parua multitudo contra hoſtium copias hæc valebit. de auxiliaribus quærit cæteruis; nam ſuos ciues agnoſcit. Pater. non patrem genuinum Oedipum dicit, ſed vt blandiretur nutritoribus, Phorbantem patrem vocauit. Menoecevs. hic ſe pro patria ex reſponſo de muro præcipitem dedit, filius Creontis, qui poſt fratris Etheoclis interitum accepit imperium. Ahena sphynge. caſſide, cuius altitudinem in ſummitate adiecta auxerat ſphynge. ſiue ſigna Thebanorū *ſphyngas* eſſe monſtrauit. vt enim apud Romanos aquilæ habebantur ſignis appoſitæ, ſic Thebanorum ſigna ſphyngos vultus ornabat. Homoloidas. Homoloidæ portæ ſunt Thebanæ appellatæ, quæ erant ſeptem. vnde Thebana ciuitas Heptapylos dicta eſt. Tanagre. ciuitas Euboeæ, quæ nunc Penanoria nuncupatur. Dryas. hic eſt quem Diana ſagittis, propter interfectum Parthonopæum, occidit. Tridentem. vt declararet ſe Orionis nepotem, in ſcuto tridentem pinxerat. Orionis alti. huius talis eſt fabula. Pelaſgus quidam deorum cultor Iouem, Neptunum, Mercuriumque, ſuſcepit hoſpitio, à quibus huic eſt facultas oblata, vt quia in deos religioſus extiterat, ab his quod vellet optaret. is cum adhuc ætatis filium nullum ſuſcepiſſet, poſtulauit vt beneficio numinum proles ſibi contingeret. minxerunt ergo numina in bouis corium, quem Pelaſgus diis immolauerat, & hoc defodere iuſſerunt, exactiſque nouem menſibus tolli: ex quo natus eſt Orion, qui ex vrina nomen accepit: οὖρον enim Græce *vrina* dicitur. hic de ſtupro compellauit Dianam, illa irata terræ inuocauit auxiliū. at ille ictu ſcorpii interiit, quem terra in vltionem Dianæ exilire compulerat. alii vero dicunt Orionem ipſius Dianæ ſagittis fuiſſe fruſtratum. vt Horat. *Virginea domitus ſagitta.* Nysa Dioneisqve avilvs circvmsona, hanc quidam volunt eſſe regionem in qua Nyſus regnauit, cuius crinem purpureum Scylla filia dicitur amputaſſe. Thisbe. ciuitas eiuſdem, in qua Venus colitur, quò Iouis aliquando per columbas dabantur reſponſa. Pinvsqve ivbasqve quia quaſi equinæ ſetæ ſunt pini folia. Terribilis silvis. venationibus. Erythrae. ciuitas, numeri tantū pluralis. Scolon Etheonon. ciuitates ſunt Græciæ, quæ Thebanis auxilium miſerunt. Ivgis iniqvis. arduis atque excelſis. Atalantemqve. duas Atalan-

tes eſſe certiſſimum eſt, vnam Arcadam, cuius Parthenopæus eſt filius: aliam de Scyro nobilem curſu, quam Hyppomanes currendo ſuperauit, proiiciendo tria poma aurea Veneris conſilio. NOTI CAMPI. in quibus ſolebat Atalanta cum procis curſu contendere. COLVNT. non venerantur, ſed habitant. SARISSAS. Macedonum lanceas. hoc enim nomine tela ſua ipſius gentis homines vocant. vnde Lucan. *primi Pelleas arcu fregere ſariſſas.* DIFFICILES EXCLVDERE. ſc. cauſa breuitatis.

Ecce autem clamore ruunt Neptunia plebes
Oncheſti, quos pinigeris Mycaleſos in agris,
Palladiúſque Melas, Hecatæáque gurgite nutrit
Gargaphye, quorúmque nouis Haliartos ariſtis
Inuidet, & nimiâ ſata læta ſuperuenit herba.
Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum,
Arborei dant ſcuta ſinus. hos regis egenos
Amphion en noſter agit (cognoſcere pronum,
Virgo) lyra galeam, tauróque inſignis auito.
Macte animo iuuenis. medios parat ire per enſes,
Nudáque pro caris opponere pectora muris.
Vos etiam noſtris Heliconia turba venitis
Addere rebus opem. túque ô Permeſſe canoris
Et felix Hormie vadis, armatis alumnos
Bellorum reſides. patriis concentibus audis
Exultare gregem. quales cum pallida cedit
Bruma, renitentem deducunt Strymona cygni.
Ite alacres, nunquam veſtri morientur honores:
Belláque perpetuo memorabunt carmine Muſæ.

ONCHESTI. Oncheſtus Neptuni fuit filius, qui ex ſuo nomine hanc condidit ciuitatem. MYCALESOS. promontorium eiuſdem ciuitatis. PALLADIVSQVE MELAS. Bœotiæ flu. Mineruæ conſecratus. *Palladius* ergo Atticus. alii volunt hunc Athenarum fluuium eſſe, quem *Palladium* ad diſcretionem poſuit. eſt enim alter *Melas* in Sicyoniorum finibus: ſiue *Melas* montem dicit oliuetis conſitum. GARGAPHYAE. fons Dianæ ab Hecate conſecratus. ET NIMIA. cuius ſatis nimietas herbarum inhabitet, quæ naſcentes opprimit meſſes. VIRGO LYRA GALEAM. in cono galeæ lyram habebant propter muſicam, qua Thebani dicuntur muri fuiſſe conſtructi. TAVRO. propter Iouem & Europam, vel propter Cadmum, qui bouem ſecutus eſt, vt Thebanam conderet ciuitatem. vel quod manifeſtius propter Dyrcem nouercam, quã ab his conſtat tauro religatam. MACTE ANIMO. vt ſi diceret, perfectæ indolis iuuenis. *Mactare* enim dictum eſt, ſacrificium perfeciſſe. vnde Virg. *Macte noua virtute puer.* id eſt perfecte. OPPONERE PECTORA. bene *opponere* dixit, ad defenſionem murorum. HELICONIA TVRBA. per Heliconã intelligi voluit, poetas etiam ad auxilia conueniſſe, & commemorat fluuios Muſis dicatos: Heliconium, Permeſſum, Hormium. RENITENTEM. ſplendentem niuem depoſitam. CYGNI. quia apud Hormium fluuium multi ſunt cygni; & hi qui ab hoc fluuio veniebant, cygnorum more cantabant.

Dixerat. & paulum virgo interſata docenti.
Illi autem, qua nam iunguntur origine fratres?
Sic certè paria arma viris, ſic exit in auras
Caſſidis æquus apex. vtinam hæc concordia noſtris!
Cui ſenior ridens: Non prima errore videndi
Falleris Antigone, multi hos (nam decipit ætas)
Dixerunt fratres: pater eſt, natúſque, ſed æui
Confudere modos. puerum Lapithonia Nympha
Dircetis, expertem thalami, crudúmque maritis
Ignibus, ante diem cupido violauit amore,
Improba connubij. nec longum & pulcher Alathreus
Editus, ac primæ genitorem in flore iuuentæ
Conſequitur, traxítque notas, & miſcuit annos.
Et nunc ſic fratres mentito nomine gaudent
Plus pater. hunc olim iuuat, & ventura ſenectus.
Tercentum genitor, totidémque in prælia natus
Exercent equites. hi deſeruiſſe feruntur
Exilem Gliſanta, Coroniámque feracem:
Meſſe Coroniam, Baccho Gliſanta colentes.

Sed aevi confvdere modos. ætatis ſuæ, dum pæne æquales ſunt, ſpatia confuderunt Nymphæ. ad ornamentum carminis ſui Græcum nomen accepit. Græce νύμφη dicitur *ſponſa*. Maritis ignibvs. Viriles amores, concubitus voluptatem dicit. Nec longvm. id eſt tempus tranſiit. Et pvlcher Alathrevs. natus eſt filius qui patri creſcendi celeritate pæne æquæuus eſt. Traxitqve notas. Similitudinem patris in vultu ſuo ſignauit. Plvs pater. hoc eſt, gaudet ætate antecedenti deſiderio.

Hvnc olim ivvat et ventvra senectvs. vno tempore ſeneſcentiũ patris & filii. Exilem. ſterilem agrum habentem. Coroniam. nomen à Coro Centauro tractum, à quo & ciuitas dicta, quem reliqui Centauri velut palum exdentes terræ affixerunt. Baccho glisanta. duæ ciuitates duorum numinum pari gaudent munere, Coronia Baccho fertilis eſt, ſimul Gliſanta: Cerere infœcunda triſtantur. nec euenit vt prouentu ſuó vtraque ciuitas frumenti & vini bono gauderet.

Sed potius celſos vmbrantem hunc aſpice late
Hipſea quadriiugos, clypei ſeptemplice tauro
Leua, ter inſuto ſeruant ingentia ferro
Pectora. nam tergo numquam metus. haſta vetuſtum
Siluarum decus. emiſſæ cui peruia ſemper
Armáque, pectoráque, & nunquam manus irrita voto
Aſopos genuiſſe datur, dignúſque videri.
Tunc pater abruptis cum torrentiſſimus exit

Fontibus, aut natæ tumidus cum virginis vltor
Flumina concuſſit, generum indignata Tonantem.
Namque ferunt raptam patriis AEginan ab vndis
Amplexu latuiſſe Iouis. furit amnis. & aſtris
Inſenſus bellare parat (non dum iſta licebat
Nec ſuperis) ſtetit audaces effuſus in iras,
Conſeruitque manum, nec quem imploraret habebat,
Donec vix tonitru ſummotus, & igne triſulco
Ceſſit, adhuc ripis animoſus gurges anhelis,
Fulmineum cinerem, magnæque inſignia pœnæ
Gaudet, & Aetneos in cœlum efflare vapores.
Talem Cadmeo mirabimur Hipſea campo
Si modo placauit felix AEgina Tonantem.

HYPSEA QVADRIIVGOS. fratrem AEaci dicit, cuius Iuppiter ex formicis ſocios fecit armatos exiſtere, ex eo Peleus natus eſt, ex Peleo Achilles, cuius milites Myrmidones nuncupati ſunt, à formicarum origine. *μύρμηκες* enim Græce *formicæ* dicuntur: hunc Hypſeum in VIIII. libro Capaneus occidit. NAM TERGO NVNQVAM METVS. ſiue quia hic virtutis ſuæ prærogatiua nunquam fugiebat: ſiue quia vetus conſuetudo fuerat, vt lorica nunquam niſi pectus tegeret, vt ſpem fugæ eriperet pugnaturis. quod Salluſt. aperiſſime monſtrauit dicendo. *Et in maximo omnium & nudum, & cæcum corpus ad hoſtem vertere*, ideſt, quod nec oculi, nec lorica muniebat. IRRITA VOTO. quæ in percutiendo nũquam auctoris ſui vota decipit. ASOPOS. fluuius. hic cum raptam a Ioue filiam AEginã æquo animo ferre non poſſet, omni aquarum agmine concitatus cælum petebat infeſtus. hunc Iuppiter fulminauit. verum hodieque dicitur eo tempore quo fulmen excepit primus vrentibus ripis fluere. ideo dixit *adhuc ripis animoſus gurges anhelat*. hunc Aſopum breuiter etiam deſcribit Lucanus dicens. *Aſopos aquas*. NONDVM ISTA LICEBAT. vitiare virgines alienas. CONSERVITQVE MANVM. contra nubes & fulmina. NEC QVEM IMPLORARET HABEBAT. quia huic bella commouerat, a quo omnia numina auxilium poſtulare conſueuerant. AETNEOS. nimios. in ſimilitudinem AEtnæ fulminatus eſt Aſopus: & ipſa aqua efflat adhuc fulminis minas.

Ducit Ithonæos, atque Alchomenæ Mineruæ
Agmina, quos Midee, quos humida ſuggerit Arne,
Aulida qui, Græamque ſerunt, virideſque Plateas,
Et ſulco Peteôna domant. refluúmque meatu
Euripum, quà noſter abit, quáque vltima tractu
Anthedon. vbi gramineo de littore Glaucus
Poſcentes irrumpit aquas, iam crine geniſque
Cærulus, & mixtos expauit ab inguine piſces.
Glandibus, & torta Zephyros incidere funda
Cura: Cydoneas anteibunt geſa ſagittas.
Tu quoque præclarum formæ Cephiſe dediſſes

Narciſſum. ſed Theſpiacis iam pallet in agris
Trux puer. orbata florem pater alluit vnda.

ITHONEOS. vt ipſe ſupra. *Aonia diuertis Ithone.* In qua Ithonus regnauit Herculis filius. Hæc ciuitas Bœotiæ eſt. hinc Bachilides Mineruam *Ithoniam* dixit, & Alcomenem ipſam ſignificat. quem imitatus eſt Horatius in illa ode, in qua Proteus Troiæ futurum narrat excidium. QVOS MIDIE. Bœotiæ ciuitas in qua Alcmena nata eſt, Herculis mater, & in qua ètiam colitur Minerua. AVLIDA. Aulis dicta eſt ex eo, quia omnes illic Græciæ reges in excidium Troiæ coniuraturi conuenerant. vnde Virg. *Non ego cum Danais Troianam excindere gentem Aulide iuraui.* PLATEAS. Bœotiæ vrbs, vt ſupra. *nunciat excubiis vigiles arſiſſe Plateas.* REFLVVMQVE. quia ſepties in die fluit & refluit, quemadmodum Sicilienſe fretum, quod certis horis fluit. vnde Lucan. *Euripuſque trahit curſum mutantibus vndis.* QVA NOSTER ABIT. quia eſt Bœotiæ & Euboeæ. ANTHEDON. ciuitas Bœotiæ, inter Euboeam & Bœotiam. GLAVCVS. hic piſcator fuit, & de Anthedone ciuitate, qui cùm extractam ex mari prædam preieciſſet in littore, piſces herbarum tactu reuixerunt. intellexit Glaucus hanc illorum graminum naturam eſſe, vt immortales efficerentur, qui eam guſtaſſent, itaque auellit & aſſumpſit: quo facto illico depoſito humano corpore, in marinum verſus eſt deum. POSCENTES IRRVMPIT AQVAS. quaſi eum deſiderarent maria Deum ſibi fieri. EXPAVIT. Glaucus poſtquam vidit ſe deformem vel biformem factum, expauit. ita enim marina numina Virg. formauit dicendo. *Cui laterum tenus hiſpida nanti Frons hominem praefert, in piſtrin deſinit aluus.* ET TORTA. circum caput rotata. GESA. haſta Gallorum. Virg. *duo quiſque Alpina coruſcant Geſa manu* CEPHISE. Cephiſus fluuius, Narciſſi pater, cum cæde Zephiri proſtratus eſſet, Apollinis miſeratione ſanatus eſt. hoc ergo dicit, in auxilium tu quoque filium deſtinaſſes, niſi iam palleret in flore. Theſpius enim fuit Narciſſus Cephiſi fluuii. cuius etiam Lucan. meminit dicendo. *quos impiger fatidica Cephiſos aqua.* NARCISSVM. Narciſſus venandi ſtudioſus fuit, quo labore fatigatus venit ad fontem vt reſtingueret ſitim, qui in ſpeculo fontis imaginem ſuam vidit & amauit, cum putaret alienam. & cum cœpiſſet eius deſiderio quotidie intabeſcere, in florem ſui nominis eſt mutatus. ALLVIT. irrigauit ne marceſcat.

Quis tibi Phœbæas acies, veterèmque reuoluat
Phocida? quis Panopem? quis Aulida? quis Cypariſſon?
Et valles Labida tuas? & Hyampolin acri
Subnixam ſcopulo? vel qui Parnaſſon vtrumque,
Aut Cyrrham tauris, Anemoreámque ſupinant,
Coryciumque nemus? propellentèmque Lileam
Cephiſi glaciale caput, quo ſuetus anhelam
Ferre ſitim Phyton, amnemque auertere ponto.
Omnibus immixtas cono ſuper aſpice lauros,
Armáque, vel Tityon, vel Delon habentia, vel quas
Hic deus innumera laxauit cæde pharetras.
Iphytus acer agit, genitor cui nuper ademptus
Naubolus Hippaſides, tuus ô mitiſsime Lai
Hoſpes, adhuc currus, ſecuráque lora tenebat,

Cùm tua ſubter equos iacuit conuulſa cruentis
Ictibus, ô vtinam noſtro cum ſanguine, ceruix.

PHOCIDA. a Phoco Eaci filio, quem Pelleus & Thelamon occidiſſe dicuntur. a cuius nomine ciuitas nuncupata eſt, in qua Oedipus Laium dum patrem quæreret occidit. quæ ciuitas tres habet uias, quæ ſe poſt multa ſpacia in vnam iungunt plateam, vt ipſe in primo. *triſidaque in Phocidos arcto Longæuum implicui regem.* QVIS PANOPEN. Tres omnes ciuitates ſunt Phocidos. LEBADIA. ciuitas Apollini ſacra, in qua Triphonius & Latamedes Tauropolytæ fratres fuerunt, filii Augæ formoſiſſimi. AVT CYRRHAM. Parnaſſus mons eſt Phocidos, qui in duo iuga diuiditur, ideſt, in Cyrrham & Nyſam. Cyrrha ergo etiam ciuitas dicitur circa montem Parnaſſum ſita. hæc habet ſtagnum Apollini conſecratum, dequo ipſe ſuperius. *Si ſtagna petij Cyrrhea bicorni.* CORCYRVMQVE NEMVS. quidam *Ogygium* legunt, quia poſt Cadmum Ogygius Thebas rexit: quo vocabulo antiqui Thebanos intelligi volebant. poſt etiam nemori eſt hoc nomen impoſitum. etiam tumulus circa Thebas ita vocatur. ASPICE LAVRVS. ita ſe deuotos Apollini demonſtrabant, vt & lauro coronati incederent, & maximos eius actus ſcutorum aptarent inſignibus. CAEDE PHARETRAS. Niobe vxor Amphionis cum quatuordecim peperiſſet filios, ſeptem virilis ſexus, ſeptem fœminei, fœcunditatem partuum ſuorum Latonæ præpoſuit, qua re commota filios ſuos, Apollinem & Dianam, in vltionem ſuæ inſtigauit iniuriæ: cuius Niobes filios quatuordecim vterque deus extinxit ſagittis, Apollo pueros, puellas Diana. NAVBOLVS. hic Lai fuit auriga. SECVRA. ſine metu futuri parricidii.

NOSTRO CVM SANGVINE CERVIX. oſtendit eo tempore, quo Naubolus Lai fuit auriga, Phorbantem armigerum fuiſſe. & optat vt errore quo occiſus eſt Laius, filij pariter interiſſent, ne ad diuidendum fratrum ſcelera ſeruarentur.

Dicentis maduere genæ, vultúmque per omnem
Pallor iit, vocisque repens ſingultus apertum
Intercepit iter. refouet frigentis amicum
Pectus alumna ſenis, redit atque exile profatur.
O mihi ſollicitum decus, ac ſuprema voluptas
Antigone. ſeras tibi demoror improbus vmbras.
Fors eadem ſcelera, & cædes viſurus auitas.
Donec te thalamis habilem, integramque reſignem
Hoc ſatis, & feſſum vita dimittite Parcæ.
Sed dum labor iners, quanti nunc ecce reuiſo,
Tranſabiere duces. Chromim atque in terga comantes
Non ego Abantiadas, non te ſaxoſa Caryſte,
Non humiles Aegas, altúmque Capharea dixi.
Et iam acies obtuſa negat, cunctíque reſiſtunt:
Et tuus armatis iubet ecce ſilentia frater.
Vix ea turre ſenex. cum Rector ab aggere cœpit:
Magnanimi reges, quibus haud parere recuſem
Ductor, & ipſe meas miles defendere Thebas.
Non ego vos ſtimulare parem (nam liber in arma

Impetus, & meritas vltro iuraſtis in iras)
Nec laudare ſatis, dignaſque rependere grates
Sufficiam. referent ſuperi, veſtræque ſubacto
Hoſte manus. vrbem ſocia de gente ſubiſtis
Tutari, quam non aliis populator ab oris
Belliger, externáue ſatus tellure, ſed hoſtis
Indigena adſultat, cui caſtra aduerſa regenti
Hic pater, hic genitrix, hic iunctæ ſtirpe ſorores.
Hic erat & frater. cerne en vbicumque nefandus
Excidium moliris auis. venere volentes
Aoniæ populi, nec ſum tibi ſæue relictus.
Quid velit iſta cohors, & te ſentire decebat.
Reddere regna vetant. ſic fatus, & omnia rite
Diſponit, qui bella gerant, qui mœnia ſeruent.
Quas in fronte manus, medio quas robore ſiſtat.
Perſpicuas ſic luce fores, & virgea paſtor
Clauſtra leuat dum terra recens: iubet ordine primos
Ire duces, media ſtipantur plebe maritæ.
Ipſe leuat grauidas, & humum tactura parentum
Vbera, ſuccidúaſque adportat matribus agnas.

REPENS. & aduerbium poteſt eſſe temporis, & nomen participale. oſtẽdit Phorbantem intercepta ſingultibus voce loqui minime potuiſſe. SOLLICITVM DECVS. quia illi cura eſt Antigones virginitatis cuſtodia. SERAS TIBI DEMOROR. propter te ſeniles annos inuita demoror. FORS EADEM. vt quemadmodum Laium, ſic eius nepotes aſpiciã perire. INTEGRAMQVE RESIGNEM. ſicut accepi ſeruandam, integram nuptiis virginitatem reſtituam. TRANSABIERE DVCES. narratione elapſi ſunt. CARISTAE. inſula eſt iuxta Euboeum fretum. quam ſaxoſam ideo ait, quoniam ibi marmora naſcuntur, quæ a loci vocabulo *Cariſtia* dicũtur. vnde Lucan. *Qua maris anguſtat fauces ſaxoſa Cariſtos.* NON HVMILES AEGAS. omnibus valde notas. CAPHAREA. mons eſt altiſſimus, naufragio Græcorum omnibus notus, in finibus Euboeæ. VLTRO. non coacti. IVRASTIS. *iurare* proprie eſt, quotieſcunque ſacramento exercitus in aliquo bello conſpirat: ſiue quia legiones cum ſcribuntur, ante in ſacramenta militiæ compelluntur iurare.

HIC ERAT ET FRATER. hoſtili animo, quaſi iam nõ eſſet, dixit. RELICTVS. vt inuenias me carentem auxiliis, & occidas. PERSPICVAS SIC LVCE FORES. ſiue adueniente die perſpicuas: ſiue ex cratibus factas, quæ raritate virgarum cõnexæ lucem admittunt. DVM TERRA RECENS. dum adhuc ros in gramine, quo tempore gratiora ſunt pecoribus paſcua. HVMVM TRACTVRA. lactis pondere prægrauata. SVCCIDVAS. tardantes, a ſuccidendo. ſiue vt fœturæ ſuccedentem ſobolem demonſtraret, *ſucciduas* dixit, id eſt vicarias.

Interea Danai noctémque, diemque, ſub armis,
Noctem iterum, rurſuſque diem (ſic ira ferebat)
Ingeminant. contempta quies, vix aut ſopor illis,

Aut

Aut epulæ fecere moram. properatur in hoſtem
More fugæ, nec monſtra tenent, quæ plurima neſtit
Prodigiale canens, certi ſors præuia fati.
Quippe ferunt diros monitus, volucreſque, feræque,
Sideraque, auerſique ſuis decurſibus amnes:
Infeſtumque tonat pater, & mala fulgura lucent.
Terrificæque aditus voces. clauſæque deorum
Sponte fores. nunc ſanguineus, nunc ſaxeus imber,
Et ſubiti manes, flentúmque occurſus auorum.
Tunc & Apollineæ tacuere oracula Cyrrhæ,
Et non aſſuetis pernox vlulauit Eleuſis
Menſibus; & templis Sparte præſaga recluſis
Vidit Amyclæos (facinus!) concurrere fratres.
Arcados inſanas latrare Lycaonis vmbras
Nocte ferunt tacita. ſæuo decurrere campo
Oenomaum ſua Piſa refert, Acheloon vtroque
Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.
Perſeos effigiem mæſtam, exorantque Mycenæ
Confuſum Iunonis ebur. mugire potentem
Inachon agricolæ. gemini maris incola narrat
Thebanum toto planxiſſe Palæmona ponto.

MORE FVGAE. fecit enim formido veloces. PRODIGIALE CANENS. neſcio quid prodigiale denuncians. PRAEVIA FATI. certa enim bellantibus ſors eſt, mortem ſperare. VOLVCRESQVE FERAEQVE. hoc loco prodigiales res poeta deſcribit. SIDERAQVE. ignota ſidera apparere tempore belli certiſſimum eſt, & frequentia fulmina fieri. AMNES. inter cætera prodigiorum genera fluuiorum etiam incrementa ponuntur, incerto tempore. CLAVSAEQVE DEORVM. in Cyrrha tantum proſpera deorum dabantur oracula. nã cui exitium imminebat, taciturnitate templi penitus damnabatur. ELEVSIS. ciuitas eſt Atticæ regionis, haud longe ab Athenis, in qua regnauit Teleus, qui Cererem dum filiam quæreret, liberaliſſime ſuſcepit hoſpitio. in qua ciuitate Cereris ſacra conſueuerant virginum vlulatibus & ſaltationibus celebrari. SPARTAE. apud Spartam aperto templo eodem tempore Caſtor & Pollux dimicare inter ſe viſi ſunt: ex quo omine colligebant, Etheoclem & Polynicem impia inter ſe bella geſturos. TEMPLIS RECLVSIS. quia Apollinis oraculum eſt illic. AMYCLAEOS. Amyclæi fratres ſunt Caſtor & Pollux. LYCAONIS VMBRAS. Lycaon pater Helicê vrſæ fuiſſe dicitur, qui dolore, ſtupratæ a Ioue filiæ, deos humanarum carnium cibis violauit: ob quam rem in formam lupi dicitur eſſe conuerſus. SAEVO CAMPO. in quo victor filiæ ſponſos ſolitus erat necare. OENOMAVM. Atalantæ patrem. DEFORMEM CORNV. cum vno cornu ante fuerit ab Hercule viduatus, quare eum nunc poeta ambo amiſiſſe deſcribit, vt omen diri belli tradi poſſit, quod vtroque cornu Achelous truncatus videretur, quod ſignum periturorum germanorum certiſſimum fuit. CONFVSVM IVNONIS EBVR. confuſum dolore, ſiue turbatum, ſiue pudore verecundatum. GEMINI MARIS. Corinthios dicit, qui Euripi incolunt partem. vt Horat. *Bimariſue Corinthi mœnia.* PALAEMONA PONTO. Palæmon deus marinus. qui

portubus præeſt: cuius nota eſt fabula. Atamas, poſt furorem a Iunone, immiſſum, cum occiſo Learco Melicertam alterum filium ſuum cum vxore ſua Ino proſequêtetur, & ſe illi in mare præcipitaſſent, voluntate numinum in deos verſi ſunt: Melicerta in Portunū, qui Græce Palæmon dicitur, Ino in Matrem Matutam, quæ Græce dicitur Leucothea.

Hæc audit Pelopea phalanx. ſed bellicus ardor
Conſilis obſtat diuum, prohibétque timeri.
Iam ripas Aſope tuas, Bœotáque ventum
Flumina. non auſæ tranſmittere protinus alæ
Hoſtilem fluuium. forte & trepidantibus ingens
Deſcendebat agris. animos ſiue imbrifer arcus,
Seu montana dedit nubes, ſeu fluminis illa
Mens fuit, obiectusque vado pater arma vetabat.
Tunc ferus Hippomedon magno cum fragmine ripæ
Cunctantem deiecit equum, ducibusque relictis
Gurgite de medio, frenis ſuſpenſus, & armis,
Ite viri clamat. ſic vos in mœnia primus
Ducere, ſic clauſas voueo perfringere Thebas.
Præcipitant cuncti fluuio, puduitque ſecutos.
Ac velut ignotum ſiquando armenta per amnem
Paſtor agit, ſtat triſte pecus, procul altera tellus
Omnibus, & latè medius timor, aſt vbi ductor
Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior vnda,
Tunc faciles ſaltus, viſæque accedere ripæ.

PROHIBETQVE TIMERI. quaſi imminentia mala etiam prodigiis nuncientur. ne caueant homines numina credi vetant. ASOPE TVAS. fluuius Thebarum: cuius AEgynam filiam in aquilam mutatus Iuppiter vitiauit. ANIMOS. incrementa. SEV MONTANA. frequenter loca altiora abundant niuibus, quæ cum veris aduentu liquefiunt, addunt fluminibus incrementa. FLVMINIS. aduentus deſcribitur Argiuorum. ALTERA TELLVS. vlterior ripa. VISAEQVE ACCEDERE RIPAE. ad opinionem retulit armentorum, quibus tranſeunte fluuio altitudo minor, & latitudo breuior videtur effecta.

Haud procul inde iugum, tutisque accommoda caſtris
Arua notant, vnde vrbem etiam turréſque videre eſt
Sidonias, placuit ſedes, fidique receptus
Colle per excelſum patulo, quem ſubter aperto
Arua ſinu, nulliſque aliis à montibus obſtant
Deſpectus. nec longa labor munimina durus
Addidit, ipſa loco, mirum, Natura fauebat.
In vallum elatæ rupes, deuexáque foſsis

Æqua & fortuito ductæ quater aggere pinnæ.
Cætera dant ipſi. donec ſol montibus omnis
Erepſit, rebusque dedit ſopor otia feſsis.
Quis queat attonitas dictis oſtendere Thebas?
Vrbem in conſpectu belli ſuprema parantem
Territat inſomnem nox atra, diémque minatur.
Diſcurrunt muris, nil ſeptum horrore ſub illo,
Nil fidum ſatis, inualidǽque Amphionis arces.
Rumor vbique altus, pluréſque adnuntiat hoſtes,
Maioréſque timor. ſpectant tentoria contra
Inachia, externóſque ſuis in montibus ignes.
Hi precibus, queſtúque deos, hi Martia tela
Belligeróſque hortantur equos. hi pectora fletu
Cara premunt, miſeríque rogos, & craſtina mandant
Funera, ſi tenuis demiſit lumina ſomnus.
Bella gerunt, modo lucra moræ, modo tædia vitæ
Attonitis: lucémque timent, lucémque precantur.
It geminum excutiens anguem, & bacchatur vtrisque
Tiſiphone caſtris. fratrem huic, fratrem ingerit illi,
Aut vtrique patrem. procul ille penatibus imis
Excitus implorat furias, oculosque repoſcit.

ACCOMMODA CASTRIS. poſitio caſtrorum deſcribitur. INSTANT. nullus erat tam excelſus prope collis, cuius altitudo vel deſpectus eſſe incommodus poſſet. SED LONGA LABOR. nec multo labore dicit caſtra munienda. ELATAE RVPES. In murorum vices rupes naturæ beneficio videbantur æquatæ. PINNAE. caſtrorum excelſa munimina. CAETERA DANT IPSI. quæ deerant munitioni caſtrorum, manuũ opere addebantur. EREPSIT. egreſſus eſt: & ſine ſenſu tranſiit. AMPHIONIS ARCES. præ timore ſomniantibus muri Thebani, quos Amphion extruxerat, videbantur inualidi. MAIORESQVE TIMOR. maiora enim videntur nobis omnia quæ timemus. MANDANT FVNERA. commendant, vt ſi mortui fuerint eorum ſepulturas procurent. SI TENVIS DEMISIT LVMINA SOMNVS. id eſt, ſi ad ſoporem a rigore vigiliarum laxauit. ſi leuis ergo ſomnus eos oppreſſerit, videbantur ſibi bellare. AVT VTRIQVE PATREM. quia ambobus fuerat inimicus. ILLE. Oedipus pater.

Iam gelidam Phœben & caligantia primus
Hauſerat aſtra dies, & iam tumet igne futuro
Oceanus, latéque nouo Titane recluſum
Æquor, anhelantum radiis ſubſedit equorum.
Ecce truces oculos ſordentibus obſita canis,
Exanguesque Iocaſta genas, & brachia planctu

Nigra ferens, ramumque oleæ cum velleris atri
Nexibus, Eumenidum velut antiquiſsima, portis
Egreditur, magna cum maieſtate malorum.
Hinc atque hinc natæ melior iam ſexus, aniles
Præcipitantem artus, & plus quam poſſet euntem
Suſtentant. venit ante hoſtes, & pectore nudo
Clauſtra aduerſa ferit, tremuliſque vlulatibus orat
Admitti. reſerate viam, rogat impia belli
Mater, in his aliquod ius execrabile caſtris
Huic vtero eſt. trepidi viſam expauere manipli,
Auditámque magis. remeat iam miſſus Adraſto
Nuntius, excipiunt iuſsi, mediósque per enſes
Dant iter. illa duces vt primum aſpexit Achiuos,
Clamorem horrendum luctu furiata reſoluit.

Iam gelidam Phoeben. noctem. *lunam* enim pro nocte poſuit. Hauserat. attenuauerat, abſconderat. Tumet. feruet. Reclusum. quia ipſum paritur ſolem. ſiue ſedatum: oriente enim ſole tempeſtas quieſcit. Obsita. nigro amictu tecta. Antiquissima. Furiæ addidit inſaniam, eam potiſſimum nominando, quam crudeliorem omnibus eſſe conſtabat. Etenim Alecto antiquiſſimam, quaſi natu maiorem dixit: de qua Virgilius. *odit & ipſe pater Pluton, odere ſorores.* Expavere manipli. Expauerunt armati Furiæ habitum, qui matrem ſi eminus cognouiſſent poterant reuereri.

Argolici proceres, heu quis monſtrauerit hoſtem
Quem peperi? qua nam inueniam (mihi dicite) natum
Sub galea? venit attonitæ Cadmeius heros
Obuius, & raptam lachrymis gaudentibus implet,
Solatúrque tenens, atque inter ſingula matrem,
Matrem iterat. nunc ipſam vrgens, nunc cara ſororum
Pectora, cum mixta fletus anus aſperat ira.
Quid molles lachrymas, venerandáque nomina fingis
Rex Argiue mihi? Quid colla amplexibus ambis,
Inuiſámque teris ferrato pectore matrem?
Túne ille exilio vagus? & miſerabilis hoſpes?
Quem non permoueas? longe tua iuſſa cohortes
Expectant, multóque latus præfulgurat enſe
Ha miseræ matres! hunc te noctésque, diésque,
Deflebam. ſi verba tamen, monitúſque tuorum
Dignaris. dum caſtra ſilent, ſuſpenſáque bellum
Horreſcit pietas, genitrix, iubeóque, rogóque,

I mecum. patrióſque deos, arſuráque ſaltem
Tecta vide, fratrémque, quid aufers lumina? fratrem
Alloquere. & regnum iam me ſub iudice poſce.
Aut dabit, aut ferrum cauſa meliore reſumes.

MONSTRAVERIT HOSTEM. pro monſtrat. MATREM MATREM. Anadiploſis. REX ARGIVE MIHI. inuidioſe dixit, quod deſerta patria Argiuis imperare maluerit. QVEM NON PERMOVEAS. interrogatiue. hoc eſt, quem non permoueas formidine tanti exercitus? aut cui miſericordiam non incutias, cum poſt exilium reuertaris ad patriam?

IVBEOQVE ROGOQVE. & perſonam ſeruat & tempus: iubet filio, exulem rogat iure venientem. QVID AVFERS LVMINA. Interpoſitio eſt.

Anne times, ne forte doli te conſcia mater
Decipiam? non ſic miſeros fas omne penates
Effugiet. vix Oedipode ducente timeres.
Nupſi equidem, peperíque nefas; ſed diligo tales,
(Ha dolor) & veſtros etiamnum excuſo furores.
Quod ſi adeo perſtas, vltro tibi ſæue triumphum
Detulimus, religa captas in terga ſorores,
Iniice vincla mihi. grauis huc, vtcunque feretur
Et pater. Ad veſtrum gemitus nunc verto pudorem
Inachidæ. liquiſtis enim paruóſque ſenéſque,
Et lachrymas has quiſque domi. ſua credite matri
Viſcera. ſi vobis hic paruo in tempore carus
(Sitque precor) quid me oro decet? quidue iſta Pelaſgi
Vbera? ab Hircanis hoc, Odryſiſque tuliſſem
Regibus, & ſi qui noſtros vicere furores.
Annuite, aut natum complexa ſuperſtite bello
Hic moriar. Tumidas frangebant dicta cohortes,
Nutantéſque virum galeas, & ſparſa videres
Fletibus arma piis. Quales vbi tela, viróſque
Pectoris impulſu rapidi ſtrauere leones.

FAS OMNE. æquitas, ſiue iuſtitia, ſeu conſanguinitatis affectio. DVCENTE TIMERES. quaſi de ſcelerato patre dicit, potuiſſe mali aliquid merito filium ſuſpicari, qui occiſo patre poſtremo matrem duxit vxorem. EXCVSO FVRORES. defendo, quaſi iuſtus innocentia mea. QVID ME ORO DECET. id eſt, multo plus vobis ego debeo illum diligere, quem peperi. AB HIRCANIS. Armeniis. hoc dicit: ſi hoc à ferociſſimis gentibus poſtulaſſem, potuiſſem mereri, vt media fratrum diſcordia ſopiretur. VICERE FVRORES. qui noſtris ſceleribus ſunt læuiores. NVTANTES. capitum motu trementes.

Protinus ira minor, gaudéntque in corpore capto
Securam differre famem. ſic flexa Pelaſgum
Corda labant, ferríque auibus manſueuerat ardor.
Ipſe etiam ante omnes nunc matris ad oſcula verſus,
Nunc rudis Iſmenes, nunc flebilis ora precantis
Antigones, variáque animum turbante procella
Exciderat regnum. cupit ire, & mitis Adraſtus
Non vetat: hic iuſtæ Tydeus memor occupat iræ.
Me potius ſocij, qui fidum Etheoclea nuper
Expertus (nec frater eram) me opponite regi,
Cuius adhuc pacem egregiam, & bona fœdera geſto
Pectore in hoc. vbi tunc fidei, paciſque ſequeſtra
Mater eras, pulchris cum me nox veſtra morata
Hoſpitiis? nempe hæc trahis ad commercia natum?
Duc illum in campum, veſtro qui ſanguine pinguis
Spirat adhuc, pinguíſque meo, tu porro ſequeris?
Heu nimium mitis, nimiúmque oblite tuorum.
Scilicet infeſtæ cum te circum vndique dextra
Nudabunt enſes, hæc flebit, & arma quieſcent?
Te ne ille, heu demens, ſemel intra mœnia clauſum,
Poſſeſſúmque odiis, Argiua in caſtra remittet?
Ante hæc excuſſo frondeſcet lancea ferro:
Inachus ante retro, noſtérque Achelous abibunt.
Sed mite alloquium, & ſæuis pax quæritur armis,
Hæc quoque caſtra patent. necdum meruere timeri.
An ſuſpectus ego? abſcedo, & mea vulnera dono.
Intret, & huc genitrix eadem, mediæque ſorores.
Finge autem pactis euictum excedere regnis,
Nempe iterum reddes? rurſus mutata trahuntur
Agmina conſiliis; ſubitò ceu turbine cæli
Obuius aduerſum Boreæ Notus abſtulit æquor.
Arma iterum, furiæque placent. fera tempus Erynnis
Arripit, & primæ molitur ſemina pugnæ.

IRA MINOR. viſis enim cominus venabulis leonum ira quieſcit. NEC FRATER ERAM. quaſi Etheocles in fratrem, ſi poteſtas detur, crudelior ſit futurus. PACISQVE SEQVESTRA. *ſequeſter* dicitur qui certantibus medius interuenit, apud quem cuiuſcunque certaminis futuri pignora deponuntur; hoc vocabulum ab *obſequendo* factum eſt, quod eius qui electus fuerit vtraque pars fidem ſequatur. AD COMMERCIA NATVM. nudando

vulnera quæ in inſidiis nocte ſuſceperat, & oſtendendo perfidiam Etheoclis crudelitatemque, fecit cunctis inuiſam. HEV NIMIVM MITIS. apoſtropha ad Polynicem.

TE-NE ILLE. Interrogatiue. ANTE HAEC EXCVSSO. comparatio ab impoſſibili. ante inquit poteſt fieri, vt hæc haſta quam gero, excuſſo ferro frondeſcat, quam Etheocles ſit germano miuſſimus. CASTRA PATENT. dicit Tydeus etiam Argiua caſtra Etheocli patere; quare ad viſendum fratrem nunc ipſe potiſſimum veniat, nec aliquid quod in noſtris caſtris timendum ſit extitit, nec dum enim aliquid hoſtile commiſimus.

Errabant geminæ Dircæa ad flumina tigres
Mite iugum, belli quondam vaſtator Eoi
Currus, Erythræiſquas nuper victor ab oris
Liber, in Aonios meritas demiſerat agros.
Illas turba Dei, ſeniórque ex more ſacerdos
Sanguinis oblitas, atque Indum gramen olentes,
Palmite maturo, variiſque ornare corymbis
Curat, & alterno maculas interligat oſtro.
Iámque ipſi colles ipſa has (quis credat?) amabant
Armenta, atque auſæ circùm mugire iuuencæ.
Quippe nihil graſſata fames, manus obuia paſcit,
Expectántque cibos, fuſóque horrenda ſupinant
Ora mero, vaga rure quies. ſi quando benigno
Vrbem iniere gradu, domus omnis, & omnia ſacris
Templa calent, ipſúmque fides intraſſe Lyæum.
Has vbi vipereo tactas ter vtrámque flagello
Eumenis in furias, animúmque redire priorem
Impulit, erumpunt non agnoſcentibus Argis.
Ceu duo diuerſo pariter ſi fulmina cælo
Rupta cadant, longúmque trahant per nubila crinem.
Non aliter curſu rapidæ, atque immane frementes
Tranſiliunt campos. aurigámque impete vaſto
Amphiarae tuum (nec defuit omen, heriles
Forte is primus equos ſtagna ad vicina trahebat)
Corripiunt. mox Tænarium qui proximus Idam,
Aetholúmque Athamanta premunt. fuga torua per agros
Cornipedum viſa eſt. donec flammatus Aconteus
Strage virûm, cui ſueta feras proſternere virtus,
(Arcas erat) denſis iam fida ad mœnia verſas
Inſequitur telis. multúmque haſtile reſumens
Ter, quater, adducto per terga, per ilia ferro
Tranſigit, ille autem longo cùm limite, fuſi

Sanguinis, ad portas vtrinque extantia ducunt
Spicula ſemianimes, gemitúque imitante querelas,
Saucia dilectis acclinant pectora muris.

AD FLVMINA. iuxta. ERYTHREIS. Indicis, Græce dixit. à colore marmoris rubri, ἐρυθρὰν θάλασσαν vocant mare, quod eſt inter Aegyptum & Indiam. MERITAS. ſolutas iugo. SANGVINIS OBLITAS. manſuetudine feritate carentes. vt Lucan. *atque hominem didicere pati.* GRASSATA. quæ nihil deprædando vaſtauit. MANVS OBVIA. vnde manſuetæ ſunt feræ, quæ manu paſci conſueuerunt. VAGA RVRE. zeugma eſt, ſi quando vaga rure quies eſt illis. aut certe *vaga rura*, pro ipſæ vagæ.

IMPETE VASTO. antiptoſin fecit. & Lucretius dixit *impete*, pro impetu. lib. vi.

Aut hominem tanto membrorum ex impete natum,
Trans maria alta pedum niſus vt ponere iuſsit,
Et manibus totum circum ſe vertere cælum.

Item libro primo.

Quam-libet in partem tradunt res ante ruuntque
Impetibus crebris. OMEN. quod ab auriga incipit, qui eſt cito moriturus. PRAEMVNT. inſequntur. HASTILE RESVMENS. hoc eſt, multa ſimul ſumpſit haſtilia.

Templa putes, vrbémque rapi, facibúſque nefandis
Sidonios ardere lares. ſic clamor apertis
Exoritur muris. manent cunabula magni
Herculis, aut Semeles thalamum, aut penetrale ruiſſe
Harmonies. cultor Baccheus Acontea Phegeus
Iam vacuum telis. geminóque in ſanguine ouantem
Comminus enſe petit. ſubeunt Tegeæa iuuentus
Auxilio tardi. iam ſupra ſacra ferarum
Corpora mærenti iuuenis iacet vltio Baccho.
Rumpitur ecce graui ſubito per caſtra tumultu
Concilium. fugit externos Iocaſta per hoſtes,
Iam non auſa preces. natas, ipſámque repellunt
Qui modò tam mites, & præceps tempore Tydeus
Vtitur. Ite age nunc pacem ſperate, fidémque
Nunc ſaltem differre nefas? potuitne morari
Dum genitrix dimiſſa redit? ſic fatus aperto
Enſe vocat ſocios. ſæuus iam clamor, & iræ
Hinc atque inde calent. nullo uenit ordine bellum,
Confuſíque duces vulgo, & neglecta regentum
Imperia, vna equites mixti, peditúmque cateruæ,
Et rapidi currus. premit indigeſta ruentes
Copia. nec ſeſe vacat oſtentare, nec hoſtem

Noſcere.

Noſcere. ſic ſubitis Thebana, Argiuáque pubes
Conflixere globis. retro vexilla, tubæque
Poſt tergum, & litui bellum inuenere ſecuti.
Tantus ab exiguo crudeſcit ſanguine Mauors.
Ventus vti primas ſtruit inter nubila vires
Lenis adhuc, frondéſque, & aperta cacumina geſtat.
Mox rapuit nemus, & montes patefecit opacos.

Acontea. hunc Acontea, qui tigres occidit, Phegeus enſe percuſſit. Gemino. hoc eſt duarum tigrium morte gaudentem. Tegea. Arcadica. Tardi. quia iam mortuo Aconteo auxilium ferebatur. Ite age. increpans Tydeus, vt Turnus in Virgilio.

Immo, ait, ô iuuenes accepto tempore, Turnus,
Cogite concilium & pacem laudate ſedentes,
Illi armis in tecta ruunt.

Retro vexilla. vt oſtenderet tumultuarie pugnam iniri, peruerſum ordinem exercitus demonſtrat. dicit ergo *retro*, poſt aciem eſſe vexilla, quæ ſolent militum cuneos anteire.

Nunc age Pieriæ (non vos longinqua ſorores
Conſulimus) veſtras acies, veſtrámque referte
Aonium (vidiſtis enim) dum Marte propinquo
Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.
Sidonium Pterelan ſonipes malefidus in armis
Rumpentem frenos, diuerſa per agmina raptat
Iam liber. ſic feſſa manus venit haſta per armos,
Tydeos, & leuum iuuenis tranſuerberat inguen.
Labentémque affigit equo. fugit ille perempto
Conſertus domino. nec iam arma, aut frena tenentem
Portat adhuc. ceu nondum anima defectus, vtraque
Cum ſua Centaurus moriens in terga recumbit
Certat opus ferri, ſternúntque alterna furentes.
Hippomedon Sybar in Pylium, Periphanta Menœceus.
Parthonopæus Ityn, Sybaris iacet enſe cruento.
Cuſpide trux Periphas, Itys inſidiante ſagitta.
Cæneos Inachii ferro Mauortius Hemon
Colla rapit: cui dimiduum trans corpus hiantes
Truncum oculi quærunt, animus caput. arma iacentis
Iam rapiebat Abas. cornu deprenſus Achiua
Dimiſit moriens clypeum hoſtilémque, ſuúmque.

Horrent Tyrrhenos. tubarum cantus. Sydonium. Thebanum, nunc ergo poeta diſcriminum mortes, veluti Muſa monente deſcribit. Malefidus. infrenia, qui

timore armorum teneri non poterat. RUMPENTEM. retro trahentem, vt nimio conamine frena rumpere crederetur. VENIT HASTA PER ARMOS. equi ſcilicet. poſſumus etiam ſcapulas hominum armos dicere. vt Virgil.

—latos huic haſta per armos
Acta tremit, duplicatque virùm transfixa dolorem.

IN TERGA EQVINA. quaſi domini. MENOECEVS. iſte Thebanus fuit, quem in catalogo Phorbas Antigone monſtrauit euntem inter duces: dixit enim. *quo noſter ſigno Menœceus,* PARTONOPAEVS. diuerſorum mortes Virgilianè poeta deſcribit. DIVIDVVM. à diuiſione: *dimidium* à dimenſione dictum. Hic ergò *diuiduam*, in duas partes diuiſum poſuit. ABAS. Hic Thebanus eſt, qui victor rapere ſpolia cupiebat. CORNV. haſta, Græce. vt Virgil. *volat Itala cornus.*

Quis tibi Bacchæos Eunæe relinquere cultus,
Quis lucos, vetitus quibus emanſiſſe ſacerdos
Suaſit? & aſſuetum Bromio mutare furorem?
Quem terrere queas? clypei penetrabile textum
Pallentes hederæ, Nyſæáque ſerta coronant.
Candida pampineo ſubnectitur inſtita pilo:
Crine latent humeri, creſcunt lanugine malæ.
Et rubet imbellis Tyrio ſubtegmine thorax:
Brachiáque in manicis, & pictæ vincula plantæ,
Carbaſeique ſinus, & fibula raſilis auro
Tænariam fulua mordebat iaſpide pallam.
Quam ſuper à tergo velox corytos, & arcus,
Pendentéſque ſonant aurata lynce pharetræ.
It lymphante deo media inter millia longum
Vociferans. Prohibete manus, hæc omine dextro
Mœnia, Cyrrhæa monſtrauit Apollo iuuenca.
Parcite, in hæc vltro ſcopuli venere volentes.
Gens ſacrata ſumus, gener huic eſt Iupiter vrbi,
Gradiuúſque ſocer. Bacchum haud mentimur alumnum,
Et magnum Alciden. iactanti talia fruſtra
Turbidus aeria Capaneus occurrit in haſta.

ET MANSISSE. pro manere. MVTARE FVROREM. vt ſacra Liberi in furorem bellorum inſania commutares. INSTITA PILO. faſciola eſt, quæ imam veſtem ſuo pingit ornatu. vt Horat. *quarum ſubſuta talos tegit inſtita veſte.* LANVGINE. ad opinionem retulit, quia per pilos videntur malæ creſcere. TYRO SVBTEGMINE. id eſt, ſub veſte purpurea videbatur ſplendor loricæ. VINCVLA PLANTAE. calciamenta. vt illud, *Tyrrhena pedum circumdata plantis.* CARBASEIQVE SINVS. *carbaſus* qua fuſi amiciuntur, vel diuites: ſericum eſt, aut certe linum tenue. Virg. *tunc croceam chlamydem, ſinúſque crepantes carbaſeos fuluo nodum collegerat auro.* ET FIBVLA RASILIS AVRO. ad luxuriam retulit pulchritudinem fibulæ. erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo *interraſas* appellant. VELOX CORYTOS. hypallage: pro ſagittis velocibus. AVRATA LYNCE. hoc

eſt lyncis pelle aurata tectam habuit pharetram. LYMPHANTE DEO. hoc eſt furiis incitante. APPOLLO IVVENCA. quia Cadmus Apollinis oraculo bouem ſecutus eſt, & vbi procubuit illic Thebas condidit, & ex bouis vocabulo regionem ipſam Bœotiam nominauit. VOLENTES. ab Amphione factum, qui ſumma dulcedine teſtudinis, Cadmo Thebas condenti in eo loco auxiliatus eſt, vt ſaxa vltro per ſe applicarentur ad muros.

GRADIVSQVE SOCER. per draconem Martis filium, qui à Cadmo dicitur interemptus, ex cuius dentibus multitudo nata eſt armatorum.

Qualis vbi primam leo mane cubilibus atris
Erexit rabiem, & ſæuo ſpeculatur ab antro
Aut ceruum, aut nondum bellantem fronte iuuencum,
It fremitu gaudens, licet arma, gregeſque laceſſant
Venantum, prædam videt, & ſua vulnera neſcit.
Sic tunc congreſſu Capaneus gauiſus iniquo,
Librabat magna venturam mole cupreſſum.
Ante tamen, Quid fœmineis vlulatibus, inquit,
Terrificas morituro viros? vtinam ipſe veniret
Cui furis. hæc Tyriis cane matribus, & ſimul haſtam
Expulit, illa volans, ceu vis non vlla moretur
Obuia vix ſonuit clypeo, & iam terga reliquit.
Arma fluunt, longiſque crepat ſingultibus aurum.
Eruptuſque ſinus vicit cruor. occidis audax,
Occidis Aonij puer altera cura Lyæi.
Marcida te fractis planxerunt Iſmara thyrſis,
Te Tmolos, te Nyſa ferax, Theſeaque Naxos,
Et Thebana metu iuratus in orgia Ganges.

VVLNERA NESCIT. maior cupiditas prædæ eſt ei, quam timor mortis: nec cauet vt vitet exitium, ſed feſtinat vt rapiat. INIQVO. pedeſtri certamine tegetur vt Virgil. *pugna congreſſus iniquo.* LIBRABAT. conſiderando vbi percutiat. CVPRESSVM. haſtam ſignificauit. CVI FVRIS. id eſt Liber, in cuius honorem furibundus aduenis. RELIQVIT. penetrauit. CREPAT. ſonat, vt Virgil. *ſonatque crepanti.* ERVPTVS. nimius ſanguis, ſiue multum fluens. MARCIDA. vino plena, ſeu ſqualidæ. PLANXERVNT. præteritum pro futuro. ISMARA. Iſmarus mons Thraciæ, vitibus conſitus. TMOLVS. mons Siciliæ. NAXOS. inſula eſt in qua Theſeus Ariadnem dormientem reliquit. ORGYA. triennalia Liberi ſacra ſunt: quæ dicit modo etiam Indos colere, poſtquam à Libero patre victi eſſe noſcuntur.

Nec ſegnem Argolicæ ſenſere Etheoclea turmæ.
Parcior ad ciues Polynicis inhorruit enſis.
Eminet ante alios iam formidantibus arua
Amphiaraus equis, ac multo puluere vertit

Campum indignantem. Famulo decus addit inane
Mœſtus, & extremos obitus illuſtrat Apollo.
Ille etiam clypeum, galeámque incendit honoro
Sydere, nec tardè fratri Gradiue dediſti,
Ne qua manus vatem, ne quid mortalia bello
Lædere tela queant, ſanctum & venerabile Diti
Funus erat. talis medios infertur in hoſtes
Certus & ipſe necis: vires fiducia leti
Suggerit. inde viro maioráque membra, dieſque
Lætior, & nunquam tanta experientia cœli,
Si vacet, auertit morti contermina Virtus.
Ardet inexpleto ſæui Mauortis amore,
Et fruitur dextra, atque anima fragrante ſuperbit.
Hic hominum caſus lenire, & demere fatis
Iura frequens, quantum ſubito diuerſus ab illo
Qui tripodas, laurúſque ſequi, qui doctus in omni
Nube, ſalutato volucrem cognoſcere Phœbo.
Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus,
Aut iubar aduerſi graue ſyderis, immolat vmbris
Ipſe ſuis. Iaculo Phlegyam, iaculóque ſuperbum
Phylea, falcato Chromin, & Cremetaona curru:
Comminus hunc ſtantem metit, hunc à poplite ſectum:
Cuſpide demiſſa Chromin, & Phinoúmque, Segénque,
Intonſúmque Gyan, ſacrúmque Lycorea Phœbo
Inuitus. iam fraxineum demiſerat haſtæ
Robur, & excuſſa apparuit infula criſtis.
Alcathoum ſaxo, cui circum ſtagna Caryſti
Et domus, & coniux, & amantes littora nati.
Vixerat ille diu pauper ſcrutator aquarum.
Decepit tellus: moriens, hyeméſque, notóſque
Laudat, & experti melior pericula ponti.

Ad cives. contra ciues. pvlvere vertit campvm, quia excitus puluis notitiam loci commutat. Clypevm galeamqve incendit. Illuminat. Sydere. ſplendore vel gratia. Certvs et ipse necis. quia augurio ſuam præuiderat mortem, deſperatione ergò vitæ fortius dimicat. Laetior. aiunt enim futura ſentire morituros. vt Virg. *te quoque facta proſpectans patris* Experientia cæli. doctrina & ſcientia augu-riorum. Si vacet. ſi liceat. Virg. *hactenus indulſiſſe vacat.* Contermina, vicina morti. Svperbit. victoriæ felicitate fit lætior. Diversvs. Diſſimilis. Immolat vmbris. quaſi victima, vt ipſe in ſacris conſueuerat: nam hoc verbo poeta ad ſacerdotis nomen alluſit.

aptum eſt enim occidenti ſacerdotale verbum. Virgil. de occiſo ſacerdote dixit, *Lapſuque ſuperſtans*, hic de occidente ſacerdote ita dixit. FALCATO CVRRV. ſolent enim in axibus curruum. falces extare, quæ incurrentem hoſtilem populum cædant. SACRVM. conſecratum. INVITVS. oſtendit quomodo inuitus. dixit enim, ante dimiſerat telum quam Lycorea agnouiſſet Apollini conſecratum. SCRVTATOR AQVARVM. Piſcator. AVERTERE. Ad ſe conuertere.

Aſpicit has longè iamdudum Aſopius Hypſeus
Palantum ſtrages, ardetque auertere pugnam,
Quanquam haud ipſe minus curru Tirynthia fundit
Robora, ſed viſo præſens minor augure ſanguis.
Illum armis, animiſque cupit. prohibebat iniquo
Agmine conſertum cunei latus, inde ſuperbus
Exeruit patriis electum miſsile ripis.
Ac prius, Aonidum diues largitor aquarum
Clare giganteis etiamnum Aſope fauillis.
Da numen dextræ: rogat hoc natuſque, tuique
Quercus alumna vadi. fas & mihi ſpernere Phœbum,
Si tibi collatus diuum ſator. omnia mergam
Fontibus arma tuis, triſteſque ſine augure vittas.
Audierat genitor. vetat indulgere volentem
Phœbus, & aurigam iaculum detorquet in Herſen.
Ille ruit. deus ipſe vagis ſuccedit habenis,
Lernæum falſo ſimulans Aliagmona vultu.
Tunc verò ardenti non vlla obſiſtere tentant
Signa, ruunt ſolo terrore, & vulnera citra.
Mors trepidis ignaua venit. dubiúmque tuenti
Preſſerit infeſtos onus, impuleritne iugales.
Sic vbi nubiferum montis latus, aut noua ventis
Soluit hyems, aut victa ſitu non pertulit ætas,
Deſilit horrendus campo timor, arma, viróſque
Limite non vno, longæuáque robora ſecum
Præcipitans, tandémque exhauſtus turbine feſſo,
Aut vallem cauat, aut medios intercipit amnes.
Non ſecus ingentique viro, magnóque grauatus
Temo deo, nunc hoc, nunc illo in ſanguine feruet.
Ipſe ſedens telis, pariterque miniſtrat habenis
Delius. ipſe docet iactus, aduerſáque flectit
Spicula, fortunámque haſtis venientibus aufert.

HAVD IPSE MINVS. Non minus Hypſeus Amphiarao. TYRYNTHIA ROBORA. agmina,id eſt Nemeos iuuenes, & Græcam vaſtabat aciem. AVGVRE SANGVIS. id eſt cupiens cum Amphiarao confligere, cæteros quaſi ignauos contemnebat occidere. PROHIBEBAT INIQVO. id eſt Hypſeum multitudo quæ ſtipauerat Amphiaraum. INDE. de ipſo cuneo. ASOPE FAVILLIS. fluuium inuocat, quem dudum a Ioue diximus fulminatum, qui indignatione ereptæ filiæ Ioui intulit bellũ, quo facto igni diuino percuſſus eſt, & vt infamia eius excepti fulminis in æternum maneret, dicitur hodieque, illo tempore quo ictus eſt, prunis ardentibus fluere. COLLATVS. bello comparatus. INDVLGERE VOLENTEM. concedere cupientem. VVLNERA CITRA. ſine vulneribus ſolo terrore Amphiarai moriebantur. IGNAVA. ſine ferro. DVBIVMQVE TVENTI. Dubium erat videntibus, vtrum onere tardatus eſſet Amphiarai, an velocior factus. CAMPI TIMOR. montis ruina, quæ de altis ſaltibus cadit. TELIS PARITERQVE MINISTRAT HABENIS. armigeri & aurigæ Apollo implebat officium. FORTVNAM. caſum felicem, ſiue euentum feriendi haſtis contra Amphiaraum venientibus, detorquebat.

Sternuntur terra, Menalus pedes, Antiphus alto
Nil defenſus equo, genitúſque Heliconide nymphis
AEthion, cæſoque infamis fratre Polytes.
Conatúſque thoris vittatam attingere Manto
Lampus, in hunc ſacras Phœbus dedit ipſe ſagittas.
Etiam cornipedes trepida, ac moribund a reſtantes
Corpora, rimantur terras, omniſque per artus
Sulcus, & inciſis altum rubet orbita membris.
Hos iam ignorantes terit impius axis, at illi
Vulnere ſemineces (nec deuitare facultas)
Venturum ſuper ora vident. iam lubrica tabo
Frena, nec inſiſti madidus dat temo, rotæque
Sanguine difficiles, & tardior vngula foſſis
Viſceribus. tunc ipſe furens in morte relicta
Spicula, & è mediis extantes oſſibus haſtas
Auellit. ſtridunt animæ, currumque ſequuntur.

INFAMIS. malæ famæ ſiue notus parricidio. DEDIT. immiſit. RIMANTVR TERRAS. rimas agũt id eſt ſcrutantur. *Rimari* enim proprie dicuntur ſues, cum paſcentes cibi gratia terram vertunt. PER ARTVS. cadauerum mẽbra. hæc omnia ſigna erant hiatus futuri. NEC INSISTI MADIDVS. abundantia ſanguinis maiorem Amphiarao currendi lapſum faciebat. DIFFICILES. graues nimietate ſanguinis equorum greſſus.

Tandem ſe famulo ſummum confeſſus Apollo,
Vtere luce tua, longámque ait, indue famam,
Dum tibi me iunctum mors irreuocata veretur,
Vincimur. immites ſcis nulla reuoluere Parcas
Stamina. vade diu populis promiſſa voluptas

Elyſiis, certè non perpeſſure Creontis
Imperia, haud vetito nudus iacitur e ſepulchro.
Ille refert contra, & paulum reſpirat ab armis.
Olim te Cyrrhææ pater peritura ſedentem
Ad iuga (quis tantus miſeris honor?) axe trementi
Senſimus, inſtantes quonam vſque morabere Manes?
Audio iam rapidæ curſum Stygis, atráque Ditis
Flumina, tergeminóſque mali cuſtodis hiatus.
Accipe commiſſum capiti decus, accipe laurus
Quas Erebo deferre nefas. nunc voce ſuprema
Si qua receſſuro debetur gratia vati.
Deceptum tibi Phœbe larem, pœnáſque nefandæ
Coniugis, & pulchrum nati commendo furorem.
Deſiluit mœrens, lachrymáſque auertit Apollo.
Tunc verò ingemuit, curruſque, orbíque iugales.
Non aliter cœco Nocturni turbine cori
Scit peritura ratis, cùm iam damnata ſororis
Igne, Theramnæi fugerunt carbaſa fratres.

Svmmvm. ad vltimum, aut ſummum deum. Irrevocata. quæ reuocari non poteſt: futurorum epitheton diligenter ſeruauit poeta. Qvis tantvs miseris honor. parentheſis. humiliter enim dixit, ſe non fuiſſe dignum tanto honore numinis. Deferre nefas. ſcelus eſt dicit inſularum ornamenta, & ſacras laurus ſecum ad inferos ferre. Fvrorem. In occidenda matre propria peccauit. Scit peritvra ratis. Parentheſis: nō aliter ſcit peritura ratis: ſic & Apollo ſciebat perituium Amphiaraum, & ſe ſubuenire non poſſe. Sororis igne. quia nautæ cum ſtellam Helenæ viderint (quæ Vrania dicitur, cuius tanta eſt vis incendii, vt malum & nauis ima pertundat, vt etiam ſi æs ſit hoc calore ſoluatur) ergò ſi hæc ſtella naui inſederit, ſciunt ſe nautæ ſine dubio peritutos: contra Caſtorum ſydera ſunt nauigantibus ſalutaria. Theramnei. Theramne Laconiæ ciuitas eſt.

Iamque receſſuræ paulatim horreſcere terræ,
Summáque terga quati, grauiórque efferuere puluis
Cœperat. inferno mugit iam murmure campus.
Bella putant trepidi, bellíque hunc eſſe fragorem,
Hortantúrque gradus. Alius tremor arma, viróſque,
Mirantéſque inclinat equos. iam frondea nutant
Culmina, iam muri, ripíſque Iſmenos apertis
Effugit. exciderant iræ, nutantia figunt
Tela ſolo, dubiaſque vagi nituntur in haſtas
Comminus, inque vicem viſo pallore recedunt.

Sic vbi nauales miſcet ſuper æquora pugnas
Contempto Bellona mari, ſi fortè benigna
Tempeſtas, ſibi quiſque cauent, enſéſque recondit
Mors alia, & ſocij pacem fecere timores.
Talis erat campo belli fluitantis imago.
Siue laborantes concepto flamine terræ
Ventorum rabiem, & clauſum eiecere furorem.
Exedit ſeu putre ſolum, carpſitque terendo
Vnda latens. ſiue hac voluentis machina cœli
Incubuit, ſiue omne fretum Neptunia mouit
Cuſpis, & extremas grauius mare torſit in oras,
Seu vati datur ille fragor, ſeu terra minata eſt
Fratribus, ecce altè præceps humus ore profundo
Diſsilit, inque vicem timuerunt ſydera, & vmbræ.
Illum ingens haurit ſpecus, & tranſire parantes
Mergit equos. non arma manu, non frena remiſit.
Sicut erat rectos defert in tartara currus.
Reſpexítque cadens cœlum, campúmque coire
Ingemuit. donec leuior diſtantia rurſus
Miſcuit arua tremor, lucémque excluſit Auerno.

SVMMAQVE TERGA QVATI. Superficies terræ. FRONDEA NVTANT. iam ſyluis, & cacuminibus arborum, & muris, dabatur cum hiatu ipſius terræ confuſio. EXCIDERANT IRAE. tranſitum eſt a cauſa bellorum. BENIGNA TEMPESTAS. benignam tempeſtatem dixit, quia naualia certamina prohibentur. BELLI FLVITANTIS. naualis certaminis faciem titubantibus militibus fecerat terræ motus. SIVE LABORANTES. dubitant quæ cauſa eſſet terræmotus illius, credentes terram mole & vi ventorum fuiſſe laſſatam, qui per cauernas terræ diſcurrunt: vel hiulca vetuſtate ſoluiſſe, vel ſim aquæ in ſolutionem vertiſſe, aut certe elemento oppreſſa maris vndarum ceſſiſſe virtutibus: vel ipſam terram fratribus perituris tremores ad omen feciſſe. VNDA LATENS. dicunt enim quidam, terram aqua fulciri vel ferri. SYDERA ET VMBRAE. aduerſitate ſua terrentur. ſydera timuerunt ne erumperent manes, vmbræ ne admiſſa luce proderentur. vt Virgil. *crepitant immiſſo lumine Manes.* RESPEXITQVE CADENS. vel dolore mortis, vel vt Apollinem quæreret, vtpote vates. DONEC LEVIOR. quia graui ſonitu ſolida diſiunguntur, nec tamen eodem fragore hiulca iunguntur.

EXPLICIT
THEBAIDOS LIBER SEPTIMVS.

ARGV-

ARGVMENTVM
LIBRI OCTAVI
THEBAIDOS.

TVNC grauiter ſuperos obiurgat rector Auerni,
Ipſumque Amphiaraum terret, cui pauca furenti
Iam tenui voce,& pauidus, ſupplexque profatur
Coniugis infandæ indicium, ſubitamque ruinam.
Anxius Inachidas vatis dolor angit amiſſi.
Sidonij exultant, memorantque inſignia gentis,
At Graium proceres ſimilem, pietatis honore,
Theodamanta legunt, vatis qui munera ſeruet.
Hic Thebana phalanx, illic ruit Inacha pubes.
Vulnera vulneribus geminant, funduntque viciſſim
Corpora magna virûm: tunc multa in cæde furentem
Tydea deiectum telis Tritonia fleuit.

INTERPRETATIO.

HIC liber continet indignationem Plutonis apud inferos, quod rupta terra veniſſet Amphiaraus: eiuſque de Ioue conqueſtio, eo quod contra ius legitimi fœderis deſcendiſſet, mittentiſque furiam, eique præcipientis diuerſas regum Argiuorum mortes. Reſponſio Amphiarai veniam poſtulaotis, vxoremque deuouentis. Nuntius Palæmonis, narrans Adraſto de hiatu terræ, & morte Amphiarai. deſperatio omnium poſt mortem Amphiarai, cum eius laudibus. Inſultatio per noctem Thebanorum in excubiis epulans. deinde electio Thiodamãtus in locum Amphiarai, eiuſque placatio terræ, cum exequiis Amphiarai & precibus. Eruptio in bello, hinc atque hinc diuerſæ mortes. Tydei maxima prælia. eius verba & ſatisfactio apud Mineruam de aduerſo fauore. Mors Atois., ſponſi Iſmenes. De morte ſponſi Atois, & eis cadaueris in vrbem relatio. Tydei inſultatio Thebanis fugientibus, & impetus contra Eteoclem. Menelappi ex inſidijs iaculatio. Tydei debilitas & conqueſtio de fragilitate corporis humani: & quemadmodum exedit caput Menalippi.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER OCTAVVS

Incipit.

VT ſubitus vates pallentibus incidit vmbris,
Letiferaſque domos, orbiſque arcana ſepulti
Rupit, & armato turbauit funere Manes,
Horror habet cunctos. Stygiis mirantur in oris
Tela & equos, corpuſq; nouũ, neq; enĩ ignibus atris
Conditus, aut mœſta niger aduentabat ab vrna:
Sed belli ſudore calens, clypeúmque cruentis
Roribus, & ſciſſi reſperſus puluere campi.
Necdum illum aut trunca luſtrauerat obuia taxo
Eumenis, aut furuo Proſerpina poſte notarat
Cœtibus adſumptum functis. quin comminus ipſa
Fatorum deprenſa colus. viſóque pauentes
Augure, tunc demum rumpebant ſtamina Parcæ.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

VT SVBITVS VATES PALLENTIBVS INCIDIT VMBRIS. Vetus elocutio eſt per datiuum caſum, *incidit vmbris pallentibus*, *Claudius heri recedens veſperi Numantinis incidit*, ac Terentius per accuſatiuum protulit. ergo in eũ incidit, tanquam in rem periculoſam. CORPVSQVE NOVVM. id eſt viuũ, ſiue non depoſita apud ſuperos carne. AB VRNA. Plato inducit ſcelera hominum in vrna verſari: & *vrna* dicitur in qua mortuorum hominum oſſa conduntur. hic ergo ab vrna dixit, in qua mortuus ponebatur: & hoc ipſo ſenſum expediuit poeta. nam Amphiaraus mortuus ab vrna, in qua eius fuerant condita membra non veniebat. OBVIA TAXO EVMENIS. quia taxus venenoſa eſt, propterea ad perfectionem feritatis, ex hoc ligno faces Furiæ dicuntur gerere. POSTE NOTARAT. aſſerunt enim poetæ mortuorum capita Furiarum lampade luſtrari, & eorum nomina a Proſerpina in inferorum poſte conſcribi.

Illum & ſecuri circumſpexere fragorem
Elyſij,& ſi quos procul vlteriore barathro
Altera nox, aliſque grauat plaga cæca tenebris.
Tunc regemunt pigrique lacus, vaſtæque paludes:
Vmbriferæque fremit ſulcator pallidus vndæ,
Diſiluiſſe nouo penitus telluris hiatu
Tartara, & admiſſos non per ſua flumina manes.

ET SECVRI. quia in Elyſiis habitant manes. idcirco *ſecuri*, quia ſunt ſceleratorum ſuppliciis alieni. Elyſii ergò pro his poſuit, qui in Elyſio habitant. ALTERA NOX. id eſt caligo deterior. VASTAEQVE PALVDES. nigræ aut calentes. SVLCATOR PALLIDVS. Charon qui ſubuectando corpora, ſtygem conſueuit cymba ſulcare.

Fortè ſedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos poſcebat crimina vitæ.
Nil hominum miſerans, iratúſque omnibus vmbris.
Stant furiæ circum, variæque ex ordine mortes.
Sæuaque multiſonas exercet pœna catenas.
Fata ferunt animas, & eodem pollice damnant.
Vincit opus, iuxta Minos cum fratre verendo
Iura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat. aſſiſtunt lachrymis atque igne tumentes
Cocytos Phlegetonque, & Styx periuria diuum
Arguit. ille autem ſupera compage ſoluta,
Nec ſolitus ſentire metus, expauit oborta
Sydera, iucundaque offenſus luce profatur.

VARIAEQVE EX ORDINE MORTES. vna quidem communiſque omnibus eſt mors, ſed varietate pœnarum diſſimilis eſt. DAMNANT. Abſoluunt. VINCIT OPVS. parcarum ſtamina mortium multitudine ſuperantur: vt Lucanus. *laſſant rumpentes ſtamina Parcas.* ARGVIT. prodit ſiue probat. COMPAGE SOLVTA. Terræ ſuperficie. OFFENSVS LVCE IVCVNDA. ſuperis manibus indebita. & ideo luce Plutonem dixit offenſum.

Quæ ſuperum labes inimicum impegit Auerno
Aethera? quis rumpit tenebras? vitæque ſilentes
Admouet? vnde minæ? vter hac mihi prælia fratrum?
Congredior. pereant agedum diſcrimina rerum.
Nam cui dulce magis? magno me tertia victum
Deiecit fortuna polo, mundúmque nocentem
Seruo. nec iſte meus. dirisque en peruius aſtris

Inſpicitur, tumidúſne meas regnator Olympi
Explorat vires? habeo iam quaſſa gigantum
Vincula, & æthereum cupidos exire ſub axem
Titanas, miſerúmque patrem. quid me otia mœſta
Sæuus, & implacidam prohibet proferre quietem?
Amiſſumque odiſſe diem? pandam omnia regna
Si placet, & Stygio prætexam Hyperiona cælo.
Arcada nec ſuperis (quid enim mihi nuntius ambas
Itque redit que domos?) emittam, & vtrumque tenebo
Tyndariden. cur autem auidis Ixiona frango
Vorticibus? cur non expectant Tantalon vndæ?
Anne profanatum toties Chaos hoſpite viuo
Perpetiar? me Pirithoi temerarius ardor
Tentat, & audaci Theſeus iuratus amico.
Me ferus Alcides tunc cùm cuſtode remoto
Ferrea Cerbereæ patuerunt limina portæ.
Odryſiis etiam pudet heu patuiſſe querelis
Tartara, vidi egomet blanda inter carmina turpes
Eumenidum lachrymas, iteratáque penſa ſororum.
Me quoque. ſed duræ melior violentia legis.
Aſt ego vix vnum, nec celſa ad ſydera furto
Auſus iter, Siculo rapui connubia campo.
Nec licuiſſe ferunt, iniúſtæque ab Ioue leges
Protinus, & ſectum genitrix mihi computat annum.

QVAE SVPERVM LABES. violentia ſeu ruina. *Labes* a labendo dicta. PRAELIA. vtrum Iuppiter an Neptunus? conuenienter propoſito carmine ad Thebanorum odia germanorum inducit, de regno fratres celeriter diſceſſiſſe. NAM CVI DVLCE MAGIS. quam mihi, vt ſuperi miſceantur: id eſt expedit per ſortem minori, confundere quæ fuerint ſeparata. NEC ISTE MEVS. Meus inquit hic mundus non eſt, ſed hunc rector perrumpit aſtrorum. MISERVMQVE PATREM. *miſerum*, ſiue quia amiſit imperium, ſiue quia a poetis apud inferos Saturnus fingitur: quem vnum volunt eſſe de numero titanum. HYPERIONA. *Hyperion* Solis eſt equus: dicit enim immiſſis tenebris Solis ſe, Pluto, & numina turbaturum. VTRVMQVE TYNDARIDEM. Caſtoris & Pollucis talis eſt fabula. cum eſſet immortalis Pollux, & e diuerſo Caſtor morti teneretur obnoxius. pietatis intuitu Pollux morte vicaria fratrem redemit. vnde Virgil. *Sic fratrem Pollux alterna morte redemit.* dicit ergo nunc Pluto, retento Polluce, quia immortalis fuerat, cum Caſtore germano mortali in vtroque ſe mundo poſſe regnare. TANTALON VNDAE. ſi pœnarum culpas expectes vtriuſque id eſt Tantali Perithoique, vtrorumque ſupplicia vindictæ Iouis a Plutone præſtantur. IXIONA. Ixion quippe Iunonem auſus eſt ſtupri iniuria compellare: Tantalus vero Iouis conſilia mortalibus prodidit, in eorum audita concilio. VIVO PERPETIAR ME PERITHOI. Conqueritur inferos his patuiſſe, qui infanda cupiebant, vt ad ſe aut amator, aut raptor intraret. hæc Perithoi fabula talis eſt. Perithous cum Proſerpiná

rapere ſuo matrimonio induxiſſet in animum, huius tam ſcelerati conſilii Theſeum participem fecit, quem cum amicitiarum intuitu Theſeus ad inferos, Proſerpinam pariter rapturus, ſecutus fuiſſet, graui ſunt vterque damnati ſupplicio. vnde Virgilius.
—ſedet æternumque ſedebit infœlix Theſeus.—

EVMENIDVM LACHRYMAS. Orpheus Thrax peritiſſimus fuit citharæ, is Eurydicen coniugem vnico dilexit affectu, quæ cum Ariſtheum, Eurydicis Nymphæ filium, pudicitiam ſuam attrectare cupientem fugeret, calcato ſerpente perempta eſt. hoc cum immoderate doleret Orpheus, confiſus peritia citharæ, inferorum ſecreta perrupit, cuius cantus dulcedine ac miſeratione lugentis, manes depoſita ſæuitate Orpheo coniugem reddiderunt. dicit ergo nunc Pluto, turpes vidiſſe ſe lachrymas Eumenidũ: turpes ideo quia contra inferorum legem miſericordia lachrymæ fundebantur. ITERATAQVE PENSA. propter reditum Eurydices, cui conceſſerant vt denuo viuentis p̃ẽñſá fata penſis traderent. VIOLENTIA LEGIS. quæ iubebat Orpheum non reſpicere vxorem. melior ergo lex me: ſcilicet ego dulcedine cantus victus ſum, vt Orpheo coniugem redderem, vt conceſſam perderet inclementia legis obtinuit. hinc Virgil. *ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere manes.* AB IOVE LEGES. quia partiri annum Proſerpinæ iuſſit, vt ſex menſibus eſſet cum matre, totidem cum marito. ita Ouid.

At medius fratriſque ſui, mœſtaque ſororis,
Iupiter ex æquo voluentem diuidit annum.
Nunc dea regnorum numen commune duorum,
Cum matre eſt totidem, totidem cum coniuge menſes.

Per lunam fieri manifeſtum eſt, quæ, à veteribus Proſerpina nominatur. SECTVM GENITRIX. Videtur enim dimidium annum matrimonio eius Iupiter abrogaſſe. penes matrem eius ergo, vt eius cura ſtatuto tempore filia ab inferis reuertatur ad cœlum.

Sed quid ego hæc ita? Tartareas vlciſcere ſedes
Tiſiphone, & ſi quando nouis aſperrima monſtris
Triſte, inſuetum, ingens, quod non dum viderit æther,
Ede nefas, quod mirer ego, inuideántque ſorores.
Atque adeo fratres (noſtrique hæc omina ſunto
Prima odiis) fratres alterna in vulnera leto
Marte ruant. ſit qui rabidarum more ferarum
Mandat atrox hoſtile caput, quíque igne ſupremo
Arceat exanimes, & manibus æthera nudis
Commaculet, iuuet iſta ferum ſpectare Tonantem.
Præterea ne ſola furor mea regna laceſſat,
Quære deis qui bella ferat, qui fulminis ignes,
Infeſtúmque Iouem clypeo fumante repellat.
Faxo haud ſit cunctis leuior metus, atra mouere
Tartara, frondenti quàm iungere Pelion Oſſa.

VSQVE ADEO FRATRES. Etheocles & Polynices. qui mallent hoc nefas ſe potius implere, quam Furiam. OMINA SVNTO. Etheoclis & Polynicis interitus, omen ſit inter me & Iouem futuri certaminis. COMMACVLET. vt tabe ſoluantur corpora, non flamma pyrarum: nec interpoſitis vrantur ignibus, ſed in ſolo terræ intemperie aeris membra depereant. ſit mortuis denegata ſepultura ſupplicium. BELLO CRVDELIVS. vt ſolius cœli rogum poſſint habere communem.

Dixerat, atque illi iam-dudum regia triſtis
Attremit oranti. ſuáque, & quæ deſuper vrget,
Nutabat tellus. non fortius æthera vultu
Torquet, & aſtriferos inclinat Iupiter axes.
At tibi quos inquit manes, qui limite præceps
Non licito per inane ruis? ſubit ille minantem
Iam tenuis viſu, iam vaneſcentibus armis,
Iam pedes. extincto tamen interceptus in ore
Augurij perdurat honos, obſcuráque fronti
Vita manet, ramúmque tenet morientis oliuæ.

IVPITER AXES. hoc eſt oratione Plutonis tremefacti ſunt poli. QVOS INQVIT MANES. Pro pœnis poſuit. id eſt, quos cruciatus patieris. vt Virgil. *Quiſque ſuos patitur Manes. Manes* ideo dicti ſunt, quia damnati æterna apud inferos pœna permanent. SVBIT ILLE. ſequitur. vt; *pone ſubit coniunx.* aut certe finita præcedenti oratione ſubiungit. VANESCENTIBVS. in vmbram deſinentibus. IAM PEDES. quia currus & equi, cum quibus raptus fuerat, euanuerunt.

Si licet, & ſanctis hic ora reſoluere fas eſt
Manibus. O cunctis finitor maxime rerum,
At mihi, qui quondam cauſas, elementáque noram,
Et ſator, oro minas, ſtimulatáque corda remulce.
Néue ira dignare hominem, & tua iura timentem.
Nam nec ad Herculeos (vnde hæc mihi pectora?) raptus,
Nec Venerem illicitam (crede his inſignibus) auſi
Intramus Lethen. fugiat nec triſtis in antrum
Cerberus, aut noſtros timeat Proſerpina currus.
Augur Apollineis modo dilectiſſimus aris
Teſtor inane chaos (quid enim hic iurandus Apollo?)
Crimine non vllo ſubeo noua fata: nec alma
Sic merui de luce rapi. ſcit iudicis vrna
Dictæi, verúmque poteſt deprendere Minos.
Coniugis inſidiis, & iniquo venditus auro
Argolicas acies, vnde hæc tibi turba recentum
Vmbrarum, & noſtræ veniunt quoque funera dextræ,
Non ignarus ini. ſubito me turbine mundi
(Horret adhuc animus) mediis è millibus hauſit
Nox tua. quæ mihi mens, dum per caua viſcera terræ
Vado diu pendens? & in aëre voluor operto?

Hei mihi nil ex me ſociis, patriæque relictum eſt,
Vel captum Thebis. non iam Lernæa videbo
Tecta, nec attonito ſaltem cinis ibo parenti.
Non tumulo, non igne miſer, lachrymiſque meorum
Productus, toto pariter tibi funere veni.
Nil iſtis auſurus equis. nec deprecor vmbram
Accipere, & tripodum iam non meminiſſe meorum.
Nam tibi præſagi, quis iam ſuper auguris vſus,
Cùm Parcæ tua iuſſa trahant? ſed pectora flectas,
Et melior ſis quæſo deis. ſi quando nefanda
Huc aderit coniux, illi funeſta reſerua
Supplicia, illa tua rector bone dignior ira.
Accipit ille preces, indignatúrque moueri.
Vt leo Maſſyli cùm lux ſtetit obuia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat, ſi decidat hoſtis
Ire ſupra ſatis eſt, vitámque relinquere victo.

CVNCTIS FINITOR. Ouidius.

Omnia debentur morti, paulumque morati,
Serius aut citius, ſedem properamus ad vnam:
Tendimus huc omnes, hæc eſt domus vltima cunctis.

Ordo ergo talis eſt. cunctis finitor rerum, ſcilicet putaris: mihi vero etiam ſator. nam cum conſtet Plutoni terram eſſe conſecratam, dicit omnia membra reſolui, & de terra cuncta procreari: iuſte ergo creator dicitur, à quo vniuerſa gignuntur. AST EGO. quia vates fui noram vitæ te eſſe creatorem, ex eo quod animas iterum mittis in corpora. vt Virgil. *rurſus & incipient in corpora velle reuerti.* & idem ſuprà. *fata ferunt animas.*

AVT NOSTROS TIMEAT PROSERPINA. per Proſerpinam raptam Theſei & Perithoi hoc loco commemorat audaciam, & ad teſtimonium pudicitiæ oſtendit inſulas & inſignia ſacerdotis. *Proſerpina* dicta ab eo, quod porro ſerpat. ET NOSTRAE VENIVNT. propter ſui miſericordiam dicit, ſe pugnando multas inferis animas addiſſe: pro quo beneficio petit ſibi eſſe parcendum. ET IN AERE VOLVOR OPERTO. id eſt, dum per illa ſpatia vado, quæ ſunt ſub terra inferorum. VEL CAPTVM. Optabilius etiam fuit me capi à Thebanis. PARENTI. Oedipò patri. NEC DEPRECOR VMBRAM ACCIPERE. id eſt, nec refuto vmbram eſſe. *deprecor* autem eſt refuto. Virgil. *equidem merui, nec deprecor vnquam.* Lucan. *non deprecor hoſti ſeruari, dum me ſeruet ceruice receſſa.*

QVIS IAM SVPER AVGVRIS VSVS. id eſt, poſſem rogare te, vt apud inferos augur eſſem, ſi ſcirem & hoc mihi apud inferos profuturum: verum cum videam ipſa quoque fata ad tuum arbitrium fila diſponere, intelligo nil omnino tibi opus augurio.

ILLI FVNESTA RESERVA. hoc eſt coniugi meæ, quæ mihi minaris, reſerua ſupplicia, quæ ſalutem viri prodidit monili corrupta. INDIGNATVRQVE MOVERI. iraſcitur ſe in miſericordiam flecti. VT LEO MASSYLI. Maſſylia gens Africæ mediterranea, leonibus plena. TVNC ARMA CITAT. *citat*, incitat. ARMA. dentes & vngues, quibus ſe tuetur & vindicat. Lucan. *tum demum mouet arma leo.*

Interea vittis, lauróque inſignis opima
Currus, & egregiis modò formidatus in armis,

Interea vittis, lauróque inſignis opima
Currus, & egregiis modò formidatus in armis,
Luce palàm, fuſus nulli, nullique fugatus
Quæritur. abſiſtunt turmæ, ſuſpectáque tellus
Omnibus, infidi miles veſtigia campi
Circuit, atque auidæ triſtis locus ille ruinæ
Ceſſat, & inferni vitatur honore ſepulchri.
Nuntius hortanti diuerſa in parte maniplos
Adraſto, vix ipſe ratus vidiſſe Palæmon
Aduolat, & trepidans (ſteterat nam forte cadenti
Proximus) inſpectóque miſer pallebat hiatu.
Verte gradum. fuge rector ait, ſi Dorica ſaltem
Terra loco, patriæque manent, vbi liquimus arces,
Non armis, non ſanguine opus. quid inutile ferrum
Stringimus in Thebas? currus humus impia ſorbet,
Armáque, bellantéſque viros: fugere ecce videtur
Hic etiam quo ſtamus ager. vidi ipſe profundæ
Noctis iter, ruptáque ſoli compage ruentem,
Illum heu, præſagis quo nullus amicior aſtris,
Oecliden, fruſtráque manus cum voce tetendit.
Mira loquor, ſulcos etiamnum Rectore quorum,
Fumantémque locum, & ſpumis madida arua reliquit.
Nec commune malum eſt. tellus cognoſcit alumnos,
Stat Thebana acies, ſtupet hæc, & credere Adraſtus
Cunctatur, ſed Mopſus idem, trepidúſque ferebat
Actorides. nam fama nouis terroribus audax
Non vnum cecidiſſe refert. ſponte agmina retro,
Non expectato reuocantum more tubarum
Præcipitant, ſed torpet iter, fallúntque ruentes
Genua viros, ipſíque (putes ſenſiſſe) repugnant
Cornipedes, nullóque truces hortamine parent,
Nec celerare gradum, nec tollere lumina terra.
Fortius incurſant Tyrij. ſed veſper opacus
Lunares iam ducit equos. data fœdere paruo
Mœſta viris requies, & nox auctura timores.

HONORE SEPVLCHRI. ad laudem Amphiarai omne ſpatium campi ſepulturæ vatis conceſſum eſt, quia huic ſepulchrum præter morem hiatus præſtitit terræ, quod *infernum ſepulchrum* dixit. STRINGIMVS. educimus. HEV. interpoſitio eſt dolentis.

tis. PRAESAGIS ASTRIS. futura denunciantibus ſtellis. CVM VOCE TENDIT. petentium auxilia affectum expreſſit poeta, qui iactatione vel extenſione manuum ſibi ſupplicant ſubueniri. hoc Virgil. vt raptæ Caſſandræ negatum fuiſſe monſtraret, ait. *Ad cœlum tendens ardentia lumina fruſtra: Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.*

NON EXPECTATO. reuocantum more tubarum. nemo enim militaris legis ſacramenta ſeruauit, ne ante pedem à prælio retraheret, quam receptui caneretur. ſed tali legiones turbatæ nuncio, neglectis, dicit, præceptis & religione militiæ vertebantur in fugam. GENVA VIROS. ſolutione pedum nimio timore genua languebant & negabant curſum. vt Virgil. *genua labant.* NEC TOLLERE LVMINA TERRA. id eſt, tanto erant inclinati terrore, vt oculos à terra leuare non poſſent. FOEDERE PARVO. Interpoſitione pacis modicæ.

Quæ tibi tunc facies, poſtquam remiſſa gemendi
Copia? qui fletus galeis cecidere ſolutis?
Nil ſolitum feſſos iuuat. abiecere madentes,
Sicut erant, clypeos. nec quiſquam ſpicula terſit,
Nec laudauit equum. nitidæ nec caſſidis altam
Compſit, adornauítque iubam. vix magna lauare
Vulnera, & efflantes libet internectere plagas.
Tantus vbique dolor. menſas, alimentáque bello
Debita nec pugnæ ſuaſit timor. omnia laudes
Amphiarae tuas, fœcundáque pectora veri
Commemorant lachrymis, & per tentoria ſermo
Vnus, abiſſe deos, dilapſáque numina caſtris.
Heu vbi laurigeri currus? ſolemniáque arma?
Et galeæ vittatus apex? hæc antra, lacúſque
Caſtalij? tripodúmque fides? ſic gratus Apollo?
Quis mihi ſydereos lapſus, mentémque ſiniſtri
Fulguris, aut cæſis ſaliat quod numen in extis,
Quando iter, vnde moræ, quæ ſæuis vtilis armis,
Quæ pacem magis hora velit, quis iam omne futurum
Proferet? aut cum quo volucres mea fata loquentur?
Hos quoque bellorum caſus nobíſque, tibíque,
Præſcieras, & (quanta ſacro ſub pectore virtus!)
Veniſti tamen, & miſeris comes additus armis.
Et cùm te tellus, fataliſque hora vocaret,
Tu Tyrias acies, aduerſáque ſigna, vocaſti
Sternere, tunc etiam media de morte timendum
Hoſtibus, infeſtáque abeuntem vidimus haſta.

QVAE TIBI. admiratiue. ET EFFLANTES. expirantes animam. INTERNECTERE PLAGAS. Inſuere. Metaphoram traxit à medicis, qui ſolent letalia vulnera futuris

anneɛtere. ALIMENTAQVE BELLO. vt cibo reficerent vires, propter futuram pugnam. HAEC ANTRA LACVSQVE. ſubaudis Amphiarao præſtitit. QVIS MIHI. hoc eſt; quis mihi proferet in ominibus: aut certe proferet voluntatem deorum augure interempto. PROFERT. propitii, dictum à *ſinendo.* ſic & Virgil. *ſiniſtrum* dixit in bono augurio.

Quod niſi me quacunque nouas incidere lites,
Ante ſiniſtra caua monuiſſet ab ilice cornix. Siniſtra. id eſt, propitia.

ADVERSAQVE SIGNA VOCASTI. id eſt, vltro hoſtes ad certamen conuocaſti.

At nunc te quis caſus habet? poteriſne reuerti
Sedibus à Stygiis altáque erumpere terra?
Anne ſedes hilaris iuxta tua numina parcas,
Et vice concordi diſcis ventura, docéſque?
An tibi felices lucos miſeratus Auerni
Rector, & Elyſias dedit inſeruare volucres?
Quicquid es, æternus Phœbo dolor, & noua clades
Semper eris, mutiſque diu plorabere Delphis.
Hic Tenodon, Cyrrhámque dies, partúque ligatam
Delon, & intonſi cludet penetralia Branchi.
Nec Clarias hac luce fores, Didymæáque quiſquam
Limina, nec Lyciam ſupplex conſultor adibit.
Quin & cornigeri vatis nemus, atque Moloſſo
Quercus anhela Iouis, Troianáque Thymbra tacebit.
Ipſi amnes, ipſæque volent areſcere laurus.
Ipſe nihil certum ſagis clangoribus æther
Præcinet, & nulla feriuntur ab alite nubes.
Iámque erit ille dies, quo te quoque conſcia fati
Templa colent, reddétque tuus reſponſa ſacerdos.

ALTAQVE ERVMPERE TERRA. mirantur, mortuum enim nemo conſpexit. ET VICE CONCORDI. & hunc libenter fata ſuſceperunt præcepturum. MISERATVS AVERNI. miſeratus quod dicit, non hoc ad indulgentiam ducas, ſed ad maximum Amphiarai decus. nam ille nulli parcit. vt Horat. *victima nil miſerantis Orci.* INSERVARE. proprio vſus eſt augurii verbo, quod dum captant auguria, dicuntur cælum ſeruare. vt Lucan. *nec cælum ſeruare.* BRANCHI. Branchus Apollinis eſt filius, & ipſe futurorum peritiſſimus deus: vt ipſe alibi. *patrioque æquatus honore Branchus.* Varro diuinarum rerum de Brancho ita refert. *Olim quidam decimus ab Apolline, cum in peregrinatione pranderet in littore, ac deinde proficiſceretur, oblitus eſt filium nomine Simerum, qui peruenit in ſaltum Patronis cuiuſdam, & cum eſſet receptus, cœpit cum ſuis pueris capras paſcere. Aliquando prehenderunt cygnum, & illum veſte cooperuerunt, dumque ipſi pugnant vter illum patri munus offerret, & eſſent fatigati certamine, reiecta veſte mulierem inuenerunt. & cum fugerent reuocati ab ea moniti ſunt, vt Patron vnice Simerum diligeret puerum: illi quæ audierunt Patroni indicarunt. Tunc Patron Simerum pro filio ſuo nimio dilexit affectu, eique filiam ſuam ducendam locauit vxorem. Illa cum prægnans ex eo eſſet, vidit in ſomniis per fauces ſuas introiſſe ſolem, &*

exiſſe per ventrem: ideo infans editus Branchus vocatus eſt, quia mater eius per fauces ſibi viderat vterum penetraſſe. Hic cum in ſiluis Apollinem oſculatus fuiſſet, comprehenſus eſt ab eo, & accepta corona virgaque vaticinari cœpit, & ſubito nuſquam comparuit. Templum ei factum eſt, quod Branchiadon nominatur: & Apollini Phileſio pariter conſecrata ſunt templa, quæ ab oſculo Branchi, ſiue certamine puerorum, Phileſia nuncupantur.

Nec clarias. & apud Clariam. & apud Dedymæam oraculum Apollinis fuit. quod autem ambos colant Apollinem & Dianam, ideo *Clarij* vocabulo nuncupantur. vt Virg. *qui tripodas Clarij laurus, qui ſydera ſentis.* Lycia autem Aſiæ ciuitas Apollinis ſedes, quam poſt Amphiarai interitum dicit eſſe tacituram. de qua Virgilius ait, *qualis vbi hybernam Lyciam.* Claria ergo ciuitas eſt in qua tres dii, id eſt, Iupiter, Neptunus, & Pluto, mundum dicuntur fuiſſe ſortiti. in hac Apollo mortalibus oracula maxime dare conſueuerat. Vatis nemvs. quia in Syrtibus, in eo tantum loco vbi Iouis Hammonis templum eſt, nemus inuenitur. vt Lucan. *ſolus nemus abſtulit Hammon, ſiluarum fons cauſa loco.* Qvercvs. quam Chaoniam dicit, hoc eſt Epyroticam, Moloſſia enim in Epyro eſt, vbi ſub quercu ſolebant columbæ reſponſa dare. Anhela. ergo dixit per ſimilitudinem vatum, qui deo pleni & anhelantes reſponſa dabant. vt eſt. *ſed pectus anhelum, & rabie fera corda domat.* Ipsi amnes. Apollini ſacri, quorum hauſtus vates faciunt & poetas, non tamen omnes. Sagis. diuinis. vnde *præſagia* diuinationes mentis. vt Virgil. *præſaga mali mens.* Iamqve erit ille dies. ciuitas enim in illo loco poſt eſt condita, in quo hiatus terræ Amphiaraum recepit, quæ Amphiarma vocatur. vt Homerus ait. quod illic currus, quem Græci ἅρμα vocant, deciderit: in qua etiam oraculum eſt, quod *Amphiraon* vocatur.

Talia fatidico peragunt ſolemnia regi.
Ceu flammas, ac dona rogo, triſtéſque rependant
Exequias, mollíque animam tellure reponant.
Fracta dehinc cunctis, auerſáque pectora bello.
Sic fortes Minyas ſubito cum funere Tiphys
Deſtituit, non arma ſequi, non ferre videtur
Remus aquas, ipſíque minus iam ducere venti.
Iam feſſis gemitu paulatim corda leuabat,
Exhauſtus ſermone dolor. nóxque addita curas
Obruit, & facilis lachrymis irrepere ſomnus.

Cvm fvnere Tiphys. accuſatiuum poſuit. *Minyas.* id eſt, quoſcunque gubernatores nauis: aut aquis mortuo Tiphi gubernatore, priuatus eſſe doluerit. Levabat. per ſermonis enim varietatem & luctus leuatur, & labor decreſcit. Virgil. *varioque viam ſermone leuabant.*

At non Sidoniam diuerſa in parte per vrbem
Nox eadem. vario producunt ſydera ludo
Ante domos, intráque, ipſæque ad mœnia marcens
Excubiæ. gemina æra ſonant, Idæáque terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.
Tunc dulces ſuperos atque omne ex ordine alumnum

Numen, vbique ſacri reſonant Pæanes, vbique
Serta, coronatúmque merum. nunc funera rident
Auguris ignari, contráque in tempore certant
Tireſiam laudare ſuum. nunc fata reuoluunt
Maiorum. veteréſque canunt ab origine Thebas.
Hi mare Sidonium, manibúſque attrita Tonantis
Cornua, & ingenti ſulcatum Nerea tauro.
Hi Cadmum, laßámque bouem, fœtóſque cruenti
Martis agros: alij Tyriam reptantia ſaxa
Ad chelyn, & duras animantem Amphiona cautes.
Hi grauidam Semelen: illi Cythereia laudant
Connubia, & multa deductam lampade fratrum
Harmonien: nullis iam deeſt ſua fabula menſis.
Ceu motò gemmiferum thyrſo populatus Hydaſpen,
Eoáſque domos, nigri vexilla triumphi
Liber, & ignotos populis oſtenderet Indos

DIVERSA. hoſtili, Lucan. *diverſa roſtris iuuenem affixere carinæ.* id eſt, contrariæ MARCENT. ebrietate aut ſomno. MOENIA. pro muris poſuit. vt Virg. *ſed non ante datam cingetis mœnibus vrbem.* IDAEAQVE TERGA. Cretenſia tympana. VARIO SPIRAMINE. tibiam ſignificat varie foratam. Virgil. *biforem dat tibia cantum.* ALVMNVM, nutritum. *alumnus* enim ab alimentis dicitur. PAEANES. pro laudibus poſuit. nam *peanes* verſus ſunt in Homero Apollini dicti, propter extinctum Pythonem. omnis laus Græce *paan* dicitur, ab admiratione. ἐπαινεῖν etenim laudare Græce dicitur. Virg. *lætumque choro peana canentes.* CORONATVMQVE MERVM. ſecundum Homerum dixit, qui ait crateras in quibus vinum eſt coronant. Virg. *crateras longe ſtatuunt, & vina coronant.* MARTIS AGROS. propter eos dixit, qui ſatis draconis dentibus fuerant nati. AD CHELYN. id eſt, ad Amphionis citharam, cuius dulcedinem ſecuta ſaxa extruxere muros Thebanos. ET MVLTA DEDVCTAM. ſuorum ſc. cupidinum & amorum. HYDASPEN. optima enim ibidem ſunt lapidum genera.

Tum primum ad cœtus, ſociæque ad fœdera menſæ
Semper in-aſpectum, diráque in ſede latentem,
Oedipoden exiſſe ferum, vultuque ſereno
Caniciem nigram ſquallore, & ſordida fuſis
Ora comis laxaſſe manu, ſociúmque benignos
Affatus, & abacta prius ſolatia paſſum.
Quin hauſiſſe dapes, inſiccatúmque cruorem
Deieciſſe genis. cunctos auditque, refértque,
Qui Ditem, & Furias tantúm, & ſi quando, regentem
Antigonem, mœſtis ſolitus pulſare querelis.

Cauſa latet, non hunc Tyrij ſors proſpera belli
Quantum bella iuuant natum hortatúrque, probátque,
Nec viciſſe velit. ſed primos comminus enſes,
Et ſcelerum tacito rimatur ſemina voto.
Inde epulæ dulces, ignotáque gaudia vultu.
Qualis poſt longæ Phineus ieiunia pœnæ,
Nil ſtridere domi volucres vt ſenſit abactas,
(Necdum tota fides) hilaris, menſáſque, toróſque,
Nec turbata feris tractauit pocula pennis.

QVIN HAVSISSE. etiam hoc fecit: confirmantis eſt. INSICCATVMQVE CRVOREM. Inhærentem cæcitatis ſuæ cruorem genis eluiſſe. CAVSA LATET. latet cauſa lætitiæ, quia vult poeta crudele eſſe quod gaudet. quare ſit ergo commutatus ad gaudium Oedipus ignorabant Thebani. erat autem illi cauſa lætitiæ, quod dimicat aduerſum ſe ferro germanitas. SEMINA VOTO. id eſt. tacito voto, auribus menteque captabat hoſtium motus ex lætitia proueniſſe. INDE EPVLAE. hac vtique cauſa perſpecta. IEIVNIA POENE. Phyneus rex Arcadiæ liberis ſuis ſuperduxit nouercam, cuius inſtinctu eos cæcauit, ob quam rem irati dii ei oculos ſubtulerunt, & adhibuerunt harpyas, a quibus ne dapes attingeret longo eſt ieiunii cruciatu vexatus.

Cætera Graiorum curis, armiſque iacebat
Feſſa cohors. alto caſtrorum ex aggere Adraſtus
Letificos tenui captabat corde tumultus,
Quanquam æger ſenio. ſed agit miſeranda poteſtas
Inuigilare malis. illum areus vndique clamor,
Thebaníque vrunt ſonitus, & amara laceſſit
Tibia, tum nimio voces marcore ſuperbæ,
Incertæque faces, & iam malè peruigil ignis.
Sic vbi per fluctus vno ratis obruta ſomno
Conticuit, tantíque maris ſecura iuuentus
Mandauere animas. ſolus ſtat puppe magiſter
Peruigil. inſcriptáque deus qui nauigat alno.

QVANQVAM AEGER SENIO. *ſenium.* morbus eſt ſenectutis. MISERANDA POTESTAS. quia maior poteſtas grauiori ſemper laude vexatur. PERVIGIL IGNIS. id eſt non peruigilans, quia contemptu Argiuorum Thebani vigilias non curabant. DEVS QVI NAVIGAT ALNO. Deum, tutelam nauis, intelligimus cum gubernatore nauigare: habent enim ſcriptos vel pictos præſules ſuos, quorum nominibus nuncupantur & naues.

Tempus erat, iunctos cùm iam ſoror ignea Phœbi
Sentit equos, penitúſque cauam ſub luce parata

Oceani mugire domum, ſeſéque vagantem
Colligit, & leuiter moto fugat aſtra flagello.
Concilium rex triſte vocat: quærúntque gementes
Quis tripodas ſucceſſor agat? quo prodita laurus
Tranſeat? atque orbum vittæ decus. haud mora, cuncti
Inſignem fama, ſanctóque Melampode cretum
Thiodamantha volunt. qui cùm ipſe arcana deorum
Partiri, & viſas vni ſociare ſolebat
Amphiaraus aues, tantæque haud inuidus artis
Gaudebat dici ſimilem, iuxtáque ſecundum.
Illum ingens confundit honos, inopináque turbat
Gloria, & oblatas frondes ſubmiſſus adorat,
Seque oneri negat eſſe parem, cogíque meretur.
Sicut Achemenius ſolium, gentéſque paternas
Excepit, ſi fortè puer, cui viuere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat,
An fidi proceres, an pugnet vulgus habenis:
Cui latus Euphratæ, cui Caſpia limina mandet,
Sumere tunc arcus, ipſúmque onerare veretur
Patris equum, viſúſque ſibi nec ſceptra capaci
Suſtentare manu, nec adhuc implere tiaram.

SENTIT EQVOS. poetice dictum: hic *lunam* pro nocte poſuit. ceterum non eſt vt Luna ſolis inueniatur ſemper aduentu. MVGIRE. ardore ſolis ſtridere. PRODITA. deſerta. ORBVM. viduatum, hoc eſt ſacerdotio carens. IVXTA QVE. ſecundum. vt Virgil. *proximus huic longo, ſed proximus interuallo.* CONFVNDIT HONOS. quia victus eſt verecundatur, id eſt iudicii ipſius gratia grauatur. recte ergo quod verecunde excuſabat, dignus erat quod cogeretur. SICVT ACHEMINIVS. Achemene Parthorũ ſeu Medorũ ciuitas eſt. ACHEMENIVS patriũ eſt: id eſt, Chaldeus. Achemenia ipſa eſt Chaldea, vocata ita a quodã crudeliſſimo rege, de quo in Sedulio legitur. *cuius Achemeniam rabiemque accenderat ira, plus fornace ſua.* non enim poterat eius ira placari, niſi humano ſanguine. GAVDIA LIBRAT. lætitiæ gaudium metu penſabat, vtrum poſſet implere quod ſumpſerat. AN FIDI PROCERES. id eſt. ſine recordatione paternæ gratiæ fides a ſociis etiam filio ſeruaretur. CVI CASPIA. Caſpiæ portæ ſunt in Armeniorum finibus conſtitutæ, vnde Lucanus. *Caſpiaque immenſo ſecludunt clauſtra receſſu.* IMPLERE TIARAM. id eſt, nec capitis robore diadematis impleret menſuram. ipſo enim velut particulæ ambitu antiqui pro diademate vtebantur: *tiara* enim dicitur pileum, quod in capite gerit ſacerdos Martis. vnde Virgil. *ſacerque tiaras.*

Atque is vbi intorto ſignauit vellere crinem,
Conuenitque deis, hilari per caſtra tumultu
Vadit ouans. ac prima ſui documenta ſacerdos

Tellurem placare parat. nec futile mœſtis
Id viſum Danais: geminas ergo ilicet aras
Arboribus viuis, & adulto ceſpite texi
Imperat. innumeróſque deæ ſua munera flores,
Et cumulos frugum, & quicquid nouat integer annus,
Addit: & intacto ſpargens altaria lacte
Incipit. O hominum diuumque æterna creatrix,
Quæ fluuios, ſiluáſque, animáſque, & ſemina mundi
Cuncta, Prometheaſque manus, Pyrrhaáque ſaxa
Gignis, & impaſtis quæ prima alimenta dediſti,
Mutaſtique viros, quæ pontum ambiſque, vehiſque.
Te penes & pecudum gens mitis, & iraſc rarum
Et volucrum requies. firmum atque immobile mundi
Robur inoccidui. te velox machina cœli
Aere pendentem vacuo, te currus vterque
Circuit. O rerum media, indiuiſáque magnis
Fratribus. ergo ſimul tot gentibus alma. tot altis
Vrbibus, ac populis ſubterque, ac deſuper vna
Sufficis, aſtriferúmque domos Atlanta ſupernas
Ferre laborantem, nullo vehis ipſa labore,
Nos tantum portare negas? nos diua grauaris?
Quod precor ignari luimus ſcelus? an quia plebes
Externa, Inachiis huc aduentamus ab oris?
Omne homini natale ſolum, nec te optima ſæuo
Tanquam humiles populos deceat diſtinguere fine.
Vndique vbique tuis maneas communis, & arma
Hinc, atque inde feras. liceat (precor) ordine belli
Pugnaces efflare animas, & reddere cælo.
Ne rape tam ſubitis ſpirantia corpora buſtis,
Ne propera. venimus enim quo limite cuncti,
Qua licet ire via. tantum exorata Pelaſgis
Siſte leuem campum, celeres neu præcipe Parcas.

VBI INTORTO SIGNAVIT VELLERE CRINEM. Inſulis tortis caput ſacerdotis coronatũ fuiſſe oſtendit. CONVENITQVE DEIS. placuit, id eſt dignus hoc ſacerdotioun amnibus iudicatus eſt. NEC FVTILE MOESTIS. *Futile* vas eſt quoddam lato ore, fundo anguſto, quo vtebantur in ſacris Deæ Veſtæ, quia aqua ad ſacra Veſtæ in terra non ponitur, quod ſi fiat piaculum eſt, ideo excogitatum eſt vas quod ſtare non poſſet, ſed ſi poſitum ſtatim funderetur. vnde & homo commiſſa non retinens, *futilis* dicitur, contra *non futilis*

bonus conſiliis. ARBORIBVS VIVIS. Semper virentibus, vt cupreſſo aut lauro: aut certe viridibus, id eſt nuper abſciſſis. INTEGER ANNVS. pro parte anni. CREATRIX. tellus animarum ſecundum Pythagoram, qui omnibus creſcentibus vel areſcentibus licet inſenſibilibus animas tribuit. REQVIES. volatus enim aer, & requies auium terra. INMOBILE MVNDI. quia ſola terra immobilitate fulcitur. AERE PENDENTEM. quia mundum opinantur æteruum: terram autem pendere aere ſuccinctam. vnde Lucanus: *dum terra fretum terramque leuabit aer.* CVRRVS VTERQVE. Solis & lunæ. quem antipoden vocant. vt Virgil. *ſolemque ſuum, ſua ſydera norunt.* INDIVISAQVE MAGNIS. quia communis eſt Ioui, Neptuno, & Plutoni: & enim cum cælum, mare, inferos inter ſe ſortis euentu diuiderent, ſola terra indiuiſa permãſit. SVBTERQVE AC DESVPER. quæ nobis antipodibus inferiſq. vna eademque ſufficit. OMNE HOMINI NATALE SOLVM. omnibus eſt habitabilis terra, & generans homines, vti vult opinio ſapientum: quamuis imperiti putent rotunditatem in omni circuitu habitari non poſſe. ſiue quia omne ſolum ſapienti patria eſt. TANQVAM HVMILIS. duplex ſenſus eſt. *Tanquam humili populos deceat diſtinguere fine*: & alter ſenſus. Vndique vbique maneas communis.

At tu care deis, quem non manus vlla, nec enſes
Sidonij, ſed magna ſinu Natura ſoluto
Ceu te Cyrrhæo meritum tumularet hiatu,
Sic amplexa coit. hilares deſoro precatus
Noſſe tuos, cæloque, & vera monentibus auris
Conciles. & quæ populis proferre parabas,
Me doceas. tibi ſacra feram præſaga, tuique
Numinis interpres, te Phœbo abſente vocabo.
Ille mihi Delo, Cyrrhâque potentior omni
Quò ruis, ille aditis melior locus. hæc vbi dicta,
Nigrantes terra pecudes, obſcuráque mergit
Armenta. ac viuis cumulos vndantis arenæ
Aggerat. & uati mortis ſimulacra rependit.

CEV TE CYRRHAEO. monte Parnaſo. quia in Cyrrha parte montis ipſius, hiatus eſt terræ, vbi delphica reſponſa dabantur: vt Lucanus. *Et totius pars magna Iouis Cyrrhæa per antra exit, & æthereo trahitur connexa tonanti.* PRAESAGA. quibus diuinare poſsis, id eſt ſacrificio denunciare. ILLE ADITIS MELIOR. ille locus reſponſis dandis eſt dignus, vbi hiatu terræ ſubmerſus eſt Amphiaraus. ET VATI. id eſt, Amphiarao imaginarium funus exoluit. vt Virgil. *Tunc egomet tumulum Rhæteo in littore inanem Conſtitui.*

Talia apud Graios, cùm iam Mauortia contra
Cornua, iam ſæuos fragor æreus excitat enſes.
Addit acerba ſonum Theumeſi è vertice crinem
Incutiens, acuitque tubas & ſibilia miſcet
Tiſiphone. ſtupet inſolito clangore Cithæron
Marcidus, & turres carmen non tale ſecutæ.

Incutiens

Iam trepidas Bellona fores, armatáque pulſat
Limina, iam multo laxantur cardine Thebæ.
Turbat eques pedites, currus properantibus obſtant,
Ceu Danai poſt terga premant. ſic omnibus alæ
Arctantur portis, ſeptémque excurſibus hærent.
Ogygis, it ſorte Creon, Etheoclea mittunt
Neitæ, celſas Homoloidas occupat Æmon,
Ipſea Prœtides, celſum fudere Dryanta
Electræ, quatit Hypſiſtas manus Eurymedontis,
Culmina magnanimus ſtipat Dircæa Menœceus.
Qualis vbi auerſi ſecretus pabula cœli
Nilus, & Eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes, ſeptemque patentibus aruis
In mare fert hyemes. penitus ceſſere fugatæ
Nereides, dulcique timent occurrere ponto.
Triſtis at inde gradum tardè mouet Inacha pubes
Præcipuè Elææ, Lacedæmoniæque cohortes
Et Pylij. ſubitum nam Thiodamanta ſequuntur
Augure fraudati, necdum acceſſere regenti,
Nec tua te princeps tripodum ſola agmina quærunt,
Cuncta phalanx ſibi deeſſe putat. minor ille per alas
Septimus extat apex. liquido velut æthere nubes
Inuida Parrhaſiis vnum ſi detrahat aſtris
Truncus honor plauſtri. nec idem nitet igne reciſo
Axis, & incerti numerant ſua ſydera nautæ.

CITHERON. horruit tubarum ſonitu mons, qui ante conſueuerat ſacrorum voces audire. vt Virg. *Nocturniſque vocat clamore Citheron.* MARCIDVS. aut mœrore ſqualidus: aut tractu Tiſiphones fœdatus. CARMEN NON TALE TVBARVM. Senſus. Stupent vrbes Thebanæ ſonitũ Tyſiphones, quæ Amphionis fuerát carminibus fabricatæ. OGIGIIS. omnium ciuitatis Thebanæ portarũ nomina eleganter poeta monſtrauit Homoloidas. Proticias. Helectras. Hypſiſtas. Dyrceã. ADVERSI. meridiani. ideſt AEgyptii. Nilus enim fluuius eſt ſeptem capitibus fluẽs: vnde à Græcis ἑπτάστομος dictus eſt, quæ omnia eius oſtia his nominibus nuncupantur. Peluſion. Tananticon Medeſiacon. Factainicon. Seueneticon. Volueticon. Conopon. PABVLA CAELI. imbres ſecundum phyſicos alimenta ſunt fulminum. BIBIT ORE PRVINAS. *bibit* accipit, ideſt AEthiopum niues colligit, quas præſtat oriens: id eſt AEgyptus. ſiue Eoas pruinas bibit ſecreto fonte, quo AEgypti regnãt. HYEMES. aquarum incrementa, qualia fluminibus hyems ſolet inferre. DVLCI PONTO. Nilo ſpecie maris venienti. PRAECIPVE HELAEAE. in catalogo horum meminit, qui ad auxilia venerant Amphiarai. AVGET RESVPINA MANIPLOS. AEoli& filiorum meminit. *Quos Pylos & dubiis male ditata carinis.* SVBITVM. inopinanter illis propoſitum. ACCESSERE REGENTI. animum commodauerunt. vt Lucan. *Accedunt Syriæ populi.* MINOR ILLE. Thiodamas ex ſex ducibus minor erat. SI DETRAHAT ASTRIS.

quando Helice & Cynoſura filiæ Lycaonis Arcadis fuerunt. ergo de Septentrionibus dicit. INCERTI. dubitantes cum ſex videant ſidera, vtrum ſit ſeptentrion. in ſeptentrionali plauſtro ſeptem ſunt ſtellæ.

Sed iam bella vocant. alias noua ſuggere vires
Calliope, maiórque chelyn mihi tendat Apollo
Fatalem populis vltro poſcentibus horam,
Admonet atra dies, Stygiuſque emiſſa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellatorémque volando
Campum operit, nigroque viros inuitat amictu,
Nil vulgare legens, ſed quæ digniſſima vitæ
Funera, præcipuos annis, animiſque cruento
Angue notat, iamque in miſeros penſum omne ſororum
Scinditur, & Furiæ rapuerunt licia Parcis.
Stat medius campis etiamnum cuſpide ſicca
Armipotens, iamque hos clypeum, iam vertit ad illos
Arma ciens, aboletque domos, connubia, natos.
Pellitur & patriæ, & qui mente nouiſſimus exit,
Lucis amor. tenet in capulis, haſtíſque paratas
Ira manus, animuſque vltra thoracas anhelus.
Conantur, galeæque tremunt honore comarum.
Quid mirum caluiſſe viros? flammantur in hoſtem
Cornipedes, niueóque rigant ſola putria nimbo.
Corpora ceu mixti dominis, iráſque ſedentum
Induerint. ſic frena terunt, ſic prælia poſcunt
Hinnitu. tolluntque armos. equitemque ſupinant,
Iamque ruunt, primuſque virum concurrere puluis
Incipit, & ſpatiis vtrinque æqualibus acti
Aduentant, médiumque vident decreſcere campum.
Iam clypeus clypeis, vmbone repellitur vmbo,
Enſe minax enſis, pede pes, & cuſpide cuſpis.
Sic obnixa acies pariter ſuſpiria fumant,
Admotæque nitent aliena in caſſide criſtæ.

MAIORQVE. id eſt, non talis qualis ſolet in lyricis inuocari carminibus : aut certe in aliis operibus, quæ ad res bellicas pertinerent mos ſolet. ſed *maior* furioſior, qui bellica tuba ſit dignus, vt ipſe ſuperius. *Atque alio Capaneus honore canendus.* ANGVE NOTAT. dedicat morti. SCINDITVR. ita enim factum eſt vt multorum vita pariter finiretur. ABOLET. delet memoriam ſuorum ac deſiderium illis ex animo ; & à toto tranſit ad partes, dicendo *connubia natos.* DECRESCERE CAMPVM. acceſſione vtriuſ-

que exercitus medium quod erat minuebatur ſpacium : ita enim fuerant vicinitate denſati, vt campus qui medius fuerat interiret. SVSPIRIA FVMANT. ex ardore vtrique vicinorum ſibimet repugnantium. IN CASSIDE CRISTAE. ſplendorem galearum inuicem vicina arma reddebant.

Pulcher adhuc belli vultus. ſtant vertice coni,
Plena armenta viris, nulli ſine præſide currus,
Arma loco, ſplendent clypei, pharetræque decoræ,
Cinguláque, & nondum deforme cruoribus aurum:
At poſtquam rabies, & vitæ prodiga Virtus
Emiſere animos, non tanta cadentibus Hœdis
Aëriam Rhodopen ſolida niue verberat Arctos,
Nec fragor Auſoniæ tantus, cùm Iupiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis
Cùm Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.
Excluſere diem telis, ſtant ferrea cælo
Nubila, nec iaculis arctatus ſufficit aer.
Hi pereunt miſſis, illi redeuntibus haſtis.
Concurrunt per inane ſudes, & mutua perdunt
Vulnera, concurrunt haſtæ, ſtridentia funda
Saxa pluunt. volucres imitantur fulgura glandes,
Et formidandæ non vna morte ſagittæ.
Nec locus ad terram telis. in corpora ferrum,
Omne cadit. ſeſe ignari perimuntque, caduntque.
Caſus agit virtutis opus. nunc turba recedit,
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit, & aufert.
Vt ventis, nimbiſque minax, cùm ſoluit habenas
Iuppiter, alternoque affligit turbine mundum,
Stat cæli diuerſa acies, nunc fortior Auſtri,
Nunc Aquilonis hyems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille ſereno.

CONI. cacumina galearum. CRVORIBVS AVRVM. neceſſitas enim belli, aurum aut perdit, aut mutat. VITAE PRODIGA. mortem non curans. Horat. *Anima prodigum paulum.* SOLIDA NIVE. definitio eſt grandinis. LIBYAE BOREAS. Flante enim aquilone hic ſerenum eſt, pluit in Africa : vnde Lucan. *Et noſtris reficit ſua rura ſerenis.* ET MVTVA PERDVNT. Concurſu telorum vtrinque fruſtrabantur. NON VNA MORTE SAGITTATAE. quæ & fero perimant, & veneno. NVNC TVRBA RECEDIT. modo pelluntur, modo reſiſtentes occupant locum, quem amiſerant.

Principium pugnæ turmas Aſopius Hypſeus
Oebalias. (namque hæ magnum, & gentile tumentes

Euboicum duris rumpunt vmbonibus agmen)
Reppulit erepto cunei ductore Menalca.
Hic & mente Lacon, crudi torrentis alumnus
(Nec turpauit auos) haſtam intra pectus euntem
(Ne pudor in tergo) per & oſſa & viſcera retro
Extrahit, atque hoſti dextra labente remittit
Sanguineam. dilecta genis morientis oberrant.
Taygeta, & pugnæ, laudataque verbera matri.
Phædimon Iaſiden arcu Dircæus Amyntas
Deſtinat (heu celeres Parcæ) iam palpitat aruis
Phædimus, & certi nondum tacet arcus Amyntæ.
Abſtulit ex humero dextram Calydonius Agreus
Phegeos. illa ſuum terra tenet improba ferrum,
Et mouet. extimuit ſparſa inter tela iacentem,
Progrediens. truncamque tamen percuſſit Acetes.
Iphin atrox Athamas, Argum ferus impulit Hypſeus.
Strauit Abanta Pheres, diuerſaque vulnera flentes
Iphis eques, pedes Argus, Abas auriga tacebant.
Inachidæ gemini geminos ex ſanguine Cadmi
Occultos galeis (ſæua ignorantia belli)
Perculerant ferro. ſed dum ſpolia omnia cæſis
Eripiunt, videre nefas, & mœſtus vterque
Reſpicit ad fratrem, pariterque errasse queruntur.
Cultor Ion Piſæ, cultorem Daphnea Cyrrhæ
Turbatis poſtrauit equis. hunc laudat ab alto
Iuppiter, hunc tardus fruſtra miſeratur Apollo.

HYPSEVS. hic eſt qui fuit principium pugnæ. HIC ET MENTE LACON. Lacones potentiſſimos dicit eſſe virtutis. ideo hunc Menalcam fortem memorat, tam mente, quàm gente. CRVDI. aut quia incolæ Eurotæ fluminis plagis prædurantur ad patientiam agonici certaminis. vnde Horat. *Nec me tam patiens Lacedæmon agon.* ipſe *διαμαστίγωσις* dicitur. NE PVDOR IN TERGO. haſtam pectori infixam retrahit, ne poſt tergum excundo, vulnus infame videretur. TAIGETA. mons Laconum, Libero & Apollini ſacer. LAVDATAQVE VERBERA MATRI. Centauricæ, quam Oreſtes de Scythia tranſtulit. conſueuerat enim humano ſanguine placari: cuius cum ſimulacrum in Laconiam delatum fuiſſet, ne quod piaculum naſceretur intermiſſione ſolemnis ſacrificii, neue crudelitate Græciæ populus obediret, inuentum eſt vt inter ſe impuberes pueri de ſuſtinendis verberibus contenderent, ac ſe in hanc patientiam prouocarent: & ſuper aram Dianæ impoſiti flagellis verberabantur tam diu, donec ex corpore humano ſanguis flueret, qui inſtar eſſet ſacrificii. hi autem appellabantur *βωμονῖκαι*. TACET ARCVS AMYNTAE. celeritas iaculantis expreſſa eſt, vt ante peremptus occumberet, quam ſonus de arcus tenſione ceſſaret. DIVERSA. tres occiſi

diuerſo mortis genere ſunt, quos poeta à tribus dicit eſſe proſtratos. INACHIDAE GEMINI. Græci gemini geminos Thebanos aggreſſi ſunt, quodam caſu per errorem belli, & cum eos occidiſſent geminos per ignorantiam, querebantur: quoniam & geminos eſſe ſe meminerant. ERRASSE QVERVNTVR. nam nudatos armis agnouerunt. LAVDAT AB ALTO VICTVM. minoris Dei poſuit ſacerdotem, ne potioris meritis derogaret.

Ingentes Fortuna viros illúſtrat vtrinque
Sanguine in aduerſo: Danaos Cadmeius Aemon,
Sternit, agítque furens. ſequitur Tyria agmina Tydeus.
Hunc Pallas præſens, illum Tirynthius implet.
Qualiter hyberni ſummis duo montibus amnes
Franguntur, gemináque cadunt in plana ruina.
Contendiſſe putes, vter arua, arbuſtáque tollat.
Altius aut ſuperet pontes. ecce vna recepas
Confundit iam vallis aquas: ſibi quiſque ſuperbus
Ire cupit, pontóque negant deſcendere mixti.
Ibat fumiferam quatiens Oncheſtius Idas
Lampada per medios, turbabátque agmina Graiûm
Igne viam rumpens. magno quem comminus ictu
Tydeos haſta feri, diſcuſſa caſſide fixit.
Ille ingens in terga iacet, ſtat fronte ſuperſtes
Lancea, collapſæ veniunt in tempora flammæ.
Proſequitur Tydeus. ſæuos ne dixeris Argos.
Igne tuo Thebane rogum concedimus, arde.

ILLVSTRAT VTRIMQVE. Tydeum & Aemonem dicit, quorum virtus in alternis belli partibus pro deorum fauore laudatur. MIXTI. ne alter alterius nomen incurrat. NE DIXERIS ARGOS. quaſi negauerint tibi ſepulturam. ARDE. tuo tibi telo concedimus ſepulturam.

Inde velut primo tigris gauiſa cruore
Per totum cupit ire pecus, ſic Aona ſaxo
Enſe Pholum, Chromin enſe, duos Helicaonas haſta
Tranſigit. Ageæ Veneris quos Mœra ſacerdos
Ediderat prohibente Dea. vos præda cruenti
Tydeos, it ſæuas etiamnum mater ad aras.
Nec minus Herculeum contra vagus Aemona ducit
Sanguis, inexpleto rapitur per millia ferro.
Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torua Pylenes
Agmina, nunc mœſtæ fundens Pleuronis alumnos.

Donec in Olenium feſſa iam cuſpide Buten
Incidit. hunc turmis obſeſſum, & abire vetantem
Aggreditur. puer ille, puer, maláſque comámque
Integer, ignaro cui tunc Thebana bipennis
In galeam librata venit. funduntur vtrinque
Tempora, diuiduíque cadunt in brachia crines,
Et non hoc metuens inopino limite vita
Exiluit. tunc flauum Hypanim, flauúmque Polyten
(Ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Iaccho.
Sæuus vtérque deus.) victis Hyperiona iungit,
Conuerſúmque fuga Damaſum. ſed lapſa per armos
Haſta viri trans pectus abit. parmámque tenenti
Excutit, & ſumma fugiens in cuſpide portat.

MAERA SACERDOS. *Mera* proprium nomen eſt ſacerdotis. PROHIBENTE DEA. excuſauit cur illis Venus auxilium non tulerit. MATER AD ARAS. Orans pro veſtra ſalute. PLEVRONIS ALVMNOS. *Pleuron.* ciuitas Aetoliæ, apud quam cum mortem Meleagri ſuæ ſorores deflerent, in aues dicuntur conuerſæ. vt ſuprà. *Fletaque cognatis auibus Meleagria Pleuron.* OBVERSVM. obſtantem ab aduerſa parte. VTRIMQVE TEMPORA. ex vtraque parte diuiſum eſt caput. NON HOC METVENS. inſperato & nouo mortis genere periit. INOPINO LIMITE. quia vitæ limes ſemper eſt incertus. SAEVVS VTERQVE. quia neuter adiuuat decertantes, & Apollo & Liber.

Sterneret aduerſos etiamnum Iſmenius Aemon
Inachidas (nam tela regit, viréſque miniſtrat
Amphitryoniades) ſæuum ſed Tydea contra
Pallas agit. iámque aduerſo venêre fauore
Comminus, & placido prior hæc Tirynthius ore,
Fida ſoror, quænam hunc belli caligine nobis
Congreſſum Fortuna tulit? num regia Iuno
Hoc molita nefas? citius me fulmina contra
Infandum ruere, & magno bellare parenti
Aſpiciat. genus huic (ſed mitto agnoſcere) quando
Tu diuerſa foues. nec ſi ipſum comminus Hylum
Tydeos haſta tui, Stygióque ex orbe remiſſum
Amphitryona petat. teneo, æternúmque tenebo
Quantum hæc diua manus, quoties ſudauerit ægis
Iſta mihi. duris famulus cùm caſibus omnes
Luſtro vagus terras: ipſa heu comes, inuia mecum
Tartara, ni ſuperos Acheron excluderet, iſſes.

Tu patrem, cœlúmque mihi. quis tanta relatu
Aequet? habe rotas, ſi mens excindere, Thebas.
Cedo equidem, veniámque precor, ſic orſus abibat,

FIDA SOROR. nouerca enim ſorori vult Herculem repugnare. SED MITTO AGNOSCERE. ſubaudis, genus huic magnum nobiléque. *ſed* apoſiopeſin fecit. Virgilius. *Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.* COMMINVS HYLVM. Hylus & Amphytrion Herculis & Omphales filii. hic autem Aemon genus Herculis ducit tantum. hoc autem dicit, tanta mihi tui eſt reuerentia, vt contra voluntatem tuam nec pro liberis repugnarem. QVANTVM HAEC. docet poeta ingenio virtutem cedere. nam id ait oratio Herculis blandientis. TV PATREM CAELVMQVE MIHI. dicit ſe Mineruæ auxilio ad cælum vſque perductum, monſtra vincendo.

Pallada mulcet honos, rediítque ardore remiſſo
Vultus, & erecti ſederunt pectoris angues.
Sentit abiſſe deum: leuius Cadmeius Aemon
Tela rotat, nullóque manum cognoſcit in ictu.
Tunc magis, atque magis vires animúſque recedunt,
Nec pudor ire retro, cedentem Acheloius Heros
Impetit, & librans vni ſibi miſſile telum,
Direxit iactus, ſummæ quà margine parmæ
Ima ſedet galea, & iuguli vitalia lucent.
Nec fruſtrata manus, mortémque inuenerat haſta.
Sed prohibet, paulúmque humeri libare ſiniſtri.
Præbuit, & merito parcit Tritonia fratri.
Ille tamen nec ſtare loco, nec comminus ire
Amplius, aut vultus audet perferre cruenti
Tydeos. ægra animo vis, ac fiducia ceſſit.
Qualis ſetigeram Lucana cuſpide frontem
Strictus aper, penitus cui non infoſſa cerebro
Vulnera, nec felix dextræ tenor. in latus iras
Frangit, & expertæ iam non venit obuius haſtæ.

VVLTVS. decor, quem paulo ante ira mutauerat. TELA ROTAT. quia iam Aemon tela irrita iaciebat. IMPETIT. compoſuit ſibi verbum *Impeto te.* VNI SIBI. quod ipſe ſolus poſſit excutere. MARGINE PARMAE. extremitate ſcuti. HVMERI LIBRARE. Perſtringere aut leuiter tangere. IN LATVS IRAS. Horat. *obliquum meditaris ictum.*

Ecce ducem turmæ certa indignatus in hoſtem
Spicula, felici Prothoum torquere lacerto
Turbidus Oenides, vna duo corpora pinu

Cornipedémque, equitémque ferit. ruit ille ruentem
In Prothoum, lapſáſque manu quærentis habenas
In vultus galeam, clypeúmque in pectora calcat.
Saucius extremo donec cum ſanguine frenos
Reſpuit, & iuncta domino ceruice recumbit.
Sic vlmus, vitíſque, duplex iactura coloni
Gaurano de monte cadunt. ſed mœſtior vlmus
Quærit vtrumque nemus, nec tam ſua brachia labens.
Quam gemit aſſuetas, inuitáque proterit vuas.
Sumpſerat in Danaos Heliconius arma Choræbus
Ante comes Muſis, Stygij cui conſcia penſi
Ipſa diu inſpectis letum prædixerat aſtris
Vraniæ. cupit ille tamen, pugnaſque viróſque
Forſitan, vt caneret, longa iacet ipſe canendus
Laude, ſed amiſſum Muſæ fleuere ſorores.

CERTA INDIGNATVS. certa ſpicula mortem peragentia: ſiue quæ poſſent ferire, indignatus Tydeus eſt, Prothoum felici lacerto in hoſtem ſpicula certa torquere. GAVRANO. Gaurus mons Campaniæ, vlmis vitibuſque contextus. VTRVMQVE NEMVS. ſuum & vitis. LETVM PRAEDIXERAT ASTRIS VRANIAE. letum eius Vraniæ prædixerat Muſa, & conſcia mortis eius vicinæ aſtra monſtrauerat.

Pactus Agenoream primis Atys ibat ab annis
Iſmenen. Tyrij iuuenis non aduena belli
Quamuis Cyrrha domus. ſoceros nec triſtibus actis
Aduerſatus erat, ſponſam, cui caſtus amanti
Squallor, & indigni commendat gratia luctus.
Ipſe quoque egregius, nec pectora virginis illi
Diuerſa, inque vicem ſineret Fortuna, placebant:
Bella vetant tedas; iuuenique hinc maior in hoſtes
Ira. ruit primus immixtus & agmina Lernæ
Nunc pedes enſe vago, prenſis nunc celſus habenis
Ceu ſpectetur, agit. triplici velauerat oſtro
Surgentes etiamnum humeros, & leuia mater
Pectora. tunc auro phaleras, auróque ſagittas
Cinguláque, & manicas, ne coniuge vilior iret
Preſſerat, & mixtum cono criſpauerat aurum.
Talibus heu fidens vocat vltro in prælia Graios.
At primùm faciles graſſatus cuſpide turmas

Arma

Arma refert ſociis, & in agmina fida, peracta
Cæde redit. ſic Hircana leo Caſpius umbra
Nudus adhuc, nullóque iubæ flauentis honore
Terribilis, magníque etiamnum ſanguinis inſons,
Haud procul à ſtabulis captat cuſtode remoto
Segne pecus, teneráque famem conſumit in agna.
Mox ignotum armis, ac ſolo corpore menſus
Tydea non timuit. fragilíque laceſſere telo
Sæpius infrendentem aliis, alióſque ſequentem
Auſus erat. tandem inualidos Aetolus ad ictus
Fortè refert oculos, & formidabile ridens,
Iam-dudum video, magnum cupis improbe leti
Nomen ait. ſimul audacem non enſe, nec haſta
Dignatus, leuiter digitis imbelle ſolutis
Abiecit iaculum. latebras tamen inguinis altè
Miſſile, ceu totis intortum viribus hauſit.
Præterit haud dubium fati, & ſpoliare ſuperbit
Oenides; Neque enim has Marti, aut tibi bellica Pallas
Exuuias figemus ait. procul arceat ipſum
Ferre pudor. vix ſi bellum comitata relictis
Deiphile thalamis, illi illudenda tuliſſem.

TRISTIBVS. propter inceſtum & parricidium Oedipi. PLACEBAT. vt ille tranſiret in fœminam, ceu ſpectetur ſic pugnabat, quaſi virtutis ſuæ iudice ſpectare. SVRGENTES. creſcentes. quia adhuc puer erat. CONIVGE. Hiſmene ſcilicet. PRESSERAT. ſculpſerat ſiue cælauerat. TALIBVS. non validis, ſed pulchris. GRASSATVS. extinguendo ſæuiens. SIC HYRCANA VMBRA. Arabicæ ſyluæ. & eſt Arabia inhoſpitalis. vt Virg. *Hyrcanæque admorunt vbera tigres.* CASPIVS. ſubaudis Armenius. MAGNI SANGVINIS. tauri, aut hominis. SOLO CORPORE. non virtute Tydeum permenſus eſt, ſed corporis paruitatem. HAVSIT. penetrauit ſiue percuſſit. HAVD DVBIVM FATI. procul-dubio periturum. ARCEAT IPSVM. ſeipſum dicit pudore tardari. ne ſic turpes delicataſque exuuias de hoſte domum referret. ILLVDENDA. oſtendit arma morientis ita cultu ipſo fuiſſe deformia, vt mulieribus ad illudendum tantummodo apta viderentur.

Sic ait: & belli maiora ad præmia mente
Ducitur. innumeris veluti leo fortè potitus
Cædibus, imbelles vitulos, molléſque iuuencas
Tranſmittit, magno furor eſt in ſanguine mergi,
Nec niſi regnantis ceruice recumbere tauri.
At non ſemianimi clamore Menœcea lapſus
Fallit Atys. præuertit equos currúque citato

Deſilit. inſtabat pubes Tegeæa iacenti,
Nec prohibent Tyrij. pudeat Cadmea iuuentus
Terrigenas mentita patres, quo tenditis, inquit,
Degeneres? meliúſne iacet pro ſanguine noſtro
Hoſpes Atys? tantum hoſtes adhuc, & coniugis vltor
Infelix nondum iſte ſuæ. nos pignora tanta
Prodimus? inſurgunt iuſto firmata pudore
Agmina, cuique ſuæ rediere in pectora curæ.
Interea thalami ſecreta in parte ſorores
Par aliud morum, miſerique innoxia proles
Oedipodæ, varias miſcent ſermone querelas.
Nec mala quæ iuxta, ſed longa ab origine fati,
Hæc matris tedas, oculos aſt illa paternos
Altera regnantem, profugum gemit altera fratrem,
Bella ambæ. grauis hinc miſeri cunctatio voti.
Nutat vtroque timor, quemnam hoc certamine victum,
Quem viciſſe velint. tacitè præponderat exul.
Sic Pandioniæ repetunt vbi fida volucres
Hoſpitia, atque larem bruma pulſante relictum
Stantque ſuper nidos veteriſque exordia fati
Enarrant tectis, & truncum ac flebile murmur
Verba putant. vóxque illa tamen non diſſona verbis.
Atque ibi poſt lachrymas, & longa ſilentia rurſus
Inchoat Iſmene. Quiſnam hic mortalibus error?
Quæ decepta fides? curam inuigilare quieti,
Claráque per ſomnos animis ſimulacra reuerti:
Ecce ego quæ thalamos, nec ſi pax alta maneret
Tractarem ſenſu, (pudet heu) connubia vidi
Nocte ſoror. Sponſum vnde mihi ſopor intulit amens
Vix notum viſu? ſemel his in ſedibus illum
Dum mea neſcio quo ſpondentur fœdera pacto
Reſpexi non ſponte ſoror. turbata repente
Omnia cernebam. ſubitúſque intercidit ignis.
Méque ſequebatur rabido clamore repoſcens
Mater Atyn. quænam hæc dubiæ præſagia cladis?
Nec timeo dum tuta domus, miléſque recedat
Doricus, & tumidos liceat componere fratres.

FALLIT ATYS. ordo, lapſus Atys non fallit Menœcea. clamore ſemianimi. NEC PROHIBENT TYRII. Spoliabant Atys cadauer Arcades, nec repugnabant Thebani. TERRIGENAS MENTITA. qui degeneratis à genere Adraſti,& illorum virtute, qui dicuntur, draconis dentibus ſatis, de terra progeniti. PIGNORA TANTA. Coniuges liberóſque. INNOXIA PROLES. diſſimiles fratribus. NEC MALA. id eſt, bella præſentia. NVTAT. dubitabant germanæ, cui magis fratrum timerent. SIC PANDIONIAE. hoc dicit propter Prognem & Philomelam, quæ filiæ Syri* erant Pandionis,ac per hoc moribus bonis eruditæ: quæ ſe non oderant,vt alibi. *hinc atque hinc natæ melior iam ſexus.* ad mores rettulit *meliorem ſexum*, non ad naturam. EXVL. Polynici tanquam exuli plus fauebant. MVRMVR. confuſus ſonitus lachrymantium, & ſine ſignificatione verborum. QVAE DECEPTA FIDES. fides eſt in ſomniis qua vidimus decepta, quia falſa ſunt quæ vidimus. TRACTAREM SENSV. Excuſaum* quod illa videre dicimus in ſomnis, quæ habeamus in voto. NESCIO QVO. eleganter expreſſit affectum virginis poeta: dicit ſe nuptiarum ordinem ignorare. NON SPONTE SOROR. dicit ſe caſu aberrantibus reſpexiſſe oculis.

Talia iactabant, ſubito cùm pigra tumultu
Expauit domus, & multo ſudore receptus
Fertur Atys,ſeruans animam iam ſanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida ceruix
Exterior clypeo. crinéſque à fronte ſupini.
Prima videt, carámque tremens Iocaſta vocabat
Iſmenen. namque hoc ſolum moribunda precatur
Vox generi. ſolum hoc gelidis iam nomen inerrat
Faucibus. exclamant famulæ, tollebat in ora
Virgo manus. tenuit ſæuus pudor. attamen ire
Cogitur, indulget ſummum hoc Iocaſta iacenti.
Oſtenditque, offertque quater: iam morte ſub ipſa
Ad nomen viſus, deiectáque fortiter ora
Suſtulit. illam vnam neglecto lumine cœli
Aſpicit, & vultu non exſatiatur amato.
Tunc quia nec genitrix iuxta, poſitúſque beata
Morte pater, ſponſæ munus miſerabile tradunt,
Declinare genas. ibi demum teſte remoto
Faſſa pios gemitus, lachrymáſque in lumina fudit.

RECEPTVS. ab hoſtibus liberatus. CLYPEO. nam ſuper clypeum ferebatur. SAEVVS PVDOR. qui officium prohibebat. SVMMVM. vltimum. FORTITER ORA. cum ei diceretur præſens eſſe Hiſmene eius ſponſa. BEATA MORTE. qua faciente funus filii non potuit cernere.

Dúmque ea per Thebas aliis ſerpentibus ardens,
Et face mutata bellum integrabat Enyo,

Arma volant, primoſque veluti modò comminus ictus
Suſtulerint, omníſque etiamnum luceat enſis,
Eminet Oenides, quamuis & arundine certa
Parthenopæus agat, morientúmque ora furenti
Hippomedon proculcet equo, Capaneáque pinus
Iam procul Aoniis volet agnoſcenda cateruis.
Tydeos illa dies. illum fugiúntque, tremúntque,
Clamantem: Quo terga datis? licet ecce peremptos
Vlciſci ſocios, mœſtámque rependere noctem.
Ille ego inexpletus ſolus qui cædibus hauſi
Quinquaginta animas, totidem, totidémque gregatim
Ferte manus. nullíne patres, nullíque tacentum
Vnanimes fratres? quæ tanta obliuia luctus?
Quàm pudet Inachias contemptum abiiſſe Mycenas?
Hinc ſuper Thebis? hæc robora regis? vbi autem
Egregius dux ille mihi? ſimul ordine læuo
Ipſum exhortantem cunctos, capitíſque ſuperbi
Inſignem fulgore videt. nec ſegnius ardens
Accurrit, niueo quàm flammiger ales olori
Imminet, & magna trepidum circumligat vmbra.

Aliis serpentibus. recentioribus, quaſi primi defeciſſent. Lvceat ensis. quaſi purus ſanguine illum fugiunt; Tydea ſcilicet, quem acriter cuncti formidabant. Rependere noctem. reſtituere, in qua quinquaginta inſidiantes ſibi Thebanos occiderat. Inexpletis. pro inexplebilis ad cædem tranſtulit: vel quod ad ſuum animum pertinebat, quem Thebanorum cæde contentum tantorum. vbi autem ſic dixit, quaſi in recordationem nominis illius caſu inciderit. Fvlgore. ornamento diadematis regii. Flammiger ales. aquilam dixit, quæ Iouis fulminibus ſeruit.

Tunc prior. Aoniæ rex ô iuſtiſſime gentis,
Imus in arma palàm, tandémque oſtendimus enſes?
An noctem, & ſolitas placet expectare tenebras?
Ille nihil contra. ſed ſtridula cornus in hoſtem
It referens mandata ducis. quam prouidus heros
Iam iam in fine viæ percuſſam obliquat, & ipſe
Telum ingens auidè, & quanto non ante lacerto
Impulit: ibat atrox finem impoſitura duello
Lancea. conuertêre oculos vtrinque fauentes
Sidonij Graiíque dei, crudelis Erinnys.

Obſtat, & infando differt Etheoclea fratri.
Cuſpis in armigerum Phlegyam peccauit. vbi ingens
Pugna virûm. ſtricto nam ſæuior irruit enſe
AEtolus, retróque datum Thebana regebant
Arma ducem. ſic denſa lupum iam nocte ſub atra
Arcet ab oppreſſo paſtorum turba iuuenco:
Improbus erigitur contra, nec cura vetantes
Impetere, illum illum ſemel in quem venerat, vrget.
Non ſecus obiectas acies, turbámque minorem
Diſſimulat, tranſitque manu. tamen ora Thoantis
Pectora Deilochi, Clonij latus, ilia torui
Perforat Hippotadæ. truncis ſua membra remittit,
Interdum galeáſque rotat per nubila plenas.

In arma palam. tangit illud quod occulte illi inſidiatus eſt, & dicit, ſe aperta luce virili modo velle confligere. Peccant. elocutio ſpecioſiſſima, quæ hoc ſignificat: cuſpis miſſa in Etheoclem, peccauit in perniciem Phlegiæ, quem percuſſit. Nocte ſub atra. in qua eſt molitus occidere. Illum. iuuencum. Ilia torui. Ad mortem tot homines, quot membra ſunt.

Et iam corporibus ſeſe, ſpoliíſque cadentum
Clauſerat, vnum acies circum conſumitur, vnum
Omnia tela vouent. ſummis hæc oſſibus hærent,
Pars fruſtrata cadunt, partem Tritonia vellit,
Multa rigent clypeo. denſis iam conſitus haſtis
Ferratum quatit vmbo nemus, tergóque fatiſcit
Atque humeris gentilis aper: nuſquam ardua coni
Gloria, quippe apicem toruæ Gradiuus habebat
Caſſidis. haud lætum domino ruit omen. inuſta
Temporibus nuda æra ſedent. circúmque ſonori
Vertice percuſſo, voluuntur in arma molares.
Iam cruor in galea, iam ſaucia proluit ater
Pectora, permixtus ſudore & ſanguine, torrens.
Reſpicit hortantes ſocios, & Pallada fidam
Longiùs oppoſita cælantem lumina parma.
Ibat enim magnum lachrymis inflectere patrem.
Ecce ſecat Zephyros, ingentem fraxinus iram
Fortunámque ferens, teli non eminet author.
Aſtacides Menalippus erat. nec prodidit ipſe,

Et vellet latuiſſe manum. ſed gaudia turmæ
Monſtrabant trepidum. nam flexus in ilia Tydeus
Submiſſum latus, & clypei laxauerat orbem.
Clamorem Aonij tollunt, gemitúmque Pelaſgi,
Obiectántque manus, indignantémque tuentur.
Ille per oppoſitos, longè rimatus, amarum
Aſtaciden, totis animæ ſe cogit in ictum
Relliquiis, telúmque iacit, quod proximus Hopleus
Præbuerat, perit expreſſus conamine ſanguis.

GENTILIS APER. de ea gente vnde Tydeus fuerat. id eſt Calydonius, qui à Meleagro occiſus eſt. & hic *aprum* pro pelle poſuit. GRADIVVS. in catalogo, cum arma ipſius poeta deſcriberet, ait: *Patrius ſtat caßide Mauors.* NVSQVAM ARDVA CONI GLORIA. Decuſſo coni ornatu nudato vertice, impreſſiſque fragmentis galeæ, oſſa ſunt capitis calefacta. vt Virgil. *Et galeæ fragmenta caua compreſſa perurunt tempora.* VOLVVNTVR IN ARMA. de capite in ſcuta cadebant. SANGVINE TORRENS. fluuium fecerat ſudoris & ſanguinis. LVMINA PARMA. quia erubeſcebat Minerua facere virtutem. NON EMINET AVCTOR. non eſt auſus gloriari Menalippus, ſe auctore interemptum Tydea. ASTACYDIS MISSOS. lanceæ hic deſcriptio, & ex inſidiis Menalippi iaculantis. PER OPPOSITOS. eum intuentes. PERIT EXPRESSVS. Lucan. *Hoſtilem dum torſerit exeat haſtam.*

Tunc triſtes ſocij cupidum bellare, (quis ardor!)
Et poſcentem haſtas, mediáque in morte negantem
Expirare, trahunt, ſummíque in margine campi
Effultum, gemina latera inclinantia parma
Ponunt, ac ſæui rediturum ad prælia Martis
Promittunt flentes. ſed & ipſe recedere cælum,
Ingentéſque animos extremo frigore labi
Senſit, & innixus terræ, Miſereſcite, clamat,
Inachidæ. non oſſa precor referantur vt Argos,
AEtolúmue larem. neque enim mihi cura ſupremi
Funeris. odi artus, fragilémque hunc corporis vſum
Deſertorem animi. caput ô, caput ô, mihi ſi quis
Adportet Menalippe tuum, nam volueris aruis,
Fido equidem. nec me virtus ſupremá feſellit.
I precor Atrei ſi quid tibi ſanguinis vnquam
Hippomedon. vade O primis puer inclyte bellis
Arcas, & Argolicæ Capaneu iam maxime turmæ.

QVIS ARDOR. exclamatio per interpoſitionem. RECIDERE COELVM. ad opinionem rettulit morientium. NON OSSA PRECOR. non quæro, vt membra mea hono-

rent patriam ſepulturam. non vt oſſa tumulo humata ſeruentur. Odi enim corpus, quod ſpiritum virorum fortium pugnantium deſerit. Fefellit. ſcio enim me certa in Menalippum tela torſiſſe. Atrei. Argiui. Hippomedon. maritus Nealcis, Adraſti filius. Arcas. quia Tydeo iubente hunc ſecundum, primum Partenopæum fuiſſe conſtabat.

Moti omnes. ſed primus abit, primúſque repertum
Aſtaciden medio Capaneus è puluere tollit
Spirantem, leuáque ſuper ceruice reportat,
Terga cruentantem concuſſi vulneris vnda.
Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
Captiuumque ſuem clamantibus intulit Argis.
Erigitur Tydeus, vultúque occurrit & amens
Lætitiáque, iráque, vt ſingultantia vidit
Ora, trahique oculos, ſeſéque agnouit in illo:
Imperat abſciſſum porgi, leuáque receptum
Spectat atrox hoſtile caput, gliſcitque tepentis
Lumina torua videns, & adhuc dubitantia figi,
Infelix contentus erat. plus exigit vltrix
Tiſiphone. iamque inflexo Tritonia patre
Venerat, & miſero decus immortale ferebat.
Atque illum effractis perfuſum tabe cerebri
Aſpicit, & viuo ſcelerantem ſanguine fauces.
(Nec comites auferre valent.) ſtetit aſpera Gorgon
Crinibus emiſſis, rectique ante ora Ceraſtæ
Velauere deam. fugit auerſata iacentem
Nec prius aſtra ſubit, quàm myſtica lampas, & inſons
Elyſos multa purgauit lumina lympha.

Clamantibus. cum admiratione fauentibus. Vultuque occurrit. quia recentus vulnere toto, non potuit corpore ſubleuari. Agnovit in illo. tam illum expirantem animam, quam ſe. Gliscit. iraſcendo in maius accenditur. Dubitantia figi. quia his quibus mors recens eſt, oculi videntur errare. Nec comites auferre valent. non valent Tydeo caput tollere Menalippi. Lampas. ſcelera enim viſa aut igni, aut aqua purgantur. Elysos. fluuius eſt.

EXPLICIT

Thebaidos liber octavus.

ARGVMENTVM
LIBRI NONI
THEBAIDOS.

OEneidæ interitu magni Dyrcea iuuentus
Eminet: at Danai contra pro corpore amici
Arma ferunt. furit ante alios Cadmeius heros.
Hic ferus Hippomedō hoſtes proſternit: & inſtat
Exanimum rapiens ſocium. ſed imagine falſa
Luditur. Aonii incumbunt, retrahuntque cadauer.
Tum Hiſmenon fluuium Thebano ſanguine mutat
Feruidus Hippomedon. tumidoque in gurgite merſus
Creneam obtrumcat, moriens ſimul increpat amnem.
Moxque Dryas mortis ſtimulis rapit arma ſuperbus,
Parthenopæum ſternit iacentia tela Dianæ:
Ille cadens Dorceum alloquitur, matremque requirit.

INTERPRETATIO.

ETheoclis allocutio, hortantis exercitum vt rapiant corpus Tydei. nuncius mortis Tydei ad Polynicen, & eius lamentatio vel allocutio Hippomedontis: pro cadauere Tydei dimicatio. factio Furiæ auertentis Hippomedontem a defenſione cadaueris. Oblatio ipſius cadaueris. allocutio Hippomedontis ad equum Tydei, & eius pugnæ diuerſæ in Hiſmeno flumine: cuius, cum nepotem occidiſſet nomine Creneum, matre lamentante & conquerente, commotus fluuius cœpit contra Hippomedontem vndas mouere. mors equi Tydei. pedeſtre certamen Hippomedontis in fluuio. conqueſtio Hippomedontis, quod in fluuio moreretur. Iunonis apud Iouem de hac re querela. mors Hippomedontis. mors Hypſei. Hiſmenii fluminis, ducis Thebani, ſomnium. Atalantis preſagium, de morte filij Parthenopæi. deploratio eius in templo Dianæ. profectio ad auxilium Parthenopæi. Occurſus Appollinis: & de eius morte vaticinatio. aduentus deæ ad Thebas: & quibus artibus tutata ſit puerum. Indignatio matris contra Dianam, Venere ſtimulante. Dryantis electio. mors Parthenopei, cum allocutione ad Orchedum cuſtodem ſuum.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER NONVS Incipit.

ASPERAT Aonios rabies audita cruenti
Tydeos. ipſi etiam minus ingemuere iacentem
Inachidæ, culpantque virum, & rupiſſe queruntur
Fas odij. quin te diuum implacidiſsime, quanquã
Præcipuum tunc cædis opus Gradiue furebas,
Offenſum virtute ferunt. nec comminus ipſum
Ora, ſed & trepidos retro torſiſſe iugales.
Ergo profanatum Menalippi funus acerbo
Vulnere, non aliis vltum Cadmeia pubes
Inſurgunt ſtimulis, quàm ſi turbata ſepulchris
Oſſa patrum, monſtriſque datæ crudelibus vrnæ.

PLACIDI LACTANTII INTERPRETATIO.

ASPERAT AONIOS RABIES AVDITA CRVENTI. Tydeus crudelitatis arguitur, quia caput hoſtis moribundus abſumpſit. FAS ODII. quod vltra fas & illicita crudelitate in mortui hominis cadauer ita fuerit. RETRO TORSISSE IVGALES. Tanta crudelitas in ſcelere Tydei fuit: vt etiam cruentum numen nefas horruerit. VRNAE. vaſa in quibus mortuorum oſſa conduntur.

Accendit rex ipſe ſuper, quiſquámne Pelaſgis
Mitis adhuc? homineḿque gerit iam morſibus vncis

(Prò furor! vſque adcò tela exaturauimus?) artus
Dilacerant. nónne Hircanis bellare putatis
Tigribus? aut ſæuos Libyæ contraire leones?
Et nunc ille iacet (pulchra ô ſolatia leti)
Ore tenens hoſtile caput, dulcique nefandus
Immoritur tabo. nos ferrum mite, facéſque:
Illis nuda odia, & feritas iam non eget armis.
Sic peragant rabidi, claráque hac luce fruantur
Dum videas hæc ſumme pater. ſed enim hiſcere campos
Congueſti; terræque fugam mirantur, an iſtos
Vel ſua portet humus? magno ſic fatus agebat
Procurſu, fremitúque viros. furor omnibus idem
Tydeos inuiſi ſpoliis, raptóque potiri
Corpore. non aliter ſubtexunt aſtra cateruæ
Inceſtarum auium, longè quibus aura nocentem
Aera deſertáſque tulit ſine funere mortes.
Illò auidæ cùm voce ruunt. ſonat arduus æther
Plauſibus, & cælo volucres ceſſere minores.

Solatia lethi. Ironicôs. id eſt, pulchri, pro crudelis. Ferrvm facesqve Tenemus ſubaudi. Fvgam. id eſt hiatum terræ. Hvmvs. ſolum patriæ ſuæ. Incestarvm avivm. humano ſanguine pollutarum: ſiue quia cadauera eminus ſentiunt. Avra nocentem. id eſt mortibus vitiatam. vt Lucanus. *Aera non ſanum motum cadauera ſentit.* Sine fvnere. id eſt ſine mortis officio.

Fama per Aonium rapido vaga murmure campum
Spargitur in turmas, ſolito pernicior index
Cùm lugenda refert. donec cui maxima fando
Damna vehit, trepidas lapſa eſt Polynicis ad aures.
Diriguit iuuenis, lachrymæque hæſere paratæ,
Et cunctata fides, nimium nam cognita Virtus
Oenidæ, credi letum ſuadetque, vetatque.
Sed poſtquam haud dubio clades authore reperta eſt:
Nox oculos, mentémque rapit. tum ſanguine fixo
Membra ſimul, ſimul arma ruunt. madet ardua fletu
Iam galea, atque ocreæ clypeum excepêre cadentem.
It mœſtus genua ægra trahens, haſtámque ſequentem
Vulneribus ſeu mille grauis, totóſque per artus
Saucius. aſſiſtunt ſocij, monſtrantq; gementes.

Tandem ille abiectis, vix quæ portauerat, armis
Nudus in egregij vacuum iam corpus amici
Procidit, & tali lachrymas cum voce profudit.
Háſne tibi armorum ſpes ô ſuprema meorum
Oeníde grates? hæc præmia digna rependi?
Nudus vt inuiſa Cadmi tellure iaceres
Soſpite me? nunc exul ego, æternúmque fugatus
Quando alius miſero, ac melior mihi frater ademptus.
Nec iam ſortitus veteres, regnique nocentis
Periurum diadema peto. quò gaudia tanti
Empta mihi? aut ſceptrum quod non tua dextera tradet?
Ite viri, ſolúmque fero me linquite fratri.
Nil opus arma vltra tentare, & perdere mortes:
Ite precor. quid iam dabitus mihi denique maius?
Tydea conſumpſi. quanam hunc ego morte piabo?
O ſocer, O Argi. & primæ bona iurgia noctis,
Alternæque manus, & longi pignus amoris
Ira breuis. non me enſe tuo tunc, maxime Tydeu,
(Et poteras) noſtri mactaſti in limine Adraſti?
Quin etiam Thebas me propter, & impia fratris
Tecta libens, vnde haud alius remeaſſet, adiſti:
Ceu tibimet ſceptra, & proprios laturus honores.
Iam Telamona pium, iam Theſea fama tacebat.
Qualis & ecce iaces? quæ primùm vulnera mirer?
Quis tuus hic, quis ab hoſte cruor? quæ te agmina? quíue
Innumeri ſtrauere globi? ni fallor, & ipſe
Inuidit pater, & tota Mars impulit haſta.

SVADETQVE. Suadere vult quod nimia virtus faciat ſemper incautos: ſiue illud magis aſſerit, quod interdum nimia virtus conſilio careat. THELAMONA. hic Melæagrum dicitur vnicè dilexiſſe, vt Theſeus Perithoum. QVIS CRVOR. quantus, quia & ſanguine Tydei fuerat aſperſus. INVIDIT PATER. tantæ virtutis vult oſtendere Tydeum fuiſſe, vt etiam patris ſui Martis tangeretur inuidia.

Sic ait, & mœrens etiamnum lubrica tabo
Ora viri tergit lachrymis, dextrámque reponit.
Túne meos hoſtes hucuſque exoſus? & vltra
Soſpes ego? exuerat vagina turbidus enſem,
Aptabátque neci: comites tenuere, ſocérque

Caſtigat, bellíque vices, ac fata reuoluens
Solatur tumidum, longéque à corpore caro
Paulatim vnde dolor, letíque animoſa voluntas
Amouet, ac tacitè ferrum inter verba reponit.
Ducitur, amiſſo qualis conſorte laborum
Deſerit inceptum media inter iugera ſulcum
Taurus iners, collóque iugum deforme remiſſo
Parte trahit, partem lachrymans ſuſtentat arator.
Ecce autem hortatus Etheoclis, & arma ſecuti
Lecta manus, iuuenes, quos nec Tritonia bello,
Nec prope collata ſpreuiſſet cuſpide Mauors
Aduentant. contra collecta vt pectora parmæ
Fixerat, atque haſtam longè protenderat, hæret.
Arduus Hippomedon. ceu fluctibus obuia rupes,
Cui neque de cœlo metus, & fracta æquora cædunt:
Stat cunctis immota minis. timet ipſe rigentem
Pontus, & ex alto miſeræ nouere carinæ.
Tunc prior Aonides validam ſimul elicit haſtam.

HVCVSQVE. vſque adeone fuerit, vt inimicos dentibus ſuis aſſumeret. VLTRO HOSPES EGO. tibi ſuperſtes ſum. cum exprobatione dicitur. vt Virgil. *Morte tua viuo.* COLLATA. ſub ſcuto curuata. FIXERAT. inhæſerat. DE COELO METVS. Tempeſtatum cauſa. RIGENTEM. durum. SIMVL ELICIT HASTAM. ſimul & verba profert, & ictus præparat Etheocles.

Non pudet hos Manes? hoc infamantia bellum
Funera, diis coram, & cœlo inſpectante tueri?
Scilicet egregius ſudor, memorandáque Virtus,
Hanc tumulare feram? nec non mœrentibus Argos
Exequiis lachrymandus eat? mollique pheretro
Infandam eiectans ſaniem? dimittite curam.
Nullæ illum volucres, nulla impia monſtra, nec ipſe
Si demus, pius ignis edat, nec plura. ſed ingens
Intorquet iaculum, duro quod in ære moratum,
Tranſmiſſumque tamen clypei ſtetit orbe ſecundo.
Inde Pheres, acérque Lycus. ſed caſſa Pheretis
Haſta redit, Lycus excelſo terrore comantem
Perſtrinxit galeam. conuulſæ cuſpide longè
Diffugêre iubæ, patuítque ingloria caſſis.

Ipſe nec ire retro, nec in obuia concitus arma
Exilit. inque eadem ſeſe veſtigia ſemper
Obuerſus cunctis profert, recipitque, nec vnquam
Longius indulget dextræ, motúſque per omnes
Corpus amat. corpus ſeruans, circúmque, ſupráque
Vertitur. imbellem non ſic amplexa iuuencum
Infeſtante lupo. cùm primùm fœta tuetur
Mater, & ancipiti circunfert cornua gyro.
Ipſa nihil metuens, ſexúſque oblita minoris
Spumat, & ingentes imitatur fœmina tauros.
Tandem intermiſſa iaculantum nube poteſtas
Reddere tela fuit. namque & Sycionius Alcon
Venerat auxilio, Piſæaque præpetis Idæ
Turba ſubit, cuneúmque replent. his fretus, in hoſtes
Lernæam iacit ipſe trabem. volat illa ſagittis
Æqua fuga mediúmque nihil cunctata Polytem
Tranſabit, & iuncti clipeum cauat improba Mopſi.
Phocea tunc Cydona, Tanagreúmque Phalantum,
Atque Ericem, hunc retro conuerſum, & tela petentem
Dum ſpes nulla necis, crinito à vertice figit.
Faucibus ille cauis haſtam non ore receptam
Miratur moriens, paritérque & murmure plenus
Sanguis, & expulſi ſalierunt cuſpide dentes.

NON PVDET HOS MANES. id eſt cadauer intueri. NVLLA IMPIA MONSTRA. ita Tydeum Menalippi cadauere funeſtatum dicit, vt corpus eius horreant etiam feræ conſumere. ORBE SECVNDO. Clypei: oſtendit non vnius tegminis Hippomedontis ſcutum fuiſſe. EXCELSO TERRORE. pro excelſi terroris. INGLORIA. indecora. RECIPIT. irruit in hoſtes, recipiſque ſe. CVM PRIMVM FOETA. in primo enim partu maior eſt affectio fœtus. REDDERE TELA. in ſe ab hoſtibus miſſa in ipſos iterum retorquere. PRAEPETIS. aut altiſſime poſuit volantis. Virgil. *Quem præpes ab Ida ſublimem rapuit.* aut certe augurem ſequentis. CVNCTATA. morata. PHOCEA. de Phocea regione. TANAGREVM. Arcadium. SPES. pro metu.

Auſus erat furto dextram iniectare Leonteus
Pone viros atque arma latens. poſitúmque trahebat
Prenſo crine caput. vidit, quanquam vndique crebræ
Hippomedon ante ora minæ. ſæuóque proteruam
Abſtulit enſe manum; ſimul increpat; Hanc tibi Tydeus
Tydeus ipſe rapit. poſt & confecta virorum

Fata time, magnóque miſer fuge tangere manes.
Ter Cadmæa phalanx toruum abduxere cadauer,
Terque trahunt Danai: Siculi velut anxia puppis
Seditione maris, nequicquam obſtante magiſtro
Errat, & aduerſo redit in veſtigia velo.
Non ibi Sidoniæ valuiſſent pellere cœpto
Hippomedonta manus. non illum impacta mouerent
Tormenta oppoſitum, formidatique ſuperbis
Turribus impulſus tentato vmbone rediſſent.
Sed memor Elyſii regis, noxáſque retexens
Tydeos, in medios aſtu ſubit impia campos
Tiſiphone. ſenſere acies, ſubitúſque cucurrit
Sudor equis, ſudórque viris: quamquam ore remiſſo
Inachium fingebat Halym, nuſquam impius ignis,
Verberáque, & iuſsi tenuere ſilentia crines.
Arma gerit, iuxtáque feri latus Hippomedontis
Blanda genas, vocémque venit. tamen ille loquentis
Extimuit vultus, admiratúrque timorem.
Ille autem lachrymans, tu nunc ait inclyte fruſtra
Exanimes ſocios, inhumatáque corpora Graium,
(Scilicet his nobis metus? aut iam cura ſepulchri?)
Protegis, ipſe manu Tyria iam captus Adraſtus
Raptatur, téque ante alios, te voce, manúque
Inuocat. heu qualem verſare in ſanguine vidi
Exutum canos lacero diademate crines.
Nec procul hinc, aduerte oculos. vbi plurimus ille
Puluis, ubi ille globus. paulum ſtetit anxius Heros,
Librabátque metus. premit aſpera virgo. quid hæres?
Imus? an hi retinent manes? & vilior ille
Qui ſupereſt? miſerum ſociis opus, & ſua mandat
Prælia, & vnanimi vadit deſertor amici
Reſpiciens tamen, & reuocent ſi fortè, paratus.

Prehenso crine capvt. id eſt, Tydei cadauer. Minas. terrores hoſtium. Sed memor Elysii. qui ſcelera ſolet vlciſci. non enim excederant Tiſiphones animo ſcelera, quæ Tydeus parricidiq; perpetrarat: ſiue quod nuper Menalippi caput aſſumpſerat. Tenvere silentia. Furiarum nullis crinibus ſibilarunt angues. Blanda genas, non horrore terribilis. Admiratvrqve: quia latebat cauſa, mirabatur in ſe Hippomedon timorem. Librabatqve metvs. dubitabat cui magis, Tydei cadaueri an Adraſto ſubueniret. Revocent. vtrum ſe ſocii ſui validi reuocent à protegendo Tydei cadauere.

Inde legens turbata trucis veſtigia diuæ,
Huc illuc fruſtra ruit auius. impia donec
Eumenis ex oculis, reiectâ cœrula parma
Fugit, & innumeri galeam rupere ceraſtæ.
Aſpicit infelix diſcuſſa nube quietos
Inachidas, currúmque nihil metuentis Adraſti.
Et Tyrij iam corpus habent. iam gaudia magna
Teſtantur voces. victórque vlulatus inerat
Auribus, occultóque ferit præcordia luctu.
Ducitur hoſtili (pró dura potentia fati)
Tydeus ille ſolo, modò cui Thebana ſequenti
Agmina, ſiue gradum, ſeu frena effunderet, ingens
Limes vtrinque datus: nuſquam arma, manúſque quieſcunt,
Nulla viri feritas. iuuat ora rigentia leto,
Et formidatos impunè laceſſere vultus.
Hic amor, hoc vnà timidi, fortéſque ſequuntur
Nobilitare manus. infeſtáque ſanguine tela
Coniugibus ſeruant, paruiſque oſtendere natis.
Sic vbi Maura diu populatum rura leonem,
Quem propter clauſíque greges, vigilántque magiſtri,
Paſtorum laſſæ debellauere cohortes:
Gaudet ager, magno ſubeunt clamore coloni.
Præcerpúntque iubas, immaniáque ora recludunt,
Damnáque commemorant. ſeu iam ſub culmine fixus
Excubat, antiquo ſeu pendet gloria luco.

Cerastae. quando ab armato milite in priorem transfigurata eſt formam Victorque vlvlatvs. quia eſt luctus & lætitiæ vlulatus. vt Virgil. *Summóque vlularunt vertice Nymphæ* Praecordia. exclamatio per interpoſitionem. Limes. ſiue equiti ſiue pediti via dabatur Tydeo à fugientibus hoſtibus. Impvne lacessere. delectabat Thebanos ſecure inſultare cadaueri. Gloria lvco. de venatione gloria, aut de feræ magnitudine. Luco vero aut Dianæ, aut Siluani alia ſunt quæ figuntur, alia quæ à paſtoribus templorum tholis ſuſpenduntur. dentes & cornua figuntur, pelles & alia ſuſpenduntur. vt Virgil. *Suſpendíue tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.*

At ferus Hippomedon quanquam iam ſentit inane
Auxilium, & ſeram rapto pro corpore pugnam,
It tamen, & cæcum rotat irreuocabilis enſem.
Vix ſocios, hoſtémque nihil dum tardet euntem
Secernens. ſed cæde noua iam lubrica tellus

Armáque, ſeminecéſque viri, currúſque ſoluti
Impediunt. leuúmque femur, quod cuſpide fixum
Regis Echionij, ſeu diſſimulauerat ardens,
Siue ibi neſcierat. mœſtum videt Hoplea tandem.
Tydeos hic magni fidus comes, & modò fruſtra
Armiger. alipedem prona ceruice tenebat
Fatorum ignarum domini, ſolúmque frementem
Quod vacet, inque acies audentior ille pedeſtres.
Hunc aſpernantem tumido noua pondera tergo
(Vnam quippe manum domitis expertus ab annis)
Corripit, affatúrque. quid ó noua iuſſa recuſas
Infelix ſonipes? nuſquam tibi dulce ſuperbi
Regis onus: non iam Aetolo ſatiabere campo,
Gaudentémque iubam per ſtagna Acheloia ſolues.
Quod ſupereſt, caros i ſaltem vlciſcere manes,
Aut ſequere, extorrem neu tu quoque læſeris vmbram
Captiuus. tumidúmque equitem poſt Tydea portes.
Audiſſe, accenſúmque putes, hoc fulmine raptum
Abſtulit, & ſimiles minus indignatur habenas.
Semifer aëria talis Centaurus ab Oſſa
Deſilit in valles, ipſum nemora alta tremiſcunt,
Campus equum. trepidi curſu glomerantur anhelo
Labdacidæ, premit ille ſuper, inopináque ferro
Colla metens, linquit truncos poſt terga cadentes.

Solvti. aut fracti, aut à frenis liberi. Impedivnt. retardant. Femvr. Hippomedontis ſc. regis Echionii. Supra enim de telo Etheoclis dixit, fœmur Hippomedontis fuiſſe transfixum, quod in aere moratum tranſmiſſúmque tantum. Frementem. poetis licet equis humanos ſenſus dare. dicit ergo poeta equum Tydei doluiſſe mortem domini. vt Virgil. *Poſt bellator equus poſitis inſignibus Aethon, it lachrymans.*

Avdentior. fretus Hoppleus auxilio equi audebat hoſtiles peditum cateruas impetere. Novo pondera. Hippomedonta. Satiabere campo. curſu vel paſtu. Extorrem. in exilio degentem, quaſi cuius vmbra careat patria ſepultura. Nev tv qvoqve. vt eum ego relinquens læſi manes Tydei. Fvlmine raptvm. intelligi vult poeta exhortationes Hippomedontis equum ſenſiſſe, cum fingit eum in vindictam domini tantæ velocitatis nimietate correptum. Similes habenas. non impares domini viribus. *habenas* enim pro rectore poſuit. Ipsvm. partem Centauri, quæ hominem præfert. Campvs. ſubaudis tremiſcit equinam partem ſemiferi. Ille svper. Hippomedon. Nec opina. quia maxima celeritate & ſubito, nec opinantes oppreſſit. Post terga cadentes. tanta celeritate fugientibus abſciderat capita, vt eo tranſeunte occiſorum caderent corpora.

Ventum

Ventum erat ad fluuium, ſolito tunc plenior alueo,
Signa mali, magna ſe mole Iſmenos agebat.
Illa Breuis requies, illo timida agmina laſſam
De campis egere fugam. ſtupet hoſpita belli
Vnda viros, claráque armorum incenditur vmbra.
Inſiluere vadis. magnoque fragore ſolutus
Agger, & aduerſæ latuerunt puluere ripæ.
Ille quoque hoſtiles ſaltu maiore per vndas
Irruit attonitis (longum dimittere habenas)
Sicut erat, tantùm viridi defixa parumper
Ceſpite populeo commendat ſpicula trunco.
Tunc verò exanimes tradunt rapientibus vltro
Arma vadis. alij demiſſa caſſide quantum
Tendere conatus animæ valuere ſub vndis,
Turpe latent. multi fluuium tranſmittere nando
Aggreſſi, ſed vincla tenent. laterique repugnat
Balteus, & madidus deducit pectora thorax.

SIGNA MALI. interpoſitio eſt. id eſt, hæc erant indicia de Hippomedontis exitu. ILLA BREVIS REQVIES. mora fluuii fugientibus Thebanis, & tardationis Hippomedontis paruam requiem tribuit. HOSPITA BELLI. noua cladibus, quæ adhuc fuerat nullo belli cruore fuſcata. ADVERSAE. contra poſitæ. ATTONITIS. Thebanis. LONGVM. interpoſitio à mora. SICVT ERAT. id eſt armatus. COMMENDAT SPICVLA. ſua ſcilicet, ne eum in flumine impedirent. SVB VNDIS. hoc eſt quantum poterant eorum ſpiritus ſub vndis durare. Lucan *Animam ſeruare ſub vndis.* TVRPE LATENT. pro turpiter cælantur. SED VINCLA TENENT. calciamentorum ſtricturæ. DEDVCIT PECTORA. mergit aut trahit fluminis alueo.

Qualis cœruleis tumido ſub gurgite terror
Piſcibus, arcani quoties deuexa profundi
Scrutantem delphina vident. fugit omnis in imos
Turba lacus, viridéſque metu ſtipantur in algas.
Nec prius emerſi quàm ſumma per æquora flexus
Eminet, & viſis malit certare carinis.
Talis agit ſparſos, mediiſque in fluctibus heros
Frena manu pariter, pariter regit arma, pedúmque
Remigio ſuſtentat equum. conſuetáque campo
Fluctuat, & merſas leuis vngula quærit arenas.
Sternit Hyona Chromis, Chromin Antiphus, Antiphō Hypſeus,
Hypſeus Aſtiagen. euaſurúmque relicto

Amne Linum, ni fata vetent & ſtamine primo
Ablatum tellure mori, premit agmina Thebes
Hippomedon. turbat Danaos Aſopius Hypſeus,
Amnis vtrumque timet. craſſo vada mutat vterque
Sanguine, & à fluuio neutri fatale reuerti.
Iam laceri pronis voluuntur curſibus artus
Oráque, & abſciſæ redeunt in pectora dextræ.
Spicula iam clypeóſque leues, arcúſque remiſſos
Vnda vehit, galeáſque vetant deſcendere criſtæ.
Summa vagis latè ſternuntur flumina telis,
Ima viris. illic luctantur corpora leto,
Efflantéſque animas retro premit obuius amnis.

Tvrba lacvs. piſcium multitudo. Emicet. ſcil. delphinus. Carinis. vt magis eligat carinis illudere, quam inſequi piſces. Qvaerit arenas. titubat equus flumen ingreſſus. & quærit campum vbi firmos ſolet greſſus infigere. Relicto. quia iam prope ripam euaſerat fugiens. Stamine primo. id eſt, erat notio vel inſtitutio Parcarum. Ablatvm. negatum fatis vt in fluuio potius moreretur, quam in terra.
Vtrvmqve. Et Hypſeum, & Hippomedonta: quoniam vterque in flumine dimicabat. Obvivs amnis. exeuntem ſpiritum aqua infuſa gutturi retardabat: id eſt, non ſinebat ſpiritum exire de corpore.

Flumineam rapiente vado puer Agrius vlmum
Prenderat, inſignes humeros ferus enſe Menœceus
Amputat. ille cadens nondum conamine adempto,
Truncus in excelſis ſpectat ſua brachia ramis.
Hypſeos haſta Sagen ingenti vulnere merſit,
Ille manet fundo, rediit pro corpore ſanguis.
Deſiluit ripis fratrem rapturus Agenor
Heu miſer, & tenuit. ſed ſaucius ille leuantem
Degrauat amplexu. poterat reſolutus Agenor
Emerſiſſe vadis, puduit ſine fratre reuerti.
Surgentem dextra Chaletum. vulnúſque minantem
Sorbebat rapidus nodato gurgite vortex,
Iam vultu, iam crine latet, iam dextera nuſquam,
Vltimus abruptas enſis deſcendit in vndas.
Mille modis leti miſeros mors vna fatigat.
Induit à tergo Mychaleſia cuſpis Agyrten,
Reſpexit, nuſquam author erat. ſed concita tractu
Gurgitis effugiens inuenerat haſta cruorem.

Figitur & validos ſonipes Aetolus in armos,
Exiluitque altè vi mortis, & aëra pendens
Verberat. Haud tamen eſt turbatus flumine ductor,
Sed miſeratur equum. magnóque è vulnere telum
Exuit ipſe gemens, & ſponte remiſit habenas.
Inde pedes repetit pugnas. greſſúque, manúque
Certior. & ſegnem Nomium, fortémque Mimanta,
Thebanumque Lycan, Antedoniúmque Lycetum
Continuat ferro, geminíſque è fratribus vnum
Theſpiaden. eadem poſcenti fata Panemo
Viue ſuperſtes ait, diræque ad mœnia Thebes
Solus abi, miſeros non decepture parentes.

RESOLVTVS. amplexu fratris liberatus flumen euadere. NODATO GVRGITE. quia aſtringit vertigo fluminis natantes, & non dat ſpacium euadendi. MILLE MODIS LETI. quia mori cœperat vnuſquiſque. ſic Lucan. *Mille modos inter lethi, mors vna timorem, qua cœpere mori.* INDVIT. totum pertranſiit. AVCTOR. qui vulnus inflixerat nuſquam parebat. Virg. *Neque enim his telis, nec vulneris auctor.* EFFVGIENS HASTA. dum impetu gurgitis traheretur inuenit. ETHOLVS. Tydei equus, quem Hippomedon ſedebat. CERTIOR. id eſt, fixior ſedens equum magis titubabat: ſiue *certior*, velocior. ANTHEDONIVMQVE. *Antedone* ciuitas eſt Euboeæ. PALAEMON. ex duobus geminis nomen alterius. VIVE SVPERSTES. è contrario ait Virgil. *Et fratrem ne deſere frater.* hic vt deſerat fratrem hortatur. NON DECEPTVRE PARENTES. id eſt, vt in vnius vultu deſinant parentes ex ſimilitudine filiorum errare. Virgil. *at nunc ſæua dedit vobis diſcrimina Pallas.* Lucan. *Et amiſſum fratrem lugentibus offert.*

Dij bene quod pugnas rapidum deiecit in amnem
Sanguinea Bellona manu. trahit vnda timentes
Gurgite gentili, nuda nec flebilis vmbra
Stridebit veſtros Tydeus inhumatus ad ignes.
Ibitis æquoreis crudelia pabula monſtris.
Illum terra vehit, ſuáque in primordia ſoluit.
Sic premit aduerſos, & acerbat vulnera dictis.
Et nunc enſe furit, nunc tela natantia raptans
Ingerit, innuptæ comitem Therona Dianæ.
Ruricolámque Gyan, cum fluctiuago Erigino
Intonſúmque Herſen, contemptorémque profundi
Crethea, nimboſam qui ſæpe Caphareos arcem
Euboicáſque hyemes, parua transfugerat alno.
Quid non fata queant? traiectus pectora ferro
Voluitur in fluctus. heu cuius naufragus vndæ!

Te quoque ſublimi tranſnantem flumina curru
Dum ſocios Pharſale petis, reſupinat ademptis
Dorica cuſpis equis. illos violentia ſæui
Gurgitis, infelixque iugi concordia mergit.

INHVMATVS AD IGNES. neque circa veſtros rogos flebilis vmbra Tydei, & ſtridorem, & lamenta dabit dolens, quod ipſa non meruerit rogum. PABVLA MONSTRIS. vt Virgil. *piſceſque impaſti vulnera lambent.* PRIMORDIA SOLVIT. hoc eſt. cum corpus eius non fuerit concrematum redigetur in puluerem, & redibit in principium ſui: quia omnis caro dicitur, eſſe terrena. quam opinionem ſecutus Lucanus ait. *quam ſol nimbique, dieſque longior, Emathiis reſolutam miſcuit.* CAPHAREO. Caphareus mons eſt Euboeæ inſulæ, iuxta quem Græci propter cautes aſperos paſſi ſunt tempeſtates. vt ipſe in Achilleide: *nocturnaque Caphareus exerit ſigna, & dirum pariter quæremus Vlyxem.* NEV CVIVS NAVFRAGVS VNDAE. exclamatio indignantis. perit in fluuio qui marina naufragia ſæpe tranſierat. DVM SOCIOS. ad quos confugiebat petens auxilia.

Nunc age quis tumidis magnum expugnauerit vndis
Hippomedonta labor, cur ipſe excitus in arma
Iſmenos, doctæ noſſe indulgete ſorores:
Veſtrum opus ire retro, & ſenium depellere famæ.
Gaudebat Fauno, nymphâque Iſmenide natus
Maternis bellare tener Crenæus in vndis:
Crenæus, cui prima dies in gurgite fido
Et natale vadum & virides cunabula ripæ.
Ergo ratus nihil Elyſias ibi poſſe ſorores,
Lætus adulantem nunc hoc nunc margine ab illo
Tranſit amnem. leuat vnda gradus, ſeu defluus ille,
Siue obliquus eat, nec cùm ſubit obuius vllas
Stagna dedere moras, paritérque reuertitur amnis.
Non Anthedonij tegit hoſpitis inguina pontus
Blandior, æſtiuo nec ſe magis æquore Triton
Exerit, aut caræ feſtinus ad oſcula matris
Cùm remeat, tardúmque ferit delphina Palæmon.
Arma decent humeros, clypeúſque inſignis, & auro
Lucidus, Aoniæ cælatur origine gentis.
Sidonis hic blandi per candida terga iuuenci
Iam ſecura maris, teneris iam cornua palmis
Non tenet. extremis alludunt æquora plantis.
Ire putes clypeo, fluctúſque ſecare iuuencum.
Adiuuat vnda fidem. pelago nec diſcolor amnis.

Tunc audax pariter telis, & voce proterua.
Hippomedonta petit. non hæc fœcunda veneno
Lerna, nec Herculeis hauſtæ ſerpentibus vndæ.
Sacrum amnem, ſacrum & miſer experiere Deum, qui
Altrices irrumpis aquas. nihil ille, ſed ibat
Comminus, oppoſuit cumulo ſe denſior amnis
Tardauitque manum. vulnus tamen illa retentum
Pertulit, atque animæ tota in penetralia ſedit.
Horruit vnda nefas. ſyluæ fleuiſtis vtræque.
Et grauiora cauæ ſonuerunt murmura ripæ.
Vltimus ille ſonus moribundo emerſit ab ore
Mater. in hanc miſeri ceciderunt flumina vocem.

DEPELLERE FAMAE. memoria præterita repetere, & obliuionis ſqualorem damnumque pellere. HISMENIDE. ex Hiſmeni fluminis filia Hiſmenide natus Priamides. PRIMA DIE. quando natus eſt. ADVLANTEM. adulatur, alludit, ac blanditur. interdum ſupplicat. SVBIT OBVIVS. id eſt, contra fluuium natat. REVERTITVR AMNIS. cum natante pueto in originem ſuam recurrit. ANTHEDONII. Anthedos ciuitas Glauci, qui Deus maris eſt factus guſtata herba, qua piſces mortui animam receperunt. INGVINA. à qua parte transformatus fuerat. TARDVMQVE FERIT. Verbere exagitat delphinum, à quo portabatur Palæmon. CAELATVR ORIGINE GENTIS. gentis ſiue generationis pictura nitebat. IRE PVTES. ad picturæ laudem poeta mobilitatem immobilibus dedit. *pelago credas innare reuulſas Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.* NON DISCOLOR. non diſſimilis mari multarum incremento aquarum. LERNA. palus Græciæ, in qua ſerpens plena capitibus eminebat. DEVMQVE ALTRICES. Liberi patris & Herculis. ergo numinum hæc ſunt fluenta. CVMVLO. aquarum multitudine in vnum congregata. VVLNVS RETENTVM. quod oppoſita mole aquarum conatus eſt fluuius retardare: ſiue *vulnus* haſtam dixit. vt Virgil. *illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus inſequitur.* VTRAEQVE. ambæ fluminis ripæ. CAVAE. quia naturaliter loca concaua grauius ſonant. MATER. cum in extremo voce moriens matrem vocaret, extremum ſpiritum vnda ſuperueniens clauſit.

At genitrix cœtu glaucarum cincta ſororum
Protinus icta malo, vitrea de rupe ſolutis
Exilit furibunda comis. ac verbere crebro
Oráque, pectoráque, & viridem ſcidit horrida veſtem.
Vtque erupit aquis, iterúmque, iterúmque trementi
Ingeminat Crenee ſono. nuſquam ille, ſed index
Deſuper, ha miſeræ nimium noſcenda parenti,
Parma natat. tacet ille procul, qua mixta ſupremum
Iſmenon primi mutant confinia ponti.
Fluctiuagam ſic ſæpe domum, madidóſque penates
Halcyone deſerta gemit, cum pignora ſæuus

Auſter, & algentes rapuit Thetis inuida nidos.
Mergitur orba iterum, penitúſque occulta ſub vndis
Limite non vno, liquidum qua ſubter eunti
Lucet iter, miſeri nequicquam funera nati
Veſtigat, plangítque tamen. ſæpe horridus amnis
Obſtat, & obducto caligant ſanguine viſus.
Illa tamen præceps in tela offendit & enſes,
Scrutatúrque manu galeas, & prona reclinat
Corpora. nec ponto ſubmota intrabat amaram
Dorida, poſſeſſum donec iam fluctibus altis
Nereidum miſerata cohors, ad pectora matris
Impulit. illa manu ceu viuum amplexa reportat.
Inſternítque toris riparum, atque humida ſiccat
Mollibus ora comis, atque hæc vlulatibus addit.

Glavcarvm. viridium Nereidarum. Fvribvnda. attonita. Confinia ponti. id eſt, in qua parte ſe mari iungebat Hiſmenos, mutans colorem & ſaporem. Halcyone. Ceix filius Luciferi habuit vxorem Halcyonem, à qua cùm prohiberetur ire ad conſulendum Apollinem de ſtatu regni ſui, naufragio periit: cuius corpus cùm ad vxorem delatum eſſet, illa ſe præcipitauit in pelagus. poſtea miſeratione Thetidis & Luciferi conuerſi ſunt ambo in aues marinas, quæ *halcyones* vocantur. notandum autem cum de muliere dicimus *hæc halcyone* facit, cum de auibus *hæc & hæc halcyone*, *hi & hæ halciones*, i. aues marinæ, quæ hyeme in mari nidificant, & pullos nutrire dicuntur, qui dies ſeptem tranquilliſſimum faciunt pelagus. Obstat. Non ſponte, ſed limo & cadaueribus turbatus. Reclinat. ſupinat, vt mortuorum vultus poſſit rimari. Impvlit. Retorſit ad fluuium.

Hoc tibi ſemidei munus tribuere parentes?
Nec mortalis auus? ſic noſtro in gurgite regnas?
Mitior heu miſero diſcors, alienáque tellus,
Mitior vnda maris, quæ iuxta flumina corpus
Rettulit, & miſeram viſa expectaſſe parentem.
Hinc mei vultus? hæc torui lumina patris?
Hi crines vndantis aui? tu nobile quondam
Vndarum, nemorúmque decus, quo ſoſpite maior
Diua, & nympharum longe regina ferebar.
Heus vbinam ille frequens modo circa limina matris
Ambitus? orantéſque tibi ſeruire Napææ?
Cur nunc te meliùs ſæuo manſura profundo
Amplexu miſero tumulis Crenee reporto,
Non mihi? nec tantæ pudet (heu) miſerétque ruinæ

Dure parens? quæ te alta & ineluctabilis imo
Condidit amne palus? quò iam nec cruda nepotis
Funera,nec noſtri valeant perrumpere planctus?
Ecce furit iactátque tuo ſe in gurgite maior
Hippomedon, illum, ripæque, vndæque tremiſcunt,
Illius impulſu noſtrum bibit vnda cruorem.
Tu piger, & trucibus facilis ſeruire Pelaſgis.
Ad cineres ſaltem, ſupremáque buſta tuorum
Sæue vem, non hic ſolum accenſure nepotem.
His miſcet planctus, multúmque indigna cruentat
Pectora, cœruleæ referunt lamenta ſorores.
Qualiter Iſthmiaco nondum Nereida portu
Leucothean planxiſſe ferunt, dum pectore anhelo
Frigidus in matrem ſæuum mare reſpuit infans.

TRIBVERE PARENTES. quia dicit Ariſtoteles poſt annorum millia, & Nymphas & Faunos perire. MITIOR HEV MISERO. qui in ſidera raptus non ſit. VNDARVM. propter Iſmenon. NEMORVM. propter Faunum. AMBITVS. quia rogabant tibi in matrimonium ſociari. MANSVRA PROFVNDO. melius fuerat in mari me tecum extingui. DVRE PARENS. Hiſmene immiſericors pater. IVSTA TVORVM. *Iuſta* dicuntur ſolemnia funerum. NON HIC SOLVM. habetis cauſam aliam lachrymarum propter Hypſeon funere filium quem poſtea Capaneus occidit. NONDVM NEREIDA. cum adhuc in Nympham minime mutata fuiſſet, & fieret dea iuxta Hiſmenum, vbi fuerat demerſa. RESPVIT INFANS. Palæmon videndo matrem ſuam flentem vndas torſit, quæ illam ad ſe traxerunt. conſtat autem eam dolore præcipitaſſe ſe, poſtquam inuita filium proiecit in mare.

At pater arcano reſidens Iſmenos in antro
Vnde auræ, nubéſque bibunt, atque imbrifer arcus
Paſcitur, & Tyrios melior venit amnis in agros.
Vt lamenta procul (quamquam obſtrepit ipſe) nouóſque
Accepit natæ gemitus, leuat aſpera muſco
Colla, grauémque gelu crinem, cecidítque ſolutæ
Pinus adulta manu, dimiſſáque voluitur vrna.
Illum per ripas annoſo ſcrupea limo
Ora exertantem ſyluæ, fluuiíque minores
Mirantur tantus tumido de gurgite ſurgit,
Spumoſum attollens apicem, lapſúque ſonoro
Pectora cœruleæ riuis manantia barbæ.
Obuia cognatos gemitus, caſúmque nepotis
Nympharum docet vna patrem. monſtrátque cruentum

Auctorem, dextrámque premit. ſtetit arduus alto
Amne manúque genas, & nexa virentibus vlmis
Cornua concutiens. ſic turbidus ore profundo
Incipit. Hunc ne mihi ſuperum regnator honorem,
Quod totiens hoſpéſque tuis & conſcius actis,
(Nec memorare timor) falſa nunc improba fronte
Cornua, nunc vetitam currus diſiungere Phœben,
Dotaléſque rogos, deceptáque fulmina vidi
Præcipuóſque alui natorum? an vilis & illis
Gratia? adhuc certè repſit Tirynthius amnem.
Hac tibi flagrantem Bromium reſtinximus vnda.
Aſpice quas fluuio cædes, quæ funera portem
Continuus. telis, altóque adopertus aceruo
Omne vadum belli ferics tenet. omnis anhelat
Vnda nefas, ſubtérque animæ, ſupráque recentes
Errant, & geminas iungunt caligine ripas.
Ille ego clamatus ſacris vlulatibus amnis,
Qui molles thyrſos, Baccheáque cornua puro
Fonte lauare feror, ſtipatus cædibus arctas
In freta quæro vias. non Strymonos impia tanto
Stagna cruore natant, non ſpumifer altius Ebrus
Gradiuo bellante rubet. nec te admonet altrix
Vnda, tuáſque manus iam pridem oblite parentum
Liber? an Eous melius pacatur Hydaſpes?
At tu qui tumidus ſpoliis, & ſanguine gaudes
Inſontis pueri, non hoc ex amne potentem
Inachon, aut ſæuas victor reuehere Mycenas,
Ni mortalis ego, & tibi ductus ab æthere ſanguis.

AMNIS IN AGROS. pluuiis frugum meliora incrementa prouenient. QVAMQVAM OBSTREPIT IPSE. quamquam ſtrepitus aquarum impediebat auditum, tamen auribus filiæ lamenta percepit. VRNA. ita enim fluuiorum ſimulachra pinguntur, quaſi amnem vrnis effundant. vt Virgil. *cælataque amnem fundens pater Inachus vrna.* SCRVPEA LIMO. lapidoſa loca circa mare, vel flumina, *ſcrupea* dicuntur. CONCVTIENS. iracundiæ ſignum. TVIS ET CONSCIVS ACTIS. qui recepi tua ſtupra, & libidinum tuarum conſcius fui. FALSA. Anthiopam Nyctei filiam ſtuprauit Iupiter, in Satyrum verſus, matrem Zeti & Amphionis. ideo *falſa cornua.* quia cornuti ſunt Satyri, quorum imaginem falſam ſibi ſumpſerat Iupiter. DISIVNGERE PHOEBEN. hoc contigit cum Hercules naſceretur; nam tres à Luna continuatæ ſunt noctes. Lucanus in catagonio.

Thebas Alcmene qua dum ſineretur olympi
Rector Luciferum ter miſerat Heſperon eſſe.

DECEPTAQVE FVLMINA VIDI. quia indiſpoſite fulmen Semelen extinxit. primam ergo

ergo fabulam Europæ dicit. ſecundam Alcmenæ, in qua ter geminata eſt nox. tertiam Semeles, quam fulmine ſuo Iupiter incendit. quartam Ledæ, quam Iupiter prope flumen viciauit, mutatus in cygnum. PRAECIPVOSQVE. Increpans dicit præcipuos ſe Iouis filios educaſſe, id eſt Herculem, Liberumque. vnde cum Semele mater certum eſt Liberum fulminatum, ſed à Ioue Mercurioque perceptum, & fœmori Iouis inſutum, ad naſcendi eſſe tempora reſeruatum. FVNERA PORTO. cadauerum molem. CLAMATVS SACRIS. clamore ſacrorum repertus. TYRSOS. quibus Liberi caput ornatur. STRYMONOS. Thraciam dicit. ADMONET. nec tibi in mentem ve it: bis accipiendum eſt, vt ſit, nec te, nec manus tuas, parentum nutritorum immemor. NI MORTALIS EGO. ſiue eſt in me mutata natura.

Sic ait infrendens, & ſponte furentibus vndis
Signa dedit. mittit gelidus montana Cithæron
Auxilia, antiquáſque niues, & pabula brumæ
Ire iubet. frater tacitas Aſopos eunti
Conciliat vires, & hiulcis flumina venis
Suggerit. ipſe cauæ ſcrutatur viſcera terræ,
Stagnáque, torpentéſque lacus, pigráſque paludes
Excutit, atque auidos tollens ad ſidera vultus
Humentes nebulas exhaurit, & aëra ſiccat.
Iamque ſuper ripas vtroque extantior ibat
Aggere, iam medium modo qui ſuperauerat amnem
Hippomedon intactus aquis, huméróſque, manúſque
Miratur creuiſſe vadum, ſeſeque minorem.
Hinc atque hinc tumidi fluctus, animoſáque ſurgit
Tempeſtas inſtar pelagi, cùm Pleiadas haurit,
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.
Non ſecus æquoreo iactat Theumeſius amnis
Hippomedonta ſalo, ſempérque vmbone ſiniſtro
Tollitur, & clypeum nigrante ſuperuenit æſtu
Spumeus aſſultans, fractáque refunditur vnda,
Et cumulo maiore redit. nec mole liquenti
Contentus, carpit putres ſeruantia ripas
Arbuſta, annoſaſque trabes, euectáque fundo
Saxa rotat. ſtat pugna impar, amníſque, viríque,
Indignante Deo, nec enim dat terga, nec vllis
Frangitur ille minus. venientéſque obuius vndas
Intrat, & obiecta diſpellit flumina parma.
Stant terra fugiente gradus; & poplite tenſo
Lubrica ſaxa tenet, genibúſque obnixus, & hærens
Subruta fallaci ſeruat veſtigia limo.

Sic etiam increpitans: Vnde hæc Iſmene repentè
Ira tibi? quóue has traxiſti gurgite vires
Imbelli famulate Deo? ſolúmque cruorem
Fœmineis experte choris, cum Bacchica mugit
Buxus, & inſanæ maculant trieterida matres?

INFRENDENS. minaciter ſonitum dentibus dans. *infrendere* enim eſt proprie dentes iraſcendo quatere. vnde & *infrendes* dicuntur pueri ſine dentibus. SIGNA DEDIT. furoris ſui vnda dedit indicia. AVXILIA. fluenta niuium. CITHERON. Iſmenon in vindictam filii velut auxilia miſit exercitus. PABVLA BRVMAE. eleganter niues pabula brumæ dixit: certum eſt enim niuium incremento ſtridorem hyemis magis augeri. FRATER. eiuſdem prouinciæ fluminis. TACITAS. vel ſine ſtridore, quia dicitur Aſopus lenis fluere; vel occultas, per latentia ſpiramina terrarum vires ſuas fluuius refundebat. ABRA SICCAT. pluuiæ enim ex nebulis conceptæ terræ funduntur. dicit ergo aquarum ſemina omnia ad incrementa huius flu. affuiſſe conuerſa. AGGERE. riparum altitudine. PLEIADAS. iſta ſidera cum occidunt, grauiſſimas tempeſtates commouent. NIGRVM. turbidum, tempeſtatem ſignificantem. etenim ſi lucidus oriatur ſerenitatem ſignificat. vt Virgil. *armatúmque auro circumſpicit Oriona.* ÆSTV. aquarum ſonus ac fremitus Hippomedontis clypeum texit. SERVANTIA. Poſſidentia. FVGIENTE. pedum niſu labente. SVBRVTA. euerſa, id eſt, ſubter euntia. FALLACI LIMO. qui creditos ſibi greſſus decipiebat, & nutare faciebat. IMBELLI FAMVLANTE DEO. debili Libero. SOLVMQVE CRVOREM FOEMINEIS. quem cum bacchantur ac ſe lacerant matres effundunt. BVXVS. Tibia.

Dixerat. atque illi ſeſe Deus obtulit vltro
Turbidus imbre genas, & mole natantis arenæ.
Nec ſæuit dictis, trunca ſed pectora quercu
Ter, quater, oppoſiti, quantum ira Deúſque valebant,
Impulit aſſurgens. tandem veſtigia flexit,
Excuſſúmque manu tegmen, conuerſáque lentè
Terga refert. inſtant vndæ, ſequitúrque labantem
Amnis ouans, nec non ſaxis, & grandine ferri
Deſuper infeſtant Tyrij, geminóque repellunt
Aggere, quid faciat bellis obſeſſus, & vndis?
Nec fuga iam miſero, nec magnæ copia mortis.
Stabat gramineæ producta crepidine ripæ
Vndarum ac terræ dubio, ſed amicior vndis
Fraxinus, ingentíque vadum poſſederat vmbra.
Huius opem (nam quà terras inuaderet?) vnca
Arripuit dextra: nec pertulit illa trahentem.
Sed maiore ſupra, quàm ſtabat pondere victa
Soluitur, & quà ſtagna ſubit radice, quibúſque
Arentem mordebat humum, demiſſa ſupernè

Iniecit trepido ſeſe, ripámque. nec vltra
Paſſurum ſubitæ vallauit ponte ruinæ
Huc vndæ coeunt, & ineluctabile cœnum
Vorticibúſque cauis ſedit, creſcitque barathrum.

ET NVBE NATANTIS HARENAE. id eſt, natantis limi ſqualore ſordentis. ad demonſtrandam violentiam torrentis fluminis, fundo limum excitum in ſuperficie aquarum rotare poeta monſtrauit. OPPOSITI. Hippomedontis conuerſi: vt oſtenderet viri fortis conſtantiam dicit eum tarde ceſſiſſe vel numini. GRANDINE FERRI. telorum multitudini, ne grando in terras rarius cadere putaretur. QVID FACIAT. Exclamatio. NEC MAGNAE. id eſt, gloriæ ſuæ. CREPIDINE RIPAE. *crepido* dicitur moles eminentior in ripis. VNDARVM. incertum erat vtrum hæc arbor vltra fluuium eſſet fixa, an in ipſo fluuio: tamen melius in ipſo fluuio accipimus ſtare. HVIVS. arboris. NAM QVA TERRAS. interpoſitio per interrogationem. NEC PERTVLIT. non ſuſtinuit arbor Hippomedonta trahentem. PONDERE VICTA. tenentis viri grauitate vulſa eſt. SVPERNE. Deſuper cadentis. HVC VNDAE COEVNT. in locum ſtantis arboris vnda ſucceſſit. vt Lucan. *inque locum puppis cedit mare.* BARATHRVM. vorago profunda.

Iámque humeros, iam colla ducis ſinuoſa vorago
Circuit. hic demum victus ſuprema fateri
Exclamat. Fluuióne (pudet!) Mars inclyte merges
Hanc animam? ſegnéſque lacus & ſtagna ſubibo
Ceu pecoris cuſtos, ſubiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeóne occumbere ferro
Non meruit? tandem precibus commota Tonantem
Iuno ſubit: Quo nam miſeros ſator inclyte diuum
Inachidas? quonam vſque premes? iam Pallas & odit
Tydea. iam rapto tacuerunt augure Delphi.
En meus Hippomedon, cui gentis origo Mycenæ
Argolicique lares, numénque ante omnia Iuno
(Sic ego fida meis?) pelagi crudelibus ibit
Præda feris? certè tumulos, ſupremáque victis
Buſta dabas. vbi Cecropiæ poſt prælia flammæ?
Theſeos ignis vbi eſt? non ſpernit coniugis æquas
Ille preces. leuitérque oculos ad mœnia Cadmi
Rettulit, & viſo ſederunt flumina nutu.
Illius exangues humeri, & perfoſſa pateſcunt
Pectora. ceu ventis altè conflata reſedit
Tempeſtas, ſurgunt ſcopuli, quæſitáque nautis
Terra, & ab infeſtis deſcendunt æquora ſaxis.
Quid ripas tenuiſſe iuuat? premit vndique nimbo

Telorum Phœniſſa cohors. nec tegmina membris
Vlla, omníſque patet leto. tunc vulnera manant,
Quíque ſub amne diu ſtupuit cruor, aëre nudo
Soluitur, & tenues venarum laxat hiatus,
Incertíque labant vndarum frigore greſſus.
Procumbit. Getico qualis procumbit in Aemo
Seu Boreæ furiis. putri ſeu robore quercus
Cælo mixta comas, ingentémque aëra laxat.
Illam nutantem nemus, & mons ipſe tremiſcit
Qua tellure cadat, quas obruat ordine ſyluas.
Non tamen aut enſem, galeámue audacia cuiquam
Tangere. vix credunt oculis. ingentiáque horrent
Funera, & aſtrictis accedunt comminus armis.
Tandem adiit Hypſeus, capulúmque in morte tenenti
Extrahit, & toruos laxauit caſſide vultus.
Itque per Aonios altè mucrone coruſco
Suſtenſam oſtentans galeam, & clamore ſuperbit.
Hic ferus Hippomedon. hic formidabilis vltor
Tydeos infandi, debellatórque cruenti
Gurgitis. agnouit longè, preſſítque dolorem
Magnanimus Capanæus. telúmque immane lacerto
Hortatur librans. Ades ô mihi dextera tantum
Tu præſens bellis, & ineuitabile numen,
Te voco, te ſolam ſuperum contemptor adoro.
Sic ait, & voti ſeſe facit ipſe potentem.
It tremebunda abies, clypeúmque per ærea terga
Loricæ, tandémque animam ſub pectore magno
Deprendit. ruit haud alio quàm celſa fragore
Turris, vbi innumeros penitus quaſſata per ictus
Labitur, effractámque aperit victoribus vrbem.
Cui ſuper adſiſtens, non inficiamur honorem
Mortis ait: refer huc oculos, ego vulneris auctor.
Lætus abi, multúmque aliis iactantior vmbris.
Tunc enſem, galeámque rapit, clypeúmque reuellit
Ipſius. exanimémque tenens ſuper Hippomedonta,
Accipe, ait, ſimul hoſtiles dux magne, tuáſque
Exuuias. veniet cineri decus, & ſuus ordo
Manibus, interea iuſtos dum reddimus ignes

Hoc vltor Capaneus operit tua membra ſepulchro.
Sic anceps dura belli vice mutua Grais,
Sidoniiſque ſimul, nectebat vulnera Mauors.
Hic ferus Hippomedon, illic non ſegnior Hypſeus
Fletur, & alterni præbent ſolatia luctus.

Sinvosa vorago. Cœnoſæ altitudinis motus. Pvdet. interpoſitio increpantis. Torrentis. *torrentia* dicuntur flumina, quæ ſubiecta montibus, facillimè aquarum augentur incrementis. Iniqvis. Magnis, ſiue vim inferentibus. Bvsta dabas. quia cum vetaret Creon ſepeliri, liberi occiſorum ducum vxoreſque eorum à Theſeo, rege Athenienſium, meruere, vt bello Thebanis illato, miſeris redderet ſepulturam; inuidioſe Iuno dicit, quoniam Hippomedontis corpus fluctus abſtulerunt, Thebanorum crudelitatem nec miſerationem poterit tolerare. Resedit. peracta ſiue finita.

Stvpvit crvor. ſanguis Hippomedontis, qui frigore fluuii gelatus morte, ſolutus aeris calore vulneribus manat. Incerti. titubantes. Laxat. nudat, ſiue liberum facit, quem ante obtexetant rami. Ordine silvas. quia ipſa poſt caſum quercus oſtenditur. Astrictis. timore compreſſis. Laxavit. nudauit, galeam adimendo. Ades o mihi dextera tantvm. Virgilius. *dextra mihi deus, & telum quod miſsile libro.*

Potentem. ſpoliorum dominum. Animam. Hypſei. Svper assistens. Hypſeo. Refer hvc ocvlos. Ad me reſpice. Membra sepvlchro. ſpolia ſuper eum iecit quaſi ſepulchri vice.

Triſtibus interea ſomni turbata figuris
Torua ſagittiferi mater Tegeatis Ephebi
Crine dato paſſim, plantiſque ex more ſolutis
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad vndas,
Purgatura malum fluuio viuente ſoporem.
Namque per attonitas curarum pondere noctes
Sæpe & delapſas aditus, quas ipſa dicarat
Exuuias, ſeque ignotis errare ſepulchris
Extorrem nemoris, Dryadúmque à plebe fugatam,
Sæpe nouos nati bello rediiſſe triumphos,
Armáque, & alipedem notum, comitéſque videbat,
Nuſquam ipſum. nunc ex humeris fluxiſſe pharetras,
Effigiéſque ſuas, ſimulacráque nota cremari.
Præcipuos ſed enim illa metus portendere viſa eſt
Nox miseræ, totóque erexit pectore matrem.
Nota per Arcadias felici robore ſyluas
Quercus erat, Triuiæ quam deſacrauerat ipſa
Eiectam turba nemorum, numénque colendum.
Fecerat. hic arcus, & feſſa reponere tela,
Armáque curua ſuum, & vacuorum terga Leonum

Figere, & ingentes æquantia cornua ſyluas
Vix ramis locus: agreſtes adeò omnia cingunt
Exuuiæ, & viridem ferri nitor impedit vmbram.
Hanc vt fortè iugis longo defeſſa redibat
Venatu modò rapta ferox Erymanthidos vrſæ
Ora ferens, multo proſciſſam vulnere cernit
Depoſuiſſe comam, & rorantes ſanguine ramos
Expiraſſe ſolo. quærenti Nympha cruentas
Mænadas, atque hoſtem dixit ſæuiſſe Lyæum.
Dum gemit, & planctu circundat pectus inani,
Abrupêre oculi noctem, mœſtóque cubili
Exilit, & falſos quærit per lumina fletus.
Ergo vt inane nefas merſo ter crine piauit,
Verbáque ſollicitas matrum ſolantia curas
Addidit, armatæ ruit ad delubra Dianæ,
Rore ſub Eoo, notáſque ex ordine ſyluas
Et quercum gauiſa videt. tunc limine diuæ
Adſtitit, & tali nequicquam voce precatur.

EX MORE. quo more ſolita erat cum procis ſuis curſu certare. VIVENTE. Perenni. CVRARVM PONDERE. magnitudine. quia illi maxime turbantur, qui magnis curis vrgentur EXTORREM. exulem, *extorris* enim dicitur exul, quaſi exterris, id eſt extra terram. VIDEBAT. ab inferiori ſenſu, & ſupra videbat intelligendum. IPSVM. filium.

FLVXISSE. cecidiſſe. EFFIGIESQVE SVAS. portendebatur ei filium moriturum, qui eſt matris effigies. PRAECIPVOS. poſt alias noctes hæc ſomniis grauior videbatur. NOX MISSRAE. in qua videt ſomnium. quod pœta dicturus eſt. EREXIT. excitauit ſollicitudine. FOELICI ROBORE. fructiferi roboris. enarratio ſomnii noctis vltimæ. ARMA. dentes. vt Virgilius. *tum demum mouet arma leo.* FIGERE. Virgilius. *ſacra ad faſtigia fixi.* IMPEDIT. adoperit. FESSA. ſomnio, quod vidit. QVAERENTI. cauſam proſciſſæ quercus. LYAEVM. Bacchum. per hoc portendebatur Thebanis occidendum Parthenopæum: nam Thebæ Libero patri dicatæ ſunt. ABRVPERE OCVLI. experta eſt falſos quos in ſomniis paſſa eſt. SVB ÆOO. matutino tẽpore. QVERCVS. quam viderat fuiſſe præſciſſam.

Virgo potens nemorum, cuius non mollia ſigna
Militiámque trucem, ſexum indignata frequento
More nihil Graio. nec te gens aſpera ritu
Colchis, Amaſoniæue magis coluere cateruæ.
Si mihi non vnquam thyaſi, ludúſue proteruæ
Noctis, & inuiſo quamuis temerata cubili,
Non tamen aut teretes thyrſos, aut mollia geſſi
Penſa, ſed in tetricis & poſt connubia luſtris,
Sic quoque venatrix, animóque innupta remanſi.

Nec mihi ſecretis culpam occultare ſub antris
Cura, ſed oſtendi natum, poſuique trementem
Ante tuos confeſſa pedes. nec degener ille
Sanguinis, inque meos reptauit protinus arcus
Tela puer lachrymis & prima voce popoſcit.
Hunc mihi (quid trepidæ noctes, ſomnúſque minantur?)
Hunc precor audaci qui nunc ad prælia voto
Heu nimium tibi fiſus abit, da viſere belli
Victorem, vel ſi ampla peto, da viſere tantum.
Hic ſudet, tuáque arma ferat. preme diua malorum
Signa. quid in noſtris nemoralis Delia ſyluis
Mænades hoſtiles, Thebanáque numina regnant?
Hei mihi cur penitus (ſimq́ue augur caſſa futuri)
Cur penitus, magnóque interpretor omine quercum?
Quod ſi vera ſopor miſeræ præſagia mittit,
Per te maternos mitis Dictynna labores,
Fraternúmque decus, iuſtis hunc fige ſagittis
Infelicem vterum. miſeræ ſine funera matris
Audiat ille præcor. dixit, fletúque ſoluto,
Aſpicit & niueæ ſaxum maduiſſe Dianæ.

Signa. venatoris inſignia. More nihil Graio. non Græcorum more delector. Aspera. vbi homines immolabantur ſacris. Thyasi. chori virginum & puerorum, qui Libero hymnos canunt. Thyrsos. haſtas pampineas. Tetricis. ſeueris ſiuo horribilibus. Sic qvoqve. cum virgo eſſe deſiſſem in honorem nominis tui, tamen venandi ſtudia non mutaui. Cvlpam. quod ſum neglecta pudicitia viciata. Ostendi. ſubaudi, tibi Diana. Trementvm. Mox natum. Confessa. innocentiæ proximus eſt, qui culpam fatetur. Protinvs arcvs. mox vt potuit ad armorum noſtrorum vſus acceſſit. Qvid trepidae noctes. interpoſitio cum interrogatione. Ampla. Maiora. Da visere tantvm. Si victorem non poſſum, reſtitue quæſo Diua vel victum. Tvaqve arma. venationis, id eſt, ſagittas. Preme. compeſce nefanda ſomniorum omina. Qvid. quare. Delia. vocatiuus eſt. Maenades. Bacchæ, quoniam inſomnis quercum viderat, à Libero patre & Bacchis forte præſciſſam. Cvr penitvs. quare me vehementer huc trahit ſuſpitio, vt putem orbitatem mihi ſignificari, arboris caſu. Dictynna. ob id dicta Dictynna Diana. Briton Martis filia virgo Cretenſis Dianæ dicata. Huic cum Rex Cretenſum Minos ſtuprum vellet inferre, illa ſe iecit in mare, illataque eſt retibus piſcatorum, quæ Græce δίκτυα nominantur, à quibus huius corpus extractum eſt: inſula tamen Creta peſtilentia laborauit, quam euadere penitus nequiſſent, niſi templum Dianæ inſtituiſſent, eamque Dictynnam vocaſſent, à retibus. Labores. deprecor te Diana per maternos dolores, ſiue quibus tu edita es, ſiue per omnium parturientium gemitus. Madvisse Dianae. Tanta miſeratione Atalanta conqueſta eſt, vt videretur etiam ſimulacro numinis mouiſſe lachrymas.

Illam diua ferox etiamnum in limine ſacro
Expoſitam, & gelidas verrentem crinibus aras
Linquit, & in mediis frondentem Mænalon aſtris
Exuperat greſſu, ſaltúmque ad mœnia Cadmi
Deſtinat, interior cæli qua ſemita lucet
Diis tantum, & cunctas iuxta videt ardua terras.
Iámque ferè medium Parnaſſi frondea præter
Colla tenebat iter, cùm fratrem nube coruſca
Aſpicit haud ſolitum viſu, remeabat ab armis
Mœſtus Echioniis, demerſi funera lugens
Auguris. irrubuit cæli plaga ſidere mixto,
Occurſúque ſacro pariter iubar arſit vtrinque,
Et coiere arcus, & reſpondere pharetræ.
Ille prior, Scio Labdacidas germana cohortes,
Et nimium fortes auſum petis Arcada pugnas
Fida rogat genitrix. vtinam indulgere precanti
Fata darent! en ipſe mei (pudet) irritus arma
Cultoris, frondéſque ſacras, ad inania vidi
Tartara, & in memet verſos deſcendere vultus.
Nec tenui currus, terræque abrupta coegi.
Sæuus ego, immeritúſque coli. Lugentia cernis
Antra ſoror? mutáſque domos? hæc ſola rependo
Dona pio comiti. nec tu peritura mouere
Auxilia, & mœſtos in vanum perge labores.
Finis adeſt iuueni. non hoc mutabile fatum.
Nec te nunc dubiis fraterna oracula fallunt.
At decus extremum miſero confuſa viciſſim
Virgo refert, duræque licet ſolatia morti
Quærere. nec fugiet pœnas quicumque nefandam
Inſontis pueri ſcelerarit ſanguine dextram
Impius. & noſtris fas ſit ſæuire ſagittis.

MAENALON ASTRIS. tanta eſt Mænalios altitudo, vt cacumen eius aſtris videatur inſertum. QVA SEMITA LVCET. Diis eam partem tantum ad tranſitum datam ſignificat, quæ ſummum aerem infimumque coniungit. qui locus eſt circa circulum lunæ: de quo Lucanus.

Qua niger aſtriferis connexus axibus æther,
Quaque patet terras inter lunæque meatus.

COLLA. Parnaſſi iuga. SIDERE MIXTO. bene per occaſionem figmenti poetici, naturalem expoſuit rationem. tunc enim eclipſis fit ſolis cum luna trigeſima eſt, & ad ſignum

ſignum idem venit, & orbem eius obſcurat. LABDACIAS. Thebanas à patre Labdacio. PVDET IRRITVS. quia Amphiarao auxilium ferre non potuit. COEGI. coniunxi.

ANTRA. vbi oracula Apollinis dantur. CONFVSA VICISSIM. interpoſuit ſuam poeta perſonam, quam verbis Dianæ poſuit: ordo ergo & ſenſus talis eſt. Si mihi eum non licet de prælio liberare, certe extremum decus & ſolatia mortis concedam, ne inultus occumbat. vt ſit parentheſis ex perſona poetæ. *Confuſa viciſſim virgo refert.*

Sic effata mouet greſſus, libandáque fratri
Parcius ora tulit, Thebáſque infeſta petiuit.
At pugna ereptis maior crudeſcit vtrinque
Regibus, alternóſque ciet vindicta furores.
Hypſeos hinc turmæ, deſolatúmque magiſtro
Agmen, at hic grauius fremit Hippomedontis adempti
Orba cohors. præbent obnixi pectora ferro.
Idem ardor rabidis externum haurire cruorem,
Ac fudiſſe ſuum. nec ſe veſtigia mutant.
Stat cuneo defixa acies, hoſtíque cruento
Dant animas & terga negant. cùm lapſa per auras
Vertice Dircæi velox Latonia montis
Aſtitit. agnoſcunt colles, notámque tremiſcit
Sylua deam. ſæuis vbi quondam exerta ſagittis
Fœcundam laſſo Nioben conſumpſerat arcu.
Illum acies inter medias, iam cæde ſuperbum
Neſcius armorum, & primas tunc paſſus habenas
Venator raptabat equus. quem diſcolor ambit
Tigris, & auratis aduerberat vnguibus armos.
Colla ſedent, nodis & caſtigata iubarum
Libertas: nemoríſque notæ ſub pectore primo
Iactantur, niueo lunata monilia dente.
Ipſe bis Oebalio ſaturatam murice pallam
Lucentéſque auro tunicas (hoc neuerat vnum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo
Cornipedis leuo clypeum demiſerat armo
Enſe grauis nimio tereti iuuat aurea morſu
Fibula, pendentes circum latera aſpera cinctus,
Vaginæque ſonum, tremulæque audire pharetræ
Murmur, & à cono miſſas in terga cathenas.
Interdum criſtas hilaris iactare comantes.
Et pictum gemmis galeæ iubar. aſt vbi pugna
Caſſis anhela calet, reſoluto vertice nudus

Exoritur. tunc dulce comæ, radiiſque micantes
Dulce nitent viſus, & quas dolet ipſe morari
Nondum mutatæ roſea lanugine malæ.
Nec formæ ſibi laude placet, multúmque ſeueris
Aſperat ora minis, ſed frontis ſeruat honorem
Ira decens. dat ſponte locum Thebana iuuentus
Natorum memores, intentáque tela retorquent,
Sed premit, & ſæuas miſerantibus ingerit haſtas.
Illum & Sidoniæ iuga per Theumeſia nymphæ
Bellantem, atque ipſo ſudore & puluere gratum
Laudant, & tacito ducunt ſuſpiria voto.

LIBANDAQVE FRATRI. Oſculata eſt fratrem. VESTIGIA MVTANT. nemo de eo loco in quo ſteterat pellebatur. ILLAM. Parthenopæum. DISCOLOR. maculoſus. AMBIT. operit. TIGRIS. pro pelle tigridis. VNGVIBVS ARMOS. currente equo mota pellis equi armos cædebat. COLLA SEDENT NODIS. plena ſunt muſculis. Virgil. *luxuriátque thoris animoſum pectus.* CASTIGATA IVBARVM. pexa & collecta iuba in ceruice equi ſedebat ornata. NEMORISQVE NOTAE. ſigna venationis equo ſub pectoris prima parte pendebant. LVNATA. in modum lunæ curuata. NOVERAT VNVM. interpoſitio: & bene *vnum*, quia niſi pietate victa filii, nunquam venatrix fœminea opera contigiſſet. COLLECTVS. cinctus ſiue ſtrictus. CATENAS. à parte enim galeæ deſcendunt catenæ, quæ ab ictu colla ſedentis defendant. MVLTVMQVE SEVERIS. ſupra præmiſſa Parthenopæi pulchritudine his eſt vitanda laudatio. ipſe tamen formæ laudem aſpernatur, & vt cælet pulchritudinem ſuam iraſcitur. INTENTAQVE. contra Parthenopæum parata ætatis miſericordia reuocantur tela. SVSPIRIA VOTO. aut nubant ei, aut vincant.

Talia cernenti mitis ſubit alta Dianæ
Corda dolor, fletúque genas violata, Quod inquit
Nunc tibi, quod leti quæram dea fida propinqui
Effugium? hæc ne vltro properaſti ad prælia ſæue,
Ac miſerande puer? cruda heu feſtináque Virtus
Suaſit, & hortatrix animoſi gloria leti.
Scilicet anguſtum iamdudum vrgentibus annis
Mænalium tibi parue nemus, perque antra ferarum
Vix tute ſine matre viæ. ſilueſtria cuius
Nondum tela procax, arcúmque implere valebas:
Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Inuidiam, ſurdáſque fores, & limina laſſat.
Tu dulces lituos, vlulatáque prælia gaudes
Felix, & miſeræ tantum moriture parenti.
Ne tamen extremo fruſtra morientis honori

Abſuerit, venit in medios caligine fulua
Septa globos, primúmque leues furata ſagittas
Audacis tergo pueri, cœleſtibus implet
Coryton telis, quorum ſine ſanguine nullum
Decidit. Ambroſio tunc ſpargit membra liquore
Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus
Ante necem, cantúſque ſacros, & conſcia miſcet
Murmura, ſecretis quæ Colchidas ipſa ſub antris
Nocte docet, monſtrátque feras quærentibus herbas.

QVOD INQVIT. dubitantis eſt. CRVDA. immatura. ET NVNC ILLA. mater ſcilicet Atalanta. LIMINA LASSAT. rogando fatigat. vt Horatius:

——— qua prece fatigent
Virgines ſanctæ minus audientem
Carmina Veſtam.

VLVLANDA. formidanda ſiue luctuoſa. MORITVRE PARENTI. matri tuæ tantum peribis, cui ſoli morte tua ingeres luctum. CORYTON TELIS. *coryton*, theca arcus ſolius dicitur, ſicut *pharetra* ſagittarum, & *ſagma* ſcuti: nunc verò *coryton* pro pharetra poſuit. CONSCIA MISCET. ipſe eſt Hecate, quæ inuocatur à Magis. HERBAS. magicæ diſciplinæ aptas.

Tunc verò exerto circumuolat igneus arcu,
Nec ſe mente regit, patriæ, matríſque, ſuíque
Immemor, & nimium cœleſtibus vtitur armis.
Vt Leo, cui paruo mater Getula, cruentos
Suggerit ipſa cibos, cùm primùm creſcere ſenſit
Colla iubis, toruúſque nouos reſpexit ad vngues,
Indignatur ali, tandémque effuſus apertos
Liber amat campos, & neſcit in antra reuerti.
Quos age Parrhaſio ſternis puer improbe cornu?
Prima Tanagræum turbauit arundo Chorœbum
Extremo galeæ, primóque in margine parmæ
Anguſta tranſmiſſa via. ſtat faucibus vnda
Sanguinis, & ſacri facies rubet igne veneni.
Sæuit in Eurithion, cui luminis orbe ſiniſtro
Aſpera tergiminis acies ſe condidit vncis.
Ille trahens oculo plenam labente ſagittam,
Ibat in authorem. Sed diuum fortia quid non
Tela queant? alio geminatum lumine vulnus
Expleuit tenebras, ſequitur tamen improbus hoſtem,
Qua meminit, fuſum donec prolapſus in Idam

Decidit. hic ſaui miſer inter funera belli
Palpitat, & mortem, ſocióſque, hoſtéſque precatur.
Addit Abantiadas, inſignem crinibus Argum,
Et malè dilectum miſeræ Cydona ſorori.
Illi perfoſſum telo patefecerat inguen,
Huic geminum obliqua traiecit arundine tempus.
Extitit hac ferrum, velox hac penna remanſit:
Fluxit vtrinque cruor. nulli tela aſpera mortis
Dant veniam. non forma Lamum, non infula Lygdum,
Non pubeſcentes texerunt AEolon anni.
Figitur ora Lamus, flet ſaucius inguina Lygdus,
Perfoſſam telo niueam gemis AEole frontem.
Te præceps Eubœa tulit, te candida Tysbe
Miſerat, hunc virides non excipietis Amyclæ.
Nunquam caſſa manus, nullum ſine vulnere fugit
Miſsile. nec requies dextræ, ſonitúmque priori
Iungit arundo ſequens. vnum quis crederet arcum?
Aut vnam ſæuire manum? modò dirigit ictus,
Nunc latere alterno dubius conamina mutat,
Nunc fugit inſtantes, & ſolo reſpicit arcu.

GETVLA. Afra. VNGVES. quibus nocet. INDIGNATVR. cum leo vnguibus aptum venationi ſe iam ſenſerit, indignatur matris venationibus nutriri. PRIMA TANAGREVM. Euboeum, *Tanagreus* ciuitas eſt Euboeæ, vt ipſe in catalogo, *mille ſagittiferos gelidos de colle Tanagra.* MARGINE PARMAE. inter limitem ſcuti vel galeæ. SACRI. execrabilis: ſeu quia Diana eius ſagittas infecerat. SAEVIT IN EVRITHION. ſubaudis turbatus eſt, aut periit. CALLIDA. inſidioſe facta: dicit ferrum ſagittarum tres vncos habere, vt infixum reuelli non poſſit. EXPLEVIT. ambos illius oculos obcæcauit.

HOSTEM. Parthenopæum. ADDIT. occidit. ABANTIADAS. Abantis filios, quos ſupra memorauit. *non ego Abantiadas.* ET MALE DILECTVM. quia dilectus inter vos non pietatis eſt, ſed libidinis. notandum ergo quod hic *malè* ſcelerate ſignificat, quia inceſtum oſtendit. ideo quaſi impii ipſius tantum mortem expreſſit. PRAECEPS. in præcipitio poſita, ſiue in montis latere ædificata. CANDIDA. propter columbas. NON EXCIPIETIS AMYCLAE. minime in ſuam patriam reuertitur, *Amyclæ* ciuitas Laconiæ regionis. QVIS CREDERET ARCVM. poſt terga mittebat ſagittas fugiens, ſicut Parthi. Lucan. *Et melior ceſsiſſe loco quam pellere virtus.* Virgil. *fidentémque fuga Parthum verſiſque ſagittis.*

Et iam mirantes, indignantéſque coibant
Labdacidæ. primúſque Iouis de ſanguine claro,
Amphion ignarus adhuc quæ funera campis
Ille daret, Quonam vſque moram lucrabere fati

O multum miſeros puer orbature parentes?
Quin etiam menti tumor, atque audacia gliſcit,
Congreſſus dum nemo tuos, pugnámque minorem
Dignatur bellis, irámque relinqueris infra.
I repete Arcadiam, mixtúſque æqualibus illic,
Dum ferus hic vero deſæuit puluere Mauors,
Prælia lude domi. quod ſi te mœſta ſepulchri
Fama mouet, dabimus, leto moriere virorum.
Iam-dudum hunc contra ſtimulis grauioribus ardet
Trux Atalantiades. nec dum ille quieuerat, infit,
Sera etiam in Thebas, quarum hic exercitus arma
Profero. quiſnam adeò puer, vt bellare recuſet
Talibus? Arcadiæ ſtirpem, & fera ſemina gentis,
Non Thebana vides. non me ſub nocte ſilenti
Thyas Echionio genitrix famulata Lyæo.
Edidit, haud vnquam deformes vertice mitras
Induimus, turpíque manu iactauimus haſtam.
Protinus aſtrictos didici reptare per amnes,
Horrendáſque domos magnarum intrare ferarum,
Et quid plura loquar? ferrum mea ſemper, & arcus
Mater habet, veſtræ feriunt caua tympana matres.

LABDACIDAE. à patre Labdaco. AMPHION. filius Amphionis, Zeti fratris. QVAE FVNERA. quantas mortes. INFRA. nec dignus ira hoſtis, contemptibilis. FAMA MOVET. ſi vis glorioſe mori. Hic exercitus dicit Parthenopæus, Thebanorum debilitati etiam puerilia arma ſufficere. NOCTE SILENTI. epitheton noctis. ſeu quod ſacra à Thebanis tacite celebrantur. VERTICE MITRAS, *mitra* incuruum pileum, de quo dependent baccarum tegmina. & oratorie crimen obiectum eſt ex habitus qualitate. Virgil. — — *& tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.*

Non tulit Amphion, vultúmque, & in ora loquentis
Telum immane rotat, ſed ferri lumine diro
Turbatus ſonipes, ſeſe dominúmque retorſit
In latus, atque auidam tranſmiſit deuius haſtam.
Acrior hoc iuuenem ſtricto mucrone petebat
Amphion. cùm ſe medio Latonia campo
Iniicit ante oculos, omni ſtetit obuia vultu.
Hærebat iuueni deuinctus amore pudico
Mænalius Dorceus, cui bella, ſuúmque timorem
Mater, & audaces pueri mandauerat annos.

At pater Ogygias Mauors circumſpicit alas,
Horrendúmque Dryanta mouet, cui ſanguinis author
Turbidus Orion, comitéſque odiſſe Dianæ.
Inde furit primùm. hic turbatos arripit enſe
Arcadas, exarmátque ducem. cadit agmine longo
Cyllenes populus. Tegeeſque habitator opacæ,
Aepitiíque duces fugiunt, Pheneíque phalanges.
Ipſum autem, & laſſa fidit proſternere dextra,
Nec ſeruat vires. & enim huc iam feſſus, & illuc,
Mutabat turmas, vrgent præſagia mille
Funeris, & nigræ præcedunt nubila mortis.
Iámque miſer raros comites, verúmque videbat
Dorcea, iam vires paulatim abſcedere ſentit,
Sentit & exhauſtas humero leuiore pharetras:
Iam minus atque minus fert arma, puerque videtur.
Et ſibi cùm torua clypei metuendus obarſit
Luce Dryas, tremor ora repens, ac viſcera torſit
Arcados. vtque feri vectorem fulminis albus
Cùm ſupra reſpexit Olor, cupit hiſcere ripam
Strymonos, & tripidas in pectora contrahit alas;
Sic iuuenem ſæui conſpecta mole Dryantis,
Iam non ira ſubit, ſed leti nuncius horror.
Arma tamen fruſtra ſuperos, Triuiámque precatus
Molitur palens, & ſurdos expedit arcus.

Colvs. Parcarum, id eſt, finita eſt Parthenopæi vita. Pvdore. ſubaudis ceſſit, & auertit à Parthenopæo faciem. Tvrbidvs Orion. quia hic Dryas Orionis fuit filius, qui immiſſu Dianæ ſcorpii ictu periit. turbidus autem quia ſtella eius tempeſtatem mouet. ſiue fortis vel incontinens, quippe qui nimio amore Dianæ flagrauit. Inde fvrit primvm. ex illa cauſa, quia patrem eius Diana ſagittis occiderat. vnde Horat. *Virginea domitus ſagitta.* Arcadas. comites Dianæ. Servat vires. dum hoſtes inſequuntur. Praecedvnt nvbila mortis. circunuolant: id eſt, mens Parthenopæi turbabatur vicinæ mortis aduentu. Vervmqve videbat. Non eum in quem fuerat Diana immutata. Obarsit. effulſit, vel reſplenduit. auus enim Dryas Neptuni filius fuit, Iouis & Mercurii. idcirco duorum numinum armis gerebat inſignia. Hiscere ripam. vt ſe ſubmergat, & fugiat aquilam. Expedit. ad ſagittandum parat.

Iámque inſtat telis, & vtramque obliquus in vlnam
Cornua contingit mucrone, & pectora neruo.
Cùm ducis Aonij magno cita turbine cuſpis
Fertur in aduerſum, neruíque obliqua ſonori

Vincla ſecat, pereunt ictus, manibúſque remiſſis
Vana ſupinato ceciderunt ſpicula cornu.
Tunc miſer & frenos turbatus, & arma remiſit
Vulneris impatiens. humeri quà tegmina dextri
Intrarat, facilémque cutem ſubit altera cuſpis,
Cornipedíſque fugam ſucciſo poplite ſiſtit.
Tunc cadit ipſe Dryas (mirum) nec vulneris vſquam
Conſcius, olim author teli, cauſæque patebant.
At puer infuſus ſociis, in deuia campi
Tollitur (heu ſimplex ætas.) moriénſque iacentem
Flebat equum. cecidit laxata caſſide vultus,
Aegráque per trepidos expirat gratia viſus,
Et prenſis concuſſa comis. ter colla, quatérque
Stare negant, ipſiſque nefas lachrymabile Thebis,
Ibat purpureus niueo de pectore ſanguis.

Aonii. Dryantis. Nervi sonori. arcus Parthenopæi inciſo neruo. Ictvs. quos Parthenopæus parauerat perierunt. Facilem. mollem ſeu penetrabilem, vt pueri ſcilicet. Poplite sistit. per ſedentis poplitem equum percuſſit. Conscivs. à Diana intelligitur Dryas occiſus, vt ipſa ſuperius promiſerat dicens. *& noſtris fas ſit ſæuire ſagittis.* Et praehensis concvssa comis. nam morituris ſolent erigere capita, comas concutiendo ſiue vellendo, quaſi reuocent illius ſenſum.

Tandem hæc ſingultu verba incidente profatur:
Labimur, I miſeram Dorceu ſolare parentem.
Illa quidem, ſi vera ferunt præſagia curæ,
Aut ſomno iam triſte nefas, aut omine vidit.
Tu tamen arte pia trepidam ſuſpende, diúque
Decipito, neu tu ſubitus, néue arma tenenti
Veneris, & tandem cùm iam cogêre fateri,
Dic merui genitrix pœnas, inuita capeſſens
Arma puer rapui, nec te retinente quieui,
Nec tibi ſollicitæ ſaltem inter bella peperci.
Viue igitur, potiúſque animis iraſcere noſtris.
Et iam pone metus. fruſtra de colle Lycæi
Anxia proſpectans, ſi quis per nubila longè
Aut ſonus, aut noſtro ſublatus ab agmine puluis.
Frigidus in nuda iaceo tellure. nec vſquam
Tu propè, quæ vultus, efflantiáque ora teneres.

Hunc

Hunc tamen orba parens crinem (dextráque ſecandum
Præbuit) hunc toto capies pro corpore crinem,
Comere quem fruſtra me dedignante ſolebas.
Huic dabis exequias. atque inter iuſta memento
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis,
Dilectóſque canes vllis agat amplius antris.
Hæc autem primis arma infelicia caſtris
Vre, vel ingratæ munus ſuſpende Dianæ.

INCIDENTE. irrumpente. ARMA TENENTI. ne audita morte mea, te aut ſe interficiat. id eſt, ſtatim vt Veneris ne dicas me occiſum fuiſſe. DIC MERVI. dic meæ matri, ex mea perſona merui occidi, quia te reuocantem me ab intentione belli non ſum ſecutus, & merito pœnas dedi. CAPESSE. quia te contempſi. VT ORBITARIS. quia filio priuaris. PEPERCI. quia audacius quam ætas poſcebat bella tractaui. PONE METVS. deſine pro me eſſe ſollicita. PRAEBVIT. interpoſitio per poetæ perſonam. ME DEDIGNANTE SOLEBAT. quia quaſi vir fortis volebat ornatibus decorari. INGRATAE. M. SVSPENDE. Quæ me non potuit inter bellum protegere.

EXPLICIT

THEBAIDOS LIBER NONVS.

u u

ARGVMENTVM
LIBRI DECIMI
THEBAIDOS.

QVATVOR afflictis ducibus fiducia belli
Sydoniis creſcit, Graiorum obſidere caſtra.
Tunc Iuno mittit, quæ ſomnum concitet, Irin.
Thebanis ſubito ſoluuntur membra ſopore.
Thyodamus ſtimulat nocturna in prælia Graios,
Fata docens. iugulant iacentia corpora ferro.
Decipit incautos pietas, Hopleúmque atque Dimanta,
Oenide exanimis læti dum membra reportant.
Pandere Tyreſiam compellunt debita Thebis.
Tunc patriæ vitam largitur ſponte Menœceus.
Mox Capaneus ſcalis conſcendit mœnia ſæuus.
Fulmine percuſſus turrim complectitur ardens.

INTERPRETATIO.

HIC LIBER continet hortatus Etheoclis, vt per noctem ſui milites obſideant caſtra Argiuorum. inde per noctem officia vigiliarum & ducis. Argiuarum matrum deprecatio in templo Iunonis, & pepli oblatio. Iunonis præcepta per Irin ad ſomnum, vt Thebanos vigiles obruat. deſcriptio domus ſomni, & eius ad Thebas aduentus. executio de his quæ mandauerat Iuno. Thiodamantis ſacerdotis ſubitus furor, perſuadentis vt inuadantur Argiui. Adraſti gratulatio, & eruptio Thiodamantis, & vaſtatio Argiuorum morientibus Thebanis. Dymantus & Hoplei comitum Tydei & Parthenopæi allocutiones, in deliberandis cadaueribus ducum. Ipſorum cadauerum reportatio. Superuentus Amphionis ducis Thebani. Fuga Amphionis ducis Thebani, cognita ſuorum nece. Nocturna Capanei & vltra humanum modum dimicatio. vaticinatio Tyreſiæ, quod Thebani non poſſent aliter vincere, niſi vnus ſe de draconteo ſemine deuoueret. Deuotio Menœcei Creontis filii, qui perſuadente virtute in Manthus formam conuerſus, ſe de muro vulneratum pro patria præcipitem dedit, cum non potuiſſet eum pater pia allocutione à voluntate dimouere. Capanei aſcenſus in Thebanum murum, & eius poſt diuerſorum numinum indignantium querelas, per fulmen interitus.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER DECIMVS

Incipit.

OBRVIT Heſperia Phœbum nox humida porta,
Imperiis properata Iouis, nec caſtra Pelaſgum,
Aut Tyrias miſeratus opes, ſed triſte tot extra
Agmina, & immeritas ferro decreſcere gentes.
Panditur immenſo deformis ſanguine campus.
Illic arma, & equos, ibant quibus ante ſuperbi,
Funeraq; orba rogis, neglectaq; mẽbra relinquunt.
Tunc inhonora cohors laceris inſignibus ægras
Secernunt acies, portæq; ineuntibus arma
Anguſtæ populis, latè cepere reuerſos.
Par vtrinque dolor, ſed dant ſolatia Thebis
Quatuor errantes Danaum ſine præſide turmæ.
Ceu mare per tumidum viduæ moderantibus alni,
Quas Deus, & caſus, tempeſtatéſque gubernant.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

OBRVIT HESPERIA. *Heſperia* occidentali. PROPERATA. feſtinata. MISERATVS OPES. miſeratus eſt Iupiter triſte eſſe perire illos, qui nec Thebani fuerant, nec Argiui, ſed vtriuſque partibus auxilio venerant. PANDITVR. abſceſſu militum patefactus eſt campus, quorum acie antea tegebatur. DEFORMIS SANGVINE. horridus ſiue confuſus. ORBA ROGIS. ſepultura carentia. LACERIS. ſciſſis. INEVNTIBVS ARMA. anaſtrophe, pro euntibus in arma, id eſt ad bellum. ANGVSTAE. nimia multitudine. LATE CEPERE REVERSOS. quia pauci redierant.

PAR VTRINQVE DOLOR. quia vtriuſque partis magna clades extiterat. QVATVOR ERRANTES. Amphiarai, Tydei, Hippomedontis, Parthenopæi. VIDVAE MODERANTIBVS ALNI. gubernatoribus deſtitutæ. *Moderantibus* pro moderatoribus, participium pro nomine.

Inde animus Tyriis: non iam ſua caſtra, ſed vltrò
Hoſtilem ſeruare fugam, nec fortè Mycenas
Contenti rediiſſe petant. dat teſſera ſignum
Exubiis, poſitæque vices. dux noctis opertæ
Sorte Meges, vltroque Lycus. iámque ordine iuſſo
Arma, dapes, ignémque ferunt, rex firmat euntes.
Victores Danaum (nec enim lux craſtina longè,
Nec quæ pro timidis interceſſere tenebræ
Semper erunt) augete animos, & digna ſecundis
Pectora ferte deis. iacet omnis gloria Lernæ,
Præcipuæque manus, ſubiitque vltricia Tydeus
Tartara. mors ſubitam nigri ſtupet auguris vmbram.
Iſmenos raptis tumet Hippomedontis opimis.
Arcada belligeris pudet annumerare trophæis.
In manibus merces. nuſquam capita ardua belli
Monſtratæque ducum ſeptena per agmina criſtæ.
Scilicet Adraſti ſenium, fraterque iuuenta
Peior, & inſanis Capaneus metuendus in armis?
Ite age, & obſeſſis vigiles circundate flammam.
Nulli ex hoſte metus, prædam adſeruatis, opéſque
Iam veſtras. Sic ille truces hortatibus implet
Labdacidas. iuuat exhauſtos iterare labores.
Sicut erat puluis, ſudórque, cruórque per artus
Mixtus adhuc, vertêre gradum. vix obuia paſſi
Colloquia, amplexus etiam, dextráſque ſuorum
Excuſſere humeris. tunc frontem, auerſáque terga
Partiti, laterúmque ſinus, vallum vndique cingunt
Ignibus infeſtis. rabidi ſic agmine mixto
Sub noctem coiere Lupi, quos omnibus agris
Nil non auſa fames longo tenuauit hiatu,
Iam ſtabula ipſa premunt. torquet ſpes irrita fauces,
Balatúſque tremens, pinguéſque ab ouilibus auræ.
Quod ſupereſt duris adfringunt poſtibus vngues,
Pectoráque, & ſiccos minuunt in limine dentes.

ANIMVS. audacia: hinc enim fiducia Thebanis accreuerat, quod quatuor Argiuorum duces eximii extincti fuerant ſorte bellorum. CONTENTI REDIISSE. quibus ſine gloria incolumibus in patriam rediiſſe ſuffecerat. DAT TESSERA. nuncius belli, quando per vigilias nunc teſſera dicitur. VICES. excubantium ſucceſſiones. VLTRO. voluntate, non ſorte cogente. LVX CRASTINA. quæ nox victores efficiet. SECVNDIS. fauentibus. TVMET. ſuperbit. IN MANIBVS MERCES. in promptu eſt præmium laboris noſtri. IAM VESTRAS. ad incitandum virorum fortium animos ſpem prædæ monſtrauit. vt Lucan. *ſupereſt pro ſanguine merces, quam monſtrare meum eſt.*
VERTERE GRADVM. ad Argiuos. ADVERSAQVE TERGA. excubiarum inter ſe officia diuiſerunt. SVB NOCTEM. per noctem. FAVCES. luporum. QVOD SVPEREST. ſiquidem nil aliud poteſt facere.

At procul Argolici ſupplex in limine templi
Cœtus, & ad patrias fuſæ Pœlopeides aras
Sceptriferæ Iunonis opem, reditúmque ſuorum
Expoſcunt. pictáſque fores, & frigida vultu
Saxa terunt, paruóſque docent procumbere natos.
Condiderant iam vota diem. nox addita curas
Iungit, & aggeſtis vigilant altaria flammis.
Peplum etiam dono, cuius mirabile textum
Nulla manus ſterilis, nec diſſociata marito
Verſarat calathis, caſtæ velamina diuæ
Haud ſpernenda ferunt. variis vbi plurima floret
Purpura picta modis, mixtóque incenditur auro.
Ipſa illic magni thalamo deſponſa Tonantis
Expers connubij, & timidè poſitura ſororem
Lumine demiſſo pueri Iouis oſcula libat
Simplex, & nondum furtis offenſa mariti.
Hoc tunc Argolicæ ſanctum velamine matres
Induerant ebur, & lachrymis queſtúque rogabant.
Aſpice ſacrilegas Cadmeæ pellicis arces
Siderei regina poli, tumulúmque rebellem
Diſiice, & in Thebas aliud (potes) excute fulmen.
Quid faciat? ſcit fata ſuis contraria Grais.
Auerſúmque Iouem. ſed nec periiſſe precatus
Tantáque dona velit. tempus tamen obuia magni
Fors dedit auxilij. videt alto ex æthere clauſa
Mœnia, & inſomni vallum ſtatione teneri.
Horruit irarum ſtimulis, motáque verendum
Turbauit diadema coma. non ſæuius arſit
Herculeæ cùm matris onus, geminóſque Tonantis

Concubitus vacuis indignaretur in aſtris.
Ergo intempeſta ſomni dulcedine captos
Deſtinat Aonios leto præbere, ſuámque
Orbibus accingi ſolitis iubet Irin, & omne
Mandat opus. paret iuſſis dea clara, polúmque
Linquit, & in terras longo ſuſpenditur arcu.

Saxa terunt. ita ſuppliciter humi procubuerunt, vt vultibus ſuis templorum tegerent limina. Peplum etiam dono. peplum eſt veſtis candida, aureis clauis picta, ſine manicis, quod ſimulachris fiebat. ſed hoc peplum primum eſt ab Athenienſibus inſtitutum, quod matronæ ſuis manibus faciebant. & inter triennium numinibus offerebant. Vbi. in ipſo peplo. Floret. ſplendet. Incenditur. ſplendet. Desponsa. ſponſa deſignata. Lumine demisso. nam virginitas cum pudore deponitur fœminarum. Tumulumque rebellem. ſynecdoche, à parte totum. & tumulum in quo natus eſt Liber rebellem contra Iunonem. Fors dedit. caſus occurrens. Vallum. Thebanorum. Geminosque tonantis. Indignata eſt Iuno vacuis in aſtris geminos Iouis in Thebana vrbe concubitus. Orbibus accingi. Virg. *mille trahit varios aduerſo ſole colores.* Suspenditur. curuatur. vt ipſe alibi. *ſuſpendit Pelion arcu.*

Stat ſuper occiduæ nebuloſa cubilia noctis,
Aethiopáſque alios, nulli penetrabilis aſtro
Lucus iners. ſubtérque cauis graue rupibus antrum
It vacuum in montem. quà deſidis atria ſomni,
Securúmque larem ſegnis Natura locauit.
Limen opaca Quies, & pigra Obliuia ſeruant,
Et nunquam vigili torpens Ignauia vultu.
Otia veſtibulo, preſſiſque ſilentia pennis
Muta ſedent, abigúntque truces à culmine ventos.
Et ramos errare vetant, & murmura demunt
Alitibus. non hîc pelagi, licet omnia clament
Littora, non illic cœli fragor. ipſe profundis
Vallibus effugiens ſpeluncæ proximus amnis
Saxa inter, ſcopulóſque tacet. nigrantia circum
Armenta. omne ſolo recubat pecus, & noua marcent
Germina, terrarúmque inclinat ſpiritus herbas.
Ipſe autem vacuus curis, humentia ſubter
Antra ſoporifero ſtipatus flore, tapetis
Incubat. exhalant veſtes, & corpore pigro
Strata calent. ſupráque torum niger efflat anhelo
Ore vapor: manus hæc fuſos à tempore læuo
Suſtentat crines, hæc cornu oblita remiſit.

Sunt etiam innumero rerum vaga ſomnia vultu,
Vera ſimul falſis, permixtâque triſtia blandis,
Noctis opaca cohors, trabibúſque, aut poſtibus hærent,
Aut tellure iacent. tenuis qua circuit aulam
Inualidúſque nitor, primóſque hortantia ſomnos
Languida ſucciduis expirant lumina flammis.
Huc ſe cœruleo librauit ab æthere virgo
Diſcolor. effulgent ſiluæ, tenebroſáque Tempe
Adriſere deæ, & zonis lucentibus icta
Euigilat domus. ipſe autem nec lampade clara,
Nec ſonitu, nec voce deæ perculſus, eodem
More iacet, donec radios Thaumantias omnes
Impulit, ínque oculos penitus deſcendit inertes.

OCCIDVAE. in occidentalibus partibus conſtitutæ. ÆTHIOPASQVE ALIOS. Mauros dicit occidentales. NVLLI PENETRABILIS ASTRO. hoc eſt nullius ſideris lumen admittens. INERS. quietus. GRAVE. pigrum ſiue obſcurum. IT. vadit. DESIDIS. inertis. ERRARE. moueri. EFFVGIENS. procurrens.

Tunc ſic orſa loqui. Nimborum fulua creatrix
Sidonios te Iuno duces, mitiſſime diuum
Somne iubet, populúmque trucem defigere Cadmi.
Qui nunc euentu belli tumefactus, Achiuum
Peruigil aſſeruat vallum, & tua iura recuſat.
Da precibus tantis, rara eſt hoc poſſe facultas,
Placatúmque Iouem dextra Iunone mereri.
Dixit, & increpitans languentia pectora dextra,
Ne pereant voces, iterúmque, iterúmque monebat.
Ille deæ iuſſis, dubius mixtúſque ſopori,
Annuit. excedit grauior nigrantibus antris
Iris, & obtuſum multo iubar excitat imbri.
Ipſe quoque & volucrem greſſum, & ventoſa citauit
Tempora, & obſcuri ſinuatam frigore cœli
Impleuit chlamidem, tacitóque per æthera curſu
Fertur, & Aoniis longè grauis imminet aruis.
Illius aura ſolo volucres, pecudéſque, feráſque,
Explicat, & penitus quamcunque ſuperuolat vrbem,
Languida de ſcopulis ſidunt freta. pigrius hærent
Nubila, demittunt extrema cacumina ſiluæ.
Pluráque laxato ciciderunt ſidera cœlo.
Primus adeſſe Deum ſubita caligine ſenſit

Campus, & innumeræ voces, fremitúſque virorum
Summiſere ſonum. cùm verò humentibus alis
Incubuit, piceáque haud vnquam denſior vmbra
Caſtra ſubit, errare oculi, reſolutáque colla,
Et medio affatu verba imperfecta relinqui.
Mox & fulgentes clypeos, & ſæua remittunt
Pila manu, laſſique cadunt in pectora vultus.
Et iam cuncta ſilent. ipſi iam ſtare recuſant
Cornipedes. ipſos ſubitus cinis abſtulit ignes.
At non & trepidis eadem ſopor otia Grais
Suadet, & à iunctis arcet ſua nubila caſtris
Noctiuagi vis blanda Dei. ſtant vndique in armis
Fœdam indignantes noctem, vigiléſque ſuperbos.

Campvs. Thebanorum poſuit terram. Svmmisere. ſuppreſſere. Errare. dormitare. Vvltvs. deſcriptio altius dormientis. Castris. Argiuorum.

Ecce repens ſuperis animum lymphantibus horror
Thyodamanta ſubit, formidandóque tumultu
Pandere fata iubet. ſiue hanc Saturnia mentem,
Siue nouum comitem bonus inſtigabat Apollo.
Proſilit in medios, viſu audituque tremendus,
Impatiénſque Dei, fragili quem mente receptum
Non capit, exundant ſtimuli, nudúſque per ora
Stat furor, & trepidas incerto ſanguine tendit,
Exhauritque genas: acies huc errat, & illuc,
Sertáque mixta comis ſparſa ceruice flagellat.
Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex aditis, conſumptáque brachia ferro
Scire vetat. quatit ille ſacras in pectora pinus,
Sanguineóſque rotat crines, ac vulnera curſu
Exanimat. pauet omnis ager reſperſáque cultris
Arbor, & attoniti currum erexere leones.
Ventum ad concilij penetrale, domúmque verendam
Signorum, magnis vbi dudum cladibus æger
Rerum extrema mouens, fruſtra conſultat Adraſtus.
Stant circùm ſubiti proceres. vt quiſque perempto
Proximus, & magnis loca deſolata tuentur
Regibus, haud læti, ſeque huc creuiſſe dolentes.

Non

Non ſecus amiſſo medium cùm præſide puppis
Fregit iter, ſubit ad vidui moderamina claui,
Aut laterum cuſtos, aut quem penes obuia ponto
Prora fuit. ſtupet ipſa ratis, tardéque ſequuntur
Arma, neque accedit domino tutela minori.

REPENS. Repentinus. LYMPHANTIBVS. Furentibus. SIVE NOVVM. quia Thiodamas in locum Amphiarai fuerat conſtitutus. STIMVLI. quibus premebatur à numine. NVDVS. manifeſtus & euidentius patens. STAT. plenus eſt. vt Virgil. *Stant & iuniperi.* INCERTO. trementi ſiue ambiguo, quia modo rubor, modo pallor ora eius mutauerat. vt Virgil. *Cui plurima fanti Ante fores ſubito non vultus, non color vnus.*

TENDIT. inflat. vt Lucan. *Tendátque cutem pereunte figura.* SPARSA. rotata hac atque illac coma. vt Virgil. *Non compta manſere comæ.* SIC PHRYGA. quos in templo Matris Deum Gallos appellant. CRVENTVM. cruentatum. CONSVMPTA. lacerata. SCIRE VETAT. quia dolorem furor ſentire non patitur. PINVS SACRAS. conſecratas faces. RESPERSA. polluta ſanguine, quem furens laniato corpore ſuo fuderat. vt Virgil. *Sparſi rorabant ſanguine vepres.* ARBOR. pinus, quæ colitur in ſacris Matris Deûm, ſub qua iacuit Attis, Matri Deum dilectus. SIGNORVM. militarium. MOVENS. animo reputans ærumnas. SVBITI. noui, id eſt, qui in locum peremptorum ducum fuerant conſtituti. SEQVE HVC CREVISSE. id eſt, ad hos honores prouectos ſe dolebant: ideo quod occiſis ducibus, per calamitatem prouecti ſunt. FREGIT ITER. id eſt, à gubernatore deſerta eſt. AVT LATERVM CVSTOS. quia nauis latera cuſtodiendo ſeruabat. DOMINO TVTELA MINORI. hoc eſt nouo gubernatori: qui in locum defuncti ſucceſſit, non minus conſeruandæ nauis ſibi creditæ creſcit ſtudium.

Ergo alacer trepidos ſic erigit augur Achiuos
Magna deum mandata, duces, monitúſque verendos
Aduehimus, non hæ noſtro de pectore voces.
Ille canit. cui me famulari, & ſumere vittas
Veſtra fides, ipſo non diſcordante, ſubegit.
Nox fœcunda operum, pulchréque accommoda fraudi
Panditur augurio diuum. vocat obuia virtus.
Et poſcit Fortuna manus. iacet obruta ſomno
Aonidum legio. tempus nunc funera regum
Vlciſci, miſerúmque diem. rapite arma, moráſque
Frangite portarum. ſociis hoc ſubdere flammas,
Hoc tumulare ſuos. equidem hoc & Marte diurno
Dum res infractæ, pulſique in terga redimus:
(Per tripodas iuro, & rapti noua fata magiſtri)
Vidi, & me volucres circùm plauſere ſecundæ.
Sed nunc certa fides, modò me ſub nocte ſilenti
Ipſe, ipſe aſſurgens iterum tellure ſoluta,
Qualis erat (ſolos infecerat vmbra iugales)

Amphiaraus adit. non vana monſtra quietis,
Nec ſomno comperta loquor. Túnc inquit inertes
Inachidas (redde hæc Parnaſia ſerta, meóſque
Redde deos) tantam patiere amittere noctem
Degener? hæc egomet cœli ſecreta, vagóſque
Edocui lapſus. ſuade eia, vlciſcere ferro
Nos ſaltem dixit. mèque hac ad limina viſus
Cuſpide ſublata, totóque impellere curru.
Quare agite, vtendum ſuperis: non comminus hoſtes
Sternendi, bellum iacet, & ſæuire poteſtas.
Hæc qui aderunt? quos ingenti ſe attollere fama
Non pigeat, dum fata ſinunt? iterum ecce benignæ
Noctis aues. ſequor, & comitum licet agmina ceſſent,
Solus eo: atque adeò venit ille, & quaſſat habenas.

Nox foecvnda. Fraudibus oportuna. Miservmqve diem. quo victi ſumus. Franoite portarvm. Vndique nos fractis portarum clauſtris in hoſtes immittite. Hoc tvmvlare. ſepelire. id eſt, pœnam quam hoſtibus tentamus inferre, pro ſepultura erit extinctis ſociis noſtris: quaſi vltione gaudeant interemptorum manes.

Eqvidem. per ironiam dictum eſt. id eſt, reuera hæc oportunitas nobis etiam per diem contingit, ideoque debemus differre. hoc eſt ne faciendi occaſio pereat, differri non debat. Secvndae. proſperæ. In se ipse. vt fidem vaticinationi ſuæ faciat, iterum ſe ab Apolline, vt hæc dicat, admoneri ſignificat. vt Virgil. *Ecce iterum ſtimulat.* Solvta. hiatu diuiſa. Vmbra ivgales. ipſe quidem tam clarus erat, quam fuerat viuens: equi autem ipſius inferorum fuerant offuſcati caligine. Non vanae monstra qvietis. Virgil.

Nec ſopor illud erat, ſed coram agnoſcere vultus,
Velatáſque comas, præſentiáque ora videbar.

Tvne inqvit. Inuehentis verba. Redde. hæc interpoſitio eſt. Amittere noctem. oportunitatem inuadendorum hoſtium perdere. Edocvi lapsvs. auium volatus oſtendit. Sternendi. non contra vigilantes cominus pugnabimus, ſed contra dormientes. Benignae noctis. demonſtratiuè; etenim dum loquitur, iterum proſperum augurium. Virgil. *Ecce iterum ſtimulat.* Qvassat habenas. quaſi denuo Amphiaraus reuertatur ad ſuperos, quod eſt iræ indicium, quod tardabant ire.

Talia vociferans, noctem exturbabat, eúntque
Non ſecus accenſi proceres, quàm ſi omnibus idem
Corde deus. flagrant comitari & iungere caſus.
Ter denos numero turmarum robora iuſſus
Ipſe legit: circa fremit indignata iuuentus
Cætera, cur maneant caſtris, ignauáque ſeruent
Otia. pars ſublime genus, pars facta ſuorum,
Pars ſua, ſortem alij clamant, ſortem vndique poſcunt.

Gaudet in aduerſis, animóque aſſurgit Adraſtus.
Vertice ſic Pholoes volucrum nutritor equorum,
Cui fœtura gregem pecoroſo vere nouauit,
Lætatur, cernens hos montis in ardua niti,
Hos innare vadis, certare parentibus illos.
Tunc vacuo ſub corde mouet, qui molle domandi
Ferre iugum, qui terga boni, quis in arma, túbaſque
Natus, ad Eleas melior quis ſurgere palmas.
Talis erat turmæ ductor longæuus Achiuæ,
Nec deeſt cœptis. Vnde hæc tam ſera repentè
Numina? qui fractos ſuperi rediiſtis ad Argos?
Eſtne hîc infelix virtus? gentíque ſuperſtes
Sanguis, & in miſeris animorum ſemina durant?
Laudo equidem egregij iuuenes, pulchráque meorum
Seditione fruor. ſed fraudem, & operta paramus
Prælia, cœlandi motus. nunquam apta latenti
Turba dolo. ſeruate animos. venit vltor in hoſtes
Ecce dies. tunc arma palàm, tunc ibimus omnes.
His tandem virtus iuuenum frenata quieuit.
Non aliter moto quàm ſi pater AEolus antro
Portam iterum ſaxo premat imperioſus, & omne
Claudat iter, iam iam ſperantibus æquora ventis.

NOCTEM EXTVRBABAT. id eſt, noctis quietem. SORTEM VNDIQVE POSCVNT. vt vel ſortes exigant qui mittantur. FORTVRA. equarum ſoboles. CERTARE. curſu contendere. TERGA BOVI. ſeſſioni vtiles. NATVS. naturaliter aptus. AD ARGOS. gentis noſtræ, quæ virtutis erat plena. SEDITIONE. quia certabant qui magis eligeretur. SPERANTIBVS AEQVORA VENTIS. in ſpe habentibus maria.

Inſuper Herculeum ſibi iungit Agyllea vates
Actoráque. hic aptus ſuadere, hic robora iactat,
Non ceſſiſſe patri. comites tribus ordine deni
Horrendum Aonijs, & contra ſtantibus agmen.
Ipſe noui gradiens furta ad Mauortia belli
Ponit adoratas Phœbeia inſignia frondes.
Longæuíque ducis gremio commendat honorem
Frontis, & oblatam Polynicis munere grato
Loricam, galeámque ſubit. ferus Actora magno
Enſe grauat Capaneus. ipſe haud dignatus in hoſtem

Ire dolo, ſuperóſque ſequi. permutat Agylleus
Arma trucis Nomij. quid enim fallentibus vmbris
Arcus, & Herculeæ iuuiſſent bella ſagittæ?
Inde per abruptas caſtrorum ex aggere pinnas,
Ne grauis exclamet portæ mugitus ahenæ,
Præcipitant ſaltu. nec longum, & protinus ingens
Præda ſolo. ceu iam exanimes, multóque peracti
Enſe iacent. Ite ô ſocij, quacunque voluptas
Cædis inexhauſtæ. ſuperiſque fauentibus oro
Sufficite. hortatur clara iam voce ſacerdos.
Cernitis expoſitas turpi marcore cohortes,
(Prò pudor) Argolicas hi ne auſi obſidere portas?
Hi ſeruare viros? ſic fatus & exuit enſem
Fulmineum, rapidáque manu morientia tranſit
Agmina. quis numeret cædes? aut nomine turbam
Exanimem ſignare queat? ſubit ordine nullo
Tergáque, pectoráque, & galeis incluſa relinquit
Murmura, permiſcétque vagos in ſanguine manes.
Hunc temerè explicitum ſtratis, hunc ſero remiſsis
Greſsibus illapſum clypeo, & malè tela tenentem:
Cœtibus hos mediis vina inter, & arma iacentes.
Adclines clypeis alios, vt quemque ligatum
Infelix tellure ſopor, ſupremáque nubes
Obruerat. nec numen abeſt, armatáque Iuno
Lunarem quatiens exerta lampada dextra
Pandit iter, firmátque animos, & corpora monſtrat.
Senſit adeſſe deam tacitus, ſed gaudia cælat
Thyodamas. iam tarda manus, iam debile ferrum,
Et caligantes nimiis ſucceſsibus iræ.

INSVPER. ſuper electos. APTVS SVADERE. aptus dandis conſiliis. IACTAT. gloriatur. NON CESSISSE PATRI. dat operam ne videatur patri eſſe diſſimilis. ORDINE DENI. deni comites ſingulos duces ſequebantur, vt cum his triginta proficiſcerentur ad bellum, quod Thebanis etiam potuiſſent per diem horrorem inducere. AGMEN. hi pauci etiam non dormientibus, & diuerſo pugnantibus ſine dubio ſuffeciſſent.

GREMIO. hoc eſt fidei. GALEAMQVE SVBIT. armatur. ENSE GRAVAT. non dixit *donat*, ſed *grauat:* quia ponderoſus erat. SVPEROSQVE SEQVI. quaſi impius. QVID ENIM. interrogatiuè. MVGITVS AHENAE. ne audirent hoſtes portarum ſtridorem. PERACTI. perfoſſi. EXPOSITAS. negligenter abiectas. HINE AVSI. debiles & ſomno dediti. SERVARE VIROS. Obſidere: ad emphaſin dictum. Ad hoc enim venerant Thebani, vt Argiuos ne fugerent cuſtodirent. TRANSIT. cito occidit. SIGNARE QVEAT.

numero diffinire. HVNC TEMERE. negligentem & ſine cura aliqua dormientem. EXPLICITVM. extenſum. Lucan. *Et omnem explicuit per membra virum.* GRESSIBVS ILLAPSVM CLYPEO. qui .ſ. ſero victus ſomno, dum ſtabat defecit, ac corruit. ACCLINES. ſtantes, aut incumbentes clypeis dormientes. DEBILE FERRVM. non ferrum debile, ſed qui occidendo vtebantur ferro debiles facti ſunt. CALIGANTES IRAE. incertæ perturbationes, ſiue ſedatæ.

Caſpia non aliter magnorum in ſtrage iuuencum
Tigris, vbi immenſo rabies pacata cruore,
Laſſauitque genas, & craſſo ſordida tabo
Confudit maculas, ſpectat ſua facta, dolétque
Defeciſſe famem: victus ſic augur inerrat
Cedibus Aoniis. optet nunc brachia centum,
Centenáſque in bella manus. iam tædet inanes
Exhaurire minas, hoſtémque aſſurgere malit.
Parte alia ſegnes magno ſatus Hercule vaſtat
Sidonios, Actórque alia. ſua quemque cruento
Limite turba ſubit. ſtagnant nigrantia tabo
Gramina, ſanguineis nutant tentoria riuis.
Fumat humus, ſomníque, & mortis anhelitus vnà
Voluitur, haud quiſquam, viſus aut ora, iacentum
Erexit. tali miſeris deus aliger vmbra
Incubat, & tantum morientia lumina ſoluit.
Traxerat inſomnis cithara ludóque ſuprema
Sidera, iam nullos viſurus Alimenus ortus,
Sidonium Pæana canens. huic languida ceruix
In leuum cogente deo, mediáque iacebant
Colla relicta lyra. ferrum per pectus Agylleus
Exigit, aptatámque caua teſtudine dextram
Percutit, & digitos inter ſua fila trementes.
Proturbat menſas dirus liquor: vndique manant
Sanguine permixti latices, & Bacchus in altos
Crateras, pateráſque redit. ferus occupat Actor
Implicitum fratri Thamyrum. Tagus haurit Ethecli
Terga coronati. Danaus caput amputat Hebri.
Neſcius heu rapitur fatis, hilaríſque ſub vmbras
Vita fugit, mortíſque feræ lucrata dolores.
Stratus humo gelida ſubter iuga fida, rotáſque,
Palpetus, Aonios gramen gentile metentes
Proflatu terrebat equos. madida ora redundant,

Accenſúſque mero ſopor æſtuat. ecce iacentis
Inachius vates iugulum fodit. expulit ingens
Vina cruor, fractúmque perit in ſanguine murmur.
Fors illi præſaga quies, nigráſque grauatus
Per ſomnum Thebas, & Thyodamanta videbat.

Caspia. à mari Caſpio, quod eſt inter Armeniam & Pontum. Rabies. fames. Confundit maculas. pulchritudinem macularum cruore perfuſſa turbauit. Spectat sua facta. victa fame reſpicit prædam. Doletque defecisse famem. dolet expletum fuiſſe deſiderium comedendi. Inanes. debiles, ſine effectu. Satus Hercule. Agylleus. Volvitur. lumine ſoluit. id eſt, ad mortem ſuam eorum oculos, in quem tela laxauerat ſomnus. Suprema. longa nocte, aut illis vltima. Cogente deo. premente ſomno. Exigit. tranſadigit. Cava testudine. antiptoſis, pro *caue teſtudini.*

Et digitos. poeticè dictum, vt morientis digiti citharæ fila pulſarent. vt Virgil. *Semianimeſque micant digiti, ferrúmque retractant.* Crateras paterasque. inuerſi crateres fuderunt merum, quod abundantia ſanguinis repulſum iacentes repleuit crateres. Implicitum. dum dormiunt mutuis ſe tenent amplexibus. Haurit. perfodit, penetrat. Nescius. quia dormiens morti dimittitur. Hilaris. quia ſine ſenſu doloris in fata deceſſit. Proflatu. anhelitu. Virgil. *—anhelum proſlabat ſub luce deum.*

Inachius vates. Thiodamas. Fractumque perit. ſucciſum, interruptum. voluit enim proloqui, ſed morte interueniente non potuit. Fors illi. Dubitando dixit poeta, quia coniectura erat potius, quam veritas quod dicebat.

Quarta ſoporiferæ ſuperabant tempora nocti,
Cùm vacuæ nubes, & honor non omnibus aſtris.
Afflatúſque fugit curru maiore Bootes
Iámque ipſum defecit opus. cùm prouidus Actor
Thyodamanta vocat. Satis hæc inopina Pelaſgis
Gaudia. vix vllos tanto reor agmine ſæuam
Effugiſſe necem. niſi quos deformis in alto
Sanguine degeneres occultat vita. ſecundis
Pone modum: ſunt & diris ſua numina Thebis.
Forſitan & nobis modò quæ fauere, recedunt.
Paruit, & madidas tollens ad ſidera palmas,
Phœbe tibi exuuias monſtratæ præmia noctis,
Nondum ablutus aquis, (tibi enim hæc ego ſacra litaui)
Trado ferus miles, tripodum fidúſque ſacerdos.
Si non dedecui tua iuſſa, tulique prementem,
Sæpe veni, ſæpe hanc dignare irrumpere mentem.
Nunc tibi crudus honor, trunca arma, cruórque virorum,
At patrias ſi quando domas, optatáque Pæan

Templa dabis Lyciæ, tot ditia dona ſacratis
Poſtibus, & totidem, voti memor, exige tauros.
Dixerat, & lætus ſocios reuocabat ab armis.

CVM VACVAE NVBES. toto rore vacuatæ. HONOR. lux. NON OMNIBVS ASTRIS. quia ſerena nocte non omnes ſtellæ æquali ſplendore fulgent. BOOTES. ſeptentrionem dixit, qui hebeſcit ſolis aduentu. DEFECIT OPVS. defecerunt mortes. MADIDAS. cruore perfuſas. MONSTRATAE PREMIA NOCTIS. quia ſupra dixit, de eo ſe fuiſſe commonitum. NONDVM ABLVTVS. nondum ſe ſacerdotali purificauerat ritu.

SI NON DEDECVI. ſi monitus tuos non indecenter effeci, ſiue non dehoneſtaui. TVLIQVE PREMENTEM. pertuli vrgentem, quia vatis præceptum impetiit numen. CRVDVS HONOS. cruentus à nobis præbetur. AT PATRIAS SI QVANDO DOMOS. ſi nos feceris ad patriam remeare. EXIGE TAVROS. tot tauros immolabo, quot hoſtes occidi.

Venerat hos inter fato Calydonius Hopleus,
Mænaliúſque Dymas, dilecti regibus ambo,
Regum ambo comites. quorum poſt funera mæſti
Vitam indignantur. prior Arcada concitat Hopleus.
Nulláne poſt manes regis tibi cura perempti,
Care Dyma? teneant quem iam fortaſſe volucres,
Thebánique canes. patriæ quid deinde feretis
Arcades? en reduces contra venit aſpera mater.
Funus vbi? at noſtro ſemper ſub pectore Tydeus
Sæuit inops tumuli, quamuis patientior artus
Ille, nec abruptis adeò lachrymabilis annis.
Ire tamen, ſæuumque libet nullo ordine paſſim
Scrutari campum, mediáſque irrumpere Thebas.
Excipit orſa Dymas. per ego hæc vaga ſidera iuro,
Per ducis errantes inſtar mihi numinis vmbras,
Idem ardor miſero. comitem circumſpicit olim
Mens humilis luctu. ſed nunc prior ibo, viámque
Inchoat, & mæſto conuerſus ad æthera vultu,
Sic ait. arcanæ moderatrix Cynthia noctis,
Si te tergeminis perhibent variare figuris
Numen, & in ſiluas alio deſcendere vultu,
Ille comes nuper, nemorúmque inſignis alumnus,
Ille tuus Diana puer (nunc reſpice ſaltim)
Quæritur. incendit pronis dea curribus almum
Sidus, & admoto monſtrauit funera cornu.
Apparent campi, Thebæque, altúſque Cytharon.

Fato vrgente. quia perituri ſunt. Hopleus. hic Tydeo fuit & militia, & amore, deuinctus. Aspera mater. fortius interrogans vos, vbi ſit funus filii. Saevit inops tumuli. quia diu vixerit: Parthenopæus autem immatura morte conſumptus eſt. Patientior artus. Figurata locutio; quamuis patientiores artus habeat. id eſt Tydei membra dura ſunt, & non cito tabeſcunt, nec vt adoleſcens Parthenopæus, multis ſit lachrymis dignus. Errantes. inſepultas. Idem ardor misero. eadem ego quoque cupiditate ſuccendor. Mens humilis. debilitatus animus. Arcanae. ſecretæ noctis domina. Alio descendere vultu. quia dicitur luna mutata ad ſiluas figura deſcendere. nam eandem etiam Dianam dicunt. vnde Virgil. *Aſtrorum decus & nemorum Latonia cuſtos.*

Sic vbi nocturnum tonitru malus æthera frangit
Iupiter, abſiliunt nubes, & fulgure claro
Aſtra patent, ſubitúſque oculis oſtenditur orbis.
Accepit radios, & eadem percitus Hopleus
Tydea luce videt. longè dant ſigna per vmbras
Mutua lætantes, & amicum pondus vterque
Ceu reduces vitæ, ſæuáque à morte remiſſos
Subiecta ceruice leuant. nec verba, nec auſi
Flere diu. propè ſæua dies, indéxque minatur
Ortus. eunt taciti per mœſta ſilentia magnis
Paßibus, exhauſtáſque dolent pallere tenebras.
Inuida fata piis, & ſors ingentibus auſis
Rarà comes. iam caſtra vident, animíſque propinquant,
Et decreſcit onus. ſubita cum pulueris vmbra
Fit ſonus à tergo. monitu ducis acer agebat
Amphion equites. noctem, vigilatáque caſtra
Explorare datus. primúſque per auia campi
Vſque procul (nec dum totas lux ſoluerat vmbras)
Neſcio quid viſu dubium, incertúmque moueri,
Corporáque ire videt ſubitus: mox fraude reperta
Exclamat. cohibete gradum quicunque. ſed hoſtes
Eſſe patet. miſeri pergunt ante ire, timéntque
Non ſibi. tunc mortem trepidis minitatur, & haſtam
Expulit, ac vanos alte leuat eminus ictus
Affectans errare manus. ſtetit illa Dymantis
Ante oculos qui fortè prior, greßúmque repreßit.
At non magnanimus curauit perdere iactus
Ephytus, & fixo tranſuerberat Hoplea tergo:
Pendentéſque etiam perſtrinxit Tydeos armos.
Labitur, egregiỹ ſed non ducis immemor, Hopleus.

Expirátque

Expirátque tenens. felix ſi corpus ademptum
Neſciat, ac ſæuas talis deſcendat ad vmbras.

MALVS AETHERA FRANGIT IVPITER. Nociua tempeſtas nubes collidit. ASSILIVNT. crepitant. ASTRA. pro cælo: nam diſſilientibus nubibus cælum patet. OSTENDITVR ORBIS. mundus appatet. ACCEPIT RADIOS. id eſt, Dymas. EADEM PARTITVS HOPLEVS. eadem luce qua radios acceperat Dymas. DANT SIGNA. Significant ſibi inuicem, ſe quæſita inueniſſe cadauera. REMISSOS. liberatos. PROPE SAEVA DIES. Silentii cauſam expoſuit. INDEXQVE MINATVR. aduentus diei raptorum cadauerum proditionem minatur. EXHAVSTAS. finitas. PALLERE TENEBRAS. lucis aduentu noctem finiri. ET FORS INGENTIBVS AVSIS. inuiderunt viris fortibus fata, quibus ſemper rarus felicitatis eſt euentus. ANIMISQVE PROPINQVANT. animorum cupiditate, licet adhuc non paruo diſiungerentur ſpatio, tamen ſpe & properandi ſtudio iam ſibi caſtra videbantur tenere. DECRESCIT ONVS. ſpe breuioris viæ minuebatur corporis magnitudo. INCERTVMQVE MOVERI. expreſſit quemadmodum in tenebris aliquid videretur. TIMENTQVE NON SIBI. mirè poeta animantium cadauera expreſſit affectum.

AFFECTANS ERRARE MANVM. non percutientis animo. CVRAVIT. ad hoc Epytus miſerat telum, vt Hopleum occideret. NESCIAT. ſi non ſentiat interuentu mortis amici ſibi corpus auferri.

Viderat hoc retro conuerſus, & agmina ſentit
Iuncta Dymas, dubius percibúſne ſubiret, an armis
Inſtantes. arma ira dabat, fortuna precari
Non audere iubet. neutri fiducia cæpto.
Diſtulit ira preces. ponit miſerabile corpus
Ante pedes, tergóque graues quas fortè gerebat
Tigridis exuuias, in leuum torquet, & obſtat
Exertum obiectans mucronem. inque omnia tela
Verſus, & ad cædem iuxta, mortemque paratus.
Vt lea, quam ſæuo fœtam preſſere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta ſuperſtat
Mente ſub incerta, toruum ac miſerabile frendens.
Illa quidem turbare globos, & frangere morſu
Tela queat, ſed prolis amor crudelia vincit
Pectora, & in media catulos circunſpicit ira.

IVNCTA DYMAS. Amphioni & Epyto qui præceſſerant. NEVTRI FIDVCIA. nec in precibus ſpem ſalutis relictam videbant. AD CAEDEM. deſperatione vitæ & ad occidendum, & ad moriendum erat paratus. VT LEA. Simili comparatione vſus eſt etiam in animoſitate Hippomedontis, dum Tydei cadauer ab hoſtibus defenſaret.

Imbellem non ſic amplexa iuuencum,
Infeſtante lupo, tum primum fœta tuetur Mater.

Et iam leua viro, quamuis ſæuire vetaret
Amphion, erepta manus, puerique trahuntur

Ora ſupina comis. ferus tunc denique ſupplex
Demiſſo mucrone rogat. Moderatius oro
.Ducite; fulminei per vos cunabula Bacchi,
Inoámque fugam, veſtrique Palæmonis annos.
Si cui fortè domi natorum gaudia, ſi quis
Hic pater, anguſti puero date pulueris hauſtus,
Exiguámque facem. rogat, en rogat ipſe iacentis
Vultus. ego infandas potior ſatiare volucres.
Me præbete feris. ego bella audere coëgi.
Immo ait Amphion, regem, ſi tanta cupido
Condere, quæ timidis belli mens ede Pelaſgis.
Quid fracti, exanguéſque parent. cuncta ocyus effer,
Et vita, tumulóque ducis donatus, abito.
Horruit, & toto præcordia protinus Arcas
Impleuit capulo. ſomnúmne hoc cladibus inquit
Deerat? vt afflictos turbarem ego proditor Argos?
Nil emimus tanti, nec ſic velit ipſe cremari.
Sic ait, & magno proſciſſum vulnere pectus
Iniecit puero. ſupremáque murmura voluens,
Hoc tamen interea claro potiere ſepulchro.
Tales optatis regum in complexibus ambo
Par inſigne animis Aetolus, & inclytus Arcas,
Egregias efflant animas, letóque fruuntur.

IAM LEVA VIRO. iam manus ſiniſtra Dymanti fuerat præſciſa, licet hoc inſtantius prohiberet Amphion. FVLMINEI. id eſt, an fulmine excuſſi vtero matris. INOAMQVE FVGAM. quia cum Ino ſe præcipitaret in mare, meruit numen fieri. VESTRIQVE. ad incutiendam miſericordiam hoſtibus, per infantiam numinis adiurat, vt Parthenopæi pueritiæ parceretur. HIC PATER. apud vos iacentes vultus, quia dixerat illum ſuperius ſupinum trahi, quemadmodum ſolent iacentes ſupplicare. IMMO AIT AMPHION. adhuc ignorauit Amphion extinctos vigiles ſuos. NIL EMIMVS TANTI. proditione ciuium meorum nec vitam meam, nec Parthenopæo quærimus ſepulturam. LAETOQVE FERVNTVR. in facto tali cum voluptate pereunt.

Vos quoque ſacrati, quamuis mea carmina ſurgant
Inferiore lyra, memores ſuperabitis annos.
Forſitan & comites non aſpernabitur vmbras
Euryalus, Phrygiíque admittet gloria Niſi.
At ferus Amphion, regi qui facta reportent,
Edoceántque dolum, captiuáque corpora reddant,

Mittit ouans. clauſis ipſe inſultare Pelaſgis
Tendit, & abſciſſos ſociorum oſtendere vultus.
Interea reducem murorum è culmine Graij
Thyodamanta vident. nec iam erumpentia cælant
Gaudia, vt exertos enſes: & cæde recenti
Arma rubere notant. nouus aſſilit æthera magnum
Clamor, & è ſummo pendent cupida agmina vallo
Noſcere quiſque ſuos. volucrum ſic turba recentum,
Cùm reducem longo proſpexit in æthere matrem,
Ire cupit contra, ſummáque è margine nidi
Extat hians: iam iámque cadat, ni pectore toto
Obſtet aperta parens, & amantibus increpet alis.
Dúmque opus arcanum, & taciti compendia Martis
Enumerant, lætiſque ſuos complexibus implent,
Hopleáque exquirunt, tardúmque Dimanta queruntur,
Ecce & Dircææ iuxta dux concitus alæ
Venerat Amphion, non longum cæde recenti
Lætatus: videt innumeris feruere cateruis
Tellurem, atque vna gentem expirare ruina,
Qui tremor illicita cœli de lampade tactos
Hic fixit iuuenem: paritérque horrore ſub vno
Vox, acies, ſanguiſque perit gemitúſque, parantem
Ipſe vltro conuertit equus. fugit ala retorto
Puluere. nondum illi Thebarum clauſtra ſubibant,
Et iam Argiua cohors nocturno freta triumpho
Proſilit in campos. per & arma, & membra iacentum
Tetráque congerie ſola, ſemianimúmque cruorem
Cornipedes, ipſique ruunt. grauis exterit artus
Vngula, ſanguineus lauat imber, & impedit axes.
Dulce viris hac ire via, ceu tecta ſuperbi
Sidonia, atque ipſas calcent in puluere Thebas.

MEMORES SVPERABITIS ANNOS. virtutis veſtræ gloria temporum longitudo vincetur. ADMITTET. ſuſcipiet, id eſt, participes ſuæ gloriæ faciet. ARMA RVBERE. Sanguine perfuſa rubeſcere. RECENTVM. pullorum. APERTA. Alis extenſis. INCREPET ALIS. Percutiendo alas pullos ſuos à caſu prohibeat. OPVS ARCANVM. quod perfecerat in inſidiis. IVXTA. ſimiliter. QVI TREMOR. tali tremore perculſus eſt, qualis ſolet inuadere fulminatos. ILLICITA. a longinquo epitheton traxit, eo quod non liceat tangi loca, vbi iaceant fulminati. RETORTO PVLVERE. retro contorto. nam pul-

uis illic erigitur quo homines. CONGERIE. ſanguinis collectione. SEMIANIMUM. ſemianimorum. EXTRAHIT. imminuit cadauera. IMPEDIT AXES. à curſu retardat.

Hortatur Capaneus. Satis occultata Pelaſgi
Delituit virtus. nunc nunc mihi vincere pulchrum
Teſte die. mecum clamore, & puluere aperto
Ite palàm iuuenes. ſunt & mihi prouida dextræ
Omina, & horrendi ſtricto mucrone furores.
Sic ait. ardentes alacer ſuccendit Adraſtus,
Argolicúſque gener, ſequitur iam triſtior augur.
Iámque premunt muros, & adhuc noua funera narrat
Amphion, miſerámque intrabant protinus vrbem.
Ni Megareus ſpecula citus exclamaſſet ab alta,
Claude vigil, ſubeunt hoſtes, claude vndique portas.
Eſt vbi dat vires nimius timor, ocius omnis
Porta coit. ſolas dum tardius arctat Echion,
Ogygias audax animis Spartana iuuentus
Irrupit, cæſique ruunt in limine primo
Incola Taygeti Panopæus, rigidúsque natator
Oebalus Eurotæ. túque ô ſpectate palæſtris
Omnibus, & nuper Nemeæo in puluere felix
Alcidama, primis quem cæſtibus ipſe ligarat
Tyndarides, nitidi moriens conuexa magiſtri
Reſpicis, auerſo pariter deus occidit aſtro.
Te nemus Oebalium, te lubrica ripa Lacænæ
Virginis, & falſo gurges cantatus olore,
Fleuit, Amyclæis triuiæ lugebere nymphis.
Et quæ te leges, præceptáque fortia belli
Erudiit genitrix, nimium didiciſſe queretur.
Talis Echionio Mauors in limine ſæuit.
Tandem humeris obnixus Acron, & pectore tota
Pronus & Alcmenides ferratæ robora portæ
Torſerunt. quanta pariter ceruice gementes
Perfringunt inarata diu Pangæa iuuenci
Par operis iactura lucro. quippe hoſte retento
Excluſere ſuos. cadit intra mœnia Graius
Ormenus, & pronas tendentis Amynthoris vlnas,
Fundentiſque preces, penitus ceruice reciſa,

Verba ſolo, vultúſque cadunt: collóque decorus
Torquis in hoſtiles cecidit per vulnus arenas.

DELITVIT VIRTVS. nocte per inſidias pugnans. PVLVERE. certamine. SVNT ET MIHI. ſicut Thiodamanti. PROVIDA DEXTRAE. non auium aut deorum. vt Virgilius. *Dextra mihi deus, & telum quod miſſile libro.*

TRISTIOR AVGVR. quoniam prodere non poterat futuram calamitatem. SPECVLA AB ALTA. Fœminino genere dixit. DAT VIRES NIMIVS TIMOR. facit vires eſſe maiores. TAYGETI. mons Laconicæ regionis. RIGIDI EVROTAE. frigidi. *Eurotas* fluuius Laconicæ regionis. SPECTATE. laudate. NEMAEO IN PVLVERE FELIX. modo in Nemæo agone victoria coronatus. hic Alcidamas in agone, quem in honorem Archemori Adraſtus celebrauit, aduerſus Capaneum cæſtibus dimicauit, vt ſuperius poeta teſtatur. *tandem inſperatus nuda de plebe Laconum proſilit Alcidamas.* CONVEXA. plaga cœli, in qua lucet ſtella Pollucis, quam refert poeta propter mortem cultoris ſui nominis in occaſum fuiſſe conuerſam. vnde ſuperius.

— Sed ſocij fretum Polluce magiſtro
Norunt, & ſacras inter creuiſſe paleſtras.

LACENAE. Lædam dicit, quam Iuppiter in cygnum mutatus compreſſit. FALSO OLORE. proprie dictum, quia non cygnus, ſed Iuppiter in cygnum verſus ad Lædam venerat. ERVDIT GENITRIX. quia mater Alcidamæ nympha fuit venatrix. quæ ſine dubio fleuit, quod ita fortem nutrierat, itaque bellicoſum, vt audacia virtutis ſuæ fretus, occubuiſſet incautus. ALCMENIDES. patronymicum. TORSERVNT. clauſerunt. PANGAEA. mons Macedoniæ vel Mænala.

Soluitur interea vallum, primæque recuſant
Stare moræ. iam ſe peditum iunxere cateruæ
Mœnibus, at patulas ſaltu tranſmittere foſſas
Horror equis, hærent trepidi, atque immane pauentes
Abruptum mirantur agi, nunc impetus iræ
Margine ab extremo, nunc ſponte in frena recedunt.
Hi præfixa ſolo vellunt munimina: at illi
Portarum obiectus minuunt, & ferrea ſudant
Clauſtra remoliri, trabibuſque, & ariete ſonoro
Pellunt ſaxa loco. pars ad faſtigia miſſas
Exultant heſiſſe faces. pars ima laceſſunt,
Scrutantúrque cauas cæca teſtudine turres.
At Tyrij, quæ ſola ſalus, caput omne coronant
Murorum, nigráſque ſudes, & lucida ferro
Spicula, & arſuras cœli per inania glandes,
Saxáque in aduerſos ipſis auulſa rotabant
Mœnibus. exundant ſæuo faſtigia nimbo,
Armatæque vomunt ſtridentia tela feneſtræ.
Qualiter aut Malean, aut alta Ceraunia ſupra
Ceſſantes in nube ſedent, nigríſque leguntur

Collibus, & ſubitæ ſaliunt in vela procellæ:
Talis Agenoreis, Argiuum exercitus armis
Obruitur. non ora virum, non pectora flectit
Imber atrox, rectóſque tenent in mœnia vultus
Immemores leti, & tantùm ſua tela videntes.
Anthea falcato luſtrantem mœnia curru
Deſuper Ogygiæ pepulit grauis impetus haſtæ.
Lora excuſſa manu, retróque in terga volutus
Semianimes artus, ocreis retinentibus, hæret:
(Mirandum viſu belli ſcelus) arma trahuntur,
Fumantéſque rotæ tellurem, & tertius haſtæ
Sulcus arant. longo ſequitur vaga puluere ceruix,
Et reſupinarum patet orbita lata comarum.

SOLVITVR INTEREA. irruperunt Argiui Thebanorum vallum, nec illos vis vlla potuit ab impetu retardare. MIRANTVR AGI. Agi ſe mirabantur equi à ſedentibus, per abrupta. IN FRENA RECEDVNT. in veſtigia redeunt; modo abeunt alacritate tranſeundi, modo timore altitudinis retrorſum redeunt. REMOLIRI. diſrumpere, auellere. NIGRASQVE. ſemiuſtas. ARSVRAS GLANDES. nam ſunt plumbeæ. plumbum enim ſolet nimietate iactus calefactum liquefieri. MOENIBVS. pro euerſione mœnium ipſis mœnibus pugnabatur. EXVNDANT FASTIGIA NIMBO. ſcatent multitudine iaculorum. CERAVNIA. montes Epyri excelſi, qui illis proprius nauigantes infeſtant. vnde Luc. *Scopuloſa Ceraunia nautæ ſumma timent.* VIRVM. Argiuorum. IMBER ATROX. telorum denſitas. etenim peculiare eſt poetis, belli impetum cœli tempeſtatibus comparare. FALCATO. falces habente. hoc genus armorum etiam Salluſtius deſcribit. OCREIS. crurum tegminibus, quibus in curru hærentibus trahebantur. MIRANDVM. miſerandum.

At tuba luctificis pulſat clangoribus vrbem,
Obſeptáſque fores ſonitu perfringit amaro.
Diuiſere aditus, omníque in limine ſæuus
Signifer ante omnes ſua damna, & gaudia portat.
Dira intus facies. vix Mauors ipſe videndo
Gaudeat. incertis lymphatam horroribus vrbem
Scindunt diſſenſu vario, luctúſque, furórque,
Et pauor, & cæcis fuga circumfuſa tenebris.
Bellum intraſſe putes. feruent diſcurſibus arces,
Miſcentur clamore viæ. ferrum vndique, & ignes
Mente vident. ſæuas mente accepere cathenas.
Conſumpſit ventura timor. iam tecta replerant,
Templáque, & ingratæ vallantur planctibus aræ.
Vnà omnes, eadémque ſubit formido per annos.

Poſcunt fata ſenes, ardet, pallétque iuuentus.
Atria fœmineis trepidant vlulata querelis.
Flent pueri, & flendi nequeunt cognoſcere cauſas
Attoniti, & tantùm matrum lamenta timentes.
Illas cogit amor, nec habent extrema pudorem,
Ipſæ tela viris, ipſæ iram, animóſque miniſtrant,
Hortantúrque, vnáque ruunt. nec auita gementes
Limina, nec paruos ceſſant oſtendere natos.
Sic vbi pumiceo paſtor rapturus ab antro
Armatas exegit apes, fremit aſpera nubes,
Inque vicem ſeſe ſtridore hortantur, & omnes
Hoſtis in ora volant, mox deficientibus alis
Amplexæ, flauámque domum, captiuáque plangunt
Mella, laboratáſque premunt ad pectora ceras.

AT TVBA. Argiuorum. AMARO. terribili. SVA DAMNA. quia occidebantur. DIRA INTVS FACIES. horrenda luctus ſpecies impleuerat ciuitatem. LYMPHATAM. timoris magnitudine furiatam. MENTE ACCEPERE CATHENAS. præ timore illa videbantur, quæ poterat inferre captiuitas. CONSVMPSIT VENTVRA TIMOR. peracta putabantur timoris magnitudine, quæ nondum euenerant ſorte bellandi. IPSAE TELA VIRIS. quia in calamitate nullus pudor eſt fœminis prodire in publicum, vel aliquo pro patria fungi officio. OSTENDERE NATOS. vt viros ſuos ad pugnam oſtendendo liberos, acrius excitarent. Salluſt. *Vt res magis quam verba gererentur, liberos parentéſque in muris locauerant.* ARMATAS. aculeis.

Nec non ancipitis pugnat ſententia vulgi.
Diſcordéſque ſerit motus. hi reddere fratrem,
Nec muſſant, ſed voce palàm, claróque tumultu
Reddere regna iubent. periit reuerentia regis
Sollicitis. Veniat, pactúmque hic computet annum:
Cadmeóſque lares exul, patriáſque ſalutet
Infelix tenebras. cur aut ego ſanguine fraudes,
Et periura luam regalis crimina noxæ?
Inde alij. ſera iſta fides, iam vincere mauult.
Tireſian alij lachrymis & ſupplice cætu
Orant, quódque vnum rebus ſolamen in arctis,
Noſſe futura rogant. tenet ille incluſa, premítque
Fata deum. Quiáne ante duci bene credita noſtra
Conſilia, & monitus cùm perfida bella vetarem?
Te tamen infelix, inquit, periturâque Thebe

Si taceam, nequeo miſer exaudire cadentem,
Argolicúmque oculis haurire vacantibus ignem,
Vincamur pietas. pone eia altaria virgo,
Quæramus ſuperos. facit illa, acieque ſagaci
Sanguineos flammarum apices, geminúmque per aras
Ignem, & clara tamen mediæ faſtigia lucis
Orta docet. tunc in ſpeciem ſerpentis inanem
Ancipiti gyro volui, frangique ruborem,
Demonſtrat dubio, patriáſque illuminat vmbras.
Ille coronatos iamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum ſorbens vultu flagrante vaporem.
Stant triſtes horrore comæ, vittáſque trementes
Cæſaries inſana leuat: diducta putares
Lumina, conſumptúmque genis rediiſſe nitorem.
Tandem exundanti permiſit verba furori.

Serit. diſpergit, immittit. Reverentia regis. perturbationis magnitudine nulla reuerentia regiæ perſonæ apud ſollicitos erat. Compvtet annvm. vt computato tempore exilij, anno integro ſolus Polynices regnum teneret. Tenebras. cæcitatem patris. Noxae. *noxa* eſt pœna, *noxia* culpa ipſa. Inde alii. e diuerſo alii contraria ſentiebant, dicendo: olim quidem iſtam fidem ſequi debuimus, vt Polyniceen minimè pelli pateremur, nunc verò cœpto ſemel prælio eſt acriter dimicandum. Qvia nec ante dvci. Ironicôs, cur modo futura non dicam, qui ante cùm ventura prædicerem, ita ſum libenter auditus. Dvci. Ethcocli. Peritvraqve Thebe: notandum quod *Thebe* ſingulariter dixit. Vacantibvs. cæcitate vacuatis. Vincamvr pietas. hoc eſt, decreueram quidem tacere: ſed miſeratione victus patriæ, me ſilere futura non patior. Acieqve sagaci. oculorum ſcilicet. Flammarvm apices. hoc genus ſacrificii καπνομαντεία dicitur, quia ex diuiſione ipſius fumi futura monſtrantur. Et clara tamen. Per medium ſplendentem apicem victoria Thebana monſtratur.

Fastigia lvcis. ſummum culmen exortæ flammæ. In speciem serpentis. ſerpentis ſpecie flamma figurata mortem ſignificat Menœcei, qui ex draconis ſemine originem trahebat. Ancipiti gyro. in vtraque parte. Volvi. frangi, obſcurarìque: vel flecti, ſiue rotari flammam in claram lucem. Dvbio Tyresiae. id eſt, ignaro, per cæcitatem neſciebat, quæ ſacrificia ſigna monſtrarent. Illvminat vmbras. dat oculos cæco, nunciando ſigna quæ facta ſunt. Ille coronatos. ſiue flamma in coronam verſa, ſiue quia aræ omnibus ſacrificiis coronabantur. Insana levat. furore diuino ſacerdotis crines horrebant. Dedvcta. patefacta. Consvmptvm. ſenectute horridum vultum lætitia futuræ victoriæ credens immutatum in priſtinum iuuentutis nitorem.

Audite ô ſontes, extrema litamina diuum
Labdacidæ. venit alma ſalus, ſed limite duro.
Martius inferias, & ſæua efflagitat anguis
Sacra, cadat generis quicúnque nouiſſimus extat,

Viperei. datur hoc tantùm victoria pacto.
Felix qui tanta lucem mercede relinquet.
Stabat fatidici prope ſæua altaria vatis
Mæſtus adhuc, patriæ tantùm communia lugens
Fata Creon. grandem ſubiti cùm fulminis ictum,
Non ſecus ac torta traiectus cuſpide pectus,
Accipit exanimis, ſentítque Menœcea poſci.
Monſtrat enim, ſuadétque timor. ſtupet anxius alto
Corda metu glaciante pater. Trinacria qualis
Ora repercuſſum Libyco mare ſumit ab æſtu.
Mox plenum Phœbo vatem, & celerare iubentem
Nunc humilis genua amplectens, nunc ora canentis
Nequicquam reticere rogat. iam fama ſacratam
Vocem amplexa volat, clamántque oracula Thebæ.

EXTREMA LITAMINA. ſacrificiorum ſigna, poſt quæ ſacrificare iterum non licet. inter *litare* enim & *ſacrificare* hoc intereſt. *Sacrificare* eſt hoſtias immolare: *litare* vero per immolationem hoſtiarum impetrare, quod poſtules. SED LIMITE DVRO. victoriam nobis quidem numina pollicentur, ſed dura ſententia. quia aliter euenire non poterit, niſi ſe Menœceus occiderit. COMMVNIA LVGENS. quia adhuc patriæ ruinas impatienter ferebat, nedum filii orbitatem. SVADETQVE TIMOR. habet enim proprias diuinationes in diuerſis timor nimius. vt Virgil. *Agnouit gemitum præſaga mali mens.* LYBICO. Tyrrheno. CELERARE IVBENTEM. mortem Menœcei. ORA CANENTIS. Creon Tyreſiam ſuppliciter rogabat, vt funeſtam ſibi deorum voluntatem taceret: quia pro ſalute patriæ vnius hominis mors negari non poterat. popoſcerant enim numina, vt pro Thebana victoria Menœceus vnus, qui de ſemine illorum ſuperfuerat, qui ſatis draconis dentibus nati fuerant, ſe voluntariè traderet morti.

Nunc age quis ſtimulos, & pulchræ gaudia mortis
Addiderit iuueni (neque enim hæc abſentibus vnquam
Mens homini tranſmiſſa deis) memor incipe Clio,
Sæcula te quoniam penes, & digeſta vetuſtas,
Diua Iouis ſolio, iuxta comes, vnde per orbem
Rara dari, terríſque ſolet contingere virtus:
Seu pater omnipotens tribuit, ſiue ipſa capaces
Elegit penetrare viros, cœleſtibus vt tunc
Deſiluit gauiſa plagis. dant clara meanti
Aſtra locum, quóſque ipſa polis affixerat ignes,
Iamque premit terras: nec vultus ab æthere longè,
Sed placuit mutare genus. fit prouida Manto.
Reſponſis vt plena fides, & fraude priores

Exuitur vultus. abiit, horrórque, vigórque
Ex oculis, paulum decoris permanſit, honóſque
Mollior, & poſito vatum geſtamina ferro
Subdita. deſcendunt veſtes, toruiſque ligatur
Vitta comis (nam laurus erat) tamen aſſera produnt
Ora deam, nimiįque gradus. ſic Lydia coniux
Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus,
Et turbare colus, & tympana rumpere dextra.
Sed neque te indecorem ſacris, dignúmque iuberi
Talia, Dircæa ſtantem pro turre Menœceu
Inuenit. immenſæ reſerato limine portæ
Sternebas Danaos, pariter mauortius Æmon,
Sed conſanguinei quamuis, atque omnia fratres,
Tu prior. exanimes circùm cumulantur acerui.
Omne ſedet telum. nulli ſine cædibus ictus.

STIMVLOS. hortamina. MENS HOMINI TRANSMISSA DEIS. nemo enim talem, niſi diis hortantibus, ſuſciperet mentem, qualem Menœceus accepit. DIGESTA. ordinata AFFIXERAT IGNES. ſtellas virorum fortium dicit tranſeunn honorem referre virtutis, quia ipſius merito poſſederant cœlum. dicit autem Liberum, Herculem Caſtorem, Pollucem, quos ardens euexit ad æthera virtus. MVTARE GENAS. transfigurare ſe in aliam formam. RESPONSIS VT PLANA FIDES. vt Tyreſiæ reſponſis fides promptior haberetur, quæ iubebant perire Menœceum. MOLLIOR. ſuauior.

DESCENDVNT VESTES. veſtes defluunt. Solet enim virtutis ſimulacrum depingi ſuccinctum. NAM LAVRVS ERAT. Laurus commune eſt vatum, & virorum fortium decus. ASPERA. rigentia ſiue magna. SIC LYDIA CONIVNX. Omphale; cui Hercules per amorem inſeruiſſe perhibetur. PERDERE SYDONIOS. quia Herculem non decebat muliebris habitus, quia mole membrorum mollia rumpebantur. *perdere* eſt aliquid malè imitari. SYDONIOS AMICTVS. veſtem purpuream dixit. ET TYMPANA RVMPERE. quæ nimietate percutientis frangebantur. DIGNVMQVE IVBERI. dupliciter hoc ſentiendum. id eſt, neque indignum cui poſt mortem fierent ſacra, neque indignum cui talia iuberentur. MAVORTIVS. bellicoſus. ATQVE OMNIA. id eſt, in omnibus. TV PRIOR. melior, maior. CIRCVM CVMVLANTVR. mortuorum cadaueribus, quos occiderant. OMNE. ſcilicet Menœcei vulnus letale erat, & nulli ictus in vanum cadebant.

Necdum aderat virtus. non mens, non dextra quieſcit,
Non auida arma vacant. ipſa inſanire videtur
Sphynx galeæ cuſtos, viſóque animata cruore
Emicat effigies, & ſparſa orichalca renident.
Cum dea pugnantis capulum, dextrámque repreſſit.
Magnanime ô iuuenis, quo non agnouerit vllum

Certius armiſero Cadmi de ſanguine Mauors,
Linque humiles pugnas, non hæc tibi debita virtus.
Aſtra vocant, cœlóque animam (plus concipe) mittes.
Iamdudum hoc hilares genitor bacchatur ad aras,
Hoc ignes, fibræque volunt, hoc vrget Apollo.
Terrigenam cunctò patriæ pro ſanguine poſcunt.
Fama canit monitus, gaudet Cadmeia pubes
Certa tui. rape mente deos, rape nobile fatum.
I precor accelera. ne proximus occupet AEmon.
Sic ait, & magna cunctantis pectora dextra
Permulſit tacitè, ſeſéque in corde reliquit.
Fulminis haud citius radiis afflata cupreſſus,
Combibit infeſtus, & ſtirpe, & vertice flammas
Quàm iuuenis multò poſſeſſus numine pectus
Erexit ſenſus, letique inuaſit amorem.
Vt vero auerſæ, greſſúmque habitúmque notauit,
Et ſubitam à terris in nubila creſcere Manto,
Obſtupuit. ſequimur, diuum quicunque vocaſti,
Nec tardè paremus ait. iam iámque recedens
Inſtantem vallo Pylium tamen Agrea fixit.
Armigeri fixum excipiunt. tum vulgus euntem
Authorem pacis, ſeruatorémque, deumque
Conclamat gaudens, atque ignibus implet honeſtis.

Nec dvm aderat virtvs. talia Menœceus nec dum inſtigante numine faciebat. Renident. ſanguine perfuſa nitidiora fiunt. Cadmi de semine. de draconis dentibus, quos Cadmus ſeuit. Plvs concipe. plus virtutis ſuſcipe. Cvncto patriae. mortem libenter amplectere, pro ſalute omnium Thebanorum. Certa tvi. certum habet patria tua tanto ſe à te amore diligi, vt pro ea te libenter offeras morti. Rape nobile fatvm. totus hic locus celeriter pronunciandus eſt, vt iubentis exprimat affectum. Seseqve in corde reliqvit. in animo Menœcei penitus virtus inſedit. Invasit. arripuit. Habitvmqve notavit. Virgil. *Et vera inceſſu patuit dea.* Fixit. occidit. Ignibvs implet. His vulgi laudibus Menœcei animus ad honeſtam mortem magis impellebatur.

Iámque iter ad muros curſu feſtinus anhelo
Obtinet, & miſeros gaudet vitaſſe parentes.
Cùm genitor (ſteterúntque ambo, & vox hæſit vtrínque,
Deiectæque genæ (tandem pater antè profatur.
Quis nouus incœptis rapuit te caſus ab armis?

Quæ bello grauiora paras? dic nate precanti
Cur tibi torua acies? cur hic truculentus in ore
Pallor? & ad patrios non ſtant tua lumina vultus?
Audiſti reſponſa palàm. per ego oro, tuóſque
Nate, meóſque annos, miſeræque per vbera matris,
Ne vati, ne crede puer. ſuperi ne profanum
Dignantur ſtimulare ſenem? cui vultus inanis,
Extinctique orbes, & pœna ſimillima diro
Oedipodæ? quid ſi inſidiis, & fraude doloſa
Rex agit? extrema eſt cui noſtra in ſorte timori
Nobilitas. tuáque ante duces notiſſima virtus.
Illius hæc forſan remur, quæ verba deorum
Ille monet, nec frena animo permitte calenti.
Da ſpacium, tenuémque moram. malè cuncta miniſtrat
Impetus. hoc oro munus concede parenti.
Sic tua maturis ſignentur tempora canis,
Et ſis ipſe parens, & ad hunc animoſe timorem
Perueniàs. ne perge meos orbare penates:
Externi te nempe patres, alienáque tangunt
Pignora, ſi pudor eſt, primum miſerere tuorum.
Hæc pietas, hic verus honos, ibi gloria tantùm
Ventoſúmque decus, titulíque in morte latentes.
Nec timidus te flecto parens. I, prælia miſce,
I, Danaas acies, medióſque per obuius enſes.
Non teneo. liceat miſero tremebunda lauare
Vulnera, & vndantem lachrymis ſiccare cruorem.
Téque iterum, ſæuis iterúmque remittere bellis.
Hoc malunt Thebæ. ſic colla, manúſque tenebat
Implicitus: ſed nec lachrymæ, nec verba mouebant
Dis votum iuuenem. quin & monſtrantibus illis
Fraude patrem tacita ſubit, auertítque timorem.

Responsa. quæ te iubent mori pro patria. Dignantvr stimvlare. vult pater ab ætatis decrepitæ aſſertione reſponſa deſtruere. Dicit enim Tyreſiam iam nimia ſenectute non poſſe vera reſponſa proferre. Fravde dolosa. quid ſi hoc immiſſu regis Etheoclis doloſe Tyreſias fingat. ſumus enim regi pro noſtra nobilitate ſuſpecti, ne illi ſuccedamus in regnum. Qvae verba deorvm. forte regis hæc verba ſunt, quæ nos reſponſa credimus numinum. Sic tva. adiurantis affectus.

Timorem pervenias. quomodo ego tibi timeo, ſic tu timeas liberis tuis: id eſt, ſic ad id ætatis peruenias vt pater ſis. Qvin et monstrantibvs illis. diis

vtique ſibi deuotum iuuenem rationem fallendi patris mouentibus. Nam ſecurum eum deceptu fraudis effecit.

Falleris, heu, veróſque metus pater optime neſcis.
Non me vlli monitus, nec vatum exorſa furentum
Sollicitant. manéſque mouent, ſibi callidus iſta
Tyreſias, natæque canat. non ſi ipſe recluſis
Comminus ex aditis in me inſaniret Apollo,
Sed grauis vnanimi caſus me fratris ad vrbem
Sponte refert. gemit Inachia mihi ſaucius Aemon
Cuſpide, vix illum medio de puluere belli
Inter vtráſque acies, iam iámque tenentibus Argis.
Sed moror. I, refoue dubium, turbæque ferenti
Dic parcant, leuitérque vehant. ego vulnera doctum
Iungere, ſupremíque fugam reuocare cruoris
Aechiona petam. ſic imperfecta locutus
Effugit. illi atra merſum caligine pectus
Confudit ſenſus. pietas incerta vagatur,
Diſcordántque metus. impellunt credere Parcæ.

In me in saniret. ſiue in templo poſitus Apollo talia prædicaret, vt meis auribus diuinantis numinis verba perciperem, non facile credidiſſem. Vix illvm. vix illũ ſauciatum vulnere de hoſtium medio potui liberare, inter vtraſque acies Argiuorum & Thebanorum. Fvgam revocare. ſanguinis fluxum arte medicinæ reſtringere. Caligine pectvs. vt magis timeat Hæmoni vulnerato, quam perituro filio Menœceo.

Turbidus interea ruptis venientia portis
Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi,
Cornua nunc equitum, cuneos nunc ille pedeſtres,
Et proculcantes moderantum funera currus.
Idem altas turres ſaxis, & turbine crebro
Laxat, agit turmas idem, atque in ſanguine fumat.
Nunc ſpargit torquens volucri noua vulnera plumbo,
Nunc iaculum excuſſo rotat in ſublime lacerto,
Nulláque tectorum ſubit ad faſtigia, quæ non
Deſerat haſta virum, perfuſáque cæde recurrat.
Nec iam aut Oeniden, aut Hippomedonta peremptos,
Aut vatem Pelopea phalanx, aut Arcada credunt.
Quin ſociûm coiiſſe animas, & corpore in vno
Stare omnes. ita cuncta replet. non vllius ætas,

Non cultus, non forma mouet. pugnantibus idem,
Supplicibúſque furit. non quiſquam obſiſtere contra,
Non belli tentare vices. procul arma furentis,
Terribiléſque iubas, & frontem caßidis horrent.

Aeqvore campi. campi ſpacio. Nvnc eqvitvm cvneos. eiicit. Moderantvm. regentium equos. Cvrrvs. pro equis. Laxat. ſoluit. Fvmat. anhelat Deferat. fundat. Vllivs aetas. Nullius ætas aut virtus Capaneum poterat ab impetu virtutis ſuæ tardare. Vices. alternos impetus.

At pius electa murorum in parte Menœceus
Iam ſacer aſpectu, ſolitóque auguſtior ore,
Ceu ſubitò in terras ſupero demiſſus ab axe
Conſtitit, exempta manifeſtus caßide noſci,
Deſpexítque acies hominum, & clamore profundo
Conuertit campum, iuſsítque ſilentia bello.
Armorum ſuperi, túque ô qui funere tanto
Indulges mihi Phœbe mori, date gaudia Thebis
Quæ pepigi, & toto quæ ſanguine prodigus emi.
Ferte retro bellum, captæque impingite Lernæ
Reliquias turpes. confixáque terga fouentes
Inachus indecores pater auerſetur alumnos.
At Tyriis templa, arua, domos, connubia, natos,
Reddite morte mea. ſi vos placida hoſtia iuui,
Si non attonitis vatis conſulta recepi
Auribus, & Thebis nondum credentibus hauſi.
Hæc Amphioniis per me perſoluite terris,
Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem.
Sic ait. inſignémque animam mucrone coruſco
Dedignantem artus pridem, mœſtámque teneri
Arripit, inque vno quæſitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc ſpargit turres, & mœnia luſtrat.
Séque ſuper medias acies, nondum enſe remiſſo
Iecit, & in ſæuos cadere eſt conatus Achiuos.

Avgvstior. venerabilior. Exempta manifestivs. nudo capite cœpit magis agnoſci. Despexitqve acies hominvm. quaſi ipſe iam deus, vitam pro gloria contempturus. Convertit campvm. ad orationem ſuam pugnantium ora vultúſque conuertit. Ferre retro bellvm. retro agite hoſtes in fugam. Captaeqve impingite lernae. vt qui nunc victores ſunt Argiui, vincantur, & qui inſequun-

tur fugiant. PLACIDA HOSTIA. quæ non repugnaui. SI NON ATTONITIS. ſi non diuinantis Tyreſiæ verba ſtupefactus accepi. ATTONITIS. timidis. *attoniti* enim dicuntur, quos fragor tonitrui in vnum locum defixit. quos Græci vocant * hoc eſt ſtupentes. EXORATE. conſolamini. DEDIGNANTEM ARTVS. quippe qui iam cælum petebat.

MOESTAMQVE TENERI. carcere. ſc. corporis. QVAESITVM. aut à ſuperis, aut à Thebanis pro ſalute ſua. LVSTRAT. expiat.

Aſt illum amplexæ, Pietas, Virtúſque, ferebant
Leniter ad terras corpus. iam ſpiritus olim
Ante Iouem, & ſummis apicem ſibi poſcit in aſtris.
Iámque intra muros nullo ſudore receptum
Gaudentes heroa ferunt. abſceſſerat vltro
Tantalidum venerata cohors. ſubit agmine longo
Collá inter iuuenum, lætíſque fauoribus omni
Concinitur vulgo, Cadmum, atque Amphiona ſupra
Conditur. hi ſertis, hi veris honore ſoluto
Accumulant artus, patriáque in ſede reponunt
Corpus adoratum. repetunt mox bella peractis
Laudibus. hic victa genitor lachrymabilis ira
Congemit, & tandem matri data flere poteſtas.

CONCINITVR. collaudatur. ordo; concinitur vulgo, cum populus conditorem vrbis ſuæ vocabat, & Cadmo atque Amphione meliorem dicebat. VERIS HONORE SOLVTO. apertis roſis. LACHRYMABILIS. quia dolebat fraude deceptum à filio, & cum iratus nolebat flere.

Luſtralémne feris ego te puer inclyte Thebis,
Deuotúmque caput, vilis ceu mater alebam?
Quod molita nefas? cui tantum inuiſa deorum?
Non ego monſtrifero coitu reuoluta notaui
Pignora, nec nato peperi funeſta nepotes.
Quid refert? habet ecce ſuos Iocaſta, ducéſque,
Regnantéſque videt. nos ſæua piacula bello
Demus, vt alternis (placet hoc tibi fulminis author)
Oedipodionij mutent diademata fratres.
Quid ſuperos, hominéſue queror? tu ſaue Menœceu,
Tu miſeram ante omnes properaſti extinguere matrem.
Vnde hic mortis amor? quæ ſacra inſania menti?
Quóſue ego conceptus, aut quæ mala pignora fudi
Tam diuerſa mihi? nimirum Martius anguis,
Quæque nouis proauum tellus effloruit armis,

Hinc animi triſtes, nimiúſque in pectore Mauors,
Et de matre nihil. ſponte en vltróque peremptus
Irrumpis mœſtas fatis nolentibus vmbras.
Aſt egomet Danaos, Capaneáque tela verebar,
Hæc erat, hæc metuenda manus, ferrúmque quod amens
Ipſa dedi. viden vt iugulo conſumpſerit enſem?
Altius haud quiſquam Danaûm mucrone ſubiſſet.
Diceret infelix etiamnum & cuncta repleret
Queſtibus: abducunt comites, famulæque peroſam
Solantes, thalamóque tenent. ſedet eruta multo
Vngue genas. non illa diem, non verba precantum
Reſpicit, aut viſus flectit tellure relictos.
Iam vocis, iam mentis inops. ſic aſpera tigris
Fœtibus abreptis Scythico deſerta ſub antro
Accubat, & tepidi lambit veſtigia ſaxi.
Nuſquam iræ ſedit rabies, feritáſque, fameſque
Oris, eunt præter ſecura armenta, gregéſque.
Aſpicit illa iacens. vbi enim, quibus vbera paſcat.
Aut quos ingenti premat expectata rapina?

Lvstralem. luſtrare ciuitatem humana hoſtia Gallicus mos eſt. nam aliquis de egentiſſimis pelliciebatur præmiis, vt ſe ad hoc venderet: qui anno toto publicis ſumptibus alebatur purioribus cibis, denique certo & ſolemni die, per totam ciuitatem ductus ex vrbe, extra pomeria ſaxis occidebatur à populo. Coitv revolvta notavi. quando filii coitus in matrem rediit. vt ipſe alibi. *proprios monſtro reuolutus in ortus* Diversa. contraria, quæ mihi obfuerunt per partum. Efflorvit armis. quia de ſerpente illo, cuius Cadmus ſeuerat dentes, Creon Menœcei pater à ſerpentibus, duxit originem; queritur ergo mater Menœcei, omnia illum à patre habuiſſe, & nihil de matre, & inde illum amore mortis abreptum. Nolentibvs fatis. quia ante diem periiſti. Haec manvs. tua ſcilicet quæ te occidit. Viden. ſyllaba cum naturaliter longa ſit, tamen eam corripuit, ſecutus authoritatem Maronis dicentis. *Viden aut geminæ ſtent vertice criſtæ.* Consvmpserit ensem. quia totum pectore recepit ferrum. Havd qvisqvam. non tantum ab hoſte fuiſſet infixus gladius. Perosam. odio habentem conſolantes.

Tellvre relictos. quia ſolam terram intuebantur. Saxi. ſpeluncæ, in qua filios edidit vel educabat. Praeter. iuxta tigridem orbam. Vbi enim. interrogatiue, quia nuſquam videbat filios, quibus alimoniam lactis pararet.

Hactenus arma, turbæ, ferrúmque, & vulnera. ſed nunc
Comminus aſtrigeros Capaneus tollendus in axes.
Non mihi iam ſolito vatum de more canendum,
Maior ab Aoniis ſumenda audacia lucis.
Mecum omnes audete deæ. ſiue ille profunda

Miſſus

Miſſus nocte furor, Capaneáque ſigna ſecutæ
Arma Iouem contra, Stygiæ rapuere ſorores,
Seu virtus egreſſa modum, ſeu gloria præceps,
Seu magnæ data fama neci: ſeu læta malorum
Principia, & blandæ ſuperum mortalibus iræ.
Iam ſordent terrena viro, tædétque profundæ
Cædis, & exhauſtis olim, Graiúmque, ſuiſque
Miſsilibus, laſſa reſpexit in æthera dextra.
Ardua mox toruo metitur culmina viſu,
Innumeróſque gradus. gemina latus arbore cluſus
Aërium ſibi portat iter. longéque timendus
Multifidam quercum flagranti lumine vibrat.
Arma rubent vna, clypeóque incenditur ignis.
Hac ait in Thebas, hac me iubet ardua virtus
Ire. Menœceo qua lubrica ſanguine turris.
Experiar, quid ſacra iuuent, an falſus Apollo.

COMMINVS. mox inſequenti. TOLLENDVS. carminibus altius efferendus. AMENTIA. furor poëticus. PROFVNDA. inferna. SIGNA SECVTAE. velut Capaneo militent. ARMA IOVEM. inuidioſe ſe contra Iouem Capaneus armauit, vt glorioſa morte periret. SEV LAETA MALORVM. quando gaudemus arduas res & periculoſas inchoare, quarum nos poſtea pœniret. CAECA. incerta, quia interdum quæ putamus, bona mala eueniunt exitu. ET BLANDAE. ſero venientis. GERMINA LATVS. admirabilis periphraſis ſcalarum. Pomponius ſane in Armorum iudicio. *Tum præ ſe portant aſcendibilem ſemitam, quam ſcalam vocant.* INCENDITVR IGNIS. nitore clypei repercuſſus ſplendidior fit. QVID SACRA IVVENT. quid proſit Thebanis mors Menœcei ſacris inuenta.

Dixit. & alterno captiua in mœnia greſſu
Surgit ouans. quales mediis in nubibus æther
Vidit Aloidas, cùm creſceret impia tellus
Deſpectura deos, nec adhuc immane veniret
Pelion; & trepidum iam tangeret Oſſa Tonantem.
Tum verò attoniti fatorum in cardine ſummo
Ceu ſuprema lues vrbem, facibúſque cruentis
Aequatura ſolo turres Bellona ſubiret,
Omnibus è tectis certatim ingentia ſaxa,
Roboráque, & grauidas fundæ balearis habenas,
(Nam iaculis, calóque vagis ſpes nulla ſagittis)
Verum auidi tormenta rotant, & molibus vrgent.
Ille nec ingeſtis, nec terga ſequentibus vnquam

Detrahitur telis. vacuóque ſub aëre pendens,
Plana velut terra, certus veſtigia figat,
Tendit, & ingenti ſubit occurrente ruina.
Amnis vt incumbens longæui robora pontis
Aſsiduis oppugnat aquis. iam ſaxa fatiſcunt,
Emotæque trabes, tanto violentior ille
(Sæuit enim maiore ſalo) quaſsátque, trahítque
Molem ægram: nexus donec celer alueus omnes
Abſcidit, & curſu victor reſpirat aperto.
Vtque petita diu celſus faſtigia ſupra
Eminuit, trepidámque aſſurgens deſuper vrbem
Vidit, & ingenti Thebas exterruit vmbra,
Increpat attonitos. Humiléſne Amphionis arces
Prò pudor, hi faciles, carménque imbelle ſecuti,
Et mentita diu Thebarum fabula muri?
Et quidnam egregium proſternere mœnia, molli
Structa lyra? ſimul inſultans, greſſúque, manúque
Molibus obſtantes cuneos, tabulatáque ſæuus
Deſtruit. abſiliunt pontes, tectíque trementis
Saxea frena labant, diſſeptóque aggere rurſus
Vtitur, & truncas rupes in templa, domóſque
Præcipitat, frangítque ſuis iam mœnibus vrbem.

Et atterno. mire deſcribit ſcalis aſcendentem. Alterno gressv. id eſt. modo dextro, modo ſiniſtro pede. Vidit aloidas. Otbus & Ephialtes Aloi filii, tantæ audaciæ fuere, vt montibus conſtructis cœlum expugnare niterentur: & icti fulmine, in tartara merſi ſunt. Carménqve imbelle secvti. quia Amphione cantante fuiſſe dicuntur conſtructæ. Absilivnt. diſſoluuntur. Saxea frena. compages quadratorum, quæ conſtringunt, & continent ædificationem.

Iámque Iouem circa ſtudiis diuerſa fremebant
Argolici, Tyriique dei. pater æquus vtriſque
Aſpicit ingentes ardentum comminus iras,
Séque obſtare videt. gemit inſeruante nouerca
Liber, & obliquo reſpectans lumine patrem.
Nunc vbi ſæua manus, meáque heu cunabula flammæ.
Fulmen, iò vbi fulmen? ait, gemit auctor Apollo,
Quas dedit ipſe domos. Lernam, Thebáſque rependit
Mœſtus, & intento dubitat Tirynthius arcu.

Maternos plangit volucer Danaeius Argos,
Flet Venus Harmoniæ populos: metuénſque mariti
Stat procul, & tacita Gradiuum reſpicit ira.
Increpat Aonios audax Tritonia diuos.
Iunonem tacitam furibunda ſilentia torquent.
Non tamen hæc turbant pacem Iouis. ecce quierant
Iurgia. cùm mediis Capaneus auditus in aſtris:
Nulláne pro trepidis, clamabat, numina Thebis
Statis? vbi infandæ ſegnes telluris alumni
Bacchus, & Alcides? piget inſtigare minores,
Tu potiùs venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior?) en cineres, Semelæáque buſta tenentur.
Nunc age, nunc totis in me connitere flammis
Iupiter. an pauidas tonitru turbare puellas
Fortior? & ſoceri turres excindere Cadmi?
Ingemuit dictis ſuperûm dolor. ipſe furentem
Riſit, & incuſſa ſanctarum mole comarum,
Quænam ſpes hominum tumidæ poſt prælia Phlegræ?
Tune etiam feriendus? ait, premit vndique lentum
Turba deum frendens, & tela vltricia poſcit.
Nec iam audet fatis turbata obſiſtere coniux.
Ipſa dato nondum cœleſtis regia ſigno
Sponte tonat, coeunt ipſæ ſine flamine nubes,
Accurrúntque imbres. Stygias rupiſſe cathenas
Iapeton, aut victam ſupera ad conuexa leuari
Inarimen, Aetnámue putes. pudet iſta timere
Cœlicolas. ſed cùm in media vertigine mundi
Stare virum, inſanáſque vident depoſcere pugnas,
Mirantur taciti, & dubio pro fulmine pendent.

INSERVANTE. cuſtodiente Iunone, ne quid pro Thebis diceret Liber. OBLIQVO. non ea parte aſpiciens, propter Iunonem, ſiue quaſi iratus Ioui. CVNABVLA FLAMMAE. vbi ſunt mea cunabula. AVCTOR APOLLO. quia Apollinis oraculum Cadmus ſecutus ædificauit Thebas. DVBITAT TIRYNTHIVS. ideo inducit Herculis dubium fauorem, quia & ab Argiuis, & à Thebanis ducebat originem, ab Argiuis, propter patrem à Perſeo venientem. nam Perſeus Danaës filius; eius filia Gorgophone. Gorgophones Electrion. Electrionis. Amphitryo. Amphitryonis Hercules. à Thebanis vero propter vxorem Megaram, Creontis filiam, de qua ſuſcepit Oxeam & Creontiadem; quas furore correptus occidit. TRITONIA. hæc etiam Argiuis fauet. de Iunone autem nemo dubitet, quam Homerus Argiuam nominat. bene ergo *tacita*; vbique Iuno tacens deſcribitur, vnde ei oratio neceſſitate datur. vnde Virg. *quid me alta ſilentia cogis rumpere, & obductum verbis*

vulgare dolorem? PACEM IOVIS. ocium, quo iracundia carebat. TONITRV SOLVS. puellas potes turbare tonitribus. VICTAM. ſuperatam. PRO FVLMINE PENDENT. deſperatione fulminis ſolliciti ſunt. id eſt, timent ne non valeat fulmen perimere Capaneum.

Cœperat Ogygiæ ſupra faſtigia turris
Arcanum mugire polus, cœlúmque tenebris
Auferri: tenet ille tamen, quas non videt arces.
Fulguráque attritis quoties micuere procellis,
His, ait, in Thebas, his iam decet ignibus vti,
Hinc renouare faces, laſſámque accendere quercum.
Talia dicentem toto Ioue fulmen adactum
Corripuit. primæ fugêre in nubila criſtæ,
Et clypei niger vmbo cadit. iámque omnia lucent
Membra viri. cedunt acies, & terror vtrinque
Quò ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.
Intra ſe ſtridere facem, galeamque, comaſque,
Sentit, & vrentem thoraca repellere dextra
Conatus. ferri cinerem ſub pectore tractat.
Stat tamen, extremúmque in ſidera verſus anhelat,
Pectoráque inuiſis obicit fumantia muris,
Ne caderet. ſed membra virum terrena relinquunt,
Exuitúrque animus. paulum ſi tardius artus
Ceſſiſſent, potuit fulmen meruiſſe ſecundum.

ATTRITIS. colliſis nubibus. nam dicunt phyſici colliſione nubium emitti fulmina. LASSAM. extinctam. CEDVNT ACIES. Thebanæ Argiuæque. FVMANTIA MVRIS. Vt eos corporis ſui igni ſuccenderet. SED MEMBRA VIRVM. *ſed* pro *niſi*. EXVITVRQVE ANIMVS. mire exuitur dixit, quia anima exuitur corpore: ideo methaphoram à veſtibus poſuit. CESSISSENT FVLMINI. hoc eſt conſumpti fuiſſent.

EXPLICIT
THEBAIDOS LIBER DECIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI VNDECIMI THEBAIDOS.

TVnc Capanei ardentis Danaos incendia terrent.
Caſtra petunt miſeri. Eumenis in tempore belli
Tiſiphone, gentis geminæ exaturata cruore,
Germanæ auxilium poſcit. fratréſque nocentes
Diuerſis agitant ſtimulis. Tunc omina dira
Horreſcit Tyrius ductor. mox Ephytus auctor
Armatum fratrem pulſantem cuſpide portas
Nunciat. ille celer gaudens rapit impius arma.
Nec matris lachrymæ reuocant, nec verba ſororis.
Poſtquam ſactilegis telis confixus vterque,
Defleuit pietas fratrum miſerata ruinam.
Oedipoden Creon Thebanis mœnibus arcet.

INTERPRETATIO.

COntinet hic liber exultationem Thebanorum poſt mortem Capanei. Ti-
ſiphones Furiæ ſignum ad Megæram, vt ab inferis emergat. aſcenſio ip-
ſius Megæræ. allocutio Tiſiphones ad eam, de fratrum certamine ſingu-
lari. Polynicis ſomnium aduerſum: & eius allocutio ad Adraſtum, de ſingu-
lari certamine cum fratre ſuſcipiendo. ſacrificatio Etheoclis pro victoria
Thebana, & eiuſdem ſacrificii omen aduerſum. nuncius ſignificans Polynicem ad bel-
la procedere, allocutio Creontis cogentis Etheoclem exire. reſponſio Etheoclis. allo-
cutio matris Iocaſtæ ad Etheoclem, vt deſiſtat à bello. par allocutio Antigones de mu-
ro ad Polynicem, eruptio Etheoclis. allocutiones inuicem fratrum. allocutio Adraſti
bellum diſſuadentis, pietatis conqueſtio de fraterno certamine, vel eius voluntas pa-
cis. Tiſiphones interuentus. fugata pietas, & pugna, & doli. fratrum interitus. lamen-
tatio Oedipi ſuper filiorum cadauera. mors Iocaſtæ. Creontis imperium de non ſe-
peliendis cadaueribus Argiuorum, quós belli caſus ſuderat; qui tunc primum accepe-
rat regnum. eiuſdem Creontis imperium de excluſione Oedipi. allocutio Oedipi ſu-
perbe reſpondentis. allocutio Antigones Creontem deprecantis, vt ignoſceret Oedi-
po patri ſuo. fata Græcorum.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER VNDECIMVS

Incipit.

Poſtquam magnanimus furias virtutis iniquæ
Conſumpſit Capaneus, expirauitque receptum
Fulmen, & ad terras longè comitata cadentem
Signauit muros vltricis ſemita flammæ:
Componit dextra victor concuſſa plagarum
Iuppiter, & vultu cœlúmque diémque reducit.
Gratantur ſuperi. Phlegræ ceu feſſus anhelet
Prælia, & Encelado fumantem impreſſerit
AEtnam.
Ille iacet laceræ complexus fragmina turris,
Toruus adhuc viſu, memorandáque facta relinquens
Gentibus, atque ipſi non illaudata Tonanti.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

EXPIRAVITQVE RECEPTVM FVLMEN. cum anima emiſit, efflauit. SIGNAVIT MVROS. excuſſit. FRAGMINA TVRRIS. quæ cum ipſo eſt fulminata. MEMORANDA FACTA. quòd à Ioue meruit fulminari. NON ILLAVDATA TONANTI. ad exagerationem virtutis Capanei dixit, eius morte etiam Iouem ſeſe potuiſſe iactare.

Quantus Apollineæ temerator matris Auerno
Tenditur, ipſæ horrent ſi quando pectore ab alto
Emergunt volucres, immenſáque membra iacentis

Spectant, dum miſeræ creſcunt in pabula fibræ.
Sic grauat iniectus terræ, hoſtiliáque vrit
Arua, & anhelantem cœleſti ſulfure campum.
Reſpirant Thebæ, templiſque iacentia ſurgunt
Agmina. iam finis votis, finiſque ſupremis
Planctibus, & natos auſæ deponere matres.
At vaga palantes campo fuga voluit Achiuos.
Nec iam aut hoſtiles turmæ, ferrumúe timetur,
Omnibus ante oculos iræ Iouis, omnibus ardent
Arma metu, galeæque tonant, viſúſque pauentes
Ipſe ſequi, & profugis opponere Iupiter ignes.
Inſtat Agenoreus miles, cœlique tumultu
Vtitur. indomitos vt cum Maſſylla per arua
Armenti reges magno Leo fregit hiatu,
Et contentus abit: rauci tunc comminus vrſi,
Tunc auidi venere lupi, rabiéque remiſſa
Lambunt degeneres alienæ vulnera prædæ.

TEMERATOR MATRIS. Tityon Latonæ concubitum violenter affectans, Apollinis eſt peremptus ſagittis, & à Ioue apud inferos perpetua pœna damnatus. VOLVCRES. ſecundum Homerum qui dicit, viſcera Tityonis gemino vulture exedi, non vno, vt Virgil. dicit. EIECTVS. proſtratus. GALEAEQVE TONANT. velut tonitru inſonant. COELIQVE TVMVLTV VTITVR. Iouis fulmine audaciam dimicandi plebs Thebana conceperat. MASSYLLA PER ARVA. terras Africæ.

Hinc premit Eurymedon. cui ruſticus horror in armis,
Ruſtica tela manu, patriúmque agitare tumultum.
Pan illi genitor. tener hinc conatibus annos
Egreditur, iuuenémque patrem puer æquat Alatreus.
Felices ambo, ſed fortunatior ille,
Quem genuiſſe iuuat, nec iam dinoſcere promptum,
Quæ magis arma ſonent, quo plus eat haſta lacerto.
Arctatur denſo fugientum ex agmine vallum.
Quas voluis Gradiue vices? modo mœnia Cadmi
Scandebant, ſua nunc defendunt tecta Pelaſgi.
Ceu redeunt nubes, ceu circunſtantibus auſtris
Alternis procumbit ager, ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulas, nunc obruit æſtas arenas,
Procumbit latè pubes Tirynthia alumni
Exuuias imitata Dei. trux mœret ab aſtris

Conſtitit, exultant manes, quantúmque profundæ
Rareſcunt tenebræ, tantum de luce receßit.

CLAVDERE QVÆRIT. fratrum congreſſu Furia bellum finire feſtinat. ERGO PROCVL. ſecretiorem locum petiit. ABSENS. pro abſentis. ATTOLLIT. erigit. ET PATER ÆTNAEOS ITERVM. bene *iterum*, quia paulo ante fulminauerat Capaneum, nunc iterum aduerſus Furiam fulmen requirit. RARESCVNT TENEBRAE. Furiæ, inquit, abſceſſu tantum inferis lucis acceſſit, quantum aduentu eius dies ſplendoris amiſit.

Excipit atra ſoror, dextræque innixa profatur.
Hac germana tenus ſtygij metuenda parentis
Imperia, & iuſſos potui tolerare furores
Sola ſuper terras, hoſtilíque obuia mundo,
Dum vos Elyſium & faciles compeſcitis vmbras.
Nec pretium deforme moræ, caſsíque labores.
Hoc quodcunque madent campi, quod ſanguine fumant
Stagna, quod innumero Lethæa examine gaudet
Ripa, meæ vires, mea læta inſignia. ſed quid
Hoc ego? Mars habeat, vulgatáque iactet Enyo.
Vidiſtis (ſtygijs certè manifeſtus in vmbris)
Sanguine fœdantem rictus, atróque madentem
Ora ducem tabo, miſerum inſatiabilis edit
Me tradente caput. modo nempe horrendus ab aſtris
Deſcendit vos vſque fragor, mea ſacra premebat
Tempeſtas, ego mixta viri furialibus armis
Bella Deum, & magnas ridebam fulminis iras.
Sed iam (effabor enim) longo ſudore fatiſcunt
Corda ſoror, tardæque manus, hebet infera cœlo
Taxus, & inſuetos angues nimia aſtra ſoporant.
Tu cui totus adhuc furor, exultántque recentes
Cocyti de fonte comæ, da iungere vires.
Non ſolitas acies, nec Martia bella paramus,
Sed fratrum (licet alma fides, pietáſque repugnent,
Vincentur) fratrum ſtringendi comminus enſes.
Grande opus. ipſæ odiis, ipſæ diſcordibus armis
Aptemur. quid lenta venis? agedum elige cuius
Signa feras. ambo faciles, noſtríque, ſed anceps
Vulgus, & affatus matris, blandámque precatu
Antigonen timeo, paulum ne noſtra retardet

Conſilia. ipſe etiam, qui nos laſſare precando
Suetus, & vltrices oculorum expoſcere diras,
Iam pater eſt. cœtu fertur iam ſolus ab omni
Flere ſibi. atque adeo moror ipſa irrumpere Thebas,
Aſſuetúmque larem, tibi pareat impius exul,
Argolicúmque impelle nefas, neu mitis Adraſtus
Prævaleat, plebéſque caue Lernæa moretur.
Vade, & in alternas inimica reuertere pugnas.

Hac germana tenus. ſupra iraſcentis Ditis verba ad Furiam hæc fuerant. *ſed quid ego hac ita caras vlciſcere ſedes Tyſiphone.* Nec precium. nec operæ precium fuit diu manſiſſe apud ſuperos tantis factis ſtragibus. Hoc ego. quæ hactenus facta ſunt ſibi Mars cum Bellona vindicat, nunc ego ad ſingulare impellam. Manifestvs in vmbris. quia ſimilitudo geſtorum apud inferos extitit. Horrendvs ab astris. Capaneum quoque, ſed modicè fuiſſe dicit audacem. Bella Devm. aut Martis & Bellonæ, aut Apollinis & Mineruæ. Fatiscvnt. laſſantur. Taxvs. quia Furiæ de taxo arbore dicuntur faces habere. Martia. qualia Mars ſolet efficere. Iam pater est. Hoc eſt iam cœpit Oedipus circa filios meliora vota habere, & patris circa iuuenes affectum tenere.

Talia partitæ diuerſum abiere ſorores.
Vt Notus, & Boreas, gemino de cardine mundi
Hic niue Rhiphæa, Libycis hic paſtus arenis
Bella cient, clamant amnes, freta, nubila, ſiluæ,
Iamque patent ſtrages, plangunt ſua damna coloni,
Et tamen oppreſſos miſerantur in æquore nautas.
Illas vt ſummo vidit pater altus olympo
Inceſtare diem, trepidúmque Hyperionis orbem
Suffundi maculis, toruo ſic inchoat ore.
Vidimus armiferos, quo fas erat, vſque furores
Cœlicolæ, licitáſque acies, & ſi impia bella
Vnus init, dignúſque mea procumbere dextra.
Nunc par infandum, miſeríſque incognita terris
Pugna ſubeſt, auferte oculos, abſentibus auſint
Iſta deis, lateantque Iouem. ſat funera menſæ
Tantaleæ, & fontes vidiſſe Lycaonis aras,
Et feſtina polo ducentes aſtra Mycenas.
Nunc etiam turbanda dies. mala nubila tellus
Accipe, ſecedantque poli, ſtat parcere cœlo,
Cœlitibúſque meis. ſaltem ne virginis almæ
Sidera, Ledæi videant neu talia fratres.

Sic pater omnipotens, viſúſque nocentibus aruis
Abſtulit, & dulci terræ caruere ſereno.

SAT FVNERA MENSAE. dicit Iupiter adhuc ſibi Tantali horrere conuiuio. in quo Pelopem prædictus pater numinibus appoſuit epulandum. LYCAONIS ARAS. Lycaon rex Arcadiæ Iouem ſuſcepit hoſpitio, cúmque vellet exploraré an numen Iupiter eſſet quem in domo ſuſceperat, humanas ei carnes appoſuit. quod cùm Iuppiter agnouiſſet, domum eius incendit, ipſúmque mutauit in lupum vnde Grece λύκος dicitur lupus. ASTRA MYCENAS. quia Atreo & Thyeſte parricidis epulantibus, refulgo ſole nox feſtina præuenit. aſtra vero pro nocte poſuit.

Iamque per Argolicas Erebo ſata virgo cohortes
Veſtigat Polynicis iter, portíſque ſub ipſis
Inuenit incertum, leto tot iniqua fugane
Exeat, & dubios turbabant omina ſenſus.
Viderat obſcura vallum dum nocte pererrat
Aeger conſiliis, curíſque nouiſſima voluens
Coniugis Argiæ lacera cum lampade mœſtam
Effigiem. (ſunt monſtra deûm, ſic ire parabat,
Has latura viro tedas erat) ergo roganti,
Quæ via, quíſue dolor, cur mœſta inſignia? tantum
Fleuerat, atque manu timidos auerterat ignes.
Scit mentem vidiſſe nefas & enim vnde Mycenis
Afforet, & vallum coniux inopina ſubiret?
Sed fati monitus, vicináque funera ſentit,
Ac ſentire timet. cum verò Acherontis operti
Diua ter admoto tetigit thoraca flagello,
Ardet inops animi, nec tam conſidere regno,
Quam ſcelus, & cædem, & perfuſſi in ſanguine fratris
Expirare cupit. ſubitúſque affatus Adraſtum.

EXEAT. declinet. DVBIOS TVRBABANT. Terent. *dum in dubio eſt animus paulo momento huc illuc impellitur.* ÆGER CONSILII. triſtia cogitans, ſiue conſilio imbecillis. MONSTRA DEVM. infelicia monſtra Deum, id eſt, non deſunt prodigia futurorum. SIC IRE PARABAT. non ſic parabat viro ſuo occurrere quo nunc ſcilicet corpus eius quæſitura eſt. VIRO TAEDAS. non putat his ſe tædis ad rogum viri eſſe venturam.

Sera quidem, extremus ſociûm, gentíſque ſuperſtes
Argolicæ conſulta, pater, iam rebus in arctis
Aggredior: tunc tempus erat, cùm ſanguis Achiuum
Integer, ire vltro, primámque capeſſere pugnam.

Non plebis Danaæ florem, regúmque verendas
Obiectare animas, vt lamentabile tantis
Vrbibus induerem capiti decus. aſpera quando
Præcepit virtus. nunc ſaltem exoluere fas ſit
Quæ merui. ſcis nempe ſocer, licet alta recondas
Vulnera, & afflictum generi vereare pudorem.
Ille ego ſum, qui te pacem, & pia iura regentem
Infelix (vtinámque aliis datus vrbibus hoſpes)
Extorrem patria, regnóque. ſed exige tandem
Supplicia. fratrem ſuprema in bella (quid horres?)
Decretum eſt fixúmque, voco. deſiſte morari:
Nec poteris. non ſi atra parens, miſeræque ſorores
In media arma cadant: non ſi ipſe ad bella ruenti
Obſtet, & extinctos galeæ pater ingerat orbes,
Deficiam. an ne bibam ſupereſt quodcúnque cruoris
Inachij? & veſtris etiamnum mortibus vtar?
Vidi ego me propter ruptos telluris hiatus,
Nec ſubij. vidi exanimum, fecique nocentem
Tydea. me Tegee regem indefeſſa repoſcit,
Orbáque Parrhaſiis vlulat mihi mater in antris.
Ipſe nec Iſmeni ripas, dum ſtagna cruentat
Hippomedon, Tyrias potui nec ſcandere turres,
Dum tonat, & tecum Capaneu miſcere furores?
Quis tantus pro luce timor? ſed digna rependam,
Conueniant vbicunque nurus, matréſque Pelaſgæ,
Longæuíque patres: quorum tot gaudia carpſi,
Orbauíque domos. fratri concurro. quid vltra eſt?
Spectent, & votis victorem Etheoclea poſcant.
Iamque vale coniux, dulcéſque valete Mycenæ.
At tu care ſocer (nec enim omnis culpa malorum
Me penes, & ſuperi mecum, Parcæque nocentes)
Sis lenis cineri. méque hæc poſt prælia raptum
Alitibus, fratríque neges, vrnáque reponas.
Hoc tantum, & natæ melius connubia iungas.

CAPESCERE. adminiſtrare proprie. PATRIA REGNOQVE. extra fines patrios te coegi bella ſuſcipere. FECIQVE NOCENTEM. vt pro me fureret.

Ibant in lachrymas. veluti cum vere reuerſo
Biſtoniæ tepuere niues. ſummittitur ingens
Aemus, & anguſtos Rhodope deſcendit in amnes.
Cœperat & leni ſenior mulcere furentem
Alloquio. ſcidit orſa nouo terrore cruenta
Eumenis, alipedémque citum, fataliáque arma.
Protinus Inachij vultus expreſſa Pericli
Obtulit, ac fidas excluſit caſſide voces.
Ac ſuper hæc. Abrumpe moras. celeremus, & illum
Aduentare ferunt portis. ſic omnia vicit,
Correptúmque iniecit equo. volat æquore aperto
Pallidus, inſtantémque deæ circunſpicit vmbram.
Sacra Ioui merito Tyrius pro fulmine ductor
Nequicquam Danaos ratus exarmaſſe ferebat.
Nec pater ætherius, diuúmque has vllus ad aras,
Sed mala Tiſiphone trepidis inſerta miniſtris
Aſtat, & inferno præuertit vota Tonanti.

SVMMITTITVR. ſolutis niuibus minuitur. SIC OMNIA VICIT, quæcunque moram faciebant exire. INFERNO TONANTI. Plutoni. PRAEVERTIT, applicuit.

Summe deum, tibi namque meæ primordia Thebæ
(Liueat infandum licet Argos, & aſpera Iuno)
Debent, Sidonios, ex quo per littora raptor
Turbaſti thyaſos, dignatus virgine noſtra
Terga premi, & placidas falſum mugire per vndas.
Nec te vana fides, iterum Cadmeia adeptum
Connubia, & Tyrios nimium irrupiſſe penates.
Tandem inquam ſoceros, dilectáque mœnia gratus
Reſpicis, aſſertórque tonas ceu regia cœli
Attentata tui. ſic te pro turribus altis
Vidimus vrgentem nubes, letique benignum
Fulmen, & auditos proauis agnouimus ignes:
Accipe nunc pecudes, & magni thuris aceruos,
Votiuúmque marem. dignas ſed pendere grates
Haud mortale opus eſt. certent tibi reddere Bacchus,
Noſter & Alcides. illis hæc mœnia ſerua.
Dixerat aſt illi niger ignis in ora, genáſque,
Proſiluit, raptúmque comis diadema cremauit.

Tunc ferus ante ictum ſpumis delubra cruentat
Taurus, & obſtantum medius è cœtibus exit
Turbidus, inſano feriens altaria cornu.
Diffugiunt famuli, & regem ſolatur Haruſpex,
Ipſe inſtaurari ſacrum male fortis, agique
Imperat, & magnos ficto premit ore timores.
Qualis vbi implicitum Tirynthius oſsibus ignem
Senſit, & Oeteas membris accedere veſtes.
Vota incepta tamen, libatáque thura ferebat
Durus adhuc, patiénſque mali, mox grande coactus
Ingemuit, victórque furit per viſcera Neſſus.

Licet argos. quamuis Græci tibi ſeruiant, & ipſi ſacrificia debeant: tamen & nos amare, quia multa apud nos, ob ſtuprum Europæ, amoris gaudia perfeciſti. Thyasos. *Thyaſi* chori, ſacra ducentium Liberi patris, ſiue certamina ſatyrorum. Tyrios nimium. propter ſui vultus imaginem, & bene *nimium*, quia aduentum Iouis armati ferre non potuit, viquc fulminis interut. Agnovimus ignes. fulmina quæ miſeras in Semelen. Votivum. ſacrificio Iouis dicatum taurum, qui Hæmus dicebatur.

Nuntius exanimi ſuſpenſus pectora curſu
Aepytus ad regem portæ ſtatione relicta
Tendit, & hæc trepido vix intellectus anhelat.
Rumpe pios cultus, intempeſtiuáque Rector
Sacra Deum. frater muris circùm omnibus inſtat,
Portarúmque moras frenis aſſultat, & haſtis.
Nomine te crebro, te ſolum in prælia poſcens.
Flent mœſti retro comites, & vterque loquenti
Adgemit, & pulſis exercitus obſtrepit armis.
Ille vocat: Tunc tempus erat ſator optime diuum.
Quid meruit Capaneus? turbatus inhorruit altis
Rex odiis, mediáque tamen gauiſus in ira eſt.
Sic vbi regnator poſt exulis otia tauri,
Mugitum hoſtilem ſumma tulit aure iuuencus,
Agnouítque minas, magna ſtat feruidus ira
Ante gregem. ſpumiſque animos ardentibus effert,
Nunc pede toruus humum, nunc cornibus aëra findens,
Horret ager, trepidæque expectant prælia vaccæ.

Imperat. erat enim conſuetudinis, vt ſi prima ſacrificia, minimè fuiſſent accepta numinibus, ſecunda aruſpex ſacrificia repararet, donec viderentur eſſe ſuſcepta. Ac-

CEDERE VESTES. per membra compaſci. HERCVLES. enim victo Acheloo, Deianyram duxit vxorem. qui cum ad fluuium perueniſſet, Neſſo dedit Centauro transferendam. quam cum ille in flumine comprimere voluiſſet, ab Hercule eſt ſagittis extinctus. qui veſtem dedit Deianyræ ſuo ſanguine tinctam, vt ſe vlciſceretur, & dixit illi. ſi vellet perpetuo ſe ab Hercule diligi, daret eam illi veſtem induendam. vnde cum Hercules Iolem ſecum captam adueheret, Deianyra verita, ne ei pellex præferretur, hanc veſtem Herculem induit, quam ille indutus, cum veneni afficeretur incendio, in Oeta monte rogum voluntate conſcendit. SVMMA AVRE. breui auditu, id eſt, accipiente. AERA FINDENS. rotatu capitis aerem intuens.

Non deſunt regi comites. Sine mœnia pulſet
Irritus. ille autem fractis huc audeat vſque
Viribus? hic miſeris furor eſt inſtare periclo
Nec librare metus, & tuta odiſſe. reſiſte
Hoc fretus ſolio. nos propulſabimus hoſtem.
Nos bellare iube. ſic proxima turba, ſed ardens
Ecce aderat luctu, dicturúſque omnia belli
Libertate Creon. vrit fera corda Menœceus.
Nulla patri requies. illum quærítque, tenétque,
Illum ſanguineos proflantem pectore riuos
Aſpicit, & ſæua ſemper de turre cadentem.
Vt dubium, & pugnas cunctantem Etheoclea vidit:
Ibis ait, neque te vlterius, fratrúmque dcuúmque
Peſſime funeribus patriæ, lachrymiſque potitum,
Eumenidum bellique reum, patiemur inulti.
Stat tua non æquis luimus periuria diuis,
Vrbem armis, opibúſque grauem, & modo ciuibus arctam,
Ceu cælo dimiſſa lues, inimicáue tellus
Hauſiſti, vacuámque tamen ſublimis obumbras.
Deeſt ſeruitio plebes, hos ignis egentes
Fert humus, hos pelago patrius iam detulit amnis.
Hi quærunt artus, illi ardua vulnera curant.
Redde agedum miſeris fratres, natóſque, patréſque,
Redde aruis, domibúſque viros. vbi maximus Hipſeus,
Finitimúſque Dryas? vbi Phocidos arma ſonora,
Euboicíque duces? illos tamen æqua duelli
Sors tulit ad manes. at tu (pudet) hoſtia regni
Hoſtia nate iaces, ceu mutus, & è grege ſanguis.
Hei mihi primitiis rerum, & rite nefaſto
Libatus, iuſſáſque mori. & cunctabitur vltra

Iſte? nec aduerſo nunc ſaltem Marte vacatus
Stabit? an in pugnas alium iubet ire prophanus
Tireſias? iterúmque meas oracula nectit
In gemitus? quid enim miſero ſuper vnicus Aemon?
Ille iube ſubeat, túque hic ſpectator ab alta
Turre ſede. quid ſæua fremis, famulámque cohortem
Reſpectas? hi te ire volunt, hi pendere pœnas.
Ipſa etiam genitrix, ipſæque odere ſorores.
In te ardens frater, ferrum, mortémque minatur,
Sæuáque portarum conuellit clauſtra. nec audis?
Sic pater infrendens, miſeráque exæſtuat ira.

SINE MOENIA PVLSET IRRITVS. Membratim iſta legenda ſunt, vt videantur à multis ſatellitibus dici: vt alterius ſit. *Sine mœnia pulſet irritus.* alterius verò. *ille autem fractis huc audeat ire viribus.* alterius item. *Hic furor eſt miſeris inſtare pericl*o.
NEC LIBRARE MORTVS. id eſt. Hæc eſt infelicium conſuetudo, in pericla ruere, & tuta vitare. PERIVRIA DIVIS. quia imperium ſortę debitum negaſti germano. INIMICAVE TELLVS. quæ negando fruges, ſterilitate hominès afficit. AMNIS. Hiſmenos. PHOCIDOS SONORAE. à Phoco Aeaci filio, quem Peleus & Thelamon occidiſſe dicuntur, ciuitas nomen accepit. *Sonore* dixit, dantis reſponſa. AT TV. apoſtropha ad filium. ET E GREGE SANGVIS. pecus ignobile. *de grege* enim, de multitudine vulgari dixit. PRIMITIIS ARARVM. *primitiæ* propriè dicuntur primæ fruges diis oblatæ. RITE NEFATO. *rite* pro *ritu* poſuit. expiatio enim fuerat ciuitatis mors Menœcei. ORACVLA NECTIT. Tecum reſponſa componit. EXAESTVAT IRA. grauiter inſonat.

Ille ſub hæc. Non fallis, ait, nec te inclyta nati
Fata mouent. canere illa patrem, & iactare decebat?
Sed ſpes ſub lachrymis, ſpes atque occulta cupido
His tacet, inſano prætendis funera vato,
Méque premis fruſtra, vacuæ ceu proximus aulæ.
Non ita Sidonium fortuna reliquerit vrbem,
In te vt ſceptra cadant, tanto indigniſſime nato.
Nec mihi difficilis præſens vindicta. ſed arma,
Arma prius famuli. coëant in prælia fratres,
Vult gemitus leníre Creon, lucrare furorem.
Victori mihi cuncta lues. Sic iurgia paulum
Diſtulit, atque enſem, quem iam dabat ira, repreſſit.
Ictus vt incerto paſtoris vulnere ſerpens
Erigitur gyro, longúmque è corpore toto
Virus in ora legit, paulum ſi deuius hoſtis
Torſit iter, cecidere minæ, tumefactáque fruſtra
Colla ſedent, iráſque ſui bibit ille veneni.

Non

NON FALLIS AIT. nec cælas, inquit, quid tuus animus hac oratione feſtinet. non luges filium, ſed me pugnante regnare deſideras. Laudare mortem filii & præconiis debebas efferre, qui pro patria periit, non dolere. ICTVS VT' INCERTO. Non forti impetu percuſſus, & ideo erigitur.

At genitrix primum funeſtæ ſortis, vt amens
Expauit famam (nec tardè credidit) ibat
Sciſſa comas, vultúque, & pectore nuda cruento.
Non ſexus, decoriſue memor. Pentheia qualis
Mater, ad inſani ſcandebat culmina montis,
Promiſſum ſæuo caput allatura Lyæo.
Non comites, non ferre ipſæ veſtigia natæ
Aequa valent tantum miſeræ dolor vltimus addit
Robur, & exangues crudeſcunt luctibus anni.
Iámque decus galeæ, iam ſpicula ſæua ligabat
Ductor, & ad lituos hilarem, intrepidúmque tubarum
Proſpiciebat equum. ſubito cum apparuit ingens
Mater, & ipſe metu famulúmque expalluit omnis
Cœtus, & oblatam retro dedit armiger haſtam.
Quis furor? vnde iterum regni integrata reſurgit
Eumenis? ipſi etiam poſt omnia comminus ipſi
Stabitis? vſque adeo geminas duxiſſe cohortes,
Et facinus mandaſſe parum eſt? quo deinde redibit
Victor? in hos ne ſinus? ô diri coniugis olim
Felices tenebræ! datis improba lumina pœnas.
Hæc ſpectanda dies? quo ſæue minantia flectis
Ora? quid alternos vultus, pallórque rubórque
Mutat? & obnixi frangunt mala murmura dentes?
Me miſeram, vinces. prius hæc tamen arma neceſſe eſt
Experiare domi. ſtabo ipſa in limine portæ
Auſpicium infelix, ſcelerúmque immanis imago.
Hæc tibi canicies, hæc ſunt calcanda nefandæ
Vbera. pérque vterum ſonipes hic matris agendus.
Parce. quid oppoſitam capulo, parmáque repellis?
Non ego te contra ſtygiis feralia ſanxi
Vota deis, cæco nec Erinnyas ore rogaui.
Exaudi miſeram. genitrix te ſæue precatur,
Non pater. adde moram ſceleri, & metire quod audes.
Sed pulſat muros germanus, & impia contra

Bella ciet? non mater enim, non obſtat eunti
Vlla ſoror. te cuncta rogant, hic plangimus omnes.
Aſt ibi vix vnus pugnas diſſuadet Adraſtus,
Aut fortaſſe iubet. tu limina auita, deóſque
Linquis, & à noſtris in fratrem amplexibus exis?

CRVDESCVNT. iuuenescunt, aut noui fiunt. INTEGRATA RESVRGIT. ex integro inchoat. IMPROBA LVMINA. quæ ſpectatura ſunt fratrum ſingulare certamen. OBNIXI. Cum conatu ſtricti. ME MISERAM, VINCES. prius tamen hæc arma neceſſe eſt expetiare domi. vt nos ante proſternas. SANXI. deuoui.

At parte ex alia tacitos obſtante tumultu
Antigone furata gradus (nec caſta retardat
Virginitas) volat Ogygij faſtigia muri
Exuperare furens. ſenior comes hæret eunti
Actor, & hic ſummas non duraturus ad arces.
Vtque procul viſis paulum dubitauit in armis,
Agnouitque nefas, iaculis & voce ſuperba
Tecta inceſſentem, magno prius omnia planctu
Implet, & è muris ceu deſcenſura profatur,
Comprime tela manu, paulúmque hanc aſpice turrim
Frater, & horrentes refer in mea lumina criſtas.
Agnoſcis ne hoſtes? ſic annua pacta fidémque
Poſcimus? hi queſtus? hæc eſt bona cauſa modeſti
Exulis? Argolicos per te germane penates
(Nam Tyrius iam nullus honos,) per ſi quid in illa
Dulce domo, ſummitte animos. en vtraque gentis
Turba rogant, ambæque acies. rogat illa ſuorum
Antigone deuota malis, ſuſpectáque regi,
Et tantum tua dure ſoror. ſaltem ora, trucéſque
Solue genas, liceat vultus fortaſſe ſupremum
Noſcere dilectos. & ad hæc lamenta videre
Anne fleas. illum gemitu iam ſupplice mater
Frangit, & exertum dimittere dicitur enſem.
Tu mihi fortis adhuc? mihi, quæ tua nocte, diéque
Exilia, erroréſque fleo. iam iámque tumentem
Placaui tibi ſæue patrem. quid crimine ſoluis
Germanum? nempe ille fidem & ſtatâ fœdera rupit,
Ille nocens, ſæuúſque ſuis, tamen ecce vocatus

Non venit. his paulum furor elangueſcere dictis
Cœperat, obſtreperet quanquam, atque obſtaret Erinnys.
Iam ſummiſſa manus, lentè iam flectit habenas,
Iam tacet. erumpunt gemitus, lachrymáſque fatetur
Caſſis. hebent iræ, paritérque & abire nocentem
Et veniſſe pudet. ſubito cum matre repulſa
Eumenis eiecit fractis Etheoclea portis
Clamantem, Venio, ſolúmque quod ante vocaſti
Inuideo. ne inceſſe moras, grauis arma tenebat
Mater, & O patria, O regum incertiſſima tellus,
Nunc certè victoris eris. nec mitior ille,
Tandem inquit ſcis ſæue fidem? & deſcendis in æquum?
O mihi nunc primum longo poſt tempore frater,
Congredere. hæ leges, hæc fœdera ſola ſuperſunt.

NON DVRATVRVS. Senio non peruenturus. id eſt, ſenectutis impedimento ad ſummum marum euadere non poterit. INCESSENTEM. inuadentem, pulſantem, aut ferientem. REGI. Etheocli, propter amorem Polynicis: dicitur enim cum eo coneubuiſſe. COEPERAT. ſola enim Antigone poterat Polynicem à ſingulari cum fratre certamine remouere. ſupra enim de ipſa dixerat furia: *blandámque precatur. Antigonem timeo paulum ne noſtra retardet Conſilia.* INCERTISSIMA. ante eruentum pugnæ dubia. IN AEQVVM. in ius. HAEC FOEDERA. quibus vnus pareat victor.

Sic hoſtile tuens fratrem, namque vritur alto
Corde, quod innumeri comites, quod regia caſſis,
Inſtratúſque oſtro ſonipes, quod fulua metallo
Parma micet. quanquam haud armis inhonorus & ipſe,
Nec palla vulgare nitens: opus ipſa nouarat
Mœoniis Argia modis. & pollice docto
Stamina purpureæ ſociauerat aurea telæ.
Iámque in puluereum furiis hortantibus æquor
Proſiliunt. ſua quemque comes ſtimulátque monétque.
Frena tenent ipſæ, phaleráſque, & lucida comunt
Arma manu, mixtíſque iubas ſerpentibus augent.
Stat conſanguineum campo ſcelus. vnius ingens
Bellum vteri, coeúntque pares ſub caſſide vultus.
Signa tacent, ſiluere tubæ, ſtupefactáque Martis
Cornua ter nigris auidus regnator ab oris
Intonuit, térque ima ſoli concuſſit, & ipſi
Armorum fugere dei. nuſquam inclyta Virtus,

Reſtrinxit Bellona faces, longéque pauentes
Mars rapuit currus, & gorgone cruda virago
Abſtitit, inque vicem Stygiæ rubuere ſorores.

REGIA CASSIS. cum diademate. PALLA. chlamide. MAEONIIS. Lidiis, de hac enim regione fuit Ariadne lanificii peritiſſima, quæ Mineruam prouocauit, & ab ea in araneam eſt mutata. SERPENTIBVS AVGENT. equorum iubas augent Furiæ, adiectione ſerpentum. ET IPSE ARMORVM FVOERE DEI. Mars & Minerua. CRVDA. aſpera, dicit Mineruam oppoſita Gorgone, viſus ſuos cælaſſe.

Prominet excelſis vulgus miſerabile tectis.
Cuncta madent lachrymis, & ab omni plangitur arce.
Hinc queſti vixiſſe ſenes, hinc pectore nudo
Stant matres, paruóſque vetant attendere natos.
Ipſe quoque Ogygios monſtra ad gentilia manes
Tartareus rector porta iubet ire recluſa.
Montibus inſidunt patriis, triſtique corona
Infecere diem, & vinci ſua crimina gaudent.
Illos vt ſtimulis ire in diſcrimen apertis
Audiit, & ſceleri nullum iam obſtare pudorem,
Aduolat, & medias immittit Adraſtus habenas.
Ipſe quidem regnis multum, & venerabilis æuo,
Sed quid apud tales, quîs non ſua pignora curæ.
Externos tamen ille rogat. Spectabimus ergo
Inachidæ, Tyriique nefas? vbi iura, deique?
Bella vbi? ne perſtate animis. te deprecor hoſtis,
Quanquam hæc ira ſinat, nec tu mihi ſanguine longe,
Te gener, & iubeo: ſceptri ſi tanta cupido eſt,
Exuo regales habitus. I Lernan, & Argos
Solus habe. non verba magis ſuadentia frangunt
Accenſos, ſumptíſque ſemel conatibus obſtant,
Quàm Scytha curuatis erectus fluctibus vnquam
Pontus, Cyaneos vetuit concurrere montes.

ANIMIS. Thebanorum. PONTVS CYANEOS VETVIT. quoniam aqua non vetuit ſibi montes collidi.

Vt periiſſe preces, geminóſque ad prælia fuſos
Puluere cornipedes, exploranique furentum
In digitis amenta videt; fugit omnia, linquens

Caſtra, viros, generum, Thebas, ac fata monentem
Conuerſúmque iugo propellit Ariona. qualis
Demiſſus curru leuæ poſt præmia ſortis
Vmbrarum cuſtos, mundiquè nouiſſimus hæres
Palluit, amiſſo veniens in tartara cœlo.
Non tamen indulſit pugnæ, cunctatáque primo
Subſtitit in ſcelere, & paulum fortuna morata eſt.
Bis caſſæ periere viæ. bis comminus actos
Auertit bonus error equos puræque nefandi
Sanguinis obliquis ceciderunt ictibus haſtæ.
Tendunt frena manu, & ſæuis calcaribus vrgent
Immeritos. mouet & geminas miſerabile diuum
Prodigium turmas, alternáque murmura voluunt
Muſſantes, iterare aciem procurrere ſæpe
Impetus, & totum miſeris opponere bellum.

FVRENTEM. in equis apparebat dominorum furor. ARIONA. quia Arion filius Neptuni diuinabat. LEVAE. contrariæ ſiue inanes. INDVLSIT. inſtitit. VENERABILE. form·dandum. ITERARE ACIEM. denuo bellum inſtaurare. OPPONERE. obiicere ſe- pugnantibus fratribus.

Iamdudum terris, cœtúque offenſa deorum
Auerſa cæli Pietas in parte ſedebat.
Non habitu quo nota prius, non ore ſereno,
Sed vittis exuta comam, fraternáque bella
Ceu ſoror infelix pugnantum, aut anxia mater
Deflebat: ſæuúmque Iouem, Parcáſque nocentes
Vociferans, ſeſéque polis, & luce relicta
Deſcenſuram Erebo, & ſtygios iam malle penates.
Quid me, ait, vt ſæuis animantum, ac ſæpe deorum
Obſtaturam animis, princeps natura creabas?
Nil iam ego per populos, nuſquam reuerentia noſtri.
O furor, ô homines, dirique Prometheos artes,
Quam bene poſt Pyrrham tellus, pontúſque vacarent!
En mortale genus. dixit, ſpeculatáque tempus,
Auxilium tentemus ait, licet irrita coner.
Deſiluitque polo niueus ſub nubibus altis
Quanquam mœſta deæ ſequitur veſtigia limes.
Vix ſteterat campo, ſubita manſueſcere pace

Agnint, ſentirique nefas tunc ora madeſcunt,
Pectoráque, & tacitus ſubrepſit fratribus horror.
Arma etiam ſimulata gerens, cultúſque viriles:
Nunc his, nunc illis, Agite, ite, obſiſtite, clamat.
Quis nati fratréſque domi, quis pignora tanta.
His quoque nonne palam eſt vltro miſereſcere diuos?
Tela cadunt, cunctantur equi fors ipſa repugnat.
Non nihil impulerat dubios, ni torua notaſſet
Tiſiphone fraudes, celeſtique ocior igne
Afforet increpitans. Quid belli obuenteris auſis
Numen iners, pacique datum? cede improba. noſter
Hic campus, noſtérque dies nunc ſera nocentes
Defendis Thebas. vbi tunc cum bella cieret
Bacchus? & armatas furiarent orgia matres?
Aut vbi ſegnis eras, dum Martius impia ſerpens
Stagna bibit, dum Cadmus erat, dum victa cadit Sphynx
Dum rogat Oedipoden genitor? dum lampade noſtra
In thalamos Iocaſta venit? ſic vrget, & vltro
Vitantem aſpectus, etiam pudibundáque longe
Ora reducentem, premit aſtridentibus hydris,
Intentátque faces. deiectam in lumina pallam
Diua trahit, magnóque fugit queſtura Tonanti.

Non habitu. non læta, ſed triſtis. Animantum. animas habentium, id eſt, hominum. Quanquam moesta deae. cum pietas de cœlo deſcenderet ad terras, licet mœſta eſſet, tamen quocumque ibat per nubes nigras, claram ſui numinis lucem trahebat. Igne. fulmine. Numen iners. pietas quæ bella diſſuadet. Furiarent. inſtigarent. Cadmus erat. dentes draconis de quibus cohors armata prosiluit. Rogat. Conuenit. Ora reducentem. vultum ſuum retro tollentem. In lumina pallam. faciem ſuam chlamyde protegebat, ne Furiæ vultum videret.

Tunc verò accenſæ ſtimulis maioribus iræ.
Arma placent, verſæque volunt ſpectare cohortes.
Inſtaurant crudele nefas. rex impius aptat
Tela, & funeſtæ caſum prior occupat haſtæ.
Illa viam medium clypei conata per orbem
Non perfert ictus, atque alto vincitur auro.
Tunc exul ſubit, & clarè funeſta precatur.
Di quos effoſſo non irritus ore rogauit
Oedipodes, firmate nefas. non improba poſco

Vota; piabo manus, & eodem pectora ferro
Reſcindam, dum me moriens hic ſceptra tenentem
Linquat, & hunc ſecum portet minor vmbra dolorem.
Haſta ſubit velox equitis femur inter, equíque
Ilia, vtríque volens letum: ſed plaga ſedentis
Laxato vitata genu tamen irrita voti
Cuſpis, in obliquis inuenit vulnera coſtis.
It preceps ſonipes ſtrictæ contemptor habenæ.
Aruáque ſanguineo ſcribit rutilantia gyro.
Exultat, fratris credens hunc eſſe cruorem.
Credit & ipſe metu. totis iámque exul habenis
Indulget, cæcúſque auidos illidit in ægrum
Cornipedem curſus. miſcentur frena, manúſque,
Teláque, & ad terram turbatis greſſibus ambo
Præcipitant. vt nocte rates, quas nubilus auſter
Implicuit, frangunt tonſas, mutántque rudentes,
Luctatæque diu tenebris, hyemíque, ſibíque,
Sicut erant, imo pariter ſedere profundo.

REX IMPIVS. Etheocles. PRIOR OCCVPAT. feriturus præuenit, ac tela diſponit. PER ORBEM. per medium ſcutum conata eſt tranſire. PIABO MANVS. expiabo parricidium fratris mei morte. MINOR VMBRA DOLOREM. aſtiſmos, id eſt, vrbane: *minor vmbra* dixit victi regis, vt Horat.

Mediúmque flumen gentibus additum
Victis minores tollere vertices.

PLAGA. vulnus metum immiſit. TONSOS. remos. MVTANT. miſcent. LVCTATAEQVE DIV. & aduerſus tempeſtatem, & aduerſum ſe.

Hac pugnæ facies. coeunt ſine more, ſine arte,
Tantum animis, iráque, atque igneſcentia cernunt
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine. nil adeo mediæ telluris, & enſes
Impliciti, nexæque manus, alternáque ſæui
Murmura, ceu lituos rapiunt, aut ſigna tubarum.
Fulmineos veluti præceps cum comminus egit
Ira ſues, ſtrictíſque erexit pectora ſetis:
Igne tremunt oculi, lunatáque dentibus vncis
Ora ſonant. ſpectat pugnas de rupe propinqua
Venator pallens, canibúſque ſilentia ſuadet.
Sic auidi incurrunt. nec dum letalia miſcent

Vulnera, ſed cœptus ſanguis, facinúſque peractum,
Nec iam opus eſt furiis. tantum mirantur, & adſtant
Laudantes, hominúmque dolent plus poſſe furores.
Fratris vterque furens cupit affectátque cruorem,
Et neſcit manare ſuum. Tandem irruit exul,
Hortatúſque manum, cui fortior ira, nefáſque
Iuſtius, altè enſem germani in corpore preſſit,
Quà male iam plumis imus tegit inguina thorax.
Ille dolens nondum, ſed ferri frigore primo
Territus, in clypeum turbatus colligit artus,
Mox intellecto magis ac magis æger anhelat
Vulnere. nec parcit cedenti, atque increpat, hoſtis
Quo retrahis germane gradus? O languida ſomno,
Et regnis effœta quies! longáque, ſub vmbra
Imperia! exilio, rebúſque exercita egenis
Membra vides. diſce arma pati, nec fidere lætis.

RIMANTVR. perueſtigant. ACERBO. toruo, TELLVRIS. ſubaudis *intererat*. id eſt, non à ſe multum aberant, ſed comminus ſua ora cernebant. SIGNA TVBARVM. neglectu ſuo plus excitabantur ad ſcelus. FVLMINEOS. fortes. FACINVSQVE PERACTVM. tanta inerat ſæuientibus feritas, vt cum nulla ſibi adhuc vulnera intuliſſent, tamen iam ſe ſcelus perfeciſſe credebant. IVSTIVS. iuſtior in ſcelere Polynices, videbatur pro denegato ſibi imperio. MALE TEGIT. non tegit. PLVMIS. laminis, vt Virgil. *quem pellis ahenis in plumam ſquamis*. MAGIS AC MAGIS AEGER. Polynices ſcilicet viſo fratris vulnere imminebat. REBVSQVE EXERCITA EGENIS. has vires exilia calamitatéſque nutrierunt.

Sic pugnant miſeri. reſtabat laſſa nefando
Vita duci, ſummúſque cruor, poterántque parumper
Stare gradus: ſed ſponte ruit, fraudémque ſupremam
In media iam morte parat. clamore Cithæron
Erigitur, fratérque, ratus viciſſe, leuauit
Ad cœlum palmas, Bene habet, an irrita voui,
Cerno graues oculos, atque ora natantia leto.
Huc aliquis propere ſceptrum, atque inſigne comarum
Dum videt. hæc dicens greſſus admouit, & arma
Ceu templis decus & patriæ laturus ouanti,
Arma etiam ſpoliare cupit. nondum ille peractis
Manibus, vltricémque animam ſeruabat in iras.
Vtque ſuperſtantem pronúmque in pectore ſenſit,
Erigit occultè ferrum, vitæque labantis

Relliquias

Relliquias tenues odio ſuppleuit, & enſem
Iam lætus fati fraterno in corde reliquit.
Ille autem. Viuiſne? & adhuc manet ira ſuperſtes?
Perfide, nec ſedes vnquam meriture quietas:
I mecum ad Manes: illic quoque pacta repoſcam,
Si modò Agenorei ſtat Gnoſia iudicis vrna.
Qua reges punire datur. nec plura locutus
Concidit, & totis fratrem grauis obruit armis.
Ite truces animæ, funeſtáque tartara leto
Polluite, & cunctas Erebi conſumite pœnas.
Vóſque malis hominum Stygiæ iam parcite diuæ.
Omnibus in terris ſcelus hoc, omníque ſub æuo
Viderit vna dies, monſtrúmque infame futuris
Excidat, & ſoli memorent hæc prælia reges.

DVM VIDET. crudelis. CONSVMITE POENAS. omnia ſupplicia tranſeundo ſubite. VNA DIES. ſtat tantùm. PRAELIA REGES. execrando fratrum prælia ſoli nouerant reges, penes quos eſt & opprimendæ libertatis ambitus, & ſæuiendi crudelitas.

At genitor ſceleris comperto fine, profundis
Erepſit tenebris. ſæuóque è limine profert
Mortem imperfectam. veteri ſtat ſordida tabo
Vtraque canities, & durus ſanguine crinis.
Obnubit furiale caput. procul ora, genæque
Intus, & effoſſæ ſqualent veſtigia lucis.
Virgo autem impoſitæ ſuſtentat pondera leuæ,
Dextra ſedet baculo. qualis ſi puppe relicta
Exoſus manes pigri ſulcator Auerni
Exeat ad ſuperos ſolémque, & pallida turbet
Aſtra, nec ipſe diu fortis, patiénſque ſuperni
Aëris, interea longum ceſſante magiſtro
Creſcat opus, totiſque expectent ſæcula ripis.
Talis init campum, comitique extremæ gementi,
Duc ait ad natos, patrémque recentibus oro
Iniice funeribus. cunctatur neſcia virgo
Quid paret. impediunt iter, implicitóſque morantur
Arma, viri, currus, altáque in ſtrage ſeniles
Deficiunt greſſus, & dux miſeranda laborat.
Vt quæſita diu monſtrauit corpora clamor

Virginis, inſternit totos frigentibus artus.
Nec vox vlla ſeni. iacet, immugitque cruentis
Vulneribus, nec verba diu tentata ſequuntur.
Dum tractat galeas, atque ora latentia quærit.
Tandem muta furens genitor ſuſpiria ſoluit.

MORTEM IMPERFECTAM. cæcitatem, vt ipſe in primo. *longáque animam ſub nocte trahebat* VTRAQVE CANITIES. & capitis, & barbæ. GENAEQVE INTVS. ſedet intus abactis ferrea lux oculis. PVPPE RELICTA. Charon. EXOSVS MANES. odio habens mortuorum ſæua ſupplicia. SVLCATOR. nauta. CRESCAT OPVS. numerus vmbrarum. SAECVLA RIPIS. turbæ animarum. IMPLICITOS. ſibi innexos. FRIGENTIBVS. defunctis.

Tarda meam pietas longo poſt tempore mentem
Percutis? eſt ne ſub hoc hominis clementia corde?
Vincis me miſerum, vincis natura parentem.
En habeo gemitus, lachrymaque per arida ſerpunt
Vulnera. iam molles ſequitur manus impia planctus.
Accipite infandæ iuſta exequialia mortis
Crudeles, nimiúmque mei. nec noſcere natos,
Alloquiúmque aptare licet. dic virgo precanti
Quem teneo? quo nunc veſtras ego ſæuus honore
Proſequar inferias? ô ſi fodienda redirent
Lumina, & in vultus ſæuire ex more poteſtas.
Heu dolor, heu iuſto magis, exaudita parentis
Vota, malaque preces. quiſnam fuit ille deorum
Qui ſtetit orantem iuxta, prareptáque verba
Dictauit fatis? furor illa, & mouit Erinnys,
Et pater, & genitrix, & regna, oculíque cadentes.
Nil ego, per Ditem iuro dulcéſque tenebras,
Immeritámque ducem, ſubeam ſic tartara digna
Morte, nec irata fugiat me Laius vmbra.
Hei mihi quos nexus fratrum, quæ vulnera tracto?
Soluite quæſo manus, infeſtáque vincula tandem
Diuidite, & medium nunc ſaltem admittite patrem.
Talia dequeſtus, paulatim ſumpſerat iras
Mortis, & occultè telum, ni nata vetaret,
Quærebat. ſed caſta manu ſubtraxerat enſes
Antigone, furit inde ſenex. Vbi noxia tela?
Heu furiæ, num totum abiit in corpora ferrum?

Dicentem comes ægra leuat, mutúmque dolorem
Ipſa premit, ſæuum gaudens planxiſſe parentem.

Per arida serpvnt. cæcitatem aridam dixit, eo quod deficientibus oculis, lachrymarum origo ceſſauerit. Molles. quia ſunt animi molliores. Exeqvialia mortis. in morte veſtra lachrymas fundo, quæ exequiis coæquentur. Nimivmqve mei. minimè à meis criminibus diſcrepantes. Alloqvivmqve aptare licet. pro merito dicere. Hev ivsto magis. plus iuſto diis viſum eſt parentis in filios mala vota audire. Dictavit fatis. vt euenirent fataliter fecit. Ensem. anadiploſis.

Olim autem, incœptæ clamore exterrita pugnæ,
Regina extulerat notum penetralibus enſem,
Enſem ſceptriferi ſpolium lachrymabile Laij.
Multáque cum ſuperis, & diro queſta cubili,
Et nati furiis, & primi coniugis vmbris
Luctata eſt dextra, & prono vix pectore ferrum
Intrauit tandem, & venas prorupit aniles
Vulnus, & infelix luſtratur ſanguine lectus.
Illius exili ſtridentem in pectore plagam
Iſmene collapſa ſuper, lacrymíſque, comíſque,
Siccabat plangens. qualis Marathonide ſilua
Flebilis Erigone, cæſi prope funera patris
Queſtibus abſumptis triſtem iam ſoluere nodum
Cœperat, & fortes ramos moritura legebat.
At iam læta ducum ſpes eluſiſſe duorum
Res Amphionias alto, ſceptrúmque maligna
Tranſtulerat Fortuna manu, Cadmíque tenebat
Iura Creon. miſer heu bellorum terminus. illi
Pugnarant fratres. hunc & Mauortia clamant
Semina, & impenſius patriæ paulo ante Menœceus
Conciliat populis, ſcandit fatale tyrannus
Flebilis Aoniæ ſolium pro blanda poteſtas,
Et ſceptri malè ſuadus amor! nunquámne priorum
Hærebunt documenta nouis? iuuat ecce nefaſto
Stare loco, regiménque manu tractare cruentum
Quid melior Fortuna poteſt? iam flectere patrem
Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis.
Primúm adeò ſæuis imbutus amoribus aulæ
Indicium, ſpeciménque ſui, iubet igne ſupremo
Arceri Danaos, nudóque ſub axe relinqui

Infelix bellum, & triſtes ſine ſedibus vmbras.
Mox reducem Ogygiæ congreſſus limine portæ
Oedipodem timuit paulum, ſeſéque minorem
Confeſſus tacitè, promptámque coercuit iram.
Mox redit in regem, cæcúmque audentius hoſtem
Increpitans, procul, inquit, abi victoribus omen
Inuiſum, & furias auerte, ac mœnia luſtra
Diſceſſu Thebana tuo. ſpes longa peracta eſt.
Vade, iacent nati. quæ iam tibi vota ſuperſunt?

MVLTAQVE. multa in deos conuitiata, & de inceſto cubili plurimum conqueſta. ET NATI FVRIIS. filii nuptiis. ET PRIMI CONIVGIS. Lai prioris mariti. LVCTATA EST. conata eſt manus anilis virorum fortium opus implere. SANGVINE LECTVS. cruore ſuo infelicis lectuli purgauit inceſtum. QVALIS MARATHONIDE SILVA. *Marathon* mons Atticæ regionis, in quo Icarus eſt occiſus: ad quem locum Erigone filia eius cane præeunte peruenit, & ſe nimio luctus dolore laqueauit, fortioribus ramis electis, ne forte infirmioribus fractis, mortem corporis ruina declinaret. Pinus autem in qua pependit regionem illam ſua vmbra vaſtabat. vt placaretur extincta, ora in humanam ſpeciem ipſi formata in eadem arbore ſuſpendebant, & paſtorum congreſſibus cantibúſque diem illum celebrem faciebant. quod Virgilius aliud agendo perſtrinxit. *tibíque oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.* NODVM. laqueum, quo ſe regina ſuſpenderat. LEGEBAT. quibus ſe ſuſpenderet. PRIORVM. quod non admonentur fatis priorum. MOX REDIT IN REGEM. animum regium ſumit. PERACTA EST. votiua filiorum tuorum morte completa ſunt.

Horruit inſtinctu rabido, ſteterántque trementes,
Ceu viſu præſente, genæ, ſeniúmque receſſit.
Tunc natam, baculúmque manu dimiſit, & iræ
Innixus, tumido vocem de pectore rupit.
Iamne vacat ſæuire Creon? modò perfida regna
Fortunæque locum noſtræ miſerande ſubiſti,
Et tibi iam fas eſt regum calcare ruinas?
Iam tumulis victos ſocios, iam mœnibus arces?
Macte, potes digne Thebarum ſceptra tueri.
Hæc tua prima dies. ſed cur noua contrahis amens
Iura? quid anguſtè tantos metiris honores?
Exilium intendis. timida inclementia regum
Iſta. feros auidus quin protinus imbuis enſes?
Crede. licet veniat cupidus parere ſatelles.
Intrepidúſque ſecet non euitantia colla.
Incipe. an expectas, vt pronus ſupplice dextra
Sternar? & immitis domini veſtigia quæram?

Finge autem tentare, ſines? mihíne vlla minaris
Supplicia, aut vllos reris ſupereſſe timores?
Linquere tecta iubes? cœlum, terráſque reliqui
Sponte. atque vltricem crudelis in ora retorſi,
Non vllo cogente manum. quid tale iubere
Rex inimice potes? fugio, excedóque nefandis
Sedibus. an refert quo funera longa, meáſque
Tranſportem tenebras? ne non gens cuncta precanti
Concedat, patriæ quantum miſer incubo terræ?
Sed dulces Thebæ. nimirum hic clarior ortus,
Et meliora meos permulcent ſydera vultus.
Hic genitrix, natique. habeas Thebana, regaſque
Mœnia, quo Cadmus, quo Laius omine rexit,
Quóque ego. ſic thalamos, ſic pignora fida capeſſas.
Nec tibi ſit virtus fortunam euadere dextra:
Sed lucem deprenſus ames. ſatis omnia ſanxi.

SENIVMQVE RECESSIT. nimia ſenectus dicitur *ſenium*. Terent. *Vt illum dij deæque omnes perdant ſenem, qui me hodie remoratus eſt.* IAM NE VACAT SAEVIRE CREON. iam non doles interitum filii, ſed contra mortuos furibundus iraſceris. CALCARE RVINAS. afflictorum regum inſultare caſibus. CONTRAHIS AMENS. *Contrahis*, contra aſſumis: mirando parua & non maiora rerum contrahis iura. METIRIS HONORES. vt exilium imperes ei quem potes occidere, cur non ſæuius aliquid imperas. iſta mihi parua ſunt quæ minaris exilia, qui ſponte ſupplicia in me maiora perfeci. QVIN PROTINVS IMBVIS ENSES. quinimo imbue, id eſt, in me auſpicare innocentem cædem, quaſi nouus tyrannus. SATELLES. id eſt, armiger, qui me poſſit occidere. TENTARE SINES. ſubaudis humilem me tibi eſſe permittes. NEC TIBI SIT VIRTVS. id eſt, nulla in te ſit fortitudo animi, qua poſſis aduerſa magnaminiter ferre. SATIS OMINA SANXI. ſatis imprecatus ſum.

Duc age nata procul. quid te autem luctibus addo?
Da rex magne ducem. timuit miſeranda relinqui
Antigone: mutátque preces. felicia per te
Regna verende Creon, ſanctáſque Menœceos vmbras:
Da veniam afflicto, dictiſque ignoſce ſuperbis.
Hunc morem fandi longæ fecere querelæ.
Nec ſoli ferus iſte tibi, ſic fata, deóſque
Alloquitur? durus luctu, faciliſque nec ipſi
Sæpe mihi. pridem indomito ſub pectore ferues
Libertas miſera, & ſæua. ſpes irrita mortis
Et nunc ecce tuas irritat callidus iras,

Suppliciumque cupit. ſed tu maioribus oro
Imperij potiare bonis, altúſque iacentes
Prætereas, & magna ducum vereare priorum
Funera. & hic quondam ſolio ſublimis, & armis
Septus, opem miſeris, & iura petentibus æquus,
Supplicibúſque dabat: cui nunc ex agmine tanto
Vna comes, nec dum exul erat. felicibus hic ne
Obſtat? in hunc odiis, & regni viribus exis?
Hunc abigis tectis? an-ne propè limina clarum
Ingemat, & votis intempeſtiuus oberret?
Pone metum, procul vſque tua ſummotus ab aula
Flebit. ego erectum ſubigam, & ſeruire docebo.
Cœtibus abducam. ſoláque in ſede recondam:
Exul erit: nam quæ migranti externa patebunt
Mœnia? vis Argos eat, hoſtiléſque Mycenas
Squallidus irrepet? victíque ad limen Adraſti
Aonias narret clades? tenuémque precetur
Rex Thebanus opem? miſeræ quid crimina gentis
Pandere, quid caſus iuuat oſtentare pudendos?
Conde precor quodcunque ſumus, nec longa precamur
Dona Creon, miſerere ſenis, mœſtíque parentis
Hic precor, hic manes indulge ponere. certè
Thebanos ſepelire licet. ſic orat, humíque
Voluitur. abducit genitor, ſæuúmque minatur
Indignans veniam. qualis leo rupe ſub alta,
Quem viridem quondam ſyluæ montéſque tremebant,
Iam piger, & longo iacet exarmatus ab æuo:
Magna tamen facies, & non adeunda ſenectus,
Et ſi demiſſas veniat mugitus ad aures,
Erigitur, meminítque ſui, viréſque peractas
Ingemit, & campis alios regnare leones.

ALTVSQVE IACENTES. elatus imperii dignitate, miſeros humiléſque deſpicias. VEREARE PRIORVM. ante oculos habeas fata priorum ducum. FOELICIBVS. ſubaudis, cùm hæc mala accidiſſent.

Flectitur affatu, ſed non tamen omnia rector
Supplicis indulget lachrymis, partémque recidit
Muneris. Haud, inquit, patriis prohibebere longè

Finibus. occurſu dum non pia templa, domóſque
Commacules. habeant te luſtra, tuúſque Citheron:
Atque hæc ecce tuis tellus habitabilis vmbris
Qua bellum, geminæque iacent in ſanguine gentes.
Sic ait, & ficto comitum, vulgíque gementis
Aſſenſu, limen tumidus regale petebat.
Interea pulſi vallum exitiale Pelaſgi
Deſtituunt furto. nulli ſua ſigna, ſuúſque
Ductor. eunt taciti paſſim, & pro funere pulchro
Dedecorem amplexi vitam, reditúſque pudendos,
Nox fauet, & grata profugos amplectitur vmbra.

SVPPLICIS INDVLGET. veniam Oedipo ſub certa conditione promittit. HABITABILIS VMBRIS. vbi filii ſe tui mutuis vulneribus peremerunt. QVA BELLVM. Thebanæ & Argiuæ gentes mouerunt. DESTITVVNT. occultè fugiunt.

EXPLICIT
THEBAIDOS LIBER VNDECIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI DVODECIMI THEBAIDOS.

POſtquam alterno ceciderunt vulnere fratres
Móxque Creon deflens perſoluit iuſta Menœceo
Buſta negans victis. at Graias fama perurget
Quærere clam matres, per campos membra ſuorum
Vix Argia ſui corpus Polynicis amati
Reperit: Antigone Etheoclis funera quærens
Aduenit ignaræ communia funera plangunt.
Succenſúſque rogus flammis communibus ardet
Theſeáque Euadne conſtanti voce precatur.
Iret vt ad Thebas vindex alióſque triumphos
Mox ille infrendens optat vocátque Creonta
Quem ſternit telo, Graiorúmque immolat vmbris.

INTERPRETATIO.

IN hoc libro continetur egreſſio Thebanorum ad campos, hoſtibus iam fugatis. Crematio cadauerum. Sepultura Menœcei. Creontis allocutio in filium plena pietatis. Profectio Argiuarum matrum, poſt auditam mortem ſuorum. Occurſus Orniti vulnerati. Allocutio ſuadens matribus, vt non Thebas eant, ſed Athenas & à Theſeo auxilium poſcant, quomodo poſſint ſepeliri earum mariti. Conſenſus Argiæ. Ipſius Argiæ ſegregatio à cæteris matribus, & ipſius profectio ad Thebas, vno comite manente: & eius aduentus ad campum, vbi iacebat maritus Iunonis. Ad Lunam allocutio, vt illuſtret campos ſplendore radiorum. Agnitio allocutionis Argiæ & Antigones, & iunctus labor ad ſepeliendum Polynicis cadauer, qui cùm impoſitus fuiſſet Etheoclis rogo, per ignorantiam ſubito flamma diſceſſit. Antigones lamentatio. Vigilum interuentus, & captiuitas Antigones, & Argiæ decretio ſibi apud Athenas, quo Argiuæ confugerant matres. Aduentus Theſei, & triumphus eius de Amazonibus. Allocutio Euandri & Capanei vxoris ad Theſeum. & deprecatio de ſepultura maritorum. Indignatio Theſei contra Creontem, & tranſmiſſio nuntii, qui diceret Creonti, vt aut fineret ſepeliri Argiuos, aut ſe pararet ad bellum. Catalogus exercitus. Theſei aduentus. Nuncii à Theſeo miſſi ad Creontem ſuperba reſponſio. Aduentus Theſei. Pugna & ſingulare certamen cum Creonte. Interitus Creontis. Deditio Thebarum. Argiuorum ſepultura.

PAPINII SVRCVLI STATII

THEBAIDOS LIBER DVODECIMVS

Incipit.

NONDVM *cuncta polo vigil inclinauerat aſtra*
Ortus, & inſtantem cornu tenuiore videbat
Luna diem, trepidas vbi iam Tithonia nubes
Diſcutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.
Agmina iam raris Dircea penatibus errant,
Noctis queſta moras. quamuis tunc otia tandem,
Et primus poſt bella ſopor: tamen ægra quietem
Pax fugat, & ſæui meminit victoria belli.
Vix primo proferre gradum, & munimina valli
Soluere, vix totas reſerare audacia portas.
Stant veteres ante ora metus, campique vacantis
Horror: vt aſſiduo iactatis æquore tellus
Prima labat. ſic attoniti nil comminus ire
Mirantur, fuſáſque putant aſſurgere turmas.

PLACIDI LACTANTII

INTERPRETATIO.

INCLINAVERAT. occidere fecerat, id eſt, nondum omnia aſtra aduentus extinſerat Solis. PRIMVS. pro primum. MVNIMINA VALLI. quamuis fugiti eſſent Argiui, tamen exire de ciuitate Thebani metuebant. RESERARE AVDACIA PORTAS. nondum audebant terrore præteritorum malorum omne portarum ſpacium reſerare. PRIMA LABAT. Virgil. *Dum trepidi egreſſique labant veſtigia prima.*

Sic vbi proſpicuæ ſcandentem limina turris
Idaliæ volucres fuluum aſpexere draconem,
Intus agunt natos, & fœta cubilia vallant
Vnguibus, imbelléſque citant ad prælia pennas:
Mox ruerit licet ille retro, tamen aera nudum
Candida turma timet, tandémque ingreſſa volatus
Horret, & à medijs etiamnum reſpicit aſtris.

VALLANT. muniunt. CITANT PENNAS. alas commouent. LICET ILLE RETRO. licet retro diſceſſerit.

Itur in exanguem populum, bellíque tacentis
Relliquias. qua quemque dolor, luctúſque cruenti
Exegere duces. hi tela, hi corpora, at illi
Cæſorum tantùm ora vident, alienáque iuxta
Pectora. pars currus deflent, viduíſque loquuntur,
Hoc ſolum quod reſtat, equis: pars oſcula figunt
Vulneribus magnis, & de virtute queruntur.
Frigida digeritur ſtrages. patuere reciſæ
Cùm ſcapulis, haſtíſque manus, mediíſque ſagittæ
Luminibus ſtantes. multis veſtigia cædis
Nulla, ruunt planctu pendente, & vbique parato.
At circùm informes truncos miſerabile ſurgit
Certamen, qui iuſta ferant, qui funera ducant.
Sæpe etiam hoſtiles (luſit Fortuna parumper)
Decepti fleuere uiros. nec certa facultas
Noſcere quem miſeri vitent, calcéntue cruorem.
At quibus eſt illæſa domus, vacuíque dolores,
Aut deſerta vagi Danaum tentoria luſtrant:
Immittúntque faces, aut (quæ poſt bella voluptas)
Quærunt diſperſi iaceat quo puluere Tydeus,
An rapti pateat ſpecus auguris, aut vbi diuum
Hoſtis, an ætheriæ viuant per membra fauillæ.
Iam lachrymis exempta dies, nec ſerus abegit
Veſper. amant miſeri lamenta, malíſque fruuntur.
Nec ſubiere domos, ſed circùm funera pernox
Turba ſedet, vicibúſque datis alterna gementes
Igne feras, planctúque fugant. nec dulcibus aſtris
Victa, nec aſſiduo coierunt lumina fletu.

QVAERVNTVR. virtutis malo imputant, quæ perierint. DIGERITVR. ordinatur. VBIQVE PARATO. ad omnia cadauera.

Tertius auroram pulſabat Lucifer, & iam,
Montibus orbatis lucorum gloria, magnæ
Theumeſiæ venere trabes, & amica Cithæron
Sylua rogis. ardent exciſæ viſcera gentis
Molibus extructis. ſupremo munere gaudent
Ogygij manes. queritur miſerabile Graium
Nuda cohors, vetitúmque gemens circumuolat ignem.
Accipit & ſæui manes Etheoclis iniquos
Haudquaquam regalis honos, Argiuus haberi
Frater iuſſus adbuc, atque exule pellitur vmbra.
At non plebeio fumare Menœcea buſto
Rex genitor, Thebæquè ſinunt. nec róbora vilem
Struxerunt de more rogum: ſed bellicus agger
Curribus, & clypeis, Graiorúmque omnibus armis
Sternitur. hoſtiles ſuper ipſe vt victor aceruos,
Pacifera lauro crinem, vitiſque decorus,
Accubat. haud aliter quàm cùm poſcentibus aſtris
Lætus in accenſa iacuit Tirynthius Oeta.
Spirantes ſuper inferias captiua Pelaſgum.
Corpora, frenatóſque pater ſolatia fortis
Bellorum mactabat equos. his arduus ignis
Palpitat, & gemitus tandem erupere paterni.

MISERABILE. pro miſerabiliter. ACCIPIT. ſubaudis, ignis. ARGIVVS HABERI. id eſt, non ſepeliri ſicut Græci. SED BELLICVS AGGER. inſtrumentorum belli exaggeratio. ACERVOS. exuviarum hoſtilium moles. Exuviis enim hoſtium extruebatur regibus mortuis pyra: quem ritum ſepulturæ hodie quoque barbari ſeruare dicuntur, quem *Strabas* dicunt lingua ſua. PACIFERA LAVRO. triumphali ſiuo victrici. HIS. ſubaudis, rebus. PALPITAT. mouetur.

O niſi magnanimæ nimius te laudis iniſſet
Ardor, Echionios mecum venerande penates,
Atque vltra recture puer: venientia qui nunc
Gaudia, & ingratum regni mihi munus acerbas.
Tu ſuperum conuexa licet, cœtúſque perenni
(Credo equidem) Virtute colas: mihi flebile ſemper
Numen eris. ponant aras, excelſáque Thebæ
Templa dicent. vni fas ſit lugere parenti,

Et nunc heu quæ digna tibi ſolemnia, quáſue
Largiar exequias? non ſi fatale poteſtas
Argos, & impulſas cineri miſcere Mycenas
Méque ſuper, cui vita nefas & ſanguine nati
Partus honos. eadémne dies, eadem impia bella
Te puer, & diros miſere in tartara fratres?
Et nunc Oedipodæ par eſt Fortuna doloris,
Ac mihi. quam ſimiles gemimus bone Iuppiter vmbras!
Accipe nate tui noua libamenta triumphi,
Accipe, & hoc ragimen dextræ, frontiſque ſuperbæ
Vincula, quæ patri nimium geſtanda dediſti.
Regem te, Regem triſtes Etheocleos vmbræ
Aſpiciant. ſimul hæc dicens, crinémque, manúmque
Deſtruit, accenſáque iterat violentius ira.
Sæuum agedum, immitémque vocent, nunc funera Lernæ
Tecum ardere veto. longos vtinam addere ſenſus
Corporibus, cœlóque animas, Erebóque nocentes
Pellere fas. ipſúmque feras, ipſum vnca volucrum
Ora ſequi, atque artus Regum monſtrare nefandos.
Hei mihi quod poſitos humus alma, diéſque reſoluit.
Quare iterum repetens, iterúmque edico ſuprema
Ne quis ope, aut flammis auſit iuniſſe Pelaſgos.
Aut nece facta luet, numeróque explebit adempta
Corpora. per ſuperos, magnámque Menœcea iuro.
Dixit, & abreptum comites in tecta ferebant.

VLTRA. poſt mortem. ACERBAS. acerbum facis. ET IMPVLSAS CINERI. tuo. ſ. FRATRES. vna ſorte & eadem die, cum nefandis fratribus bellorum fortunam coniunxit. LIBAMENTA, dona ſacrata, ſiue pueris initia mortis. REGIMEN DEXTRAE. ſceptrum ſiue regalis virga. FRONTISQVE SVPERBAE. vincula, diadema. oſtendit poeta Creontem regni inſignia in ardentis filii pyrham ieciſſe. IPSVMQVE. ne ipſum.

Flebilis interea vacuis comitatus ab Argis
(Fama trahit miſeras) orbæ, viduæque ruebant
Inachides. ceu capta manus, ſua vulnera cuique,
Par habitus cunctis, deiecti in pectora crines,
Accinctique ſinus. manant lacera ora cruentis
Vnguibus, & molles planctu creuere lacerti.
Prima per attonitas nigra regina cateruas
Triſtibus illabens famulis, iterúmque reſurgens

Quærit inops Argia vias. non regia cordi,
Non pater vna fides: vnum Polynicis amati
Nomen in ore ſedet. Dircen, infauſtáque Cadmi
Mœnia, poſt habitis velit incoluiſſe Mycenis.
Proxima Lernæo Calydonidas agmine mixtas
Tydeos exequiis trahit. haud ceſſura ſorori
Deiphile, ſcelus illa quidem, morſúſque profanos
Audierat miſeranda viri, ſed cuncta iacenti
Infelix ignoſcit amor. poſt aſpera viſu,
Ac deflenda tamen, digno plangore Nealce
Hippomedonta ciens. vatis mox impia coniux,
Heu vacuos poſitura rogos. Poſtrema gementum
Agmina Mænaliæ ducit comes orba Dianæ.
It grauis Euadne. dolet hæc, queritúrque labores
Audacis pueri. magni memor illa mariti
It toruum lachrymans, ſummíſque iraſcitur aſtris.

Vacvis. deſolatis à viris. Crevere lacerti. intumuere. Profanos. funeſtos. Impia coniux. proditrix. Eryphilen ſignificat Amphiarai vxorem, quæ monilis cupiditate ducta, latebras coniugis prodidit, quam poſtea filius in vindictam patris occidit.

Illas è lucis Hecate ſpeculata Lycæis
Proſequitur gemitu, duplèxque ad littus euntes
Planxit ab Iſthmiaco genitrix Thebana ſepulchro.
Noctiuagúmque gregem, quamuis ſibi luget Eleuſin
Fleuit, & arcanos errantibus extulit ignes.
Ipſa per aduerſos ducit Saturnia colles.
Occultáſque vias. ne plebs congreſſa ſuorum,
Ire vetet, pereátque ingentis gloria cœpti.
Nec non functa ducum refouendi corpora curam
Iris habet. putréſque arcanis roribus artus,
Ambroſiæque rigat ſuccis, vt longiùs obſtent,
Expecténtque rogos, flammas néue ante fatiſcant.
Squallidus ecce genas, & hianti vulnere pallens
Ornitus (hic ſocio deſertus ab agmine, tardat
Plaga recens) timidus ſecreta per auia furto
Debile carpit iter, fractæque innititur haſtæ.
Iſque vbi mota nouo ſtupuit loca ſola tumultu,
Fœmineúmque gregem, quæ iam ſuper agmina Lernæ

Sola videt: non ille viam, cauſáſque requirit,
(Quippe patent mœſto) ſed ſic prior occupat ore.

Dvplex littvs. Ionium & Ægeum. Istmiaco. Corinthio. Genitrix. Leucothea. Noctivagvmqve. mulierum Argiuarum gregem ſignificat. *noctiuagum* ideo, quia quærentes maritorum cadauera, nocte vagantur incertæ.

Elevsis. ciuitas non longè ab Athenis. quamuis Eleuſis proprijs luctibus ſeruiat. In ſacris enim huius ciuitatis myſteria ſunt Cereris, Proſerpinæ raptum dolentis.

Arcanos. ſecretos, ſiue ſacrificiorum ignes oſtendit. Extvlit. eleuauit. Ipsa per adversos. ipſa Iuno & auia monſtrabat itinera, & refouebat corpora mortuorum: mandat ſimul curam Iridi, quæ ambroſiis ſuccis perfundens ea, debere ſolui vetabat. Ne plebes. ne coniuncta fugientium multitudo à cœpto deterreatur. Fvncta. mortua. Roribvs. liquoribus ſuis. Obstant. repugnant. Fatiscant. vt occiſorum corpora putredine non ante ſoluantur, quam rogos accipiant. & eſt ordo. ante flammas non fatiſcant. Svper agmina Lerne. tantummodo mulieres ſupereſſe. nominatiuus Græcus eſt *hæc Lerne*.

Quò miſeræ, quo fertis iter? funúſne peremptis
Speratis? cinerémque viris? ſtat peruigil illic
Vmbrarum cuſtos, inhumatáque corpora regi
Adnumerat. nuſquam lachrymæ, procul vſque fugati
Acceſſus hominum: ſolis auibúſque, feriſque
Ire licet. veſtriſne Creon dabit aquus honorem
Luctibus? immites citius Buſyridos aras,
Odryſiique famem ſtabuli, Siculóſque licebit
Exorare deos. rapiet fortaſſe precantes,
(Si mens nota mihi) nec coniugalia ſupra
Funera, ſed caris longè mactabit ab vmbris:
Quin fugitis, dum tuta via eſt, Lernámque reuerſæ
Nomina, quod ſupereſt, vacuis datis orba ſepulchris,
Abſentéſque animas ad inania buſta vocatis?
Aut vos Cecropiam (propè námque & Theſea fama eſt
Thermodontiaco letum remeare triumpho)
Imploratis opem? bella cogendus & armis
In mores hominémque Creon. ſic fatus, at illis
Horruerant lachrymæ, ſtupuitque immanis eundi
Impetus, atque vno vultus pallore gelati.
Non ſecus afflauit molles ſi quando iuuencas
Tigridis Hircanæ ieiunum murmur, & ipſe
Auditu turbatur ager, timor omnibus ingens,
Quæ placeat, quos illa fames deſcendat in armos.
Continuo diſcors varie ſententia motu

Sciditur: his Thebas, tumidúmque ambire Creonta,
His placet Actææ ſi quid clementia gentis
Annuat. extremum curarum, ac turpe reuerti.

Fvnvsne peremptis speratis. Speratiſne vos mortuis ſepulturæ ſolatia poſſe præſtare. Annvmerat. ſeruat. Bvsiridis aras. hic rex Ægypti fuit, aduenas ſolitus ad aras mactare. poſtremo aduentu Herculis exemplo ſuo immolatus eſt.

Odrisiiqve. Diomedes Thracum rex equos habebat, quos humanis carnibus nutriebat. hos Hercules occiſo Diomede, ad ſolita pabula, id eſt ad gramina, mollita feritate reuocauit. Sicvlosqve licebit. Iupiter Ætnam Nympham compreſſit. quam cùm Iuno perſequeretur, illa terræ implorauit auxilium, & in ſinu eius recepta, enixa eſt geminos, necdum partu maturos: hos terra intra gremium ſuum tandiu fouit, quamdiu lex vteri poſtulabat. poſtea enixa eſt, vnde Palyci, id eſt, bis geniti ſunt appellati. hos autem immites fuiſſe, & humano ſanguine placari conſuetos, fabula differente confirmatum eſt. quod videtur etiam ſtrictim tetigiſſe Virgil. — *Et implacabilis ara Palyci.* — Orba sepvlchris. ſine corporibus ſepulturæ. Thermodontiaco. Thracio, à fluuio Thermodonte, Thraciæ regionis. In mores hominemqve. in humanam conſuetudinem, id eſt, vt mortuos ſepulturæ concedat, bello cogendus eſt Creon. Vno. ſimili.

Hic non fœmineæ ſubitum virtutis honorem
Colligit Argia. ſexúque immane relicto
Tractat opus. placet egregij ſpes dura pericli,
Comminus infandi leges accedere regni.
Quo Rhodopes non vlla nurus, nec alumna niuoſi
Phaſidis, innuptis vallata cohortibus iret.
Tunc mouet arte dolum. quo ſemet ab agmine fido
Segreget, immitéſque deos, regémque cruentum
Contemptrix animæ, & magno temeraria luctu
Prouocet. hortantur pietas, ignéſque pudici.
Ipſe etiam ante oculos omni manifeſtus in actu
Nunc hoſtes miſeræ, primas nunc ſponſus ad aras,
Nunc mitis coniux, nunc iam ſub caſſide torua
Mœſtus in amplexu, multúmque a limine ſummo
Reſpiciens: ſed nulla animo verſatur imago
Crebrior, Aonij quàm quæ de ſanguine campi
Nuda venit, poſcítque rogos. his anxia mentem
AEgreſcit curis, & qui caſtiſſimus ardor,
Funus amat. tunc ad comites conuerſa Pelaſgas.
Vos, ait, Actææ acies, Marathoniáque arma
Elicite, aſpirétque pio fortuna labori.
Me ſinite Ogygias, tantæ quæ ſola ruinæ,

Cauſa ſui. penetrare domos, & fulmina regni
Prima pati. nec ſurda feræ pulſabimus vrbis
Limina, ſunt illic ſoceri mihi, ſuntque ſorores
Coniugis, & Thebas haud ignoranda ſubibo.
Ne tantum reuocate gradus. illo impetus ingens,
Auguriúmque animi. nec plura: vnúmque Menœtem
(Olim hic virginei cuſtos, monitórque pudoris)
Eligit, & quanquam rudis, atque ignara locorum
Præcipites greſſus quà venerat Ornitus affert.

DVRA PERICLI. cauſa mariti furtim cremandi. RHODOPES. mons Thraciæ. INNVPTIS. Amazoniis. FVNVS AMAT. Lucan. *Perfruitur lachrymis, & amat pro coniuge luctum.* ACTHAEAS. Atticas. MARATHONIAQVE. id eſt, Marathonem Græciæ ciuitatem, in qua nutritus eſt Theſeus. AVGVRIVMQVE ANIMI. animi prædiuinationem.

Atque vbi viſa procul ſocias liquiſſe malorum,
An-ne, ait, hoſtiles ego te labente per agros
Heu dolor, expectem quænam ſententia lenti
Theſeos? an bello proceres, an dexter haruſpex
Annuat? interea funus decreſcit: & vncis
Alitibus non hos potiùs ſupponimus artus?
Et nunc me duram, ſi quis tibi ſenſus, ad vmbras
Me tardam quereris ſtygiis fidiſſime diuis.
Heu ſi nudus adhuc, heu ſi iam fortè ſepultus,
Noſtrum vtrúmque nefas adeò vis nulla dolenti,
Mors nuſquam ſæuúſque Creon, hortaris euntem
Ornite. ſic dicens magno Megareia præceps
Arua rapit paſſu, demonſtrat proxima quiſquis
Obuius, horreſcitque habitus, miſerámque veretur.
Vadit atrox viſu, nec corde, nec ore paueſcens,
Et nimiis confiſa malis, propiórque timeri.
Nocte velut Phrygia, cùm lamentata reſultant
Dindyma, pinigeri rapitur Simoentis ad amnem
Dux veſana chori. cuius dea ſanguine lecto
Ipſa dedit ferrum, & vitata fronte notauit.

VIS NVLLA DOLENTI. nunquam eſt animi magnitudo, quæ perducat ad mortem. HORTARIS EVNTEM. verbis dehortantibus cohortaris. NOCTE VELVT PHRYGIA. ſacra matris noctе Phrygibus colebantur in monte Dyndimo, in quibus ſe Galli abſcindere conſueuerant. quod genus ſacrificij ſtrictim Virgilius tetigit. *Ite per alta Dyndima.* PINIGERI. ferentis faces. RAPITVR. ducitur. SANGVINE ELECTO. quem ſibi ipſe elegit.

Iam

Iam pater Heſperio flagrantem gurgite currum
Abdiderat Titan, aliis rediturus ab vndis,
Cùm tamen illa grauem luctu fallente laborem
Neſcit abiſſe diem. nec caligantibus aruis
Terretur, nec frangit iter, per & inuia ſaxa,
Lapſuráſque trabes, nemorúmque arcana ſereno
Nigra die. cæcíſque inciſa noualia foſſis
Per fluuios ſecura vadit, ſomnóſque ferarum
Præterit, horrendis inſeſſa cubilia monſtris.
Tantum animi, luctúſque valent. pudet ire Menœtem
Tardius, inualidæque gradum miratur alumnæ.
Quas non illa domos, pecorúmque, hominúmque modeſto
Pulſauit gemitu? quoties amiſſus eunti
Limes, & errantem comites ſolatia flammæ
Deſtituunt? gelidæque facem vicere tenebræ?
Iámque ſupinantur feſſis, latéque fatiſcunt
Penthei deuexa iugi. cum pectore anhelo
Iam propè deficiens, ſic inchoat orſa Menœtes.
Haud procul exacti ſi ſpes non blanda laboris,
Ogygias Argia domos, & egena ſepulchri
Buſta iacere reor. graue comminus æſtuat aer
Sordidus, & magnæ redeunt per inane volucres.
Hæc illa eſt crudelis humus: nec mœnia longè
Cernis, vt ingentes murorum porrigat vmbras
Campus, & è ſpeculis moriens intermicet ignis:
Mœnia ſunt iuxta, modò nox magis ipſa tacebat,
Solaque nigrantes laxabant aſtra tenebras.

ALIIS REDITVRVS AB VNDIS. In occidentem vergens ſol, neceſſe eſt vt ab orientis partibus oriatur. NEC FRANGIT ITER. non minuit vel deflectit. NOVALIA. agrorum loca, quæ verno tempore ſcrobibus factis vinetis aptantur. PRAETERIT. iuxta tranſit. INSESSA. inhabitata. ſiue magis, quod in augeat, obſeſſa. SVPINANTVR. inclinantur. DEVEXA. latera. EXACTI. finiti ſiue concluſi. NON BLANDA. non falſa. à blandimentis enim inducimur. vt Terentius. *Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe deluderes.* id eſt, blandimentis induceres. EGENA SEPVLCHRI. cadauera ſepultura carentia. BVSTA. corpora ſemiuſta. ÆSTVAT AER. grauiter exhalat.

Horruit Argia, dextrámque ad mœnia tendens,
Vrbs optata prius, nunc tecta hoſtilia Thebæ,
Et tamen illæſas ſi reddis coniugis vmbras,

Sic quoque dulce ſolum: cernis quo prædita cultu,
Qua ſtipata manu, iuxta tua mœnia primùm
Oedipodis magni venio nurus? improba non ſunt
Vota, rogos, hoſpes planctúmque, & funera, poſco.
Illum oro extorrem regnis, bellóque fugatum,
Illum, quem ſolio non es dignata paterno
Redde mihi. túque oro veni, ſi manibus vlla
Effigies, errántque animæ poſt membra ſolutæ.
Tu mihi pande vias, tuáque ipſe ad funera deduc,
Si merui. dixit, tectúmque aggreſſa propinquæ
Paſtorale caſæ, reficit ſpiramina feſſi
Ignis, & horrendos irrumpit turbida campos.

QVA STIPATA MANV. qua multitudine comitata. Ironicôs, id eſt, nulla. EFFIGIES. ſpecies. VARIABAT. variè circuibat.

Qualis ab Aetnæis accenſa lampade ſaxis
Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ,
Auſonium Siculúmque latus veſtigia nigri
Raptoris, vaſtóſque legens in puluere ſulcos.
Illius inſanis vlulatibus ipſe remugit
Enceladus, ruptóque vias illuminat igni.
Perſephonen amnes, ſyluæ, freta, nubila, clamant.
Perſephonen tantùm Stygij tacet aula mariti.
Admonet attonitam fidus meminiſſe Creontis
Altor, & occulto ſummittere lampada furto.
Regina Argolicas modò formidata per vrbes
Votum immane procis ſpéſque auguſtiſſima gentis,
Nocte ſub infeſta, nullo duce, & hoſte propinquo,
Sola per offenſus armorum, & lubrica tabo
Gramina, non tenebras, non circunfuſa tremiſcens
Concilia vmbrarum, atque animas ſua membra gementes,
Sæpe gradu cæco ferrum calcatáque tela
Diſſimulat. ſolúſque labor vitare iacentes,
Dum funus putat omne ſuum, viſúque ſagaci
Rimatur poſitos, & corpora prona ſupinat
Incumbens, queritúrque parum lucentibus aſtris.

IN PVLVERE SVLCOS. rotarum veſtigia. VOTVM IMMANE PROCIS. à multis ſponſis optata. OFFENSVS. id eſt, offenſiones.

Fortè ſporiferas cœli ſecreta per vmbras
Iuno ſinu magni ſemet furata mariti,
Theſeos ad muros, vt Pallada flecteret, ibat,
Supplicibúſque piis faciles aperiret Athenas:
Atque vbi per campos errore fatiſcere vano
Immeritam Argiam ſupero reſpexit ab axe,
Indoluit viſus, & lunaribus obuia bigis
Aduertit currum. placidáque ita voce locuta eſt.
Da mihi poſcenti munus breue Cynthia, ſi quis
Eſt Iunonis honos. Certè Iouis improba iuſſu
Ter noctem Herculeam. veteres ſed mitto querelas:
En locus officio. cultrix placidiſſima noſtri
Inachis Argia cernis qua nocte vagetur?
Nec reperire virum denſis queat ægra tenebris?
Et tibi nimboſum languet iubar. exere quæſo
Cornua, & aſueto propior premat orbita terras.
Hunc quoque qui curru madidas tibi pronus habenas
Ducit, in Aonios vigiles dimitte ſoporem.

THESEOS AD MVROS. Ad Athenienſis ciuitatis muros. FATISCERE VANO. fatigari errore ſuperfluo. quia mariti corpus inueniri non poterat. IMPROBA. aduerſa. aut certe tunc improba. TER NOCTEM HERCVLEAM. Iuppiter cum Alcmenam Amphitryonis vxorem amaſſet, & ad eam corrumpendam demutatus in Amphitryonis veniſſet ſpecie, ne aduentu diei concubitus minueretur voluptas, iuſſit triplicem illam noctem fieri, quia triplices curſus luna peregit: ex quo compreſſu Alcumenæ Hercules dicitur natus. merito ergo *noctem Herculeam* dixit, in qua conceptus eſt Hercules. OFFICIO. beneficio. NIMBOSVM. nebuloſum. ORBITA. rotarum via. HVNC QVOQVE. id eſt, ſomnus qui præcedit bigas tuas, iugales occupet Thebanorum, eóſque laxet in ſomnum. & eſt ordo. Hunc quoque ſoporem.

Vix ea cùm ſciſſis magnum dea nubibus orbem
Protulit, expauere vmbræ fulgorque reciſus
Syderibus, vix ipſa tulit Saturnia flammas.
Primùm per campos infuſo lumine pallam
Coniugis ipſa ſuos noſcit miſeranda labores,
Quanquam texta latent, ſuffuſáque ſanguine mœret
Purpura. dumque deos vocat, & de funere caro
Hoc ſupereſſe putat. videt ipſum in puluere penè
Calcatum. fugere animus, viſuſque, ſonuſque,
Incluſitque dolor lachrymas. tunc corpore toto
Sternitur in vultus, animámque per oſcula quærit

Abſentem. preſſúmque comis, ac veſte cruorem
Seruatura legit. mox tandem voce reuerſa.
Hunc ego te coniux ad debita regna profectum
Ductorem belli. generúmque potentis Adraſti
Aſpicio? taliſque tuis occurro triumphis?
Huc attolle genas, defectáque lumina. venit
Ad Thebas Argia tuas. age mœnibus induc,
Et patrios oſtende lares, & mutua redde
Hoſpitia. heu quid ago? proiectus ceſpite nudo
Hoc patriæ telluris habes. quæ iurgia? certè
Imperium non frater habet. nulláſne tuorum
Mouiſti lachrymas? vbi mater? vbi inclyta fama
Antigone? mihi nempe iaces. mihi victus es vni.
Dicebam quò tendis iter? quid ſceptra negata
Poſcis? habes Argos, ſoceri regnabis in aulas;
Hic tibi longus honos, hic indiuiſa poteſtas.
Quid queror? ipſa dedi bellum, mœſtúmque rogaui
Ipſa patrem, vt talem nunc te complexa tenerem.
Sed bene habet ſuperi, gratum eſt Fortuna, peracta eſt
Spes longinqua viæ. totos inuenimus artus.
Hei mihi. ſed quanto deſcendit vulnus hiatu!
Hoc frater? qua parte precor iacet ille nefandus
Prædator? vincam volucres, ſit adire poteſtas,
Excludámque feras. an habet funeſtus & igneſ?
Sed nec te flammis inopem tua terra videbit.
Ardebis; lachrymáſque feres, quas ferre negatum
Regibus, æternúmque tuo famulata ſepulchro
Durabit deſerta fides, teſtiſque dolorum
Natus erit, paruóque torum Polynice fouebo.

FVLGÓRQVE RECISVS. lucente enim Luna neceſſe eſt vt ſtellarum minuatur ſplendor. INFVSO LVMINE. lachrymis pleno. TEXTA. quæ mariti veſtibus impreſſerat texendo. SVFFVSA. tincta. MOERET. cælatur, ſiue nigrior fit. HIC TIBI LONGVS HONOS. hoc eſt, ſine ſucceſſoris metu. INDIVISA POTESTAS. in patria perpetuum fueras poſſeſſurus imperium. GRATVM EST FORTVNA. fortunæ ſorte conceſſum cadauer inuenimus. DVRABIT. coniugis ſcilicet. NATVS ERIT. Theſſandrus ſcilicet, filius Polynicis. FOVEBO. ſolabor viduitatem meam ſimilitudine tua, nec ſecundas nuptias ſuperſtite filio cupiam.

Ecce alios gemitus, aliámque ad buſta ferebat
Antigone miſeranda facem, vix nacta petitos

Mœnibus egreſſus. illam nam tempore in omni
Attendunt vigiles, & rex iubet ipſe timeri.
Contractaq́ue vices, & crebrior excubat ignis.
Ergo deis, fratriq́ue moras excuſat, & amens
Vt paulum immiſſo ceſſit ſtatio horrida ſomno,
Erumpit muris fremitu, quo territat agros
Virginis ira lea rabies, cui libera tandem
Et primus ſine matre furor. nec longa morata eſt,
Quippe trucem campum, & poſitus quo puluere frater
Nouerat. atq́ue illam contra videt ire Menœtes:
Cui vacat, & caræ gemitus compeſcit alumnæ.
Cùm tamen erectas extremus virginis aures
Acceſſit ſonus: vtq́ue atra ſub veſte, comiſque
Squallentem, & craſſo fœdatam ſanguine vultus
Aſtrorum radiis, & vtraque à lampade vidit:
Cuius ait manes, aut quem temeraria quæris
Nocte mea? nihil illa diu, ſed in ora mariti
Deiicit, inque ſuos pariter velamina vultus,
Capta metu ſubito, paulúmque oblita doloris.
Hoc magis increpitans ſuſpecta ſilentia, perſtat
Antigone, comitémque premens, ipſámque, ſed ambo
Deficiunt, fixíque ſilent. tandem ora retexit
Argia, corpúſque tamen complexa, profatur.

PETITOS. deſideratos. TIMERI. caueri. CONTRACTAE VICES. frequentiores congregationes, quia *vices* dicuntur militum cuſtodiæ, qui ad vigilandum ſibi viciſſim ſuccedunt. EXCVBAT. excubias præſtat. CONTRA VIDET IRE MENAETES. *Contra ire* pro contra venire; alumni ſcilicet. NOCTE MEA. qua mihi ſoli fuerat conceſſum exire.

Siquid in hoc veteri bellorum ſanguine mecum
Quæſitura venis. ſi tu quoque dura Creontis
Iuſſa times, poſſum tibi me confiſa fateri.
Si miſera es (certè lachrymas, lamentáque cerno)
Iunge age, iunge fidem. proles ego regis Adraſti.
Heu mihi num quis adeſt cari Polynicis ad ignes?
Et ſi regna vetant. ſtupuit Cadmeia virgo,
Intremuítque ſimul, dicentémque occupat vltro:
Méne igitur ſociam, prò ſors! ignara malorum?
Méne times? mea membra tenes, mea funera plangis,

Cedo, ten' pudet? heu pietas ignaua ſororis!
Hec prior. hic pariter lapſæ, iunctáque per ipſum
Amplexu miſcent auidæ, lachrymáſque, comáſque,
Partitæque artus redeunt alterna gementes
Ad vultum, & cara vicibus ceruice fruuntur.
Dúmque modò hæc fratrem memorat, nunc illa maritum,
Mutuáque exorſæ Thebas, Argóſque renarrant,
Longius Argia miſeros reminiſcitur actus.
Per tibi furtiui ſacrum commune doloris,
Per ſocios Manes, & conſcia ſydera iuro;
Non hic amiſſos, quamquam vagus exul honores,
Non gentile ſolum, caræ non pectora matris,
Te cupiens vnam, noctéſque, diéſque, locutus
Antigonen. ego cura minor, faciliſque relinqui.
Tu tamen excelſa ſublimis forſitan arce,
Ante nefas Graiis dantem vexilla maniplis
Vidiſti, téque ille acie reſpexit ab ipſa,
Enſe ſalutatam, & nutantis vertice coni.
Nos procul. extremus ſed quis deus egit in iras?
Nil veſtræ valuere preces? tibine iſta negauit
Oranti? cauſas ac triſtia reddere facta
Cœperat Antigone. fidus comes admonet ambas
Eia agite inceptum potiùs. iam ſidera pallent
Vicino turbata die, perferte laborem,
Tempus erit lachrymis. accenſo flebitis igne.

SI MISERA ES. ſi æque luges. POLYNICIS AD IGNES. ſubaudis *veni* AD VVLTVM. ſuum ſcilicet. LONGIVS ARGIA. multa narranda ſunt. SACRVM. exequiale. COMES. vt ipſe ſuperius. *Namque vna ſoror producere triſtes exulis auſa vias.* PROPERATE. inchoate, perficite.

Haud procul Iſmeni monſtrabant murmura ripas,
Qui turbatus adhuc, & ſanguine decolor ibat.
Huc laceros artus ſocio conamine portant
Inualidæ, iungítque comes non fortior vlnas.
Sic Hyperionium tepido Phaëtonta ſorores
Fumantem lauere Pado. vix dum ille ſepulchro
Conditus, & flentes ſtabant ad flumina ſyluæ.
Vt ſanies purgata vado, membriſque reuerſus

Mortis honos, ignem miſeræ poſt vltima quærunt
Oſcula: ſed gelidæ circùm exanimeſque fauillæ
Putribus in foueis, atque omnia buſta quieſcunt.
Stabat adhuc ſeu fortè rogus, ſeu numine diuum
Cui torrere datum ſæuos Etheocleos artus:
Siue locum monſtris iterum fortuna parabat,
Seu diſſenſuros ſeruauerat Eumenis ignes:
Hic tenuem nigris etiamnum viuere lucem,
Roboribus pariter cupidæ videre, ſimúlque
Flebile gauiſæ. nec adhuc quæ buſta repertum
Sit placidus quicunque rogant, mitiſque ſupremi
Admittat cineris conſortem, & miſceat vmbras.

Tepido pado. propter incendia, quæ paulo ante reſtrinxerat. Silvae heliadis. Phaetontis ſorores, quæ flendo in populeas arbores ſunt demutatæ. Mortis honos. ſignum enim mortis eſt pallor. Pvtribvs. cadente in cinerem lignorum ſtructura quieſcunt. Cvi torrere datvm. ſubaudis Pyrrhæ, cui conceſſum eſt vrere cadauera mortuorum. Dissensvros. diſcordantes, ſiue in duos apices diuidendos.

Ecce iterum fratris primos vt contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & nouus aduena buſtis
Pellitur, exundant diuiſo vertice flammæ,
Alternóſque apices abrupta luce coruſcant.
Pallidus Eumenidum veluti commiſerit ignes
Orcus, vtérque minax globus, & conatur vtérque
Longiùs. ipſæ etiam commoto pondere paulum
Seceſſere trabes. conclamat territa virgo,
Occidimus, functáſque manu ſtimulauimus iras.
Frater erat. quis enim acceſſus ferus hoſpitis vmbras
Pelleret? en clypei fragmen, ſemiuſtáque noſco
Cingula, frater erat. cernîſne vt flamma recedat,
Concurrátque tamen? viuunt odia improba, viuunt.
Nil actum bello. miſeri, ſic dum arma mouetis,
Vicit nempe Creon. nuſquam iam regna. quis ardor?
Cui furitis? ſedate minas. túque exul vbique
Semper inops æqui, iam cede, hoc nupta precatur,
Hoc ſoror. aut ſæuos mediæ veniemus in ignes.
Vix ea, cùm ſubitus campos tremor, altáque tecta
Impulit, adiuuitque rogi diſcordis hiatus,

Et vigilum turbata quies, quibus ipſe malorum
Fingebat ſimulachra ſopor. ruit ilicet, omnem
Proſpectum luſtrans armata indagine miles.
Illos inſtantes ſenior timet vnus. at ipſæ
Ante rogum, ſæuique palàm ſpreuiſſe Creontis
Imperia, & furtum claro plangore fatentur
Securæ. quippe omne vident fluxiſſe cadauer.
Ambitur ſæua de morte. animoſáque leti
Spes furit. hæc fratris rapuiſſe, hæc coniugis artus
Contendunt, vicibúſque probant. ego corpus, ego ignes,
Me pietas, me duxit amor. depoſcere ſæua
Supplicia, & dextras iuuat inſertare cathenis.
Nuſquam illa alternis modò quæ reuerentia verbis,
Iram, odiúmque putes. tantus diſcordat vtrinque
Clamor, & ad regem qui deprendêre trahebant.

Diviso: quod in duas partes diuiſa eſt flamma. Corvscant. lucent. Commiserit ignes. ita rogi flamma diuiſa eſt, vt & hoc inſtinctu furiæ perpetratum credatur. Minax. eminens. Conatvr vterqve. ſe ab inuicem ſeparare. Campos tremor. id eſt, ſceleris horrore, quo ſe flammæ diuiſerant, terræ factus eſt motus. & diuidebantur quidem odio flammæ, ſed plus diſiunctæ ſunt terræ: prodigiale enim monſtrum exhorruit terra. Ipse malorvm. quæ per diem fecerant, ea ante oculos verſabantur in ſomniis. Indagine. inquiſitione. Ambitvr. contenditur.

Iram odivmqve. ſubaudis ineſſe. Ad regem. cuſtodes trahebantur ad regem, vt dicerent quid vidiſſent, quaſque tenerent.

At procul Actæis dextra iam Pallade muris
Iuno Phoroneas inducit præuia matres:
Attonitas. non ipſa minus, cœtúmque gementem
Conciliat populis, & flentibus addit honorem
Ipſa manu, ramóſque oleæ vittáſque precantes
Tradit, & obtenta ſummittere lumina palla,
Et præferre docet vacuas ſine manibus vrnas.
Omnis & Actæis effuſa penatibus ætas
Tecta, viáſque replent. vnde hoc examen? & vnà
Tot miſeræ? nec dum cauſas nouere malorum,
Iámque gemunt. dea conſiliis ſed miſcet vtríſque
Cuncta docens, qua gente fatæ, quæ funera plangant,
Quídue petant. variis nec non affatibus ipſæ
Ogygias leges, immanſuetúmque Creonta
Multum & vbique fremunt. Geticæ non plura queruntur

Hoſtitibus

Hoſpitibus tectis trunco ſermone volucres,
Cùm duplices thalamos, & iniquum Terea clamant.

ACTAEIS. quia primò Athenæ *Actæ* dictæ ſunt. PHORONEAS. Argiuas. Phoroneus rex Argiuorum, qui primus Iunonem honore ſacrificii decorauit. CASTVMQVE GEMENTEM. Argiuarum mulierum multitudinem. HONOREM. reuerentiam. OBTENTA. obducta ſeu appoſita. PRAEFERRE. maius efferre. VNA. pariter trunco ſermone, inarticulata voce, ſeu ſemipleno ſermone. DVPLICES THALAMOS. ſcilicet Procne & Philomelæ.

Vrbe fuit media nulli conceſſa potentum
Ara deum, mitis poſuit Clementia ſedem,
Et miſeri fecere ſacram. ſine ſupplice nunquam
Illa nouo. nulla damnauit vota repulſa.
Auditi quicúnque rogant, noctéſque, diéſque
Ire datum, & ſolis numen placare querelis.
Parca ſuperſtitio. non thurea flamma, nec altus
Accipitur ſanguis, lachrymis altaria ſudant.
Mœſtarúmque ſuper libamina ſerta comarum
Pendent, & veſtes mutata ſorte relictæ.
Mite nemus circa. cultúque inſigne verendo
Vittatæ laurus, & ſupplicis arbor oliuæ.
Nulla autem effigies. nulli commiſſa metallo
Forma deæ, mentes habitare, & pectora gaudet.
Semper habet trepidos, ſemper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantùm fœlicibus aræ.
Fama eſt defenſos acie poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedem fundaſſe nepotes.
Fama minor factis. ipſos nam credere dignum
Cœlicolas, tellus quibus hoſpita ſemper Athenæ
Ceu leges, hominémque nouum, ritúque ſacrorum
Semináque in vacuas hinc deſcendentia terras,
Sic ſacraſſe loco commune animantibus ægris
Confugium, vnde procul ſtarent, iræque, minæque
Regnáque, & à iuſtis Fortuna recederet aris.

CONCESSA POTENTVM ARA DEVM. hanc aram Cic. libro Tuſculanarum miſericordiæ nominat. ciúſque Terent. meminit. *Nec in aram tibi, nec deprecatorem pararis.* VOTA REPVLSA. quia illa nunquam miſerorum vota contempſit. PLACARE QVERELIS. nullo ſacrificio, nec ſumptuoſis litationibus, ſed ſolis miſerorum lachrymis, pietate opulentum, numen placari conſueuit. LACHRYMIS. non igni hæc altaria ſudare conſueuerunt. MVTATA SORTE. feliciter percepta. MIRE NEMVS. quia non eſt

auſteritate numinis terribile. Insigne verendo. pro inſigniter reuerendo. Svpplices arbor olivae. per quem pax petitur ſupplicando. & in ſecundo diximus, hanc ab Athenienſibus εἰρεσιώνην dici, à Græcis autem reliquis ἱκετηρίαν *ſupplicis* aut *oliua*, non quòd ipſa ſit ſupplex, ſed quòd omnes qui rogant hac ſuppliciter vtuntur.

Et trepidos. ſupplices. Horret egenis. horridior fit miſeris. Fama est. ſcilicet Athenienſium. Post bvsta paterni. Hillus Deianiræ & Herculis, & reliqui ex eodem nati, poſtquam Hercules terris abiit, pulſi ab Euryſteo Athenas confugerunt, à quibus poſtquam tam facile auxilium meruerunt, hanc aram conſecraſſe memorantur, aſſerentes apud Athenas tantummodo ſedes miſericordiam poſuiſſe.
Credere dignvm. minus dicit quam res habet. Cev leges hominemqve. primi enim Athenienſes inter bona reliqua legum tabulas inuenerunt. ſic ergo huc confugiunt, ceu ad leges, & humanos ritus. Sic sacrasse loco. Ouidius de Athenis ad quas venit inuidia.

Ingeniis opibúſque & feſta pace virentem
Vixque tenet lachrymas, quia nil lachrymabile cernit.

Fortvna recederet aris. vt ne caſus quidem læderet, qui ad has aras confugiſſent, quamuis meliorem fortunam debemus accipere regis, aut potentioris fortunæ viri. & vult hoc loco intelligi poeta, nulla vi potentum religionem huius aræ poſſe perſtringi.

Iam tunc innumeræ norant altaria gentes.
Huc victi bellis, patriáque è ſede fugati
Regnorúmque inopes, ſcelerúmque errore nocentes
Conueniunt, pacémque rogant. mox hoſpita ſedes
Vicit, & Oedipodæ furias, & funus Olynthi
Texit, & à miſero matrem ſummouit Oreſte.
Hunc vulgo monſtrante locum, manus anxia Lernæ
Deueniunt. cedit miſerorum turba priorum.
Vix ibi ſedatis requierunt pectora curis
Ceu patrio ſuper alta grues Aquilone fugatæ
Cúm videre Pharon. tunc æthera latius implent,
Tunc hilari clangore ſonant. iuuat orbe ſereno
Contempſiſſe niues, & frigora ſoluere Nilo.
Iamque domos patrias, Scythicæ poſt aſpera gentis
Prælia, laurigero ſubeuntem Theſea curru
Lætifici plauſus, miſſúſque ad ſidera vulgi
Clamor, & emeritis hilaris tuba nuntiat armis.
Ante ducem ſpolia, & duri Mauortis imago
Virginei currus, cumulatáque fercula criſtis,
Et triſtes ducuntur equi, truncæque bipennes,
Quis nemora, & ſolidam Mæotida cædere ſuetæ,
Coritique leues portantur, & ignea gemmis
Cingula, & informes dominarum ſanguine peltæ.
Ipſæ autem nondum trepidæ, ſexúmue fatentur,

Nec vulgare gemunt. aſpernantúrque precari,
Et tantùm innuptæ quærunt delubra Mineruæ.
Primus amor niueis victorem cernere vectum
Quadriiugis, nec non populos in ſemet agebat
Hippolyte. iam blanda genas, patiénſque mariti
Fœderis. hanc patriæ ritus fregiſſe ſeueros
Atthides obliquæ ſecum mirantur, operto
Murmure. quòd nitidi crines, quòd pectora palla
Tota latent, magnis quòd barbara ſemet Athenis
Miſceat, atque hoſti veniat paritura marito.
Paulum & ab inſeſſis mœſtæ Pelopeides aris
Promouere gradum, ſeriémque & dona triumphi
Mirantur, victíque animo rediere mariti.
Atque vbi tardauit currus, & ab axe ſuperbò
Explorat cauſas victor, poſcítque benigna
Aure preces, auſa ante alias Capaneia coniux.
Belliger Aegide, ſubitæ cui maxima laudis
Semina de noſtris aperit Fortuna ruinis.
Non externa genus, diræ nec conſcia noxæ,
Turba ſumus. domus Argos erat, regéſque mariti
Non vtinam fortes. quid enim ſeptena mouere
Caſtra, & Agenoreos opus emendare penates?
Nec querimur cæſos, hæc bellica iura, vicéſque
Armorum. ſed non Siculis exorta ſub antris
Monſtra, nec Oſſæi bello cecidere bimembres.
Mitto genus, claróſque patres, hominum inclyte Theſeu
Sanguis erant, omnes eadémque ſidera, eoſdem
Sortitus animarum, alimentáque veſtra creati.
Quos vetat igne Creon, ſtigiæque à limine portæ,
Ceu ſator Eumenidum, aut Lethæ iportitor amnis
Summouet. ac dubio cælique, Erebique ſub axe
Detinet. heu princeps natura. vbi numina? vbi ille
Fulminis iniuſti iaculator? vbi eſtis Athenæ?
Septima iam ſurgens trepidis aurora iacentes
Auerſatur equis. radios declinat, & horret
Stelligeri iubar omne poli. iam comminus ipſæ
Pabula diræ feræ, campúmque odere volucres
Spirantem tabo, & cælum, ventóſque grauantem.

Quantum etenim ſupereſſe rear? nuda oſſa, putrémque
Vrere permittat ſaniem properate verendi
Cecropidæ. vos iſta decet vindicta. priuſquam
Emathij, Thracéſque dolent. quæque extat vbique
Gens arſura rogis manéſque habitura ſupremos.
Nam quis erit ſæuire modus? bellauimus. eſto,
Sed cecidere odia, & triſtes mors obruit iras.
Tu quoque, vt egregios fama cognouimus actus,
Non trucibus monſtris Sinin infandúmque dediſti
Cercyona, & ſæuum velles Scyrona crematum.
Credo & Amazoniis Tanai fumaſſe ſepulchris,
Vnde hæc arma refers. ſed & hunc dignare triumphum.
Da terris vnum cæloque Ereboque laborem.
Si patrium Marathona metu, ſi tecta leuaſti
Creſsia, nec fudit vanos anus hoſpita fletus.
Sic tibi non vllæ ſocia ſine Pallade pugnæ,
Nec ſacer inuideat paribus Tirynthius actis.
Semper & in curru, ſemper te mater ouantem
Cernat, & invictæ nil tale precentur Athenæ.

VICIT ET OEDIPODAE FVRIAS. mox vicit, quia nondum factum eſt. hoc tantum ſignificat. Oedipus expulſus Creontis imperio confugit Epicolono, in quo locus erat furiis conſecratus, ſed miſericordia Athenienſium illa ſede eſt erutus, hoſpitalitérque tractatus. hanc tragœdiam Ariſtophanes ſcripſit. FVNVS OLYNTHI. Olynthus eſt ciuitas Athenis ſeruiens, hæc ſe auctoribus Laſtene & Eurycrate Philippo tradidit, ob quam culpam placuit Athenienſibus euertere ciuitatem, quo comperto ad aram miſericordiæ confugerunt. SVMMOVIT ORESTE. quia Oreſtes cum poſt abſolutionem fureret, ad hanc aram Pylade amico trahente confugit, & reſipuit, matrem autem ſummouit Virgiliane. nam ſibi imminere non furia ſed mater videbatur occiſa, vt armatam facibus matrem & ſerpentibus atris confugit. *Vltricéſque ſedent in limine diræ.* *Summouit.* ait, quaſi ſequentis matris vmbram religio aræ ſummouerit. illic enim vt ſupra dictum eſt furore purgatus eſt. TVRBA PRIORVM. aſyli prior turba diſceſſit Argolicis matribus venientibus.

Dixerat, excipiunt cunctæ, tendúntque precantes
Cum clamore manus. rubuit Neptunius heros
Permotus lachrymis. iuxta mox concitus ira
Exclamat. quænam iſta nouos induxit Erinnys
Regnorum mores? non hæc ego pectora liqui
Graiorum abſcedens, Scythiam, pontúmque niualem
Cùm peterem. nouus vnde furor? victúmne putaſti
Theſea dire Creon? adſum. nec ſanguine feſſum

Crede. ſitit meritos etiamnum hæc haſta cruores.
Nulla mora eſt. verte adeo huc fidiſſime Phegeu
Cornipedem, & Tyrias inuectus protinus arces
Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis.
Sic ait. oblitus bellique, viæque laborum,
Hortatúrque ſuos, viréſque inſtaurat anhelas.
Vt modò connubiis taurus, ſaltúque recepto
Cùm poſuit pugnas, alio ſi fortè remugit
Bellatore nemus, quamquam ora, & colla cruento
Imbre madent, nouus arma parat, campúmque laceſſens
Diſſimulat gemitus, & vulnera puluere cælat.
Ipſa metus Libycos, ſeruatricémque Meduſam
Pectoris incuſſa mouit Tritonia parma.
Protinus erecti toto ſimul agmine Thebas
Reſpexere angues, necdum Atticus ire parabat
Miles, & infelix expauit claſſica Dirce.
Continuò in pugnas, haud ſolum accenſa iuuentus,
Qui modò Caucaſei comites rediere triumphi,
Omnis ad arma rudes ager extimulauit alumnos,
Conueniunt, vltróque ducis vexilla ſequuntur.
Qui gelidum Braurona viri, rura laceſſunt
Munichia, & trepidis ſtabilem Pyræea nautis.
Et nondum Eoo clarum Marathona triumpho.
Mittit in arma manus genialibus hoſpita diuis
Icarij, Celeíque domus, viridéſque Melænæ.
Diues & Egaleos nemorum, Parnéſque benignus
Vitibus, & pingui melior Lycabetos oliua.
Venit atrox Ileus, & olentis arator Hymetti,
Quæque rudes thyrſos hederis veſtiſtis Acharnæ.
Linquitur Eois longè ſpeculabile proris
Sunion. vnde vagi caſurum in nomina ponti
Creſia decepit falſo ratis Ægea velo.
Hos Salamis populos, illos cerealis Eleuſis
Horrida ſuſpenſis ad prelia miſit aratris.
Et quos Calliroe nouies errantibus vndis
Implicat, & rapta qui conſcius Orythiæ
Cælauit Geticos ripis Iliſſos amores.
Ipſe quoque in pugnas vacuatur collis, vbi ingens

Lis ſuperum, dubiis donec noua ſurgeret arbor
Rupibus, & longa refugum mare frangeret vmbra.
Iſſet & Arctoas Cadmeia ad mœnia ducens
Hippolyte turmas, retinet iam certa tumentis
Spes vteri, coniúxque rogat dimittere curas
Martis, & emeritas thalamo ſacrare pharetras.
Hos vbi velle acies, & dulci gliſcere ferro
Dux videt, vtque piis raptim dent oſcula natis
Amplexúſque breues, curru ſic fatur ab alto.

QVI GELIDAM BRAVRONA. Brauron locus Atticæ regionis in Beotiam vergens. MONICHIA ET PYREIA. Monichium & Pyreia iuxta Pereum portum Athenienſium loca ſunt. MARATHONA TRIVMPHO. nec dum ibi ab Athenienſibus victus fuerat Xerſes. in hoc enim loco poſtquam Perſarum claſſis extincta eſt. orientales à Marathonibus auxilio victi ſunt. ideo enim dixit *triumphum*. HEGALEOS. NEMORVM PARNESQVE. ET LICABESOS. Montes Attici. ATROX ILEVS. vnum pro gente. quîdam hunc regem volunt eſſe Tegeæ auxiliarem ciuem. HYMETI MONTIS. creatoris mellis bene olentis. ACHARNAE. in hoc loco primum Dionyſia & inuenta, & cælebrata dicuntur. MISIT ARATRIS. Ceres à Dite filiam raptam dum quærit, hoſpitio regis Eleuſi fertur fuiſſe ſuſcepta. cuius filium Triptolemum pro beneficii gratia ſuſtulit nutriendum, cui agriculturam & inueniendi frumenti artificium Ceres oſtendit. CALLYRHOE. fons nouem capitibus means. ORITHIAE. Orithia Erecthei filia. hanc Boreas Thracius rapuit à flumine Elyſo, ex qua Zetus & Calais oriuntur. IPSE QVOQVE. Acropolin dicit arcem Thebarum, de qua Neptuno & Mineruæ dicitur fuiſſe certamen. percuſſa Neptuno terra equum dedit indicium belli. Mineruæ verò oliuam pacis inſigne. RVPIBVS. magnitudinem arboris oſtendit ex vmbræ æqualitate, qua obſcurat. FRANGERET. inſultaret victo Neptuno. GLISCERE. cum furore cupere.

Terrarum leges, & mundi fœdera mecum,
Defenſura manus, dignas inſumite mentes
Cœptis. hac omnem diuúmque, hominúmque fauorem
Naturámque ducem, cœtúſque ſilentis Auerni
Stare palàm eſt. illic pœnarum exercita Thebis
Agmina, & anguicomæ ducent vexilla ſorores.
Ite alacres, tantæque precor confidite cauſæ.
Dixit, & emiſſa præceps iter inchoat haſta.
Qualis hyperboreos vbi nubilus inſtitit axes
Iuppiter, & prima tremeſecit ſidera bruma:
Rumpitur AEolia, & longam indignata quietem
Tollit hyems animos, ventoſaque ſibilat Arctos.
Tunc montes vndæque fremunt, tunc prelia cæſis
Nubibus, & tonitrus, inſanáque fulmina gaudent.

Icta genuit tellus. virides grauis vngula campos
Mutat, & innumeris peditúmque, equitúmque, cateruis
Expirat protritus ager, nec puluere craſſo
Armorum lux victa perit, ſed in æthera longum
Frangitur, & mediis ardent in nubibus haſtæ.
Noctem adeo, placidáſque operi iunxere tenebras.
Certaménque immane viris, quo concita tendant
Agmina, quis viſas proclamet ab aggere Thebas.
Cuius in Ogygio ſtet princeps lancea muro.

Insvmite. inuocatio. Tremefecit. concuſſit. Ventosa. ventis abundans. Sibilat. reſonat. Mvtat. atterit. Ager. herba quæ protrita incurſu belli non naſcitur. Frangitvr. criſpatur. Ardent. ſplendent. Adeo. in tantum. Operi. itineris magnitudini.

At procul ingenti Neptunius agmina Theſeus
Anguſtat clypeo, propriæque exordia laudis,
Centum vrbes vmbone gerit, centenáque Cretæ
Mœnia. ſeque ipſum monſtroſi ambagibus antri
Hiſpida torquentem luctantis colla iuuenci:
Alternáſque manus circum, & nodoſa ligantem
Brachia, & abducto vitantem cornua vultu.
Terror habet populos. cum ſeptus imagine torua
Ingreditur pugnas. bis Theſea, bíſque cruentas
Cæde videre manus. veteres reminiſcitur actus
Ipſe tuens, ſociúmque gregem, metuendáque quondam
Limina, & abſumpto pallentem Gnoſida filo.
Sæuus at interea ferro poſt terga reuinctas
Antigonen, viduámque Creon Adraſtida leto
Admouet. ambæ hilares, & mortis amore ſuperbæ
Enſibus intentant iugulos, regémque cruentum
Deſtituunt. cùm dicta ferens Theſeia Phlegeus
Aſtitit. ille quidem ramis inſontis oliuæ
Pacificus, ſed bella ciet, bellúmque minatur
Grande fremens, nimiúmque memor mandantis: & ipſum
Iam prope, iam medios operire cohortibus agros
Ingeminans. ſtetit ambiguo Thebanus in æſtu
Curarum, nutántque minæ, & prior ira tepeſcit.
Tunc firmat ſeſe. fictúmque, ac triſte renidens

Paruáne proſtratis, inquit, documenta Mycenis
Sanximus? en iterum, qui mœnia noſtra laceſſant
Accipimus, veniant. ſed ne poſt bella querantur,
Lex eadem victis. dixit, ſed puluere craſſo
Caligare diem, & Tyrios iuga perdere montes
Aſpicit, armari populos tamen, armáque ferri
Ipſe iubet pallens, medíæque in ſedibus aulæ
Eumenidas ſubitas, flentémque Menœcea cernit
Turbidus, impoſitóſque rogis gaudere pelaſgos.
Quis fuit ille dies? tanto cum ſanguine Thebis
Pax inuenta perit? Patris modò fixa reuellunt
Arma deis, clypeiſque obducunt pectora fractis,
Et galeas humiles, & adhuc ſordentia tabo
Spicula: non pharetris quiſquam non enſe decorus,
Non ſpectandus equo. ceſſit fiducia valli.
Murorum patet omne latus, munimina portæ
Expoſcunt. prior hoſtis habet, faſtigia deſunt.
Deiecit Capaneus. exanguis, & ægra iuuentus,
Iam nec coniugibus, ſuprema nec oſcula natis
Iungit, & attoniti nil optauere parentes.

CVM SEPTVS. cùm armatus eſſet pictura Minotauri. LIMINA. Labirynthi. GNOSIDA FILIO. Ariadnem dicit Cretenſem, quæ cum Theſeum amaret, & vereretur ne quamuis Minotauro occiſo multiplex & perplexum Labyrinthi iter explicare non poſſet, quæ domus erat Minotauri, Dedalum fabricatorem operis exorauit, à quo globum fili accepit, cuius ſummitatem tenens ipſa Theſeo intranti dedit, poſt ſe ſoluendum, quem ille occiſo Minotauro relegens, victor regreſſus eſt. DESTITVVNT. contemnunt. RENIDENS. cum iracundia ſubridens. DOCVMENTA. exempla quæ in victos edidimus, quos prohibuimus ſepeliri. CALIGARE DIEM. faciente caliginem non apparere. HVMILES. ſine criſtis, aut fractas.

Atticus at contra, iubar, vt clareſcere ruptis
Nubibus, & ſolem primis aſpexit in armis,
Deſilit in campum. qui ſubter mœnia nudos
Adſeruat manes: diriſque vaporibus ægrum
Aera puluerea penitus ſub caſſide ducens
Ingemit, & iuſtas belli flammatur in iras.
Hunc ſaltem miſeris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quòd non ſuper ipſa iacentum
Corpora belligeras acies, Martémque ſecundum
Miſcuit. aut lacera ne quid de ſtrage nefandus

Perderet;

Perderet, eligitur ſæuos potura cruores
Terra rudis. iámque alternas in prælia gentes
Diſſimilis Bellona ciet. non clamor vtrinque,
Non vtrinque tubæ. ſtat debilis altera pubes
Summiſſos enſes nequicquam, amentáque dextris
Laxa tenens. cedunt tellure, armiſque reductis
Obſtentant veteres etiamnum in ſanguine plagas.
Iam nec Cecropiis idem ductoribus ardor,
Langueſcúntque minæ, & virtus ſecura reſedit.
Ventorum velut ira minor, niſi ſilua furentes
Impedit, inſaníque tacent ſine littore fluctus.
Vt verò æquoreus quercum Marathonida Theſeus
Extulit, erectæ cuius crudelis in hoſtes
Vmbra cadit, campúmque trucem lux cuſpidis implet.
Ceu pater Aedonios Aemi de vertice Mauors
Impulerit currus, rapido mortémque, fugámque
Axe vehens, ſic exanimis in terga reducit
Pallor Agenoridas. tædet fugientibus vti
Theſea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cætera plebeio deſæuit ſanguine virtus.
Sic iuuat exanimis, proiectáque præda, canéſque
Degeneréſque lupos, magnos alit ira leones.
Attamen Olenium, Thamirúmque hunc tela pharetræ
Promentem, hunc ſæui tollentem pondera ſaxi
Deiicit. & triplici confiſos robore gentis
Alceidas fratres, totidem quos eminus haſtis
Continuat: ferrum conſumpſit pectore Phileus,
Ore momordit Helops, humero tranſmiſit Iapix.

Diris. graue olentibus. Ægrvm. corruptum. Dvcens. odorans. Pvbes. Thebana iuuentus. Caedvnt. quatiunt. Qvercvm. pro haſta. Ædonios. Thracas. Degeneres. timidos. Ira leones. in magnam prædam feruntur. Triplici, quia tres erant gentes, quibus ſtipabantur ad bellum. Continvat. id eſt ſine intermiſſione proſternit. Hvmero transmisit. per humeros ferrum exiit.

Iámque & quadriiugo celſum petit AEmona curru,
Horrendúmque manu telum rotat. ille pauentes
Obliquauit equos. longo perlata tenore
Tranſiit haſta duos; ſitiebat vulnera nec non
Tertia, ſed medio cuſpis terrore retenta eſt.

Sed ſolum votis, ſolum clamore fremendo
Omnibus in turmis, optátque, vocátque Creonta.
Atque hunc diuerſa bellorum in fronte maniplos
Hortantem dictis, fruſtráque extrema minantem
Conſpicit, abſcedunt comites, & Theſea iuſſi
Linquebant, fretíque deis, atque ipſius armis.
Ille timet, reuocátque ſuos. vtque ægra notauit
Hinc atque hinc odia, extrema ſe colligit ira.
Iam letale furens, atque audax morte futura,
Non cum peltiferis ait hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus. hic cruda virorum
Prælia, nos magnum qui Tydea, quíque furentem,
Hippomedonta neci, Capaneáque miſimus vmbris
Pectora. quæ bellum præceps amentia ſuaſit
Improbe? nonne vides quos vlciſcare iacentes?
Sic ait. & fruſtra periturum miſſile ſummo
Affixit clypeo. riſit, vocéſque, manúmque
Horridus AEgides, ferratáque arbore magnos
Molitur iactus, nec non priùs ore ſuperbo
Intonat. Argolici quibus hæc datur hoſtia manes
Pandite tartareum chaos, vltricéſque parate
Eumenidas, venit ecce Creon. ſic fatus, & auras
Diſſipat haſta tremens. tunc qua ſub tegmine duro
Multiplicem tenues iterant thoraca cathenæ
Incidit. emicuit per mille foramina ſanguis
Impius, ille oculis extremo errore ſolutis
Labitur. aſſiſtit Theſeus grauis, armáque tollens
Iámne dare extinctis iuſtos ait, hoſtibus ignes:
Iam victos operire placet? vade atra dature
Supplicia, extremíque tamen ſecure ſepulchri.
Accedunt vtrinque pio vexilla tumultu,
Permiſcéntque manus. medio iam fœdera bello,
Iámque hoſpes Theſeus. orant ſuccedere muris,
Dignaríque domos. nec tecta hoſtilia victor
Aſpernatus, init. gaudent matréſque, nurúſque
Ogygiæ. qualis thyrſo bellante ſubactus
Mollia laudabat iam marcidus Orgia Ganges.

TEMONE. de longe miſſa, quaſi dicat adhuc potuit tranſire tertium, ſed retenta eſt in temone, COMITES. ſocii Creontis. COLLIGIT. confirmat. VLCISCARE FRATRES. videlicet in ſe inuicem patricidas. TEGMINE DVRO. textu ferreo. THORACA CATHENAE. id eſt iuxta eam partem vbi loricæ eſt medietas. PER MILLE FORAMINA. per infinitos loricæ circulos. ACCEDVNT. iunguntur. TVMVLTV. Argiuorum atque Thebanorum gaudentium ſtrepitu. GAVDENT. luctus mutantur in gaudia.

Ecce per aduerſas Dircæi verticis vmbras
Fœmineus quatit aſtra fragor, matréſque Pelaſgæ
Decurrunt. quales Bacchea ad bella vocatæ
Thyades amentes, magnum quas poſcere credas,
Aut feciſſe nefas. gaudent lamenta, nouæque
Exultant lachrymæ. rapit huc, rapit impetus illuc,
Theſea magnanimum quærant prius, anne Creonta,
Anne ſuos, vidui ducunt ad corpora luctus.
Non ego centena ſi quis mea pectora laxet
Voce deus. tot buſta ſimul, vulgíque, ducúmque
Tot pariter gemitus, dignis conatibus æquem,
Turbine quo ſeſe caris inſtrauerit audax
Ignibus Euadne, fulménque in pectore magno
Quæſierit. quo more iacens ſuper oſcula ſæui
Corporis, infelix excuſet Tydea coniux.
Vt ſæuos narret vigiles Argia ſorori.
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet,
Arcada conſumpto ſeruantem ſanguine vultus,
Arcada, quem geminæ pariter fleuere cohortes.
Vix nouus iſta furor, veniénſque impleſſet Apollo.

IGNIBVS EVADNE. Hæc Capanei vxor nimio amore, & dolore flammata in rogum coniugis ſe dedit præcipitem. SORORI. Deiphilæ. CLAMET. cum lamento inuocet. VIX NOVVS FVROR. noui carminis iteratio.

Et mea iam longo meruit ratis æquore portum.
Durabíſne procul, dominóque legere ſuperſtes,
O mihi biſſenos multùm vigilata per annos
Thebai? iam certè præſens tibi fama benignum
Strauit iter, cœpítque nouam monſtrare futuris.
Iam te magnanimus dignatur noſcere Cæſar.
Itala iam ſtudio diſcit. memorátque iuuentus.
Viue precor, nec tu diuinam AEneida tenta,

Sed longè ſequere, & veſtigia ſemper adora.
Mox tibi ſi quis adhuc prætendit nubila liuor,
Occidet, & meriti poſt me referentur honores.

Stravit iter. fama ſternente benignum iter ad poſteros vſque proceres. Tenta. prouoces. Referentvr honores. Poſt mortem meam te honorabit inuidia.

PAPINII SVRCVLI STATII THEBAIDOS LIBER DVODECIMVS EXPLICIT.

PAPINII SVRCVLI STATII

ACHILLEIDOS LIB. V.

ARGVMENTVM.

IN primo Chirona petit Thetis ante precata.
At Thetis Æmonio Lycomedi tradit Achillem.
Tertius Æaciden quærit, generat quoq; Pyrrhum.
Quartus at occultum Peliden prodit Vlyſſi.
Nauigat Æacides ad debita Pergama quinto.

PAPINII SVRCVLI STATII

ACHILLEIDOS LIBER PRIMVS Incipit.

ARGVMENTVM.

THEMATE propoſito narrat Thetis alma, rapinam
Tyndaridis conqueſta. rates ſed vana precatur
Mergere Rhœtæas. alios commenta paratus
Tendit in Æmoniam, carum ablatura magiſtro
Æaciden. tunc forte feras lethale fugantem
Ille redit lætúſque dapum poſt munera matri
Fila mouens canit heroas; nox occupat artus.

MAgnanimum Aeaciden formidatámque Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam ſuccedere cœlo
Diua refer. Quamquam acta viri, multum inclyta cantu.
Mœonio, ſed plura vacant. nos ire per omnem
(Sic amor eſt) Heroa velis, Scyróque latentem
Dulichia proferre tuba. nec in Hectore tracto.
Siſtere; ſed tota iuuenem deducere Troia.

PLACIDI LACTANTII INTERPRETATIO.

FORMIDATAMQVE TONANTI PROGENIEM. Cum Iupiter cuperet Thetiden ſuo coniugio ſociare, vetuerunt decreta Parcarum, quæ dixerant, prolem quæ nata fuiſſet, vim cœlo impellere, ideo ait *formidatam*. VIRI. Achillis. MEONIO. Homerico. SCHYRO. Inſula vbi Achilles fuit abſconditus. DVLICHIA. Græca. PROFERRE. publicare. NEC IN HECTORE TRACTO SISTERE. Tacere Homerus enim vſque ad mor-

tem Hectoris deſcripſit Iliados & tacuit. Vnde ſuperius cantu Meonio. SED PLVRA VACANT. Vnde Virgilius. *Vidit & Iliacas ex ordine pugnas.* id eſt, nuſquam ad mortem Hectoris, ſed vſque ad excidium Troiæ * pretas. Pugna enim Amatone, quæ in auxilium Priami venit, poſt defunctum Hectorem fuit. DEDVCERE. deſcribere.

Tu modò, ſi veteres digno depleuimus hauſtu,
Da fontes mihi Phœbe nouos, ac fronde ſecunda
Necte comas. neque enim Aonium nemus aduena pulſo,
Nec mea nunc primis albeſcunt tempora vittis.
Sit dircæus ager. méque inter priſca parentum
Nomina, cúmque ſuo memorant Amphione Thebæ.
At tu, quem longè primum ſtupet Itala virtus,
Graiáque, cui geminæ florent vatúmque ducúmque
Certatim laurus (olim dolet altera vinci)
Da veniam, ac trepidum patere hoc ſudare parumper
Puluere. te longo, nec dum fidente paratu
Molimur, magnúſque tibi præludit Achilles.

TV MODO. inuocatio. AONIVM NEMVS. Thebanum. mons enim Beotiæ eſt cognominatus. hic verò eſt ab Aone filio Neptuni conſecratus. DIRCAEVS. Thebanus. Dirces enim regina fuit Nouerca Zeti & Amphionis, qua propter iniuriam matris Antiopes priuigni Zetus & Amphion religauerunt tauris ferocibus, & ita traxerunt, quæ miſericordia Deorum in fontem mutata eſt, qui Dirces nominatur. CVMQVE SVO NVMERANT AMPHIONE THEBAE. Zetus & Amphion Iouis & Antiopæ filii. Zetus ruſticus, Amphion muſicus. Amphion citharam à Mercurio meruit, cuius dulcedine dicitur muros ſtruxiſſe Thebanos.

Soluerat Oebalio claſſem de littore paſtor
Dardanus. incautas blandè populatus Amyclas,
Plenáque materni referens præſagia ſomni
Culpatum relegebat iter. quà condita ponto
Fluctibus inuiſis iam Nereïs imperat Helle.
Cùm Thetis, Idæos (heu nunquam vana parentum
Auguria) expauit vitreo ſub gurgite remos.
Nec mora. & vndoſis turba comitante ſororum
Proſiluit thalamis. feruent coeuntia Phrixi
Littora, & anguſtum dominas non explicat equor.

SOLVERAT. narratio. DARDANVS. Paris per Dardanum. INCAVTAS BLANDE POPVLATVS. Argutæ deprædatus. Legitur in Hiſtoriis quod Troiani cum Græcis fœdus habuerint, vnde etiam Paris eſt ſuſceptus hoſpitio, & ſic commiſit adulterium. ideo ait *blande* quod autem dicit *populatus*, hiſtoriam tangit. Hercules cum ex-

pugnato Ilio filiam Laomedontis Heſionam, Priami ſororem, Telamoni dediſſet, profecti ſunt legati à Priamo, & eam minimè repetere potuerunt: illis dicentibus eam ſe habere iure bellorum, vnde commotus Priamus miſit Paridem cum exercitu, vt aliquid tale committeret, aut in vxorem regis, aut in filiam, qui expugnata Sparta Helenam rapuit. PLENAQVE MATERNI REFERENS PRAESAGIA SOMNI. Hecuba filia, ſecundum Euripidem, Ciſſei, quem Ennius, Pacuuius, & Virgilius ſequuntur. Vnde idem Virgil. *Nec face tantùm prægnans Ciſſeis ignis enixa iugalis.* Hæc dum prægnans eſſet Paride, vidit in ſomniis facem ſe parere quod fuit præſagium futuri incendii. Homerus autem Dimantis filiam dicit. VITREO. lucido. COEVNTIA PHRIXI LITTORA. Cùm Phrixus & Helles per mare Helleſpontum tranſirent, Phrixus aſcendit in arietem, pellem auream habentem. Elles natans ad caudam ipſius ſe feſſus tandem ponto ſubmerſit, vnde mare Helleſpontum nominatum eſt. Phrixus tranſiens peruenit ad Colchos ibíque arietem occidit, & eius pellem in templo dicauit, quam Iaſon poſtea cum Argonautis Medea faciente tulit, & Creonti regi portauit. PROTHEA. vatem. NVRVM. Helenam.

Illa vbi diſcuſſo primùm ſubit aëra ponto,
Me petit, hæc mihi claſſis (ait) funeſta minatur.
Agnoſco monitus, & Protea vera locutum.
Ecce nouam Priamo facibus de puppe leuatis,
Fert Bellona nurum. video iam mille carinis
Ionium, Aegæúmque premi. nec ſufficit, omnis
Quod plaga Graiugenum tumidis coniurat Atridis:
Iam pelago, terríſque meus quæretur Achilles,
Et volet ipſe ſequi. quid enim cunabula paruo
Pelion, & torui commiſimus antra magiſtri?
Illic (ni fallor) Lapitharum prælia ludit
Improbus. & patria iam ſe metitur in haſta.
O dolor, ô ſeri materno in corde timores.
Non potui infelix cùm primum in gurgite noſtro
Rhœtæa cecidere trabes, attollere magnum
Aequor? & inceſti prædonis vela, profunda
Tempeſtate ſequi? cunctáſque inferre ſorores?
Nunc quoque. ſed tardum eſt, iam plena iniuria raptæ.
Ibo tamen, pelagíque deos, dextrámque ſecundi
Quod ſupereſt, complexa Iouis, per Thetyos amnes,
Grandæuúmque patrem, ſupplex miſeranda rogabo
Vnam hyemem. Dixit, magnúmque in tempore regem
Aſpicit, Oceano veniebat ab hoſpite, menſis
Lætus, & æquoreo diffuſus nectare vultum,
Vnde hyemes, ventíque ſilent, cantúſque quieto
Armigeri Tritones eunt, ſcopuloſáque Cete,

Tyrrhe-

Tyrrhenique greges, circúmque, infráque rotantur
Rege ſalutato. Placidis ipſe arduus vndis
Eminet, & triplici telo iubet ire iugales.
Illi ſpumiferos glomerant à pectore fluctus.
Pone natant, deléntque pedum veſtigia cauda.

TVMIDIS. nobilibus & ſuperbis. ATRIDIS. vſurpatum eſt. nam Pliſenis filii fuerunt Menelaus & Agamemnon. COMMISIMVS. re properantis eſt. vt Virg. *Non potui abreptum diuellere corpus.* PATRIA. pro paterna. nam à patre paterna, à loco patria. RHETEI. Troianæ. Rheteum enim promontorium eſt Troianæ vrbis.

Cui Thetis: O magni Rector Genitórque profundi,
Aſpicis in quales miſerum patefeceris vſus
Aequor? eunt tutis terrarum crimina velis.
Ex quo iura freti, maieſtatémque repoſtam
Rupit Iaſonia puppis pegaſæa rapina.
En aliud furto ſcelus, & ſpolia hoſpita portans
Nauigat iniuſtæ temerarius arbiter Idæ.
Heheu quos gemitus terris cæloque daturus!
Quos mihi! ſic Phrygiæ penſamus præmia palmæ.
Hi Veneris mores, hoc gratæ manus alumnæ?
Has ſaltem (non Semideos, noſtrúmque reportant
Theſea) ſi quis adhuc vndis honor, obrue puppes,
Aut permitte fretum. nulla inclementia. ſit ſit
Pro nato timuiſſe mihi. Da tollere fluctus,
Nec tibi de tantis placeat me fluctibus vnum
Littus, & Iliaci ſcopulos habitare ſepulchri.

RVPIT IASONIA PVPPIS PEGASAEA RAPINA. Hic fabulam Iaſonis tangit, quæ talis eſt, Athamas rex habuit vxorem nomine Nubem, de qua habuit duos filios Phrixum & Ellen. Cum Nubes inſania Liberi patris concitata ſiluam peteret, ne repeteret larem mariti, filiis ſuis Athemas ſuperduxit nouercam, Ino quæ nouercali odio pueris exitium machinans, matronas petiit vt frumenta ſerenda corrumperent, quo facto fames innata eſt. cum ad Apollinem conſultum ciuitas miſiſſet. Ino enim qui miſſus erat corrupit, vt referret oraculo dictum, Nubis filios immolandos. nam & ipſe pater timens populi inuidiam filios ſuos nouercæ commiſit arbitrio, ſed occultè illis remedium dedit. Nam Phrixum mortis ſuæ ignarum ſummiſit vt membratum adduceret arietem. qui Iunonis nutu admonitus vt cum ſorore fugeret, confeſtim ſecurè eam morti ſubtraxit. deinde cum arieti adherentes maria ſupernatarent, puella in maro cecidit. qui locus ex ea Elleſpontus dicitur. Phrixus ad Colchos delatus arietem, quo vectus erat mactauit, & eius vellus conſecrant Marti, quod draco cuſtodiebat informis: ad quod auferendum Iaſon miſſus à Creonte eſt, qui cum ad Æëtam: Solis filium, Colchorum regem veniſſet (cui reſponſum fuerat, tamdiu illum in regno manere poſſe, quamdiu in Martis templo illud vellus aureum

durare potuiſſet. Poteſtatem velleris auferendi ita Iaſoni permiſit vt tauros ignem naribus efflantes aratro iungeret, & Draconis dentes ſereret. Cumque Medeæ regis eiuſdem filiæ amore aliiſque artibus Iaſon cautus eſſet, vniuerſa compleuit, & dum armata manus ex ipſis ſulcis ereuiſſet, Medeæ in ſe artibus concitata mutuis eſt interempta vulneribus. tum rapto vellere fugit Iaſon. *Pegaſea.* ergo à loco dicta vbi facta eſt. Pegaſus ciuitas Theſſaliæ. Lucan. *Vt Pegaſea ratis.*

Orabat laniata gonas, & pectore nudo
Cœruleis obſtabat equis. Tunc Rector aquarum
Inuitat curru, dictiſque ita mulcet amicis.
Ne pete Dardaniam fruſtra Theti mergere claſſem.
Fata vetant. ratus ordo deis, miſcere cruentas
Europæque Aſiæque manus, conſultáque bella
Iupiter, & triſtes edixit cadibus annos.
Quem tu illic natum Sigeo in puluere? quanta
Aſpicies victrix Phrygiarum funera matrum?
Cum tuus Æacides trepidos modò ſanguine Teucro
Vndabit campos, modò craſſa exire vetabit
Flumina, & Hectoreo tardabit funere currus:
Impellétque manu noſtros, opera irrita, muros.
Pelea iam deſiſte queri, thalamóſque minores,
Crediderit peperiſſe Ioui. nec inulta dolebis,
Cognatis vtere fretis. dabo tollere fluctus
Cùm reduces Danai, nocturnáque ſigna Caphareus
Exeret, & dirum pariter quæremus Vlyſſem.

Caervleis. marinis. Rector. Neptunus. Mvlcet. conſolatur. Sigaeo. Troiano. Hectoreo tardant pondere cvrrvs. Quando extincto Hectore religauit ad currum ſuum Achilles corpus eius, & traxit circa muros Troiæ. Opera irrita mvros. Virgil. *Magnóque emotu tridenti Fun damenta quatit* Credideris peperisse Iovi. Cum Iupiter vellet Thetiden ducere fata prohibuerunt, eo quod proles quæ naſceretur Iouem pelleret regno. Thetis nupſit Peleo mortali homini. Ergo dum quereretur apud Neptunum, & timeret de morte Achillis, eo quod à patre eſſet mortalis, dicit Neptunus non timeri de eo, quia talis futurus eſſet vt credatur Deo genitus. Ergo ſic illam conſolatur, Noli querere quod de Peleo mortali ſit genitus, quia crederis eum de Ioue peperiſſe. Cvm redvces Danai nocturnaqve. Hic hiſtoriam tangit Palamedis ſeptimo gradu à Belo originem trahens, vt Apollonius dicit, cum dilectum per Græciam ageret, ſimulantem inſaniam, Vlixem inuitus, cum ille iunctis diſſimilis naturæ animalibus ſalem ſereret, filium ei Palamedes oppoſuit quo viſo Vliſſes aratra ſuſpendit, & ad bellum ductus habuit iuſtam cauſam doloris. Poſtea cum Vliſſes frumentatum miſſus ad Thraciam nihil aduexiſſet, à Palamede eſt vehementer increpitus: & cùm diceret adeo non eſſe negligentiam ſuam, vt ne ipſe quidem ſibi pergeret, quidquam poſſet aduehere. Profectus Palamedes infinita frumenta deuexit: quia inuidia Vliſſes auctis inimicitii fictam epiſtolam ad Palamedem Priami nomine, per quam agebat gratias proditionis, & commemorabat certum auri pondus eſſe tranſmiſſum, dedit captiuo, & cum in iti-

nere iuſſit occidi. Hæc inuenta more militiæ regi allata eſt, & lecta principibus conuocatis. Tunc Vlyſſes cum ſe Palamedi adeſſe ſimularet ait, ſi verum eſt in eius tentoriis aurum quæratur. quo facto & inuento auro, quod ipſe per noctem corruptis ferris abſconderat, Palamedes lapidibus interemptus eſt. Hunc autem conſtat fuiſſe prudentem. Nam & tabulas ipſe inuenit ad comprimendas otioſi ſeditiones exercitus. Huius pater mortem dolens Nauplius nomine poſt delatam Troiani, tempeſtate laborantibus montem Capareum aſcendit, & elata facula ſignum dedit vicini portus. qua re decepti ſunt Græci, & per rimoſos ſcopulos pertulere naufragia. QVAERIMVS. perſequemur.

Dixerat. illa graui vultum demiſſa repulſa,
Quæ iam excire fretum, & ratibus bellare parabat
Iliacis, alios iterum commenta paratus,
Triſtis ad AEmonias detorquet brachia terras.
Ter conata manu, liquidum ter greſſibus æquor
Reppulit, & niueas feriunt vada Theſſala plantas.
Lætantur montes. & conubialia pandunt
Antra ſinus, latéque deæ Sperchios abundat
Obuius, & dulci veſtigia circuit vnda.
Illa nihil gauiſa locis, ſed cœpta fatigat
Pectore conſilia. & ſolers pietate magiſtra,
Longæuum Chirona petit. Domus ardua montem
Perforat, & longo ſuſpendit Pelion arcu.
Pars exhauſta manu, partem ſua ruperat ætas.
Signa tamen, diuúmque tori, & quem quiſque ſacrarat
Accubitu, genióque, locus monſtratur at intra
Centauri ſtabula alta patent, non æqua nefandis
Fratribus. Hic hominum nullos experta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus Orni,
Aut conſanguineos fracti cratêres in hoſtes,
Sed pharetræ inſontes, & inania terga ferarum.
Hæc quoque dum viridis, nam tunc labor vnus inermis
Noſſe ſalutiferas dubiis animantibus herbas
Aut monſtrare lyra veteres Heroas alumno.
Et cum venatu rediturum in limine primo
Opperiens, properátque dapes, largóque ſerenat
Igne domum. Tum viſa procul de littore mater
Nereis, erumpit ſiluis, dant gaudia vires,
Notáque deſueto crepuit ſenis vngula campo.
Tunc blandus dextra, atque imos ſummiſſus in armos
Pauperibus tectis inducit, & admonet antris.

PARABAT. Quæ ſe parabat euertere naues Troianas. HEMONIAS. Theſſalicas. CONNVBIALIA. quia ibi nupſit Peleo. SPERCHIOS. fluuius. CIRCVIT VNDA. quia illa amara erat rore maris de ILLA NIHIL. quia ſollicitata erat de filio. ſciens fata eius. SOLERS. inquiſitrix. MAGISTRA. quia nouum indulgere clementer. ARCV. fornicem deſcripſit. STABVLA. propter equum. NEFANDIS FRATRIBVS. illis qui cum Lapythis in conuiuio pugnarunt. vnde Virgil.

Ille Centauros letho domuit Retúmque Pholúmque
Et magno Hileum cratere minantem. hominem ſed ferarum. TERGA. pelles. ALVMNO. Achilli. REDITVRVM. Achillem. OPPERIENS. Chiron. SERENAT. illuminat. NEREIS. Thetis.

Iamdudum tacito luſtrat Thetis omnia viſu,
Nec perpeſſa moras. vbi nam mea pignora Chiron?
Dic ait. aut cur vlla puer iam tempora ducit
Te ſine? num merito trepidus ſopor? atráque matri
Signa deum? magnos vtinam mentita timores.
Námque mihi infeſtos vtero modò contuor enſes,
Nunc planctu liuere manus, modò in vbera ſæuas
Ire feras, ſæpe ipſa (nefas!) ſub inania natum
Tartara, & ad Stygios iterum fero mergere fontes.
Hos abolere metus magici iubet ordine ſacri
Carpathius vates, puerúmque ſub axe probato
Secretis luſtrare fretis, vbi littora ſumma
Oceani, & genitor tepet illabentibus aſtris
Pontus, vbi ignotis horrendá piacula diuis,
Donáque. ſed longum cuncta enumerare, vetórque
Trade magis. ſic fata parens. neque enim ille dediſſet,
Si molles habitus, & tegmina fœda fateri
Auſa ſeni tunc ille refert. Duc optima quæſo
Duc genitrix, humilíque deos infringe precatu.
Nam ſuperant tua vota modum, placandáque diuum
Inuidia eſt. non addo metum, ſed vera fatebor,
Neſcio quid magnum (nec me patria omina fallunt)
Vis feſtina parat, teneróſque ſuperuenit annos.
Olim & ferre minas, & obire audita ſolebat
Imperia, & noſtris procul haud diſcedere ab antris.
Nunc illum non Oſſa capit, non Pelion ingens,
Theſſalicaúe niues. ipſi mihi ſæpe queruntur
Centauri, raptáſque domos, abſtractáque coram
Armenta, & campis ſemet, fluuiíſque fugari.
Inſidias, & bella parant, tumidíque minantur.

Olim equidem Argoos Pinus cum Theſſala reges
Huc veheret, iuuenem Alciden, & Theſea vidi,
Sed taceo. figit gelidus Nereida pallor.

Omnia visv. quod ibi Achillem non videbat. Tartara. dicta vel quod omnia illic turbata ſint ἀπὸ τῆς ταραχῆς aut quod eſt melius ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν id eſt, à tremore frigoris, ſole enim caret. Et ad stygios itervm ferro mergere fontes. Thetis cum agnouiſſet fatum Achillis timens de morte eius in Stygon paludem intinxit, & toto corpore in vulnerabilis fuit, excepta parte qua tentus eſt. Qui cum amatam Polixenam vt in templo acciperet ſtatuiſſet, inſidiis Paridis poſt ſimulachrum latentis occiſus eſt. Ipſam enim fabulam tangit. Carphativs vates. Protheus. *Carphatus* inſula eſt iuxta Aegyptum, à qua vicinum pelagus Carpathium nominatum eſt. Hic aliquando regnauit Protheus relicta Pallene ciuitate Theſſaliæ, ad quam tamen reuerſus eſt poſtea. Vnde Virg. *patriámque reuiſit. Pallenem*, ſacerdos enim fuit ſeni Chironi. Pinvs cvm thessali. quia Argo apud Theſſalis oppidum Pagaſum facta eſt.

Ille aderat multo ſudore, & puluere maior.
Attamen arma inter, feſtinatóſque labores,
Dulcis adhuc viſu. niueo natat ignis in ore
Purpureus. fuluóque nitet coma gratior auro.
Nec dum prima noua lanugine vertitur ætas,
Tranquillæque faces oculis, & plurima vultu
Mater ineſt. qualis Lycia venator Apollo
Cum redit, & ſæuis permutat plectra pharetris.
Forte & lætus adeſt (ô quantum gaudia formæ
Adijciunt!) fœtam Pholoes ſub rupe leænam
Perculerat ferro, vacuiſque reliquerat antris
Ipſam, ſed catulos aſportat, & incitat vngues.
Quos tamen, vt fido genitrix in limine viſa eſt,
Abijcit, exceptamque auidis circunligat vlnis
Iam grauis amplexu, iámque æquus vertice matri.
Inſequitur magno iam tunc connexus amore
Patroclus, tantiſque extenditur æmulus actis.
Par ſtudiis, æuique modis, ſed robore longe
Et tamen æquali viſurus Pergama fato.

Mater inest. redditur ſimilitudine. Gavdia formae. conſtat ex qualitate animi homines ſumere vultum aut triſtem aut hilarem. vt Iuuen.

Deprendas animi tormenta latentis in æquo,
Corpore deprendas & gaudia ſumit vtrumque,
Inde habitum facies. Foetam. enixam. Venis. amplexibus. Patroclvs. cum Achilles fureret aduerſus Agamemnonem propter Briſeidam noluit egredi ad pugnam aduerſus Troianos, tunc rogatus vt vel arma ſua Patroclo daret, quæ manu erant fabricata Vulcani, perſuàdente Vliſſe conceſſit. Egreſſúſque Patroclus cum armis eius

ſuſceptus ab Hectore occiſus eſt. Illaque arma abſtulit Hector. Vnde Virgil. *Qui redit exuuias indutus Achilli.* Idem. *Aequali viſurus Pergama fato*

Protinus ille ſubit rapido quæ proxima ſaltu
Flumina, fumantéſque genas, crinémque nouatur.
Fontibus Eurotæ, qualis vada Caſtor anhelo
Intrat equo, feſſúmque ſui iubar excitat aſtri.
Miratur, comítque ſenex, nunc pectora mulcens,
Nunc fortes humeros. angunt ſua gaudia matrem.
Tunc libare dapes, bacchæáque munera Chiron
Orat, & attonitam vario oblectamine mulcens
Elicit extremo chelyn, & ſolantia curas
Fila mouet, leuitérque expertas pollice chordas
Dat puero. canit ille libens immania laudum
Semina, qui tumidæ ſuperarit iuſſa nouercæ
Amphitryoniades, crudo quo Bebryca cæſtu
Obruerit Pollux. quanto circundata nexu
Ruperit Aegides Minoi brachia tauri.
Maternos in fine toros, ſuperiſque grauatum
Pelion. hic ficto riſit Thetis anxia vultu.
Nox trahit in ſomnos. ſaxo collabitur ingens
Centaurus, blandiſque humeris ſe innectit Achilles.
Quanquam ibi fida parens, aſſuetáque pectora mauult.

Evrotae. Eurota, fluuius Laconicæ qui ab Apolline ſuas edocet laurus quibus eius plenæ ſunt ripæ. Castor anhelo. Errant qui credunt Caſtorem Iouis filium nam de Ioue & Leda Helena, Pollux, nati ſunt, qui immortales fuerunt. Caſtor autem Tindarei filius fuit mortalis, cuius mortem Pollux ſuo interitu fraterna pietate redimebat, quod ideo fingitur quia horum ſtellæ ita ſe habent, vt occidente vna, oriatur altera. Oblectamine. Ab laborum dulce leuamen. Pollice chordas. ormizaum vel temperatum. Libens. ſecurus. Svperavit ivssa novercae. Euriſteus rex fuit Græciæ per ſe igneus, qui Iunonis inſtinctu imperabat Herculi vt varia monſtra ſuperaret. quibus poſſet perire. Vnde Virgil. *quo aut Euriſtea durum.* Crvdvm. ſuperbum. Pollvx. Iouis filius. Aegides. Theſeus. Minoia brachia tavri. indicato à ſole adulterio Martis & Veneris Vulcanus minutiſſimis catenis tectum cinxit, quibus Mars & Venus ignorantes impliciti ſunt, & cum ingenti turpitudine reſoluti ſub teſtimonio eunctorum Deorum. quod factum Venus vehementer dolens ſtirpum omnem Solis perſequi infandis amoribus cæpit. Igitur Paſiphae ſolis filia, Minois regis Cretæ vxor, tauri amore flagrauit, & arte Dædali incluſa intra vaccam ligneam, ſeptam corio iuuencæ pulcherrimæ cum tauro concubuit, vnde natus eſt Minotaurus qui intra Labyrinthum incluſus humanis carnibus veſcebatur. Sed Minos de Paſiphae habuit liberos plures Adrageum, Ariadnem, Phœdram. Sed Androgeus cum eſſet athleta fortiſſimus, & ſuperaret in agonibus cunctos apud Athenas, ab Athenienſibus & vicinis Mægarenſibus coniuratis occiſus eſt. Quod Minos dolens collectis nauibus bella commouit, & victis Athenienſibus pœnam ſtatuit hanc, vt ſingulis quibuſque an-

nis ſeptem de filiis, & ſeptem de filiabus ſuis edendos Minotauro mitterent. Sed tertio anno Aegei filius Theſeus miſſus eſt, potens tam virtute quam forma, qui cum ab Ariadne regis filia amatus fuiſſet, Dædali conſilio iter rexit, & necato Minotauro, cum rapta Ariadne victor aufugit. De Minotauro enim fabula eſt, quod taliter fuiſſet genitus. Nam taurus notarius Minois fuit, quem Paſiphaë amauit, cum quo in domo Dædali concubuit: & quia geminos peperit vnum de Minoë, alterum de tauro, euixa eſſe dicitur Minotaurum, quod Virgilius ipſe dicit. *Mixtúmque genus p. b. f.* THOROS. connubium. ASSVETAQ. PECTORA. Chironis.

Explicit Achilleidos liber primus.

PAPINII SVRCVLI STATII

ACHILLEIDOS LIBER SECVNDVS Incipit.

ARGVMENTVM.

AD placidas deportat aquas Thetis anxia natum
Pelides blandæ renuit genitricis amictus.
Scyriadis tandem patitur correptus ab igne.
Rex Thetidis natum recipit ſub imagine falſa.

AT Thetis vndiſonis per noctem in rupibus aſtans
Quæ nato ſecreta velit, quibus abdere terris
Deſtinat, huc, illuc, diuerſa mente volutat.
Proxima ſed ſtudiis multum Mauortia Thrace:
Nec Macetum gens dura placet, laudúmq; daturi
Cecropidæ ſtimulos. nimium opportuna carinis
Seſtos, Abydenique ſinus. placet ire per altas
Cycladas. hinc ſpretæ Myconos, humiliſque Seriphos,
Et Lemnos non æqua viris, atque hoſpita Delos
Gentibus. imbelli nuper Lycomedis in aula
Virgineos cœtus, & littora perſona ludo
Audierat, duros laxantem Aegæona nexus
Iuſſa ſequi, centúmque dei numerare cathenas.
Hæc placet, hæc timidæ tellus tutiſſima matri.

PLACIDI LACTANTII

Interpretatio.

VOLVTAT. cogitat. CECROPIDAE. Athenienſes, à rege Cectope. ATQVE INHOSPITA GENTIBVS DELOS. de hac inſula talis eſt fabula. Poſt vitiatam Latonam Iuppiter etiam eius ſororem Aſterien cum vitiare vellet, illa optauit à Diis vt in auem vetteretur, verſáque in Coturnicem eſt, & cum vellet maria transfretare, quod eſt Coturnicum, afflata à Ioue & in lapidem conuerſa diu ſub fluctibus latuit, poſtea ſupplicante Ioui Latona leuata aquis ſuperferri cœpit. Hæc primò Neptuno & Doridi fuit conſecrata, poſtea cum Iuno grauidam Pithone immiſſo Latonam perſequeretur terris omnibus expulſa, tandem aliquando appiicante ſe littoribus ſorore ſuſcepta eſt, & illic Dianam primo, poſt Apollinem peperit, qui ſtatim occiſo Pithone vltus eſt matris iniuriam. Sane nata Diana parturienti Apollinem matri dicitur præbuiſſe obſtetricis officium. vnde Diana quamuis virgo ſit, tamen à parturientibus inuocatur. Hæc námque eſt Diana, Iuno, Proſerpina. Nata igitur duo numina terram ſibi natalem errare non paſſæ ſunt, ſed eam duabus inſulis religauerunt. Veritas veto longè alia eſt. Nam hæc inſula cum terræ motu laboraret, qui fit ſub terris latentibus ventis, oraculo Apollinis terræ motu caruit. nam præcepit ne illic mortuus ſepeliretur, & iuſſit quædam ſacrificia fieri. Poſtea * Miconoo Giaróque vicinis inſulis populi venerunt qui eam tenerent. Vnde dicit pœta. *Atque hoſpitale Delos gentibus.* Quòd autem diximus Dianam primò natam rationis eſt. Nam conſtat primam noctem fuiſſe, cuius inſtrumentum eſt luna, vt Diana, poſt diem, quem ſol efficit, qui eſt Apollo. Vt autem Delos primo Ortigia diceretur factum eſt à coturnice, quæ Græcè ὄρτυξ vocatur. Delos autem quia diu latuit & poſt apparuit. nam δῆλον Græci manifeſtum dicunt.

Qualis vicino volucris iam ſedula partu
Iámque timens qua fronde domum ſuſpendat inanem,
Prouidet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues,
Hinc homines; tandem dubiæ placet vmbra, nouiſque
Vix ſtetit in ramis, & protinus arbor amatur.
Altera conſilio ſupereſt, triſtémque fatigat
Cura deam. natum ipſa ſinu complexa, per vndas
An magno Tritone ferat, ventóſque volucres
Aduocet, an pelago ſolitam Thaumantida paſci.
Elicit inde fretis, & murice frenat acuto
Delphinas bijuges, quos illi maxima Tethys
Gurgite Atlanteo pelagi ſub valle ſonora
Nutrierat. nullis vada per Neptunia glaucæ
Tantus honor formæ, nandíque potentia: nec plus
Pectoris humani. iubet hos ſubſiſtere pleno
Littore, ne nudæ noceant contagia terræ.
Ipſa dehinc toto reſolutum pectore Achillem

(Qui pueris ſopor) Aemonij de rupibus antri
Ad placidas deportat aquas, & iuſſa tacere
Littora. monſtrat iter, totóque effulſerat orbe
Cynthia. proſequitur diuam, celeréſque recurſus
Securus pelagi Chiron rogat, vdáque cælat
Lumina, & abreptos ſubito, iam iámque latentes
Erectoproſpectat equo. qua cana parumper
Spumant ſigna fugæ, & liquido perit orbita ponto.
Illum non aliâs rediturum ad Theſſala Tempe
Iam triſtis Pholoe, iam nubilus ingemit Othrys.
Et tenuis Sperchîos aquis, ſpeluncáque docti
Muta ſenis. quærunt puerilia carmina Fauni,
Et ſperata diu plorant connubia nymphæ.
Iam premit aſtra dies, humilíſque ex æquore Titan
Rorantes euoluit equos, & ab æthere magno
Sublatum curſu pelagus cadit. at vada mater
Scyria iamdudum fluctus emenſa tenebat.
Exierántque iugo feſſi Delphines herili.
Cùm pueri tremefacta quies, oculíque iacentis
Infuſum ſenſere diem. ſtupet aëre primo.
Quæ loca? qui fluctus? vbi Pelion? omnia verſat,
Atque ignoto videt, dubitátque agnoſcere matrem.

THAVMANTIDA. Iris Thaumantia dicta ſecundum poetas, Thaumantis filia, cæterum ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de eius coloribus naſcitur. Iris dicta quod nunquam ad conciliationem mittitur, ſicut Mercurius, ſed ad diſturbationem, & eſt miniſtra non tantùm Dearum, ſed & deorum. THETIS. Vxor Oceani, Nympharum mater. PHOLOE. Silua eſt Theſſaliæ, dicta à Pholo centauro qui eam incolebat. qui Pholus tempore quo ab Euriſteo rege Hercules miſſus eſt Thraciam, vt Diomedis equos adduceret, qui humanis carnibus veſcebantur, eum hoſpitio recepit. Aliqui dicunt, quod eum Hercules occidit ſuſceptus ab eo hoſpitio. Velius Aſper longus, Pholum tradit aduerſum centauros ab Hercule adiutum. Cum Herculem recepiſſet hoſpitio, Aſper tradit, dum ſagittas Herculis ſtupet, qui tot Centauros occiderat, vnam ex illis in pedem cecidiſſe, vulnere ſanari non potuit. Ideo credunt nonnulli ab Herculè occiſum. SPERCHIVS. fluuius cui ſuas comæ Achilles deuouerat ſi rediſſet. Pater autem narciſſi fuit Sperchius. SCYRIA. Scyros inſula eſt.

Occupat illa manu, blandéque affata pauentem.
Si mihi care puer thalamos ſors æqua dediſſet.
Quos dabat, æthereis ego te complexa tenerem
Sydus grande plagis, magníque puerpera cœli,
Nil humiles Parcas, terrenáque fata vererer.
Nunc impar tibi nate genus, præcluſáque leti

Tantum matre via eſt, Quin & metuenda propinquant
Tempora, & extremis admota pericula metis.
Cedamus, paulúmque animos ſummitte viriles,
Atque habitus dignare meos. ſi Lydia dura
Penſa manu, molléſque tulit Tirynthius haſtas:
Si decet aurata Bacchum veſtigia palla
Verrere, virgineos ſi Iuppiter induit artus,
Nec magnum ambigui fregerunt Canea ſexus.
Has ſine quæſo minas numénque exire malignum.
Mox iterum campos, iterum Centaurica reddam
Luſtra tibi. per hoc decus, & ventura iuuentæ
Gaudia, ſi terras, humilémque experta maritum
Te propter, ſi progenitum Stygis amne ſeuero
Armauit (totúmque vtinam) cape tuta parumper
Tegmina, nil nocitura animo. cur ora reducis?
Quidue parant oculi? pudet hoc miteſcere cultu?
Per te care puer, cognata per æquora iuro
Neſciet hos Chiron. ſic horrida pectora tractat
Nequicquam mulcens. obſtat genitórque roganti,
Nutritórque ingens, & cruda exordia magnæ
Indolis. effrenæ tumidum velut igne iuuentæ
Si quis equum primis ſummittere tentêt habenis:
Ille diu campis, fluuiíſque, & honore ſuperbo
Gauiſus, non colle iugo, non aſpera præbet
Ora lupis, dominíque fremit captiuus inire
Imperia, atque alios miratur diſcere curſus.

SIC IVPITER INDVIT ARTVS. Iupiter adamauit Antiopen filiam Nyctei, ſpecioſiſſimam puellam; cuius dum pater ſuſpectum haberet ſtuprum eam cuſtos mancipauit. Puella ipſa cum adoleuiſſet Dianæ ſe conſecrauit. Iupiter in habitum ſe vertit Dianæ, & puellam corrupit, ita vt arcum & pharetram mentiretur. CENEA. Cenis virgo fuit quæ à Neptuno pro ſtupri præmio meruit ſexus mutationem. Fuit etiam in vulnerabilis, qui pugnando pro Lapitis, contra Centauros crebris ictibus fuſtium paulatim fixus in terra. Poſt mortem tamen in ſexum rediit. Sichoſin ſexum plerúmque mutare. STYGIS AMNE SEVERO ARMAVI. Thetis cum ſciret eo quod à Peleo Achilles mortalis eſſet, in ſtigem paludem intinxit, & toto corpore impenetrabilem fecit, excepta corporis parte, qua eum tenuerat. Pro nefas! nouum genus calamitatis, ibi mortis locum reliquit, vbi eum mater eſt amplexa. COGNATA. quaſi Nerei. CHIRON. Saturni & Pelopes filius. GENITOR. Peleus. NVTRITOR. Chiron.

Quis deus attonitæ fraudes, aſtúmque parenti
Contulit? indocilem quæ mens detraxit Achillem?

Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum
Forte diem, placidóque ſatæ Lycomede ſorores
Duce ſacra patriis (quæ rara licentia) muris
Exierant, dare veris opes, diuæque ſeueras
Fronde ligare comas, & ſpargere floribus haſtam.
Omnibus eximium formæ decus omnibus idem
Cultus. & expleto teneri iam ſine pudoris
Virginitas matura toris, animique tumentes.
Sed quantum virides pelagi Venus addita Nymphas
Obruit, aut humeris quantum Diana relinquit
Naides, effulget tantum regina decori
Deidamia chori: pulchriſque ſororibus obſtat.
Illius è roſeo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux maior ineſt, & blandius aurum.
Atque ipſi par forma deæ, ſi pectoris angues
Ponat, & exempla placetur caſside vultus.
Hanc vbi ducentem longè ſocia agmina vidit
Trux puer, & nullo temeratus pectora motu,
Diriguit, totiſque nouum bibit oſsibus ignem.
Nec latet hauſtus amor. ſed fax vibrata medullis
In vultus, atque ora redit, lucémque genarum
Tingit, & impulſam tenui ſudore pererrat.
Lactea Maſſagetæ veluti cum pocula fuſcant
Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur oſtro:
Sic variis manifeſta notis, pallétque, rubétque,
Flamma recens. eat, atque vltro ferus, hoſpita ſacra
Diſcutiat turbæ ſecurus, & immemor æui,
Ni pudor, & iunctæ teneat reuerentia matris.
Vt pater armenti quondam, rectórque futurus,
Cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
Cum ſociam paſtus niueo candore iuuencam
Aſpicit, ardeſcunt animi, primúſque per ora
Spumat amor, ſpectant hilares, optántque magiſtri.

SED FAX VIBRATA MEDVLLIS. Virgil.
Accepit ſolitam flammam, notáſque medullas
Intrauit calor, & labefacta per oſſa cucurrit.

EBVR CORRVMPITVR OSTRO. Virgil. *Indum ſanguineo veluti violauerit Oſtro Si quis ebur.*

Tradimus. arma humeris, arcúmque animoſa petebat
Ferre, & Amazonio connubia pellere ritu.
Sed mihi curarum ſatis eſt pro ſtirpe virili.
Hæc calathos, & ſacra ferat. Tu frange regendo
Indocilem, ſexúmque tene, dum nubilis ætas,
Soluendúsque pudor. néue exercere proteruas
Gymnádas, aut luſtris nemorum concede vagari.
Intus ale, & ſimiles inter ſeclude puellas.
Littore præcipuè, portúque arcere memento.
Vidiſti modo vela Phrygum, iam mutua iura
Fallere, tranſmiſſæ pelago didicere carinæ.
Accedit dictis pater, ingenióque parentis
Occultum Aeaciden (quis diuum fraudibus obſtet)
Accipit. vltro etiam veneratur ſupplice dextra,
Et grates electus agit. nec turba piarum
Scyriadum ceſſat nimio defigere viſu
Virginis ora nouæ. quantum ceruice, comisque
Emineat, quantúmque humeros, ac pectora fundat.
Dehinc ſociare choros, caſtísque accedere ſacris
Hortantur, cedúntque loco & contingere gaudent.

Amazonio. Amazones dictæ ſunt vel quod ſimul viuant ſine viris, quaſi ἅμα ζῶσαι: vel quod ſimul vnam mammam exuſtam habent, quaſi ἄνευ μαζῶ.

Qualiter Idaliæ volucres, vbi mollia frangunt
Nubila, iam longum cœlóque, domóque gregatæ.
Si iunxit pennas, diuerſóque hoſpita tractu
Venit auis cunctæ primum mirantur, & horrent,
Mox propiúsque volant, ſociam iámque aere in ipſo
Paulatim fecere ſuam, plauſúque ſecundo
Circumeunt hilares, & ad alta cubilia ducunt.
Digreditur multùm cunctata in limine mater,
Dum repetit monitus, arcanáque murmura figit
Auribus, & tacito dat verba nouiſſima voto.
Tunc excepta freto, longè ceruice reflexa
Abnatat, & blandis affatur littora votis.
Cara mihi tellus, magnæ cui pignera curæ,
Depoſitúmque ingens timido commiſimus aſtu,
Sis felix. taceáſque precor. quo more tacebat

Creta Rheæ. te longus honos, æternáque cingent
Templa, nec inſtabili fama ſuperabere Delo.
Et ventis, & ſacra fretis, intérque vadoſas
Cycladas, Ægeæ frangunt vbi ſaxa procellæ,
Nereidum tranquilla domus, iurandáque nautis
Inſula, ne ſolum Danaas admitte carinas.
Te precor hic thiaſos tantum, nihil vtile bellis,
Hoc famam narrare doce. dúmque arma parantur
Dorica, & alternum Mauors interfurit orbem:
(Cedo equidem) ſit virgo pij Lycomedis Achilles.

IDALIAE VOLVCRES. Columbæ quæ ſunt Veneri conſecratæ. CRETA RHEAE. Hæc fabula eſt. Saturnus poſtquam à Themide oraculo comperit à filio regno ſe poſſe depelli, natos ex Rhea vxore deuorabat, quæ natum Iouem pulchritudine delectata nymphis commendauit in monte Cretæ Dictæo, vbi eum aluerunt apes, & adhibiti ſunt Curetes & Corybantes, qui tinnitu æris prohiberent audiri pueri vagitum. Vnde ipſi ſunt matris Deum miniſtri. Vt autem fingatur Saturnus filios ſuos comeſſe hæc ratio eſt, quia dicitur Deus eſſe æternitatis & ſeculorum. Secula autem annos ex ſe natos in ſe reuoluunt, inde Græcè Κρόνος quaſi Χρόνος, id eſt tempus dicitur. Ergo quo more tacebat Creta Rheæ, id eſt, quia illis certa Iouis nutritus eſt, ne à Saturno patre occideretur ſic tu (ô Schyros) commendatum tibi Achillem abſconde. DELO. Delos & ciuitas dicitur, & inſula, vnde nitidum recipit præpoſitionem. Delos autem dicta eſt, quia cum vtique Apollinis reſponſa obſcura ſit, manifeſta illis dentur oracula, nam δῆλον Græci *manifeſtum* dicunt. CYCLADAS. Cyclades non ideo dictæ ſunt quia in rotunditatem ſunt, eo quòd Græci κύκλον rotundum vocant, ſed quòd longo ordine eas circumire neceſſe eſt, propter promontoria periculoſa. THIASOS. ſaltationes, choreas Liberi, id eſt, liberalia. Originem belli Thebani taliter hiſtoria refert, Herculem cum Colchos iret perdito Hyla, poſt peragratam Miſiam nauibus Troiam veniſſe, à cuius portu cum eum Laomedon arceret, occiſus eſt, & eius filia Heſiona belli iure ſublata comite Iamotii tradita eſt, qui primus aſcenderat murum. vnde natus eſt Teucer. Nam Aiacem ex alia conſtat eſſe natum. Tunc Hercules Priamum quoque redemptus à vicinis hoſtibus in patrio regno, locauit. vnde eſt Priamus dictus ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, id eſt, emere. Cæterum quæ deliberata dicuntur Heſiona conſtat eſſe fabuloſa. Poſtea cùm creuiſſet Priamus volens repetere ſororem, profectus eſt cum legatis Salamina, vbi conſtabat eam regnare, & minimè eam repetere valuerunt Græcis dicentibus, eam habere iure bellorum. vnde commotus Priamus miſit Paridem cum exercitu, vt aliquid tale abduceret, aut vxorem regis aut filiam, qui dum ambulaſſet ſollicitauit Helenam, Menelai vxorem, quæ cum ei conſentire noluiſſet egreſſus eſt ille & ciuitatem obſedit, qua euerſa Helenam rapuit: vnde & poſtea à marito * recipit meruit.

EXPLICIT

ACHILLEIDOS LIBER SECVNDVS.

PAPINII SVRCVLI STATII

ACHILLEIDOS LIB. TERTIVS

Incipit.

ARGVMENTVM.

VLTOR in Hectoridas Graios dolor armat Atridem.
Aulide iuratur. Pelides poſcitur abſens.
Panditur in Scyro, quo ſit quærendus Vlyſſes.
Sẻque virum faſſus, Pyrihum generauit Achilles.

INterea meritos vltrix Europa dolores
Dulcibus armorum furiis, & ſupplice regum
Conqueſtu flãmata mouet, quippe ambit Atrides
Ille magis, cui nupta domi, facinúſque relatu
Aſperat Iliacum. captã ſine Marte, ſine armis
Progeniem cœli, Spartæque potentis alumnam.
Iura, fidem, ſuperos, vna calcata rapina.
Hoc fœdus Phrygium, hæc geminæ commercia terræ.
Quid maneat populos, vbi tanta iniuria primos
Degraſſata duces? coeunt gens omnis, & ætas.
Nec tantum exciti bimariquos Iſthmia vallo
Clauſtra, nec vndiſonæ quos circuit vmbo Maleæ,
Sed procul admoti Phrixi, quà ſemita iungi
Europámque Aſiámque vetat. quáſque ordine gentes
Littore Abydeno maris alligat vnda ſuperni.
Feruet amor belli, concuſſáſque erigit vrbes.
AEra domant Temeſæ. quatitur naualibus ora

Eubœis, innumera reſonat incude Mycenæ.
Piſa. nouat currus. Nemee dat terga ferarum.
Cirrha ſagittiferas certat ſtipare pharetras.
Lerna graues clypeos cæſis veſtire iuuencis.
Dat bello pedites Etolus, & aſper Acarnan.
Argos agit turmas. vacuantur paſcua ditis
Arcadiæ. frenat celeres Epiros alumnos.
Phocis, & Aoniæ iaculis rareſcitis vmbræ.
Murorum tormenta Pylos, Meſſanáque tradunt.
Nulla immunis humus. velluntur poſtibus altis
Arma olim dimiſſa patrum, flammiſque liqueſcunt
Dona deum. & raptum ſuperis Mars efferat aurum.
Nuſquam vmbræ veteres. minor Othrys, & ardua ſidunt
Taygeta, exuti viderunt aëra montes.
Iam natat omne nemus. cæduntur robora claſſi.
Sylua minor remis. ferrum laxatur ad vſus
Innumeros. quod roſtra liget, quod muniat arma
Belligeros quod frenet equos, quod mille cathenis
Squallentes nectat tunicas, quod ſanguine fumet,
Vulneráque alta bibat, quod conſpirante veneno
Impellat mortes, tenuántque humentia ſaxa
Attritu, & pigris addunt mucronibus iras.
Nec modus, aut arcus lentare, aut fundere glandes,
Aut torrere ſudes, galeáſque attollere conis.

PLACIDI LACTANTII
INTERPRETATIO.

FOEDVS. quod dicit fœdus hiſtoriam tangit, quæ refert, quod Troiani cum Græcis fœdus habuerint, vnde etiam Paris amicabiliter eſt ſuſceptus hoſpitio & ſic commiſit adulterium.

Hos inter motus pigram gemit ora quietem
Theſſalis, & geminis incuſat fata querelis.
Quod ſenior Peleus, nec adhuc, maturus Achilles.
Iam Pelopis terras, Graiúmque exhauſerat orbem
Præcipitans in tranſtra viros inſanus, equóſque,
Bellipotens. feruent portus, & operta carinis
Stagna. ſuáſque hyemes claſſis promota, ſuóſque

Attollit

Attollit fluctus. ipſum iam puppibus æquor
Deficit, & totos conſumunt carbaſa ventos.
Prima rates Danaas Hecateia congregat Aulis
Rupibus expoſitis. longíque crepidine dorſi
Euboicum ſcandens Aulis mare. littora multum
Montiuagæ dilecta deæ, iuxtáque caphareus
Latratum pelago tollens caput. ille pelaſgas
Vt vidit tranſnare rates, ter monte, ter vndis,
Intonuit, ſæuáque dedit preſagia noctis.
Cœtus ibi armorum, Troiæ fatalis, ibi ingens
Iuratur bellum. donec Sol annuus omnes
Conficeret metas: tum primùm Græcia vires
Contemplata ſuas. tunc ſparſa, ac diſſona moles
In corpus, vultúmque coit. & rege ſub vno
Diſpoſita eſt. Sic curua feras indago latentes
Claudit, & admotis paulatim caſſibus arctat.
Illæ ignem, ſonitúmque pauent. diffuſáque linquunt
Auia, mirantúrque ſuum decreſcere montem.
Donec in anguſtam ceciderunt vndique vallem.
Inque vicem ſtupuere greges, ſocióque timore
Manſueſcunt. ſimul hirtus aper, ſimul vrſa, lupúſque
Cogitur & captos contemnit cerua leones.
Sed quamquam gemini pariter ſua bella capeſſant
Atridæ, famámque auidi virtute paternam
Tydides, Sthenelúſque premant. nec cogitet annos
Antilochus. ſeptémque Aiax vmbone coruſcet
Armenti greges, atque æquum montibus orbem,
Conſilijs, armíſque vigil contendat Vlyſſes:
Omnis in abſentem belli manus ardet Achillem.
Nomen Achillis amant, & in Hectora ſolus Achilles
Poſcitur. illum vnum Teucris, Priamóque loquuntur
Fatalem. quis enim AEmonijs ſub vallibus alter
Creuerit, effoſa reptans niue? cuius ab ortu
Cruda rudimenta, & teneros formauerit annos
Centaurus? patrij propior cui linea cœli?
Quemúe alium ad ſtygios tulerit ſecreta per amnes
Nereus? & pulchros ferro perſtrinxerit artus?
Hæc Graia caſtris iterant, tradúntque cohortes.

Cædit turba ducum, vincíque haud mœſta fatetur.
Sic cum pallentes Phlegræa in caſtra coirent
Cœlicolæ, iámque Odryſiam Gradiuus in haſtam
Surgeret, & libycos Tritonia tolleret angues,
Ingentémque manu curuaret Delius arcum,
Stabat anhela metu ſolum Natura Tonantem
Reſpiciens. quando ille hyemes, tonitrúſque vocaret
Nubibus, igniferam quæ fulmina poſceret AEtnam.
Atque ibi dum mixta vallati plebe ſuorum
Et maris & belli conſultant tempora reges,
Increpitans magno vatem Calchanta tumultu,
Proteſilaus (ait nanque huic bellare cupido
Præcipua, & primæ iam tunc data copia mortis.)
O nimium Phœbi tripodúmque oblite tuorum
Theſtoride. quando ora deo poſſeſſa mouebis
Iuſtius? aut quando Parcarum occulta recludes?
Cernis vt ignotum cuncti, ſtupeántque, petántque
AEaciden? ſordet vulgò Calydonius Heros,
Et magno genitus Telamone, Aiáxque ſecundus,
Nos quoque ſed Mauors & Troia abrepta probabunt.
Illum neglectis (pudet heu) ductoribus, omnes
Belligerum ceu numen amant. dic ocyus (aut cur
Serta comis, & mutus honos) quibus abditus oris
Quáue iubes tellure peti. nam fama nec antris
Chironis, patria nec degere Peleos aula.
Eia irrumpe moras, & fata latentia laxa,
Laurigeróſque ignes, ſi quando auidiſſimus hauri:
Arma horrenda tibi. ſæuóſque remiſimus enſes.
Nunquam has imbelles galea violabere vittas,
Sis felix, numeróque ducum preſtancior omni,
Si magnum Danais per te portendis Achillem.
Iamdudum trepido circunfert lumina motu,
Intrantémque Deum primo pallore fatetur
Theſtorides, mox igne genas, & ſanguine torquens
Nec ſocios, nec caſtra videt, ſed cæcus & amens
Nunc ſuperum magnos deprendit in æthere cœtus,
Nunc ſagas affatur aues, nunc dura ſororum
Licia, thuriferas modò conſulit anxius aras.

Flammatrúmque apices rapit, & caligine ſacra
Paſcitur. exiliunt crines, rigidiſque laborat
Vitta comis. nec colla loco, nec in ordine greſſus.
Tandem feſſa tremens longis mugitibus ora
Soluit, & oppoſitum vox eluctata furorem eſt.
Quo rapis ingentem magni Chironis alumnum
Fœmineu Nerei dolis? huc mite. quid aufers?
Non patiar, meus iſte meus, tu diua profundi.
Et me Phœbus agit. latebris quibus abdere tentas
Euerſorem Aſiæ? video per Cycladas altus
Attonitam, & turpi quærentem littora furto.
Occidimus, placuit Lycomedis conſcia tellus.
O ſcelus, en fluxæ veniunt in pectora veſtes.
Scinde puer, ſcinde, & timidæ ne crede parenti.
Hei mihi raptus abit. quænam hæc procul improba virgo?
Hic nutante gradu ſtetit, amiſſiſque furoris
Viribus, ante ipſas tremefactus corruit aras.

CLASSI. Claſſis dicitur vel quod fiat de fuſtibus : *calos* enim dicebant maiores noſtri fuſtes, quos portabant ſerui ſequentes dominos ad prælium. Vnde etiam *calones* dicebantur. Nam conſuetudo erat militis Romani vt ipſe ſibi arma portaret, ipſe vallum. *Vallum* autem dicebant *calam* ſicut Lucilius. *Scinde calam vt calcas* .... id eſt puer frange fuſtes & fac focum. inde ergo *claſſem* dictam dicunt. Alij magis hinc *claſſem* dictam volunt apud maiores noſtros ſtipendium prælio terreſtri miles pedeſter dabat. Equites verò dabant in nauali certamine : nam adhuc populus pauper fuerat. Exinde iam quod equitibus dabatur ſtipendium tractum eſt vt diceretur *claſſis*. proprie enim *claſſes* equitum dicimus. AVLIS. inſula eſt in qua coniurarunt Græci, ſe non ante reuerſuros quam Troia caperetur. TYDIDES. Diomedes Tydei & Deiphiles filius. STHENELVS. Capanei & Eractnes. VLYXES. Lertæ & Antiochæ filius, alii dicunt Siſyphi & Anticliæ filium, quæ ante nuptias cum Siſypho Cocli filio concubuit, vnde Vlyxes natus eſt. Hoc & in Ouidio Aiax obiecit. STYGIOS AMNES. Styx palus eſt quædam apud inferos de qua legimus. *Di cuius iurare timent & fallere numen.* quod ſecundum fabulas ideo eſt, quia dicitur Victoria Stygis filia bello Gigantum Ioui fauiſſe. pro cuius rei remuneratione Iuppiter tribuit, vt dii iurantes per eius matrem non auderent fallere. Ratio autem hæc eſt. Styx mœrorem ſignificat, ἀπὸ τοῦ στυγεῖν id eſt, à triſtitia Styx dicta: Di autem læti ſunt ſemper. Inde etiam Immortales, quia ἄφθαρτοι καὶ μακάριοι. Ergo quia mœrorem non ſentiunt, iurant per rem ſuæ naturæ contrariam, in qua Thetis Achillem merſit, eius mortem timens eo quod natus mortale patre eſſet: & totum impenetrabilem fecit, excepta corporis parte per quam eum tenuit, vbi poſtea à Paride percuſſus eſt.

Tunc hærentem Ithacum Calydonius occupat Heros:
Nos vocat iſte labor, neque enim comes ire recuſo,
Si te cura trahit. licet ille ſonantibus antris

Tethyos aduerſæ, gremióque prematur aquoſo
Nereos, inuenies, tu tantum prouidus aſtu
Tende animum vigilem, ſecundúmque erige pectus.
Nam te quis vatum dubiis in caſibus auſit
Fata videre prior? ſubicit gauiſus Vlyſſes.
Sic Deus omnipotens, ſic annuat, illáque firmet
Virgo paterna tibi. ſed me ſpes lubrica tardat.
Grande equidem armatum eſt caſtris inducere Achillem.
Sed ſi fata negent, quàm fœdum, ac triſte reuerti.
Vota tamen Danaum non intentata relinquam.
Iámque adeo aut aderit mecum Peleius Heros,
Aut verum penitus latet, & ſine Apolline Calchas.
Conclamant Danai, ſtimulátque Agamemno volentes
Laxantur cœtus, reſolutáque murmure læto
Agmina diſcedunt. Quales iam nocte propinqua
E paſtu referuntur aues. vel in antra reuerti
Melle nouo grauidas mitis videt Hybla cateruas.
Nec mora iam dextras Ithaceia carbaſus auras
Poſcit, & in remis hilaris ſedere iuuentus.
At procul occultum falſi ſub image ſexus
AEaciden furto iam nouerat vna latentem
Deidamia virum, ſed opertæ conſcia culpæ
Cuncta pauet, tacitáſque putat ſentire ſorores.
Nánque vt virgineo ſtetit in grege clarus Achilles,
Exoluítque rudem genetrix digreſſa pudorem,
Protinus elegit comitem (quamquam omnis in illum
Turba coit) blandæque nouas nil tale timenti
Admouet inſidias. illam ſequitúrque, premítque
Improbus, illam oculis, iterúmque, iterúmque reſumit.
Nunc nimius lateri non euitantis inhæret.
Nunc leuibus ſertis, lapſis nunc ſponte caniſtris,
Nunc thyrſo parcente ferit. modo dulcia notæ
Fila lyræ, tenuéſque modos, & carmina monſtrat
Chironis, ducítque manum, digitóſque ſonanti
Infringit cytharæ. nunc occupat ora canentis,
Et ligat amplexus, & mille per oſcula laudat.
Illa libens diſcit, quo vertice Pelion, & quis
AEacides. puerique auditum nomen, & actus

Aſsiduè ſtupet, & præſentem cantat Achillem.
Ipſa quoque & validos proferre modeſtius artus;
Et tenuare rudes attrito pollice lanas
Demonſtrat, reficítque colos, & perdita dura
Penſa manu, vocíſque ſonum, pondúſque tenentis.
Quódque fugit comites, nimio quod lumine ſeſe
Figat, & in verbis intempeſtiuus anhelet,
Miratur. iam iámque dolos aperire parantem,
Virginea leuitate fugit, prohibétque fateri.
Sic ſub matre Rhea iuuenis regnator Olympi
Oſcula ſecuræ dabat inſidioſa ſorori
Frater adhuc, medij donec reuerentia ceſsit
Sanguinis. & verſos germanæ expauit amores.
Tandem detecti timidæ Nereidos aſtus.
Lucus Agenorei ſublimis ad orgia Bacchi
Stabat, & admiſſum cœlo nemus. huius in vmbra
Alternum reuocare piæ Trieterica matres
Conſuerant, ſciſſúmque pecus, terráque reuulſas
Ferre trabes, gratóſque deo præſtare furores.
Lex procul ire mares. iterat præcepta verendus
Ductor, inacceſſúmque viris edicitur antrum.
Nec ſatis eſt. ſtat fine dato metuenda ſacerdos,
Explorátque aditus. nequis temerator oberret
Agmine fœmineo, tacitus ſubriſit Achilles.
Illum virgineæ ducentem ſigna cateruæ,
Magnáque difficili ſoluentem brachia motu,
(Et ſexus pariter decet, & mendacia matris)
Mirantur comites. nec iam pulcherrima turba
Deidamia ſuæ, tantúmque admota ſuperbo
Vincitur Aeacide, quantum premit ipſa ſorores.
Vt verò à tereti demiſit Nebrida collo,
Errantéſque ſinus edera collegit, & altè
Cinxit purpureis flauentia tempora vittis,
Vibrauitque graui redimitum miſsile dextra:
Attonito ſtat turba metu, ſacriſque relictis
Illum ambire libet, pronóſque attollere vultus.
Talis vbi ad Thebas vultúmque animúmque remiſit
Euius, & patrio ſatiauit pectora luxu:

Tollitur, & thyrſos iterum vibrabat Achilles.
Antè tamen dubiam verbis ſolatur amicis.
Ille ego (quid trepidas) genuit quem cœrula mater
Pelliacis ſyluis, niuibúſque immiſit alendum
Theſſalicis, neque ego hos cultus, aut fœda ſubiſſem
Tegmina, ni primo te viſa in littore. ceſſi
Te propter. tibi penſa manu, tibi mollia geſto
Tympana. quid defles magno nurus addita ponto?
Quid gemis ingentes cœlo paritura nepotes?
Sed pater ante igni, ferróque exciſa iacebit
Scyros, & in tumidas ibunt hæc verſa procellas
Mœnia, quam ſæuo mea tu connubia perdas
Funere, non adeo parebimus omnia matri.
Vade, ſed ereptum taceas, celéſque pudorem,
Obſtupuit tantis regina exterrita monſtris.
Quanquam olim ſuſpecta fides, & comminus ipſum
Horruit, & multum facies mutata fatentis.
Quid faciat? caſus-ne ſuos ferat ipſa parenti?
Séque ſimul, iuuenémque premat, fortaſſis acerbas
Hauſurum pœnas? & adhuc in corde manebat
Ille diu deceptus amor. ſilet ægra, premítque
Iam commune nefas. vnam placet addere furtis
Altricem ſociam precibus quæ victa duorum
Annuit. illa aſtu tacito raptúmque pudorem,
Surgentémque vterum, atque ægros in pondere menſes
Occuluit, plenis donec ſtata tempora metis
Attulit, & partus index Lucina reſoluit.

SPERCHIE. fluuius Theſſaliæ vbi Achilles apud Chironem nutritus eſt. PROMISSASQVE COMAS. Conſuetudo enim erat apud antiquos, vt quis, prout libitum erat, diuerſis Deabus vel fluminibus crinem aut barbam ſuam voueret. THYRSIS. haſta pampinea.

EXPLICIT

ACHILLEIDOS LIBER TERTIVS.

PAPINII SVRCVLI STATII ACHILLEIDOS LIBER QVARTVS Incipit.

ARGVMENTVM.

TANDEM exoptata Scyro potiuntur Achiui.
Nititur Æaciden, dum libant fercula menſis,
Noſcere; ſed nondum plenè tunc diſcit Vlyxes.
Tum ducibus Graijs demum manifeſtus Achilles
In ſacris armíſque fuit. ſe denique Vlyxis
Hortatu tetigit Lycomedi, & Pergama poſcit.
Vt celebratus hymen, nox conſcia iunxit amantes.
Deidamia viri deplorat pectore fuſa.

IAMQVE *per AEgeos ibat Laertia fluctus*
Puppis, & innumeræ mutabant Cycladas auræ.
Iam Paros, Olearóſque latent, iam raditur alta
Lemnos, & à tergo decreſcit Bacchica Naxos.
Ante oculos creſcente Samo, iam Delos opacat
Aequor. ibi excelſa libant carcheſia puppe,
Reſponſíque fidem, & verum Calchanta precantur.
Audiit Arcitenens, Zephyrúmque è vertice Cynthi
Impulit, & dubiis pleno dedit omina velo.
It pelago ſecura ratis. quippe alta tonantis
Iuſſa, Thetin certas fatorum euertere leges,
Arcebant ægram lachrymis, ac multa gementem:
Quod non erueret pontum, ventíſque, fretíſque

Omnibus,

Omnibus, inuiſum iam tunc ſequeretur Vlyſſem.
Frangebat radios humili iam pronus Olympo
Phœbus, & Oceani penetrabile littus anhelis
Promittebat equis: cùm ſe ſcopuloſa leuauit
Scyros, in hanc totos emiſit puppe rudentes
Dux Laertiades, ſociósque reſumere pontum.
Imperat, & remis Zephyros ſupplere cadentes.
Accedunt iuſſi. magis indubitata, magíſque.
Scyros erat. placidíque ſuper Tritonia cuſtos
Littoris. Egreſſi numen venerantur amicæ
Aetholúſque, Ithacúſque, deæ. tum prouidus heros
Hoſpita ne ſubito terrerent mœnia cœtu,
Puppe iubet remanere ſuos. ipſe ardua fido
Cum Diomede petit. ſed iam præuenerat arcis
Littoreæ ſeruator Abas, ignotáque regi
Ediderat (ſed Graia tamen) ſuccedere terris
Carbaſa. procedunt, gemini ceu fœdere iuncto
Hyberna ſub nocte lupi, licet & ſua pulſet
Natorúmque fames. penitus rabiémque mináſque
Diſſimulant, humiléſque meant, ne nunciet hoſtes
Cura canum, & trepidos moneat vigilare magiſtros:
Sic ſegnes Heroes eunt, campúmque patentem
Qui medius portum, celſámque interiacet vrbem,
Alterno ſermone ferunt. prior occupat acer
Tydides. Qua nunc verum ratione paramus
Scrutari? námque ambiguo ſub pectore quiddam
Verſo, quid imbelles thyrſos mercatus, & æra,
Vrbibus in mediis, Bacchæáque terga, mitráſque
Huc tuleris? varióque aſperſas Nebridas auro?
Hiſne grauem Phrygibus, Priamóque armamus Achillem?
Illi ſubridens Ithacus paulum ore remiſſo,
Hæc tibi, virginea modò ſi Lycomedis in aula
Fraude latens, vltrò confeſſum in prælia ducent
Peliden. tu cuncta citus de puppe memento
Ferre, vbi tempus erit, clypeúmque ijs iungere donis,
Qui pulcher ſignis, auróque aſperrimus ardet.
Hæc ſat erunt: tecum lituo bonus adſit Agyrtes,
Occultámque tubam tacitos apportet in vſus.

Dixerat, atque ipſo portarum in limine, regem
Cernit, & oſtenſa pacem præfatur oliua.
Magna (reor) pridem veſtras peruenit ad aures
Fama trucis belli regum placidiſſime, quod nunc
Europámque, Aſiámque quatit. ſi nomina quæras
Huc perlata ducum, fidit quibus vltor Atrides.
Hic tibi, quem tanta meliorem ſtirpe creauit
Magnanimus Tydeus, Ithacus ego ductor Vlyſſes.
Cauſa viæ (metuam quid enim tibi cuncta fateri:
Cùm Graius, notáque fide celeberrimus vnus?)
Explorare aditus, inuiſáque littora Troiæ,
Quídue parent. medio ſermone intercipit ille.
Annuerit Fortuna precor. dextrique ſecundent
Iſta dei. nunc hoſpitio me, tecta, piúmque
Illuſtrate larem. ſimul intra limina ducit.
Nec mora, iam menſas famularis turba toróſque
Inſtruit. interea viſu perluſtrat Vlyſſes,
Scrutatúrque domum. ſi qua veſtigia magnæ
Virginis, aut dubia facies ſuſpecta figura.
Porticibúſque vagus errat, toróſque penates
Ceu miretur, adit. velut ille cubilia prædæ
Indubitata tenens multo legit arua Moloſſo
Venator, videat donec ſub frondibus hoſtem
Porrectum ſomno, poſitóſque in ceſpite dentes.
Rumor in arcana iamdudum perſtrepit aula
Virginibus quà fida domus, veniſſe Pelaſgos
Ductores, Graiámque ratem, ſocióſque receptos.
Iure pauent aliæ, ſed vix noua gaudia cælat
Pelides; auidúſque nouos Heroas, & arma
Vel talis vidiſſe cupit. iámque atria feruent
Regali ſtrepitu, & picto diſcumbitur oſtro.
Tum pater ire iubet natas, comitéſque pudicas
Natarum, ſubeunt quales Mæotide ripa
Cùm Scythicas rapuere domos, & capta Getarum
Mœnia, ſubpoſitis epulantur Amazones armis.
Tum verò intentus vultus, ac pectora Vlyſſes
Prælibat viſu. ſed nox, illatáque fallunt
Lumina, & extemplo latuit menſura iacentis,

Et tamen erectúmque genas, oculíſque vagantem,
Nulláque virginei ſeruantem ſigna pudoris,
Defigit, conuitíque obliquo lumine monſtrat.
Quòd niſi præcipitem blando complexa moneret
Deidamia ſinu, nudatáque pectora ſemper,
Exertáſque manus, humeróſque in veſte teneret,
Et prodire toris, & poſcere vina vetaret
Sæpius, & fronti crinale reponeret aurum,
Argolicis ducibus iam tunc patuiſſet Achilles,

PLACIDI LACTANTII
INTERPRETATIO.

ILLI SVBRIDENS ITHACVS. pro Ithaceſius principale pro deriuatiuo.

Vt placata fames epulis bis térque repoſtis,
Rex prior alloquitur. pateríſque inuitat Achiuos.
Inuideo veſtris (fateor) decora inclyta gentis
Argolicæ: cœptis vtinam mihi fortior ætas,
Quæque fuit Dolopas, cùm Scyria littora adortos
Perdomui, fregíque vadis. quæ ſigna triumphi
Vidiſtis celſas murorum in fronte carinas.
Saltem ſi ſoboles aptam quam mittere bello
Poſſem, plena forent mihi gaudia. námque iuuarem.
Nunc ipſi viréſque meas, & cara videtis
Pignora. quando nouos dabit hæc mihi turba nepotes?
Dixerat, & ſolers arrepto tempore Vlyſſes,
Haud ſpernenda cupis. quis enim non viſere gentes
Innumeras, varióſque duces, atque agmina regum,
Ardeat? omne ſimul robúrque decúſque potentis
Europæ, meritos vltrò iurauit in enſes.
Rura, vrbéſque vacant. montes ſpoliauimus altos.
Omne fretum longa velorum obtexitur vmbra.
Tradunt arma patres, ruit irreuocata iuuentus.
Non aliâs vnquam tantæ data copia famæ
Fortibus, haud campo maiore exercita Virtus.
Aſpicit intentum vigilique hæc aure trahentem
Cùm paueant aliæ, demiſſáque lumina flectant.

Atque iterat. Quiſquis proauis & gente ſuperbus,
Quiſquis equo iaculóque potens, qui præualet arcu,
Omnis honos illic. illic ingentia certant
Nomina. vix timidæ matres, vix agmina ceſſant
Virginea. hic multùm ſteriles damnatus in annos,
Inuiſúſque deis, ſi quem hæc noua gloria ſegnem
Præterit. exiſſet ſtratis, niſi prouida ſigno
Deidamia dato, cunctas hortata ſorores
Liquiſſet menſas, ipſum complexa. ſed hæret
Reſpiciens Ithacum, cœtúque nouiſſimus exit.
Ille quidem incepto paulùm ex ſermone remiſit,
Pauca tamen iungens at, tu tranquillus in alta
Pace mane, cariſque para connubia natis.
Quas tibi ſydereis diuarum vultibus æquas
Fors dedit. vt me olim tacitum reuerentia tangit?
His decor eſt formæ, ſpecies permixta virili.
Occurrit genitor. quid ſi Bacchæa ferentes
Orgia, Palladias aut circùm videris aras?
Et dabimus, ſi fortè nouus cunctabitur auſter.
Excipiunt cupide & tacitis ſpes addita votis.
Cætera depoſitis Lycomedis regia curis
Tranquilla ſub pace ſilet. ſed longa ſagaci
Nox Ithaco, lucémque cupit, ſomnóque grauatur.
Vix dum exhorta dies, & iam comitatus Agyrtæ
Tydides aderat, prædictáque dona ferebat.
Nec minus egreſſæ thalamis Scyriades ibant
Oſtentare choros, promiſſáque ſacra verendis
Hoſpitibus. nitet ante alias regina, coméſque
Pelides. Qualis Siculæ ſub rupibus Aetnæ
Naides Aetnæas inter Diana, feróxque
Pallas, & Elyſij lucebat ſponſa tyranni.
Iámque mouent greſſus. thyaſis Iſmenia buxus
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Euia pulſant
Terga manu, varióſque quater legere recurſus.
Tunc thyrſos paritérque leuant, paritérque reponunt,
Multiplicántque gradum. modò quo Curetes in actu,
Quóque pij Samothraces eunt. nunc obuia verſæ
Pectine Amazonio, modò quo citat orbe Lacænas.

Delia, plaudentéſque ſuis intorquet Amyclis.
Tunc vero, tunc præcipuè manifeſtus Achilles,
Nec ſeruare vices, nec iungere brachia curat.
Tunc molles greſſus, tunc aſpernatur amictus
Plus ſolito, rumpitque choros, & plurima turbat.
Sic indignantem thyrſos, acceptáque matris
Tympana, iam triſtes, ſpectabant Penthea Thebæ.
Soluuntur laudata cohors, repetúntque paterna
Limina. vbi in mediæ iamdudum ſedibus aulæ,
Munera virgineos viſus tractura locarat
Tydides: ſignum hoſpitij, pretiúmque laboris.
Hortatúrque legant, nec Rex placidiſſimus arcet.
Heu ſimplex, nimiúmque rudis, qui callida dona,
Graiorúmque dolos, variúmque ignorat Vlyſſem!
Hinc aliæ, quà ſexus iners naturáque ducit,
Aut teretes thyrſos, aut reſpondentia tentant
Tympana, gemmatis aut nectunt tempora limbis.
Arma vident, magnóque putant donata parenti.
At ferus AEacides radiantem vt comminus orbem
Cælatum pugnis ſæuis; & fortè rubentem
Bellorum maculis, acclinem & conſpicit haſtam,
Infremuit, torſitque genas, & fronte relicta
Surrexere comæ. nuſquam mandata parentis,
Nuſquam occultus amor, totóque in pectore Troia eſt.

EXTEMPLO. illico, mox eſt augurum ſermo. *templum* enim dicitur locus manu deſignatus in aëre, poſt quem factum, ilico captantur anguria.

Vt leo, materno cùm raptus ab vbere mores
Accepit, pectíque iubas, hominémque vereri
Edidicit, nulláſque rapi niſi iuſſus in iras:
Si ſemel aduerſo radiauit lumine ferrum,
It iurata fides, domitórque inimicus in illum
Prima fames, timidóque pudet ſeruiſſe magiſtro.
Vt verò acceſſit propius, lúxque æmula vultum
Reddidit, & ſimili tandem ſe vidit in auro
Horruit, erubuítque ſimul. Tunc acer Vlyſſes
Admotus lateri ſummiſſa voce. quid hæres?
Scimus ait, tu ſemiferi Chironis alumnus,

Tu cœli, pelagíque nepos. te Dorica claſsis,
Te tua ſuſpenſis expectat Græcia ſignis.
Ipſáque iam dubijs nutant tibi Pergama muris.
Eia age rumpe moras ſine perfida palleat Ida,
Et iuuet hæc audire patrem. pudeátque doloſam
Sic pro te timuiſſe Thetin. iam pectus amictu
Laxabat. cum grande tuba (ſic iuſſus Agirtes)
Inſonuit. fugiunt diſiectis vndique donis,
Implorántque patrem, commotáque prælia credunt.
Illius intactæ ceciderunt pectore veſtes.
Iam clypeus, breuiórque manu conſumitur haſta,
Mira fides, Ithacúmque humeris excedere viſus,
Ætolúmque ducem. tantùm ſubita arma, calórque
Martius, horrenda perfudit luce penates.
Immaníſque gradu, ceu protinus Hectora poſcens
Erat medius trepidante domo. Peleia virgo
Quæritur. aſt alia plangebat parte retectos
Deidamia dolos. cuius cùm grandia primùm
Lamenta, & notas accepit pectore voces,
Hæſit, & occulto virtus infracta calore eſt.
Dimittit clypeum, regíſque ad lumina verſus,
Attonitum fatis, inopináque monſtra pauentem,
Sicut erat medijs Lycomedem affatur in armis.
Me tibi care pater (dubium dimitte timorem)
Me Thetis alma dedit. te pridem tanta manebat
Gloria, quæſitum Danais tu mittis Achillem.
Gratior & magno (ſi fas dixiſſe) parente,
Et dulci Chirone mihi. ſed corda parumper
Huc aduerte libens, atque has bonus accipe voces.
Te Peleus nato ſocerum, & Thetis hoſpita iungunt,
Allegántque ſuos vtroque à ſanguine diuos.
Vnam virgineo natarum ex agmine poſcunt.
Dáſne? an nos humiles tibi, degeneréſque videmur?
Num renuis, iunge ergo manus, & concipe fœdus,
Atque ignoſce tuis. tacito nam cognita furto
Deidamia mihi. quis enim his obſtare lacertis,
Quæ potuit noſtras poſſeſſa euadere flammas?
Me luere iſta iube. pono arma, & reddo Pelaſgis,

Et maneo. quid triſte fremis? quid lumina mutas?
Iam ſocer es. natum ante pedes proiecit. & addit
Iámque auus. immitis quoties tractabitur enſis,
Turba ſumus. Tunc & Danai, per ſacra, fidémque
Hoſpitij, blandúſque precum compellat Vlyſſes.
Ille, & ſi caræ comperta iniuria natæ,
Et Thetidis mandata mouent, prodique veretur
Depoſitum tam grande deæ, tamen obuius ire
Tot metuit fatis, Argiuáque bella morari.
Fac velit: ipſam illic matrem ſpreuiſſet Achilles.
Ne tamen abnueret genero ſe iungere tali:
Vincitur. Arcanis effert pudibunda tenebris
Deidamia gradum, veniam nec protinus amens
Credit, & oppoſito genitorem placat Achille.
Mittitur Æmoniam, magnis qui Pelea factis
Impleat, & claſſem, comitéſque in prælia poſcat.
Nec non & geminas regnator Scyrius alnos
Deducit genero, viréſque excuſat Achiuis.
Tunc epulis conſumpta dies, tandémque receptum
Fœdus, & intrepidos nox conſcia iungit amantes.
Illius ante oculos noua bella, & Xanthus, & Ida,
Argolicæque rates. atque hæc iam cogitat vndas,
Aurorámque timet. cara ceruice mariti
Fuſa noui, lachrymas iam ſoluit, & occupat artus.
Aſpiciámne iterum, méque hoc in pectore ponam
Æacide? rurſúſque tuos dignabere partus?
An tumidus, Teucróſque lares. & capta reportans
Pergama, virgineæ nolis meminiſſe latebræ?
Quid precer? heu timeámne prius? quídue anxia mandem
Cui vix flere vacat? modò te nox vna dedítque,
Inuidítque mihi. thalamus hæc tempora noſtris?
Hícne eſt liber Hymen? ô dulcia furta, dolíque,
O timor. abripitur miſeræ promiſſus Achilles.
I, (neque enim tantos auſim reuocare paratus)
I, cautus, nec vana Thetim timuiſſe memento.
I felix, noſterque redi. nimis improba poſco.
Iam te ſpectabunt lachrymis, planctúque decoræ
Troades, optabúntque tuis dare colla lacertis,

PAPINII SVRCVLI STATII

ACHILLEIDOS LIBER QVINTVS Incipit.

ARGVMENTVM.

NAvigat ad Troiam Quinto fatalis Achilles
Dardaniæ: memorátque Ithacus primordia belli.
Ille ſed Oeniden vitæ morúmque docebat
Cruda rudimenta, dederat quæ ſemiuir acer,
Et Laertiaden. fluctus ſulcante carina.

EXuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitórque coruſcæ
Lucis adhuc hebetem vicina nocte leuabat
A nondum excuſſo rorantem lampada ponto.
Et iam punicea nodatum pectora palla,
Inſignémque ipſi:, quæ prima inuaſerat armis
Aeaciden (quippe aura vocat, cognataq; ſuadent
Aequora) proſpectant cuncti, iuuenémque, ducémque
Nil auſi meminiſſe, pauent. ſic omnia viſu
Mutatus redit. ceu nunquam Scyria paßus
Littora, Peliaco raptus deſcendat ab antro.
Tunc ex more deis (ita námque monebat Vlyſſes)
Aequoreis, auſtriſque litat. fluctúque ſub ipſo
Cœruleum R-gem tauro veneratur, anúmque
Nerea, vittata genitrix placata iuuenca eſt.
Hic ſpumante ſalo iaciens tumida exta profatur.

Paruimus genitrix, quamquam haud toleranda iubebas,
Paruimus nimium, bella ad Troiana, ratéſque
Argolicas quæſitus eo. ſic orſus. & alno
Inſiluit, penitúſque noto ſtridente propinquis
Abripitur terris. & iam ardua creſcere nubes
Incipit, & Scyros longè decreſcere ponto.
Turre procul ſumma, lachrymis comitata ſororum,
Confeſſúmque tenens, & habentem nomina Pyrrhum
Pendebat coniux. oculíſque in carbaſa fixis
Ibat, & ipſa fretum, & puppem iam ſola videbat.
Ille quoque obliquos dilecta ad mœnia vultus
Declinat, viduámque domum, gemitúſque relictæ
Cogitat. occultus ſub corde renaſcitur ardor,
Dátque locum virtus. ſenſit Laertius heros
Mœrentem, & placidis aggreſſus flectere dictis;
Téne (inquit) magnæ vaſtator debite Troiæ,
Quem Danaum claſſes, quem diuum oracula poſcunt,
Erectúmque manet reſerato in limine bellum,
Callida fœmineo genitrix velauit amictu?
Commiſitque vllis tam grandia furta latebris?
Sperauítque fidem? nimis ô ſuſpenſa, nimíſque
Mater, an hæc virtus tacita torperet in vmbra?
Quæ vix audito litui clangore refugit
Et Thetin, & comites, & quos ſuppreſſerat ignes.
Nec noſtrum eſt quod in arma venis, ſequeríſque precantes,
Veniſſes vltro. quem talibus occupat Heros
Æacides. longum eſt reſides exponere cauſas,
Maternúmque nefas. hoc excuſabitur enſe
Scyros, & indecores fatorum crimina cultus.
Tu potiùs dum lene fretum, Zephyríſque fruuntur
Carbaſa, quæ Danais tanti primordia belli,
Ede, libet iuſtas hinc ſumere protinus iras.
Hic Ithacus paulum repetito longius orſu.
Fertur in Hectorea (ſi talia credimus) ora
Electus formæ certamina ſoluere paſtor
Sollicitas tenuiſſe deas, nec torua Mineruæ
Ora, nec ætherei ſociam Rectoris amico
Lumine, ſed ſolam nimium vidiſſe Dionen.
Atque adeò lis iſta tuis exorta ſub antris

Concilio ſuperum. dum Pelea dulce maritat
Pelion, & noſtris iam tunc promitteris armis.
Ira quatit victas. petit exitialia iudex
Præmia. raptori faciles monſtrantur Amyclæ.
Ille Phrygos lucos, matris penetralia cædit
Turrigeræ, vetitáſque ſolo procumbere pinus
Præcipitat, terráſque freto delatus Achæas
Hoſpitis Atridæ (pudet heu, miſerétque potentis
Europæ) ſpoliat thalamos; Helenáque ſuperbus
Nauigat, & captos ad Pergama deuehit Argos.
Inde dato paſſim varias rumore per vrbes,
Vndique inexciti ſibi quiſque, & ſponte coimus
Vltores. quis enim inlicitis genialia rumpi
Pacta dolis, facilique trahi connubia raptu,
Ceu pecus, armentúmque, aut viles meſſis aceruos
Perferat? hæc etiam fortes iactura moueret.
Non tulit inſidias diuum imperioſus Agenor,
Mugitúſque ſacros, & magno numine vectam
Quæſiit Europen, aſpernatúſque Tonantem eſt
Vt generum. Raptam & Scythico de littore prolem
Non tulit AEetes, ferróque & claſſe ſecutus
Semideos reges, & ituram in ſydera puppim.
Nos Phryga ſemiuirum, portus, & littora circum
Argolica inceſta volitantem puppe feremus?
Vſque adeò nuſquam arma & equi, fretáque inuia Grais?
Quid ſi nunc aliquis patriis rapturus ab oris
Deidamian eat, patriáque à ſede reuellat
Attonitam, & magni clamantem nomen Achillis?
Illius ad capulum rediit manus, & ſimul ingens
Impulit ora rubor. tacuit contentus Vlyſſes.
Excipit Oenides, quin ô digniſſima cœli
Progenies, ritúſque tuos, elementáque prima
Indolis, & valida mox accedente iuuenta,
Quæ ſolitus laudum tibi ſemina pandere Chiron,
Virtutiſque aditus, quas membra augere per artes,
Quas animum, ſociis, multúmque fauentibus ede.
Sit pretium longas penitus quæſiſſe per vndas
Scyron, & his armis primùm intendiſſe lacertos.

Quem pigeat ſua facta loqui? tunc ille modeſtè
Inchoat, ambiguus paulum, propiórque coacto.
Dicor, & in teneris, & adhuc creſcentibus annis,
Theſſalus vt rigido ſenior me monte recepit
Non vllos ex more cibos habuiſſe, nec almis
Vberibus ſatiaſſe famem, ſed ſpiſſa leonum
Viſcera, ſemianiméſque lupæ traxiſſe medullas.
Hæc mihi prima Ceres, hæc læti munera Bacchi,
Sic dabat ille pater. mox ire per auia ſecum
Luſtra, gradu maiore trahens, viſiſque docebat
Arridere feris. nec fracta ruentibus vndis
Saxa, nec ad vaſtæ trepidare ſilentia ſyluæ.
Iam tunc haſta manu, iam tunc ceruice pharetræ,
Et ferri properatus amor, duratáque multo
Sole, gelúque cutis. tenero nec fluxa cubili
Membra, ſed ingenti ſaxum commune magiſtro.
Vix mihi biſſenos annorum torſerat orbes
Vita rudis volucres cùm iam præuertere ceruos,
Et Lapithas cogebat equo. præmiſſáque curſu
Tela ſequi. ſæpe ipſe gradu me præpete Chiron,
Dum velox ætas campis admiſſus agebat
Omnibus, exhauſtúmque vago per gramina paſſu
Laudabat gaudens, méque in ſua colla leuabat.
Sæpe etiam primo fluuij torpore iubebat
Ire ſuper, glaciémque leui non frangere planta
Hoc puerile decus. quid nunc tibi prælia dicam
Syluarum? & vacuos ſæuo iam murmure ſaltus?
Nunquam ille imbelles Oſſæa per auia Lynces
Sectari, aut timidos paſſus me cuſpide Damas
Sternere, ſed triſtes turbare cubilibus Vrſas.
Fulmineóſque Sues, & ſicubi maxima Tigris.
Aut ſubducta iugis fœtæ ſpelunca Leænæ.
Ipſe ſedens vaſto facta expectabat ab antro,
Si ſparſus magno remearem ſanguine, nec me
Ante niſi inſpectis admiſit ad oſcula telis.
Iámque & ad enſiferos vicina pube tumultus
Aptabar, nec me vlla feri Mauortis imago
Præteriit. didici quo Pæones arma rotatu.

Quo Macetæ ſua geſta citent, quo turbine contum
Sauromates, falcémque Getes, arcúmque Gelonus
Tenderet, & flexæ balearicus actor habenæ
Quo ſuſpenſa trahens libraret vulnera tractu,
Incluſum quoties diſtringeret aëra gyro.
Vix memorem cunctos (& ſi modò geſſimus actus)
Nunc docet ingenti ſaltu me iungere foſſas,
Nunc caput aërij ſcandentem prendere montis
Quo fugitur per plana gradu. ſimulachráque pugnæ
Excipere immiſſos curuato vmbone molares.
Ardentéſque intrare caſas, peditémque volantes
Siſtere quadriiugos. memini, rapidiſſimus ibat
Imbribus aſſiduus paſtus, niuibúſque ſolutis
Sperchios, vulſáſque trabes, & ſaxa ferebat
Cùm me ille immiſſum, quà ſæuior impetus vndæ,
Stare iubet contra, tumidóſque repellere fluctus.
Quos vix ipſe gradu toties obſtante tuliſſet.
Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis,
Et latæ caligo viæ. ferus ille minari
Deſuper incumbens, verbíſque vrgere pudorem.
Nec niſi iuſſus abij. ſic me ſublimis agebat
Gloria, nec duri tanto ſub teſte labores.
Iam procul Oebalios in nubila condere diſcos
Et liquidam nudare Palen, & ſpargere cæſtus
Ludus erat, requiéſque mihi. nec maior in iſtis
Sudor, Apollineo quàm fila ſonantia plectro
Cùm quaterem, priſcóſque virûm mirarer honores.
Quinetiam ſuccos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius ſtaret medicamine ſanguis,
Quid faciat ſomnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibenda lues, quæ cæderet herbis
Edocuit, monitúſque ſacræ ſub pectore fixit
Iuſtitiæ, qua Peliacis dare iura verenda
Gentibus, atque ſuos ſolitus pacare biformes.
Hactenus annorum comites elementa meorum
Et memini, & meminiſſe iuuat. ſcit cætera Mater.
Aura ſilet, puppis currens ad littora venit.

PAPINII SVRCVLI STATII ACHILLEIDOS
LIB. V. EXPLICIT.

DE PAPINIO SVRCVLO STATIO EX VETERIBVS LIBRIS.

QVÆRITVR quo tempore fuerit iſte Statius, ſed conſtat veraciter fuiſſe eum temporibus Veſpaſiani Imp. & perueniſſe vſque ad imperium Domitiani, fratris Titij; qui etiam Titus iunior dictus eſt. Si quis autem vnde fuerit quærat, inuenitur fuiſſe Tholoſenſis, quæ ciuitas Galliæ eſt, ideóque in Gallia celeberrimè docuit Rhetoricam; ſed poſtea veniens Romam, ad poëtriam ſe tranſtulit. Fuit enim nobili ortus proſapia, clarus ingenio, & doctus eloquio. cuius Iuuenal. ſic meminit.

Curritur ad vocem iucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam dum fecit Statius vrbem,
Promiſitque diem; tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantáque libidine vulgi
Auditur. ſed cum fregit ſubſellia verſu
Eſurit, intactam Paridi ni vendat Agauen.

Scripſit autem Thebaiden ſupra taxati Imperatoris tempore. Eſt verò Thebais fœmininum patronimicum, ſicut Æneis, & Theſeis. Dictus fuit proprio nomine Statius, Papinius cognomine, Surculus agnomine.

HACTENVS vetus codex. in quo tametſi non exacte vita illius deſcribatur, libuit tamen apponere, vt appareat cuiatis nam olim arbitratus ſit, quem recentiores quidam Neapolitanum faciunt, inducti potiſſimùm verbis Papinij, ex Epiſtola lib. iij. & Ecloga ad vxorem. non ſanè abſque colore veritatis. Porrò Scholiaſt. Iuuen. ad illos verſus. *Lætam cum fecit Statius vrbem,* ſic ait *Lætam ideò, quòd libenter audiebatur; Eſt enim & poëma ipſud delectabile, & ipſe dicitur bonam vocem habuiſſe.*

D. Hieronym. in append. ad Chronicon Euſebij.

STATIVS Surculus Tholoſanus in Gallia celeberrimè Rhetoricam docet, Olymp. 200. ANN. 59. Imp. Nerone.

C. Sollius Apollinaris Sidonius ad Magnum Felicem Carm. V.

Non quod Papinius tuus, meúſque,
Inter Labdacios ſonat furores,
Tunc cum fortè pedum minore rythmo
Pingit gemmea prata ſiluularum.

Idem. Carm. XXII.

Si qvis autem carmen prolixius eatenus duxerit eſſe culpandum, quod Epigrammatis exceſſerit paucitatem, iſtum liquido patet, neque Balnea Hetruſci, neque Herculem Surrentinum, neque Cunas Flauij Sabini, neque Tibur Vopiſci, neque omnino quicquam ex Papinij noſtri Siluulis lectitaſſe, quas omnes deſcriptiones vir ille præiudicatiſſimus, non diſtichorum aut tetraſtichorum ſtringit anguſtiis, ſed potius vt Lyricus Flaccus in artis poëticæ volumine pręcepit, multis eiſdémque purpureis locorum floſculis, primas ſæpe inchoatas materias decenter extendit.

Claudius Mamertinus Viennenſis Galliar. Epiſcopus de ſtatu animæ. lib. 1.

Non poëticè, ſed philoſophicè Papinius ait. *Odi artus fragilémque hunc corporis vſum Deſertorē animi.*

Chronicon Mſ. apud S. Victoris Lutetiæ.

Romanorvm vi. regnauit Nero &c. Statius Vrſulus Tholoſenſis celeberrimè in Gallia Rhetoricam docet.

Vrsvlvm hunc noſtrum autorem dictum non credo, ſed ex ſcriptoris vitium puto, qualia pluria in iſto autore deprehendi, tamen ne & huius autoritas deeſſet, hæc qualia qualia adiungenda : at quotiens à Seruio, Macrobio, Priſciano citetur, ſuperuacuum notare duxi.

OBSERVATIONES VARIARVM LECTIONVM IN PAPINII SVRCVLI STATII SILVARVM LIB. PRIMVM.

PAPINII SVRCVLI STATII.] Ita pleráq; mſs.vulg. P. STATII PAPINII. in Puteano, STATIVS. poëta, nullo porro addito nomine, vocatur. Variat exemplar V. Cl. doctiſſimíque Nic. Fabri, in quo PAMPINEVS. quod falſum puto. quemadmodum & illud, quod in vno P. Petauii Conſ. Regii. vbi PAPINIVS SVRCVLVS legitur: ſimili errore, quo in ms. chronico, VRSVLVS. Vrſorum & Vrſulorum familiæ in antiquis monumentis mentio: tamen rectius, meo iudicio, vt edidi.

IN EPISTOLAM AD STELLAM.

De ſinu meo prodiſſent.] τὸ *prodiſſent*, à Chalderino additum eſt, ideóque diuerſimode editum, vt & illud modico-poſt. *oportet huius.*

CCLXXII] Deſiderabatur iſte numerus, ſed Chalderinus adiecit.

IN EQVVM MAXIMVM.

Pag. 3. *Moles geminata*] Intelligunt de equo & ſeſſore. al'. *gemmata*, id eſt, ſplendida, quaſi ex lapide porphyretico facta. vt Capitolin. in vero, *Fuit decorus corpore, vultu gemmatus.*

Non amplius armu] v. *altius.* idque magis placet.

Pag. 4. Ceu ſtimulis *accendat*] v. *accendit.*

Pater ipſe teneres.] ſcr. *teneret.*

Inſeßáque pondere tanto] Ita v. al' *inſeſſa.* *Infeſſa*, id eſt, defeſſa. vt *impotens*, admodum potens.

Sed Genio] v. ſub genio.

Nec longa traxere] v. *longe.*

Pag. 5. *Famoſúſque lacus*] v. *famosique.*

Hunc & ſub nocte] v. *Hoc.*

Senior Iouis] Non diſplicet aliorum lectio. *ſector Iouis.*

Pag. 6. *Ora tonans*] v. *ora Tarat.*

IN EPITHALAMION STELLÆ.

Æneia ducis] al. *ducis.*

Violis modo lilia] v. *mollis.*

Pag. 7. *Ille ſolutus amor*] v. *ſalutis.* quod ſequitur, *fabula vulgi.* dictum vt à Quintilian. Declam. CCCI. *Non ſum quidem locuples, ſed quotus quiſque inops cenſu, ſed integer crimine, ſine fabula.* Ita & à Iuuenal. vſurpatur.

Pone ô dulcis ſuſpiria vatum, Pone tua eſt;] Ita diſtinguendum.

Amplexu tandem ſatiare potito] al'. *petito.*

Sediſſes hæc dona] v. *veniſſes.*

Lumina virga] Operarum error eſt; ſcrib. *limina.* Ceterum de hoc ritu inuenies apud D. Chryſoſtomum in Paul. Epiſt.

Pag. 8. *quemcunque hominum*] v. *quecunque.*

Iuſſi ſperare] v. *iuſſu.*

Natanti preluſi] placet hæc lectio, nec quidquam mutandum autumo.

Haud heſterna] v. *aut extrema.* poſſet legi, *externa.* ſed interpretari ſatius *haud heſterna*, vt Græci οὐκ χθὲς ἢ, πρώην. deſcribit aut aliorum amores, aut proprios: id eſt, in ſe iam longo tempore con-

torta

torta Cupidinis ſpicula.
Pag. 9. *Falſas hunc pennas*] al. *falſat.*
Sape neget mærens] v. *ſede.*
Pag.10. *Gemmiſo temone*] v. *Germano.*
Robora Dalmatio] al. *Dalmatico.*
Sola reclinem affata] al. *reclinem.* ſed malè. ſ. p.12. *poſte reclinis.*
Cybeleia nouit] v. *Cybelia.*
Pag. 11. *Raptor erat*] v. *Raptorem.*
Prahendiſti portus] v. *Prendiſti.*
Pag.12. *Minoa ciuem*] v. *Minoia.*
Socialia praſto Omina] v. *omnia.*
Poſte reciſinis] al. *reclinis.* ſimilem errorem notaui. ſ. p. 10.
Coo plaudente] al. *choro.*
Pag.13. *Conſurgit ad athera*] ſo. *conſurget.*
Ne ſtantia ledas] v. *ladat.*

IN TIBVRTINVM MANLII.

Certantéſque ſibi] v. *Certantíſque.* ἀρχαΐ.
Ipſa manu tenera] Coniicio legendum. *Viſa manu tenera tectum ſcripſiſſe voluptas: Tum Venus. &c.*
Vetuit diſcedere nates] v. *deſcendere.*
Pag. 14. *Sic Chalcida fluctus expellunt flaui*] magis intelligi puto ſi legatur, —*expellunt reflui.*
Pag.15. *ſuberántque nouis aſarota*] fr. *ſuperántque* quod tamen trepidè affirmo.
Diſtantia tecta trichoris] v. *ſecta.* male. de *trichoris* Papias in Gloſſario. *Tricora, tres cameras ſiue abſidas.* Idem *Tricorum eſt locus vbi prandetur iuxta ignem.* Spartian. in Peſcenn. Nigro. *Domus eius hodie Roma viſitur, qua appellatur Peſcenniana, in qua ſimulachrum eius in trichoro conſtituit, ſtatim poſt annum, ex Thebaico marmore.*
Et nunc ignaro] Melius al. *Et nunc ignara.*
Anienus fonte] v. *Anieni* : al. *Aniene in fonte.*
Illa recubat Tiberinus in vmbra] In Vet. rectius, *Tiburnus.*
Lucrinaque domus] v. *Luciniaque.*
Pag. 16. *Siue chelyn tollis*] rectiùs *tollas.*
Seb lua non alta] Certo certiùs legendum. *non alta.*

IN SOTERIA PRO RVTILIO GALLICO.

Ioniq́ue conciliata] Non admodum probo, quod monuerunt me alii, qui ἀντὶ τοῦ *conciliata*, *conſiliata* legendum cenſent.
Es cælo, dis es] v. al. *diues.* ſo. *Es cælo diuis.*
Pag. 17. *Noſtéique ex ordine*] v. *noſtéque.*
Carmine tantum] al. *cantus.*
Largos potius mihi] Lego ex coniectura V. Cl. Nicol. Fabri. *potior mihi.*
Sic miti reuerentia] al. *mixto.*
Pag. 18. *progreſſuſque morans*] fr. *morae.*
Laudabis Iupiter artes] al. *laudauit.*
Virtus illi,] al. *illa.*
Quoque clarus] v. *quaque.*
Ipſe palam læta] al. *lacera.*
Pag. 19. *omne benigne*] ſo. *benignum.*
Nectite] v. *Netite.* & ita verſu inſequenti.

IN BALNEVM ETRVSCI.

Pag. 20. *Tegeus honore*] al. *Tegee ſonore.*
Cunctantémque intende] v. *incende.*
Auertite vultus] v. *à vertice.*
Crebexuidos arida] v. *Crebenidos.*
Pag. 21. *Quáſque Tyrus.*] v. *Tyri.*
Viridis cum regula longo] v. *viridi cum regula longa.*
Synada diſtinctu] v. *diſtinctum.*

IN KAL. DECEMBR.

Pag.22. *ebriámque pando*] Ita v. al. *partem*, quod interpretari de parte diei ciuilis poſſumus: id eſt, de vltimis ſex horis ad primam noctis. quod equidem verius puto.
Eboſia caunas] v. *Eboſita.*
Molles gaioli, laguncúlique] v. *caſeoli.* quo interim vti poſſumus, donec melius quid excogitetur. nec malè caſeoli lucunculis (Turnebi emendationem ſequor) & muſtaceis iunguntur.
Pragnantes cariotides] v. *pragrandes.*
Libertas reuerentiam] v. *Libertus.*
Et pugnas cupit] al. *capit.*
Breui ſtatu peracto] v. *ſtatim peracto.*
Qua manu minantur] v. *quam.*
Diues Sparſio] v. *Spaſio.*
Faciles emi puella] v. *Hemi.* de hiſce puellis vide Iuſtiniani Imp. Nouell. cv. cap. 1.
Pag. 24. *Gaudent dum*] v. *laudant.*

OBSERVAT. VARIARVM LECT. IN LIB. SECVNDVM.

IN EPISTOLAM AD MELIOREM.

PAg. 26. *cariſſima vxorum*] v. *clariſſima*. *Conſecraremus*] v. *Conſideraremus*.

IN EPICEDION IN GLAVCIAM.

Pag. 27. *Plorantémque*] Verius putem ſi legatur, *ploratámque*.

Plango lyra, & diri] v. *aſ. ig. ab.*

Pag. 28. *ipſo reuocabit ad oſcula poſte*] v. *ipſos r. a. o. poſtes*,

Pag. 29. *tuba cataſtæ*] al. *verna*.

Natos genuiſſe neceſſe eſt, at legiſſe iuuat] v. *fleuiſſe*. quod ne titiuillitii quidem eſt. Ceterum imitatus eſt Papinium Auſon. in Nerua.

Nulla viro ſoboles, imitatur adoptio prolem,
Quam legiſſe iuuat, quam genuiſſe velit.

Spectabat Aceſtes] v. *Aretes*.

Perſea Dictys.] al. *Preſea*.

Pag. 30. *Orſa Menandri*] Similiter Auſon. Protrept. ad Nepot.

Conditor Iliados, & amabilis orſa Menandri
Euoluenda tibi ——

Ipſe pater ſenſus] Placuit olim emendatio iſta. *pater cenſus*. id eſt, ipſe ἐπιστάτης & cenſor muſici huius certaminis. ſed veteres ita locutos nuſquam me legiſſe memini. Fortaſſe ergo dictum *pater ſenſus*, vt J. *ipſe pater veri*.

Breuibus conſtringere lanis] Nihil arbitror mutandum. *Lana* togæ genus. vnde in Gloſſis Iſidori. *Lana, toga duplex, veſtis regia*.

Pag. 31. *Fleſſet miſſurus*] v. *eſſet*.

Verba relinquit] al. *reliquit*.

Thorus aggere] al. *rogus*.

Palam eſt, vidique] al. *vbique*.

Succendere cenſus] al. *ſenſus*.

Deſertas exeſus] v. *exutus*.

Pag. 32. *trux nauita*] v. *Dux*.

Pag. 33. *Qua potes*] al. *qui*.

IN SVRRENTINVM POLLII.

Pag. 34. *Felicia rura tuetur Alcides*] Vt Ceres prædiis tutelare numen, teſte Plinio lib. 9. Ep. ad Muſtium. Priapus hortis, ſic Hercules agris. Inde & *Hercules Ruſticus* dictus; cui collegium & ſacerdotium Romæ inſtitutum, aliorum Deorum ritu. Lamprid. in Commod. Antonino. *Habuit & hominem pene prominente vltra modum animalium, quem Onon appellabat, ſibi chariſſimum, quem & ditauit, & ſacerdotio Herculis Ruſtici præpoſuit.* Accommodate ad rem de qua hic agitur. Ruber enim iſte hortorum Deus cum aſino de membri pondere certans, ſuperiorque exiſtens, ob neſcio quæ beneficia hortis præpoſitus: ſic Commodus Imp. hominem tam bene vaſatum, quem Onon appellauit reſpiciens ad Aſinum Priapi, Herculis ſacerdotio honorauit. nam vt ſuſpicari licet, Hercules eadem de cauſa agris datus, qua Priapus hortis: nec ſolum agris, ſed & ſiluis, vnde & HERCVLES SILVANVS in veteribus monumentis appellatur.

hic victa] v. *his*.

manſueuit in vſus] v. *manſueſcit*.

Pag. 35. *Si quid Appellei*] v. *Pellei*.

Euplea] ſcrib. *Euplœa*.

Delecta metallis] al. *defecta*.

Pag. 36. *Blanda Therapnai.*] v. *Theramnai*.

Hic ſeu ſid] v. *tibi*.

Huc leuis] al. *Hinc*.

& motis] al. *hinc motis*.

Tunc rabidi] v. *rapidi*.

Troica & Euphrate] Concinnius puto ſi legatur. *Troica & Euphrate, & ſupra d. ſ.*

Duas veherere] v. *tuas*.

Pag. 37 *& docta fruendi*] al. *ſed*.

decuit concordia] v. *docuit*.

IN ARBOREM ATEDII.

Melioris opacet] v. *opaca*.

Non hirtos greſſus] v. *hircos*.

Tam demum] al. *ibi demum*.

Pag. 38. *Immitem Bromium*] placet, vt emendat vir magni nominis. *Imm. Brimo*.

Decliuis ama, preme. f.] fr. [*declinis. preme* hic eſt κχλὺπτε. Vt Virgil. *canitiem galea premimus.* & apud Curtium. *Niues premunt terram.*

Pag. 39. *dulcia limes*] v. *lira es.*

Et ſecreta palam] v. *ſatiare.*

Condere diuitias] v. *Comere.*

Vincere perſta] v. *præſtat.*

IN PSITTACVM MELIORIS.

Pag. 40. *gramine plumæ*] al. *germine.*

IN EPICEDION PILETI.

Pag. 41. *genis vrſe*] v. *Vſque.*

Stemmate iuncto] fr. *cuncto.*

Pag. 42. *animóſque notani*] al. *habitúſque.*

Inuitas deiecit] al. *inuiſas.*

Qualis eras] al. *erat.*

Paruóque virilis] v. *toruóque.*

Carmine quo] v. *carmina quæ donaſſe queant.*

Pag. 43. *Nectere tentabat*] v. *tendebat.*

Torſit & inuidia] Verius: *torſit, & inuidiam.*

IN GENETHLIACON LVCANI.

811. queſtibus] plantibus.
823. aſtrigeros] aſtriferos.
Ibid. axes] axis. in gloſſ. pro, axes.
834. athera] MSS. athere.
836. cluſus] clauſus.
839. inceditur] accenditur.
853. nulla] MSS. vna.
860. oppugnat] impugnat.
891. inſermante] ita in recentiori, al. inſpectante: in vetuſtiori, infeſtante. notę arithmeticæ à numero 880. ſunt denario maiores.
894. auctor] actor.
898. harmonia] MSS. hermione.
Ibid. mariti] maritum.
903. auditus] auditur.
921. iapetoa] iapetum : iaphitum.
922. inarimen] inarimen.
933. corripuit prima] corripit & prima.
937. intra ſe &c.] hic verſus cum duobus ſequentibus abſunt à MS. recentiori.
938. ſentit] quærit. porro ſupra τὸ ſtridere, in ſuperiori verſu, ſcriptum erat ſentit, vnde in textum traiectum eſt.

OBSERVAT. VARIARVM LECT.
IN ARGVM. LIB. XI. THEBAIDOS.

Verſ. 1. Tunc Capanei ardentis d. i. terrent] Tunc Capaneus ardentes d. i. terret.
2. Eumenis] Euminis.
Ibid. in] MSS. impar.
3. Tiſiphone] Teſiphone: Theſiphone.
5. agitant] MSS. agunt.
6. Ephytus] MSS. Epitus.
10. confixus vterque] MSS. confuſus vterque eſt.

OBSERVATIONES IN LIB. XI.

VErſ. 10. toruus] ſæuus.
11. illaudata] illaudanda.
22. nec iam aut hoſt. t. ferrúmue t.] MSS. nec iam ho. t. aut ferrum mortale t. abundat ſyllaba.
26. Agenoreus] Agenorius.
39. arctatur] MSS. artatur.
42. circunſtantibus] circunſtantibus.
43. alternis] MSS. alternus.
46. ab aſtris] MSS. ab alto.
47. Nemea] Nemees.
48. ſimiléſque videre] ſimiles videre.
52. receptus] receſſus.
58. Tiſiphone] MSS. Theſiphone.
Ibid. cludere] ducere. & è regione, includere.

59. *fidis*] MSS. *retur.*
68. *AEtnaeos*] *AEthereos.* al. *AEtneos.*
69. *tunc*] MSS. *tum.*
74. *tenebra*] *vmbra.*
80. *labores*] MSS. *laboris.*
84. *hoc ego*] MSS. *hac ego.*
86. *fædantem*] MSS. *fædatum.*
99. *ſtringendi*] *ſtringentur.*
131. *cælo*] MSS. *ſoli.* al. *cælo.*
132. *cælitibuſque m. ſ. ne v.*] *ſyderibuſque m. ſ. neu v.*
138. *fugáne*] *fugáns.*
153. *perfoßi in funere*] *perfoßi funere.*
154. *affatus*] MSS. *affatur.*
168. *horret*] *arcet.* tum ſubducta linea ſuperimpoſitum *horres.*
175. *ego me propter*] *egomet propter.* & ſupra τὸ *propter*, ſcriptum erat *me*, tanquam gloſſ. exſcriptoris calamo.
182. *timor*] al. *furor.*
185. *vltra eſt*] *vltra.*
191. *neges, vrnáque reponas*] MSS. *tegas, vrnámque reportes.*
195. *amus*] MSS. *hemus.*
Ibid. *Rhodope*] *Rhodopes.*
199. *Pericli*] MSS. *Perichi.* vnus primùm habuerat, *Pericli*, ſed ipſa, opinor exſcriptoris manu correctum.
200. *excluſit*] *excuſsit.*
205. *Ioui merito Tyrius*] *Iouis Tyrius merito.*
207. *atherius*] *athereus.*
208. *Tiſiphone*] MSS. *Teſiphone.*
226. *in ora*] *in ore.* correctum, *ora.*
240. *AEpytus*] *AEpitus: Ephitus.*
252. *mugitum*] *augitum.* correctum, *vagitum.*
254. *effert*] MSS. *offert.*
256. *vacca*] MSS. *valles.* In altero, al. *vacca.*
276. *deeſt. ſeruitio*] *iam deeſt ſ.*
Ibid. *egentes*] al. *egenos.*
278. *ardua*] al. *anxia.*
289. *primitiis ararum &*] MSS. *p. armorum &c.*
290. *AEmon*] MSS. *hemon.* ita vbique.
291. *hic*] *hinc.*
296. *audis*] al. *audet.*
301. *tacet*] MSS. *latet.*
314. *ille*] MSS. *ipſe.*
315. *primum*] MSS. *primam.*
317. *comas*] MSS. *comam.*
320. *allatura*] *ablatura.*
336. *alternos*] *alternus.* atque ita correctum, in altero antiquiore, perueteri atramento.
345. *Erinnyas*] *Erinadas: Erinas.*
364. *aſpice turrim*] MSS. *reſpice turriem.*
382. *elangueſcere*] *liqueſcere.*
388. *Etheoclea*] *Ethiocla.*
391. *regum*] *regni.* al. *regum.*
395. *hac fædera*] *& f.*
401. *&*] *ac.*
404. *mouétque*] MSS. *regitque.*
426. *medias*] MSS. *mediis.*
Ibid. *habenas*] *habenis.*
428. *non*] MSS. *nec.*
429. *externos*] al. *alternos.*
439. *vt periiſſe*] *vtque periiſſe.*
442. *monentem*] ſic in libris ſcriptis ſi ſineret correctorum audacia, quæ in altero ſuppoſuit, *morantem.*
453. *miſerabile*] MSS. *venerabile.*
468. *dirique*] MSS. *diraque.*
469. *vacarent*] *vacabant.*
470. *in*] *&c.*
471. *auxilium*] MSS. *auxilio.*
483. *Tiſiphone*] MSS. *Teſiphone.* ſic paſſim.
490. *erat*] MSS. *arat.*
503. *ſubit*] *ſubiit.*
508. *minor*] *memor.*
515. *eſſe*] MSS. *ille.*
521. *tonſas*] *tonſos.*
532. *tremunt*] al. *micant.*
Ibid. *lunatáque*] *lauiatáque.* al. *lunatáque.*
536. *peractum*] *peractum eſt.*
542. *germani in corpore*] *germani corpore.*
545. *turbatus*] *turbatos.* interpolatus poſtremis literis.
547. *increpat, hoſtis Quo*] *increpat hoſtem, Quo: increpat hoſtis, Quo.*
553. *poterántque*] *poterátque.*
557. *an irr.*] MSS. *non irr.*
563. *vltricémque animam*] MSS. *vltrices a.*
567. *fati*] *fratri.*
572. *Qua*] *Qui*: in altero recentiori, litera poſtrema ita interpolata eſt vt ignoretur.
588. *manes pigri*] *nigri manes.*
600. *inſternis*] *inſtrauit.*
604. *muta*] MSS. *multa.*
609. *iam molles*] *in molles.*
641. *lectus*] MSS. *pectus.* al. *lectus.*
647. *legebat*] al. *ligabat.*
656. *malè ſuadus*] *malè ſuaſus.*
658. *regiménque*] *regnumque.*
668. *mox r. i. r. cacumque audentius b.*] *ſed r. i. r. cacum audacius h.*
677. *vacat*] *vocat.* expuncta litera *a*, relictum *vocet*: cum his *gloſſ. i. deſi-*

derat: alias eſt vacat. i. tempus eſt-ne iam ſauendi.

682. *tua*] *tibi.*

697. *ne non*] *nec non.*

701. *hic*] *hunc.*

714. *ferues*] MSS. *feruet.*

721. *& iura petentibus*] *iura & poſcentibus: & iura potentibus.*

728. *flebit ego er.ctum*] *flebit & erectum.*

737. *meſtíque*] *meſtóſque.*

OBSERVAT. VARIARVM LECT.
IN ARGVM. LIB. XII. THEBAIDOS.

Verſ.1. *Poſtquam alterno*]ſic MSS.lege *alterno poſtquam.*

4. *membra*] *ora.*

5. *Argia*] MSS. *Argiua.*

6. *Etheoclis*] MSS. *Ethioclis.*

8. *ſuccenſúſque*] *ſubcenſúſque.*

10. *optat vocátque*] *optátque vocátque.*

OBSERVATIONES IN LIB. XII.

VErſ. 3. *vbi iam*] MSS. *ſubito.*

15. *proſpicue*] MSS. *perſpicue.*

20. *turma*] MSS. *turba.*

30. *ſcapulis*] MSS. *capulis.*

32. *parato*] *peracto.*

37. *calcéntue*] *calcéntque.*

43. *atheria*] MSS. *atherea.*

52. *Theumeſia*] *Theumeſi.* in altera membrana ſcriptum *Theumeſie*, recenti opera, in lituris ignotis.

69. *fortis*] *fortes.*

72. *magnanima nimius te*] MSS. *magnanimus tante te.*

86. *Oedipoda*] MSS. *Oedipodi.*

89. *ſuperba*] *ſuperne.*

100. *iterumque & dico ſuprema*]*iterum dicóq; ſ.*

129. *è lucis*] MSS. *& l.*

132. *Eleuſin*] reſcriptum *Eleuſis.*

137. *refouendi*] MSS. *fouendi.*

140. *néue ante*] MSS. *non ante.*

141. *hianti*] MSS. *inani.*

155. *Buſiridos*] *Buſiridis.*

156. *Odriſiíque*] *Otriſiique.*

162. *abſenséſque animas*] *abſentes animas.*

164. *triumpho*] ita ſupraſcriptum, in textu autem ſepulcro.

168. *gelati*] MSS. *notati.*

171. *turbatur*] MSS. *turbatus.*

177. *honorem*] *amorem*, itáque correctum in ſecundo.

180. *regni*] ita in antiquo MS. ſed ſuppoſuit aliquis, *regis.*

199. *fui*] MSS. *fui.*

207. *affert*] *aufert.* ſubdititium, nam prius exſcriptum, *affert.*

212. *& vncis*] recentior ſtilus induxit, *aduncis.*

222. *nec corde nec ore*] *nil corde nec aure: nil. c. nil aure.*

225. *pinigeri*] *piniferi.*

232. *per & inuia*] *petit inuia.*

235. *vadit*] *ruit.*

237. *Menœtem*] *Menecem.*

240. *quoties*] MSS. *quotiens.*

246. *laboris*] MSS. *doloris.* in vtróque correctum, *laboris.*

247. *ſepulchri*] *ſepulchris.*

261. *& funera*] *in funera.*

314. *mœret*] al. *humet.*

328. *ago*] *agam.* priùs fuerat ſcriptum *ago*, ſed idem correxit qui ſcripſerat.

332. *Antigone*] *Antigones.*

372. *retexit*] *reſoluit.*

384. *ten'*] MSS. *téne.*

388. *fruuntur*] *feruntur.* correctum tamen, & expunctis prioribus literis repoſitum *fruuntur.*

398. *ſublimis*] ita correctum in lib.rec.cum anteà legeretur *ſublimem*: contrà in vet. vbi primùm *ſublimis*, repoſitum, *ſublimem*, atramento etiamnunc fluente.

410. *qui*] *qua.*

419. *foueis*] *foliis.*

424. *viuere*] MSS. *aduiuere.*

427. *ſit*] MSS. *ſed.*

430. *buſtis*] *buſto.*

432. *alternóſque*] *alternique.* ſcriptum in veſtigiis literarum extinctarum, noua correctione.

438. *vmbras*] MSS. *vmbra.*

439. *ſeminuſtáque*] MSS. *ſemuſtáque.*

456. *ambitur*] MSS. *ambigitur.*

463. *trahebant*] *trahuntur.* in antiquiſſ·

gloſſ. *ab illis* quæ germana cùm lectio, tùm interpretatio eſt.

474. *ſed*] MSS. *ſe.*

475. *plangant*] *plangunt.*

478. *queruntur*] al. *loquuntur.*

494. *dea*] MSS. *dei.*

501. *ritúque*] MSS. *ritúſque.*

527. *gemmis*] ita in margine vet. c. in textu autem, *flammis*: ſubſtratis punctulis: neſcio an exſcriptoris manu.

529. *ſexúmue*] *ſexúmque.*

540. *infeſtis*] *obſeſſis.* in litura, ſed non alieno ſtilo. in altero cod. ambigua ſcriptura eſt, ita enim exaratæ literæ, vt, &, *inſeſſu*, & *infeſtu*, legere liceat.

550. *vtinam fortes*] *vtinam &* *f.*

551. *opus emendare penates*] *opus eſt mandare nepotes.* reſcriptum, *emendare*: interpolata dictione.

556. *omnes*] MSS. *homines.*

Ibid. *eadémque ſydera*] *eadémque in ſidera*: *eadem in ſidera.*

576. *Sinin*] *Buſirim.* quæ dictio cum omiſſa fuiſſet, bis in margine adſcripta eſt. in alt. c. ſcripta eſt in regione gloſſ. expuncta dictione, *Sinonem*, quæ in contextu locum occupauerat. omnia eâdem operâ.

577. *crematum*] *cremari.* poſtremis literis reſcriptis.

578. *Tanai*] *Tanan*: *Tanain.*

596. *verse adeo huc*] *verte hunc adeo*: *verte hinc adeo.*

Ibid. *Phlegeu*] *Flegeu*: *Pegeu.*

615. *gelidum Braurona*] *gelidam Baurona.*

616. *Munichia e. t. ſ. Pyraea*] MSS. *Monicia e. t. ſ. Pireia.*

621. *Lycabetos oliua*] MSS. *Lycabeſos oliue.*

622. *Ileus*] MSS. *Aleus.*

626. *Creſia*] *Cræſia*: *Creſcia.*

627. *Salamis*] *Salanus.*

631. *Geticos ripis*] MSS. *ripis Geticos.*

644. *Cæptis*] MSS. *Ceptibus.*

657. *mutat. & innumeris*] *atterit innumeris.*

675. *metuendáque quondam*] *metuentia q.*

681. *deſtituunt*] ſic in vtroque libro ſcripto: lituræ tamen in vtroque, vſque adeo vt in altero inſcriptum fuerit, *deſpicimus*: in alterius margine *aſpicimus.*

Ibid. *Phlegeus*] *Phegeus*: *Pegeus.*

692. *dixit*] MSS. *duxit.*

703. *ceſſit*] MSS. *ceſſat.* in quorum altero deleta litera *a*, ſuppoſita *i*, *vt fieret ceſſit.*

718. *aut*] MSS. *ac.*

720. *gentes*] *mentes.* & ſuperiùs ſcriptum *gentes.*

725. *ſanguine*] *puluere.* obliterata dictione *ſanguine*, quæ primùm exſcripta fuerat: eodem ſtilo omnia.

737. *facilem d. d. cruorem*] *faciles d. d. cruores.*

741. *Thamirímque*] cum ſic legeretur in recenti MS. ſuppoſuit corrector *Thamirimque.* in vetere *Thamarimque.*

Ibid. *pharetra*] MSS. *pharetra.*

745. *Phileus*] *Peleus.*

747. *amona*] MSS. *hemona.*

750. *tranſiit*] *tranſilit.*

751. *terrore*] *temone*: *tenore*, correctum *temone*, æquæuis litteris.

758. *ille timet*] *ille tenet*, correctum nuper & inductum *timet.* in vetere, *ipſe tenet.*

763. *quique furentem*] hæc erant penitus obliterata in antiquiore c. ſuppleuit recens manus, *quoque furentem.* in recentiore poſtrema litera τῦ *furentem* ſubditia eſt.

765. *bellum præceps amentia*] *præceps bellum dementia.*

770. *ſuperbo*] *ſupremo.* & è regione *ſuperbo.*

775. *iterant*] al. *vetant.* al. *neclunt.*

784. *ſuccedere*] *ſuccurrere.* al. *ſuccedere.*

805. *clamet*] *clamat.*

808. *iſta*] *iſte.* repoſitum, *iſta.*

EXPLICIT.

DOMITIVS CALDERINVS AVGVSTINO MAFEO.

VAtes & perantiquos eſſe, & natura duce (qua vna vigent hoc furoris genere, quod poſtea in poëma redactũ eſt) ſemper caluiſſe, tam crediderim, quàm certum id eſſe vel à maioribus accepimus, vel ſpiritum hunc vitalem omnibus ſæculis humanos animos incẽdiſſe cognoſcimus. Sed qui primus carmen per furorem effuderit (vt de Apollinis oraculo taceam, vnde id manaſſe Plinius in naturali hiſtoria tradit) Pauſanias rerum Græcarum ſcriptor & indagator diligentiſſimus, non ſatis conſtitutum habet. modò enim Phemonoem primam carmen Heroicum cecíniſſe, antiquitatis fidem ſecutus arbitratur: modò verſum affert, quo Bœo vates Parnaſſia, Olena quendam primum extitiſſe poëtam enunciat in Phocicis.

ἔνθα τοι εὔμνηστον χρηστήριον ἐκτελέσαντο
Παῖδες Ὑπερβορέων Παγασὸς καὶ δῖος Ἀγυιεύς.

Illud certè planè videmus, poſtquam hoc vaticinij genus in numeros ſeſe collegit, tam apud græcos quàm apud nos varias poëmatum & formas & appellationes extitiſſe. Hinc Heroici, Elegi, Lyrici, Epici, Comici, Tragici, Mimi, Satyri. qui omnes ita demum ſunt nuncupati, cum poëma iuſtum & perfectum complexi ſunt. Quum verò furoris vis nonnihil aliquando ſibi indulgeret, & ſubito cuidam calori inſeruiret (quem tamen ad exitum alicuius operis non producebat: ſed multis verſibus effuſis vela illa tumida ingenii, ſuo vento deſtituta flacceſcebant) excogitatum eſt huius ſcriptionis nomen, vt Sylua appellaretur. Sylua quidem materia eſt vnde argumenta deducuntur. græcis ὕλη dicta: quam alij ὑπόθεσιν nominarunt, vt Fabius refert. Sylua item res multas temerè congeſtas ſignificat. vt illud Cornelij: Probus reliquit non medioerem Syluam obſeruationum ſermonis antiqui. Denique Sylua eſt hoc quod dicimus ſcriptionis genus: quod. ſ. calore quodam ingenij & velocitate decurritur: de quo Fabius ita ſcribit. Diuerſum eſt huic eorum vitium, qui primum decurrere per materiam ſtilo quàm velociſſimo volunt: & ſequentes calorem atque impetum, ex tempore ſcribunt qui Syluam vocant: repetunt deinde & componunt quæ effuderant. Sed verba emendantur, & numeri manent rebus temerè congeſtis. In hoc Papinius ſolus è noſtris poëtis verſatus eſt, tanta ingenij fœlicitate, vt Thebaiden quam emendauit, hoc vno opuſculo ſententiarum grauitate: rerum copia, carminis elegantia longè ſuperarit. Nam vt poſſum coniicere, acres & vehementes erant ingenij illius impetus, qui ſubitò feruebant, neque vltra verſuum, quibus vnaquæque Sylua abſoluitur, numerum, excitatum retinebant calorem: vt quæ breuiter caneret: ſuppeditaret natura: quæ tentaret longiora, concineret ars, & naturæ deficienti opem ferret. neque in his illud diuinum appareat, quòd in breuioribus ſeſe agebat. Noune & in vna Achilleide ita ſurgit, vt illic multo ſublimius ferri videatur, quàm quò potuerit

tota Thebaide peruenire. Nimium verum eſt quod Homerus ſcribit : non omnia vni deos dediſſe. Quid, quod & ipſe ingenuè fatetur ſe in his Syluis relaxare ſolitũ eſſe animum, quotiens vel in Thebaide feſſus eſſet, vel curarum tædio augeretur? Ad hoc profectò natus erat. & quoniam natura totum fermè hoc operis præſtabat: ipſe laboris ſentiebat nihil quo vrgebatur, cum in Thebaide, natura ceſſante, artis præſidium conquireret. Neque ignorauit laudem ſuam hoc opuſculo fore apud poſteros illuſtriorem. nam Syluas quas ipſe libellos appellat, diuerſis & temporibus & argumentis emiſſas in volumina redegit. ex quibus quinque tantum peruenerunt ad nos: & ea quidem mutilata temporum & vetuſtatis diuturnitate. ea nos & colligere diſperſa & lacerata reſarcire tentauimus. In quo quàm vel diligenter vel fœliciter laborauerim, tuum erit & aliorum iudicium. Primum volumen Stellæ poëtæ familiariſſimo, in cuius nuptiis Syluam cecinerat : præpoſita epiſtola dicauit. in qua vt vides ſe diu deliberaſſe fatetur, an hos libellos ederet in volumen redactos, cum iam emiſſi viderentur omnes. ſingulos enim ij acceperãt, in quorum gratiam ſcripti fuerunt. Mouet eum præterea hominum opinio & expectatio. Nam cũ ita liber exierit, ſe auctorem, à quo emendationis ratio perquiratur, profiteri videbitur. Sed exemplo ſummorum poëtarum qui grauioribus operibus aliquid remiſſius præluſerunt; ipſe quoque in Thebaide ſua hoc tanquam ſurgentis furoris & iuſtæ meditationis ſimulacrũ emittit. Epiſtola genus dicendi habet breue, acutum, ſententiarum acumine interciſum : quale Plinius amauit & ſecutus eſt.

PAG. I. V. 3. QVA PARTE VOLVISTI. In eo de quo voluiſti me deliberare. nam cum hoc peteres, conſtituendum mihi fuit longa deliberatione, an tuę voluntati ſatisfacerem.

4. SVBITO CALORE. ſcilicet Ingenij. 5. FLVXERANT. nã vt ex Fabio recitauimus: qui Syluas ſcribũt, decurrũt per materiã ſtilo quàm velociſſimo ſequẽtes calorẽ atque impetũ. 6. SINGVLI. ſingulæ Syluæ, quas ſingulis dicaui & iam miſi. *Ibid.* PRODIISSENT. In aliis omnibus codicibus, quos quidẽ mihi legere contigit, huius dictionis initiũ tantum apparebat, reliquum interciderat: quod librarij quoque ipſi ſpatio relicto vbi integram dictionem eſſe oportuit, nobis planè indicauerunt. nam ita legebatur. De ſinu meo pro. congregatos. ego verò; quòd & ad ſenſum poëtæ accommodatum arbitrabar, & horum elementorum ſeriẽ ab eo dictionis initio aptè deduci intelligebam, ita ſcripſi. de ſinu meo prodiiſſent. id eſt quum iam exiuiſſent.

7. QVID ENIM OPORTET HVIVS QVOQVE. has item duas dictiones: *oportet huius* quoniã mutilata hae particula deſiderabantur in omnibus codicibus, ſuggeſſimus. nam poëta hoc innuere videtur: cũ vellet afferre cauſam quare opuſculum edere dubitaret, ſe hac potiſſimum ratione deterreri, quod nihil opus erat vt huius quoque æditionis auctorem ſe profiteretur: atque ita homines prouocaret vt ex ſe huius quoque dictionis & operis rationem perquirerent. & quod ait.

9. ONERARI. indicat ſe ſatis ponderis ſuſtinere cum in manibus habeat Thebaidem grandius opus & Achilleidem: in quibus duobus operibus ſuam eſt interpoſiturus auctoritatem ædendo.

10. QVOD. edere. ſ. opus & profiteri ſe auctorem.

Ibid QVAMVIS ME RELIQVERIT. quamuis emendauerim & elimauerim opus, quod non feci in Syluis.

Ibid. SED ET CVLICEM. rationẽ affert quare quamuis multa deterreant eum ab æditione: tamen hoc opus emittere debeat. nam vt ait alij quoq. poëtæ leuiora opera ſolent præludere grandioribus. *Culicem.* opus Virgilianum vbi deflet mortem Culicis paſtoris: quod iuuenis & rudis compoſuit. Martialis. *Qui modo vix Culicem fleuerat ore rudi.* Et Papinius de Lucano ante annos Culicis. Martiani Serum erat. nimium ſerò cogitaui de iis continendis.

11. BATRACHOMYOMACHIAM. i. ranarum & murum pugnam, quam luſit Homerus. quamuis Plutarchus id conſtanter neget : aſcribatque poëtæ Iliadem tantùm & Odyſſeam. Herodotus verò Phocidem. Iliadem minorem margetem.

carminum opuſcula ei tribuit. Hymnos præterea Homeri in deos legimus, ex quibus Pauſanias teſtimonio ſæpe vtitur. Ego tamen certa Græcorum monumentorum auctoritate affirmauerim, id opus eſſe non Homeri poetæ quem veneramur, ſed alterius qui Homerus Sellius grammaticus eſt appellatus. is enim Hymnos ſcripſit & luſus vario carminum genere: ſolutaque oratione de perſonis comicis & argumenta comœdiarum Menandri.

14. QVORVM HONORI DATA SVNT. quorum modi ſcriptæ ſunt Syluæ. Sed apud cæteros neceſſariò (inquit) hoc eueniet, vt minus ignoſcant alij erratis meis ſiquæ ſunt in his, cum ignorent quàm celeriter ſcripſerim. vobis enim probantur etiam ſiquid erratum eſt, cum noueritis quanta celeritate ſint hæc effuſa.

16. AMISERINT. cum prouenerint ad manus illorum qui ignorẽt hæc celeriter ſcripta.

Ibid GRATIAM. apud vos quibus propter hoc vnum Syluæ probantur.

18. QVAMVIS METVO. ne inemendati codices abeant. Quamuis metuo ne. ſed ita emendandum eſſe affirmauerim. nam etiam me ſilente (inquit) metuo neverſus ipſi probent iſtud de ſe, quod ſcilicet ſcripti ſint celeriter. Sunt enim inelegantes & inemendati.

PAG. 2. V. 2. AVDACTER ME HERCVLE. egi, audacterque ſuſcepi illud canendum tam breui.

Ibid. INIVNXERAS. iniungere, aliquid agendum mandare: quo verbo Cicero abſtinuit, pro eo vſurpans aliquando impono. Domitiani temporibus in vſum frequentiorem venit, Plinio & Tranquillo familiariſſimum.

3. SED TAMEN HEXAMETROS HABET. quãuis biduo ſit ſcriptũ & opus viſum arduum: heroicis tamen verſibus eſt cantatum. Quid ſi dixeris deeſſe numerum: & ita legendum. Sed tamẽ. cclxxii. hexametros habet? vt dicat ſe tamen cecinisſe biduo ducentos & ſeptuaginta duos verſus. tot enim ſunt in epithalamio.

4. MENTIERIS. vt iſti dicent.

Ibid. PRO COLLEGA. vel quod & ipſe fuerit Duumuir quemadmodum Stella. vel collegam ſe appellat in poëtice ſocium. paulo poſt,

tecum ſimiles iunctaque camena

Stella mihi, multiſdonque pares bacchamur ad aras.

Ibid. VOPISCVS. cognomen eſt ab euentu propagatum. nam qui eſt ſuperſtes cum eſt natus fratre qui ſimul natus eſt, mortuo, Vopiſcus appellatur, vt Plinius docet: monent Fabius & Solinus. 8. DE QVO. de cuius Syluæ celeritate.

10. TESTIMONIVM EST. ſepereſt. *Ibid.* BALNEOLVM. Syluam ſcriptam de balneo ſuo. cuius meminit Martialis, vt in eam Syluam dictabimus.

Ibid INTRA MORAM. ſpatium & tẽpus. 11. IN FINE. huius primi libri.

Ibid. QVIBVS CREDITVR. habetur fides quod ea Sylua ſcripta ſit celeriter.

18. FOEL CISSIMAM. plenam lætitiæ, in qua nemo eſt qui non potuerit celeriter ſcribere cùm tanta illic fuerit animi relaxatio.

13. VOLVPTATIBVS PVBLICIS INEXPERTAM. hoc ait in laudem Domitiani, cum innuit eum præbuiſſe tantam voluptatem populo Romano illa nocte quantam nemo ante Imperatorum præbuit publicis muneribus & congiariis.

13. INEXPERTAM. qualem nunquam antea ſenſit populus Romanus.

DOMITIVS AVGVSTINO.

NON vides Auguſtine quantus aſſurgat dum publicæ aſſentationi applaudens Imperatori inſolentiſſimo arrogantiſſimóque adulatur? Poſcebat ille diuinos honores: dominum & deum ſe nuncupari voluit: ſtatuas ſibi poni non permiſit in Capitolio niſi aureas & argenteas centum ponderis. quadrigæ multæ, currus triumphales per omnes fermè vrbis regiones in illius gratiam viſebantur: quod Tranquillus ſcribit. equeſtrem ſtatuam eximiæ artis & magnitudinis eidem populus dicauit: poſuitque in foro poëta qui gratiæ Imperatoris occupandæ ad inuidiam vſque ſtudebat. nam prædio Albano ab eo donatus, Martialem, Sylium, Iuuenalem ſuorum temporum poëtas ea fœlicitate & fortuna offendit. Publicam

teſtatur in munere alacritatem. & quaſi furoris plenus Syluam ex admiratione orditur. ſordebāt illi cum Domitiano elati animi: Imperatori placere cuperet verba humilia & principia abiecta: quum figuris poeticis non excitarentur: inde interrogatione quæ ad admirationem ſpectat, quærit quænam ſit moles quam cernit. atque hac percontatione operis mirum in modum amplificat dignitatem: tamen auditoris animum percellit & intendit.

PAG. 3. V. 1. MOLES GEMMATA. radians & ſplendens. Martialis de eadem.

Nec te detineat miri radiata coloſſi,

Quae Rhodium moles vincere gaudet opus. hanc eam eſſe negauimus in commentariis noſtris, cuius Martialis meminerit eo verſu:

Hic vbi ſydereus propius videt aſtra coloſſus. idque docuimus, certi Trāquilli hiſtoria & auctoritate, intelligi de Neronis ſtatua.

Ibid. COLOSSO. coloſſus ingentem ſtatuam ſignificat. moles (inquit Plinius) excogitatas videmus ſtatuarum: quas coloſſos vocant, turribus pares: vel à κολούειν τὰς ὄσσους, ab hebetando aſpectu. nam oculi caligant tanta altitudine aſpectanda: vt Græcis placet: vel à Coloſſo primo operis auctore vt Feſtus ſcribit. Moles gemmata equum ſignificat. Domitianum equitem & ſeſſorem ſcribit: nam vt diximus ſtatua erat ei equeſtris dicata: equeſtrium vero ſtatuarū perantiqua eſt origo. Cloeliæ enim, quæ inter obſides Porſenæ fuit, & Horatio Cocliti publicè primùm datæ ſunt: quod ex Piſonis Annalibus diſcimus antea. Tarquinium ſibi & Sibyllæ poſuiſſe veriſimile eſt: vt ſcribit Plinius. Lucius tamen Piſo tradit Valeriam Publicā conſulis filiam ſolam ex obſidibus Porſenæ tantum fugiſſe, cæteris quæ mittebantur interemptis inſidiis Tarquinii. eique erectam ſtatuam equeſtrem quæ contra Iouis Statoris ædem viſebatur.

3. SICVLIS CAMINIS. fornacibus Vulcani quæ ſunt iuxta Siciliam: id autem ait, quoniam fabrilia opera quæ admirationi ſint, Vulcani artificio tribui ſolent. ita eodem fabro Achillis arma apud Homerū cuduntur: & Æneæ apud Virg.

4. STEROPEM ET BRONTEM famuli ſunt Vulcani noti carmine Virgiliano. Heſiodus verò Aſteropem ſcribit, non Steropem: nec Pyrachmonem nominat, ſed pro eo Argen.

5. RHENVS ET DOMVS DACI. nam Domitianus duplicem triumphum egit de Dacis & Cathis: amiſſis prius Sabino cōſulari & Cornelio Fuſco. vt ſcribit Tranquillus puer item adhuc Batauos populos Rhenum incolentes domuit: vt ſcribit Tacitus & Sylius:

Iam puer auricomo performidate Batauo.

5. PALLADIAE MANVS. nam præſtantioris artificij opera ad Palladem referuntur atque id commodiſſimè in Domitiano, cui Pallas numen erat familiare. Mar. idem ait de ſtatua ſcribens ad Carum notum epigramma.

7. ATTONITI DACI. nam obſtupuit victus cum ſe tutum putaret.

8. FAMA PRIOR. antiquitas

9. CVI. equo fabricando: amplificat autem per comparationem: augetque equum Troianum: vt hic antepoſitus ſublimior ſit.

10. DINDYMON. mons Phrygiæ ſacer Cybelæ. Epeum Panopei filium, Bœotium, equi Troiani fabricatorem fuiſſe ſcribunt Homerus Odyſſea, & Strabo: tantæ verò magnitudinis fuiſſe fabulæ propius eſt quàm hiſtoriæ.

11. DISCISSIS MVRIS. alludit ad hiſtoriam Virgilianam de equo Troiano ita recepto.

12. INNVPTAEQVE PVELLAE. alluſio item ad carmen Virgilianum,

Pueri circum innuptæque puellæ.

13. NEC AENEAS NEC MAGNVS HECTOR. nam hi fortitudine præſtabant inter Troianos. Virgilius. *Si duo præterea tales Idæa tuliſſet Terra viros.*

17. NEC VERIS MAIORA PVTES. nec plus (inquit) præ ſe fert ſtatua. quàm verum ſit in Domitiano.

Ibid.

Ibid. PAR FORMAE. eadem. forma eſt Domitiani decor. nam formoſus fuit Domitianus iuuenis vt,ſcribit Tranquillus.

18. EXHAVSTIS ARMI. Sperfectis bellis.tunc enim dicitur Mars ſpaciari ad Strymonem Thraciæ exæſtuans. Virgilius.

Quæ bellι exhauſtι canebat!

Ibid. NON AMPLIVS. Non maiore dignitate.

19. BISTONIVS.nam Mars Thraciam ſibi habet domicilium Biſtonium autem ſtagnum eſt Thracium,& ibidem Biſtones gens, vt Plinius ſcribit.

21. STRYMONA. fluuius eſt qui diuidit Macedoniam à Thracia, labiturq́ue ex vertice Hæmi montis vt,Plinius ſcribit.

22. PAR OPERI SEDES. à loco vbi ſtatua poſita erat.

Ibid. OBVIA LIMINA. è regione(inquit) eſt ædes Cæſaris.nam ædes Cæſaris aurata in roſtris erat in ſimilitudinem ædis Veneris genitricis.

23. QVI FESSVS BELLIS.qui poſt multa bella geſta: eſt autem periphraſis C. Cæſ.his duobus verſibus aſperſa.

Ibid. PRIMVS nam Cæſar primus imperatorum in deorum numerum eſt relatus, Octauio Auguſto ſuadente populo,cometen quem viderat in celo, eſſe animam Cæſaris,de quo Auguſtus hæc ſcripſit. vt Plinius refert: His ipſis ludorum meorum diebus,ſydus crinitũ per ſeptẽ dies in regione cæli quæſub Septentrionibus eſt conſpectum. id oriebatur circa vndecimam horam diei. clarumque & omnibus terris conſpicuum fuit. Eo ſidere ſignificari vulgus credidit Cæſaris animam inter deorum immortalium numina receptam.quo nomine id inſigne ſimulacro capitis eius,quod mox in foro conſecrauimus, adiectum eſt.

23. MVNERE. beneficio.

Ibid. PROLIS. Octauij filij ſui.

Ibid. ASSERTAE. adoptiui. nam(vt diximus)ſuadente Octauio credidit vulgus deificatum eſſe Cæſarem.

24. PRIMVS OSTENDIT ITER. primus acceſſit & oſtendit viam.

Ibid IN AETHERA. in cælum & numerum deorum.

25. NOSRIS DIVIS. Imperatoribus:qui & ipſi poſtea deificati ſunt.

25. DISCITVR E VVLTV. nunc confert duas ſtatuas equeſtres: alteram Cæſaris: alteram Domitiani. nam Cæſaris erat in roſtris ad ædem Veneris genitricis: vt poſſit intelligere obuia limina de templo Veneris genitricis, in cuius veſtigio Cæſaris(vt diximus)erat ſtatua equeſtris equo,expreſſo inſtar illius qui neminem paſſus eſt ſeſſorem præter Cæſarem, vt ſcribit Plinius,& Tranquillus refert.

26. E VVLTV. tuo & Cæſaris.

26. IN EXTERNOS. barbaros.

Pag. 4. v. 1. DAS FIDEM accipis fœdus.

Ibid. TE SIGNA FERENTE. ſi tu fuiſſes dux in caſtris Cæſarianis.

2. GENER. Pompeius.

Ibid IRET MINOR IN LEGES. In fœdera tua veniret.

Ibid. CATO CASTRIS. Cato (inquit)abiret ex caſtris, quod non fecit victo Pompeio. nã conatus eſt reliquias Pompeianas colligere & cõparare in Cæſarem.

3. PASSVS LATERVM. i.ſpatia laterum operis.

Ibid. IVLIA TEMPLA. Capitolium. Martialis.

Sic laudat Catuli Iul a templ i ſenm.

4. REGIA PAVLI. Paulus Æmylius creatus conſul cum Callidio Marcello mille & quingentis corruptus eſt à Cæſare vt faueret. ex qua pecunia baſilicam ſtruxitus. ſuo nomine,laudatã inter vrbis opera à Plinio. Auctores Appianus & Plutarchus.

5. TERGA PATER. Templum Martis(inquit)poſt terga tua eſt, vnde te Mars ſpectat.

Ibid. CONCORDIA. Ibidem erat templum Concordiæ: de quo alibi dicemus.

8. CONTEMPTIS FLAMMIS. Id eſt, ita vt priſtini incendii veſtigia non ap-

pareant. nam arſit Capitolium bellis Vitellianis, vt ſcribit Tacitus:& vt Tranquillus refert, plurima ampliſſima opera incendio abſumpta Domitianus reſtituit iniquis, & Capitolium quod rurſus arſerat. quo in genere laudatur à Martiale eo epigrammate. *Qualiter Aſſyrios renouant incendia nidos.*
Tu(inquit) exeris caput: vt ſcilicet ſpectes an palatia à te inſtaurata pulchrius & magnificentius ſurgant oblita priſtini incendij: & an Veſtales virgines quæ olim erant inceſtæ, tua cenſura coercitæ pietatem colant ſacrorum. nam vt ſcribit Tranquillus, Domitianus inceſta virginum Veſtalium à patre quoque & fratre neglecta, variè & ſeuerè coercuit.

9. TACITA PACE. Nam ſub cinere ſeruabatur ignis.

Ibid. VIGILET. Maneat inexſtinctus. nam exſtingui piaculum erat.

Ibid. TROICVS. Nam ſacra Veſtæ è Troia lata ſunt. Sylius.

Et vos virginea lucentes ſemper in ara
Laomedonteæ Troiana altaria flammæ.

10. EXPLORATAS. Id eſt recognitas & coercitas à te.

11. DEXTRA VETAT PVGNAS. vel dextra eſt inermis in ſtatua, vel ad dextram eſt templum Pacis. quod non placet.

Ibid. TRITONIA VIRGO. Pallas.

14. NEC SI PATER IPSE. libentius illic non eſſet Pallas ſi tua eſſet ſtatua ô Iuppiter.

Ibid. TENERES ISTA PECTORA. id eſt eſſes formatus his pectoribus: quæ capiunt curas totius orbis magnitudine ſua.

16. ET QVIS. quibus pectoribus fabricandis.

Ibid. THEMESE. Oppidum Cypri, eiuſdē nominis in Brutiis Italiæ conditū ab Auſoniis. à Latinis Tempſa dicitur, vt ſcribit Plin. Strabo vtrãque vocem promiſcue nũciat, quaſi neutra Latina ſit. & Brutia & Cypria Themeſe metalla æris habuit: quę poſtea defecerũt. Strabo Hom. de Brutia locutũ refert quorundam ſententia. tanta (inquit) ſtatua eſt, vt omnia æra Themeſea in ea fabricanda conſumpta videantur.

19. ORION. auis Indica canora, vt ſcribit Clitarchus. eiuſdem nominis qui ex deorum vrina natus dicitur. vt Ouidi. in Faſtis canit. tranſlatus eſt in cælum cum enſe. ſydus tempeſtuoſum. Hyginus ex Ariſtomacho, Pindaro, Heſiodo & Iſtrio fabuloſa de hoc perſequitur. Strabo loci meminit in agro Thebano: vbi fabula geſta dicitur. Nunc comparat Domitiani latus armatum enſe cum Orione.

23. TANTIS CALCARIBVS. quanta habet Domitianus.

26. ARION. Adraſteus: quem Neptunus Adraſto donauit. idem dedit Iunoni Xanthum & Cyllarum: quos illa dedit Caſtori & Polluci. Arionis meminit Papinius in Thebaide, & Propertius. nam inſignis fuit & formæ & celeritatis.

28. CYLLARVS. Ledeus. Hic Caſtoris equus fuit expreſſus in æde Caſtoris quæ eſt pro roſtris. de hoc nunc intelligit.

27. AB AEDE PROPINQVA. ex templo Caſtoris quod propinquum eſt.

28. NVNQVAM MVTAVIT HABENAS. quod de Arione & Cyllaro dici non poteſt. Nam vterque variis dominis ſeruiuit.

29. VNI ASTRO. non duobus ſeruiet, vt Cyllarus Caſtori & Polluci.

32. SVB GENIO. nam(inquit) libenter ferunt Domitianum, quem loci genium & numen putant.

Ibid AETERNA CREPIDO. ingens moles.

34. DVRASSET. abſolute legendum. id eſt reſtitiſſet.

35. NEC LONGE. opus laudat à celeritate: quam totã tribuit auctoritati & dignitati Domitiani.

Pag. 5. v. 2. IPSE LOCI CVSTOS. optima poëtæ diſpoſitio: qui carmen varietate diſtinguit: nouáque fictione perſonæ ſeſe erigit; ſimul delectat dum antiquitatis hiſtoria repetita laudes Domitiani accumulat. Fingit enim Curtium, cuius lacus erat iuxta forum, dato ei nomine, cum ſe pro Reipublicæ ſalute deuouit, caput eduxiſſe atque elocutum eſſe Domitianum.

3. LACVS FAMOSI. nam in eo periit ciuis infauſto auſpicio. nam famoſis in malum accipitur. nec re Iuuenalis verſus decipiat.

Famoſos equitum cum Dictatore magiſtros.

illic enim legendum eſt fumoſos. id eſt fumoſas imagines maiorum, qui magiſtri equitum Dictatoréſue fuerint. Cicero quoque in Piſonem ait, eum obrepſiſſe ad honores ſpecie fumoſarum imaginũ. licet aliter in commentariis noſtris in Iuuenalem ſcripſerimus.

Ibid. NOMEN MEMORABILE. Lacus Curtius ad forum eſt, à Curtio dictus, velut Procilius ſcribit: quoniã cũ olim illic terra dehiſceret: &, aruſpices reſpondiſſent, deum Manium poſcere Stulionem, id eſt virum fortiſſimũ: Curtius quidam armatus equo ſe in voraginem deiecit: atque ita terra hiatum obduxit: locuſque ſeruauit æternum Curtij nomen. Idem ſentit Liuius. Piſo ſcribit datum eſſe nomen à Curtio milite Tatij Sabinorum ducis: qui nonnihil in ea palude ob cœnum laborauit, dum pugnaret aduerſus Romulum. Idem Plurarchus & Dionyſius putarunt. Cornelius & Luctatius ſcribunt locum eſſe tactum fulmine: & ſeptum fuiſſe à Murtio cõſule: cui Marcus Genitius erat collega: atque ita mãſiſſe nomẽ loco. Var.

6. MERITA QVERCV. id eſt corona ciuica, quæ quercu texta eſt, vt Plut. in quæſtionibus diſſerit. vel quod cum vbique ea arbor facilè reperiatur, facilè eſſet ramum inde decerpere ad coronam: vel quòd Ioui & Iunoni ſacra eſt: qui cuſtodes vrbium habentur. vel mos tractus eſt ab Arcadibus: qui affinitatem quandam cum quercu habere ferebantur, quod primi hominum ex terra nati dicuntur. vt ille ſcribit, ἐκ δρυός. Varro, Plinius, Gellius, quòd glandibus olim veſcerentur. vnde corona querna indicium erat vitæ datæ.

Ibid. PROLES. nam Veſpaſianus pater relatus eſt in numerum deorum.

10. GENITOR. nam Domitiani filius ex Domitia, quam infantem adhuc amiſit, in cælum eſt relatus.

15. TV BELLA IOVIS. id eſt tu geſſiſti bella pro Ioue Capitolino. nam Domitianus cum patruo Sabino bellis Vitellianis puer adhuc Capitolium defendit. vt ſcribit Tacitus. Martialis. *Atque ſuo geſſit pro Ioue bella puer*

Ibid. TV PRAELIA RHENI. Batauos intelligit: quos (vt ante diximus) domuit.

16. TARDVM MONTEM IN FOEDERA. Dacos intelligit: quos in mõres patrios redactos, & illuc ſe tuentes, in ditionem redegit diuturna obſidione. idem in Thebaide.

Et coniurato deiectos vertice Dacos.

TV CIVILE NEPHAS. bellum item ciuile oppreſſit Domitianus motum à Lucio Antonio ſuperioris Germaniæ præſide: quod abſens mira fœlicitate confecit, vt ſcribit Tranquillus. in Antonium epigramma exſtat Mart.

Et Saturninum te miſer eſſe pudet.

18. ME NON AVDENTE.. & ego non eſſem auſus.

20. CEDAT EQVVS. anteponit equo Cæſaris equum Domitiani. Tranquillus. vtebatur autem Cæſar equo inſigni, pedibus propè humanis, & in modũ digitorum vngulis ſciſſis. paulo poſt. Cuius etiam inſtar pro æde Veneris genitricis poſtea dicauit. Plinius: Cæſaris equus hominis ſimiles pedes priores habuiſſe dicitur. hac effigie locatus ante ædem Veneris genitricis.

21. FORI CAESAREI. nam in foro Cæſaris ſtatua erat & templũ Veneris genitricis. ſtatuam fecit Archeſilaus: quam feſtinatione dedicãdi reliquit imperfectam.

22. LYSIPPI. Lyſippus nobilitatur tibicina temulenta quam expreſſit. hic fecit ſexcenta &. x. opera ſtatuaria. Alexandrum Magnum multis operibus effinxit, à pueritia eius orſus. quadrigas item multorum generum. Vult igitur Papinius videri Lyſippum præſtantiſſimũ ſtatuarium, à quo ſolo Alexander opera ſua ſculpi voluit, vt ait Plinius, huius equi Cæſarei fuiſſe opificem.

24. IN HVNC. Cæſarem.

Ibidem. AB ILLO. Domitiano.

Ibid. PELLAEO DVCI. Alexandro à Pella metropoli Macedonũ eius patria vbi recenſebantur

colloquia attollens fingit audiuiſſe nouos concentus, videreque Apollinem comptum parata cythara ad carmen & aduentantes muſas ex Parnaſſo.non enim oportuit in tanto Stellæ vatis gaudio vel muſas eius præſides ceſſare: vel Papinium vulgare emittere carmen pro poëta amiciſſimo:quaſi ergo excitatus quodam concentu ita orditur.

IN EPITHALAMIVM STELLÆ ET VIOLANTILLAE.

PAG. 6. v. 11. LATII MONTES. ſeptem colles vrbis. VNDE. qua ex cauſa. 13. CVI. in cuius gratiam. MOVES. meditaris.

14. FACVNDVM EBVR. vocalem citharam. SOLEMNEM IGNEM. debitum & celebratum. nam nouæ nuptæ puer patrimus & matrimus facem præferebant ex ſpina alba. vt Plinius & Feſtus ſcribunt. duo item pueri patrimi & matrimi nouam nuptam tenebant.

18. ELEGIA. hoc in gratiam Stellæ ait, qui eo poëmatis genere claruit.

21. FALLIT MEDIAS SORORES. nam accipitur ab illis: & ex ipſis vnam ſe præſtat.

22 GENITRIX AENEIA. Venus.nam fauore Veneris hæ nuptiæ celebratæ ſunt:vt etiam Mar. quodam epigrammate ſcribit.

25. TEMPERAT CRINEM. id eſt moderatur diuinitati ſuorum crinium, ne pulchriores ſint crinibus Violantillæ.

Ibid. GESTIT. gaudet ire.

26. MINOR. inferiore forma & pulchritudine.

Ibid. NOVA MARITA. noua nupta Violantilla.

27. NOSCO DIEM. quaſi reſipiſcens ex furore Papinius & veritatem intelligens epithalamion orditur.

Ibid. TE CHORVS. deorum quos video.

29. VOLVCER TEGEATICVS. Mercurius qui & volucer eſt talaribus ſuis & Areas.nam in Arcadia eſt natus.Tegea Arcadię oppidum.vnde & Tegeum Virg. deduxit, & Tegeaticus dicitur.oppidi meminerunt Strabo &Plinius.Interſunt autẽ his nuptiis,Bacchus,Phœbus & Mercurius:qui poëtices eloquẽtiæq. præſides ſunt.

30. NEC GRATIA CESSAT. adſunt item Gratiæ, quæ tres dicuntur Veneris comites, Euphroſyne, Thalia & Aglaia, Iouis & Euryuomes filiæ. Bœotij aiunt Eteoclem primũ Gratiis ſacra inſtituiſſe in Orchomeno: cuius rei meminerunt Strabo & Pauſanias.nomina ab illo impoſita non tenent memoria. Tres tamen fuiſſe affirmãt.apud Lacedæmonios vero duæ tãtùm erant.Athenienſes Auxo, Hegemoniam, Thalamo cũ Pandroſo pro Gratiis coluerũt.Pamphos poëta qui ante Homeri tempora cenſetur, primus in Gratias carmen edidit. Homer. vnam tantùm Gratiam putauit vxorẽ Vulcani. Antimachus eas Solis & Ægles filias dixit.

Ibid. ET OBSTAS VVLTIBVS DOMINAE. tu (inquit) amplexus Violantillam obiicis te roſis & floribus qui iaciuntur ne niueos dominæ vultus offendant.

35. DIES CONDITVS ALBO VELLERE. Fœlix. nam Parcæ nere dicuntur alba vellera fœlicibus.ſed de hoc plura in commentariis Martial.diximus. Seneca de Nerone. *Aurea formoſo deſcendunt pollice fila.*

36. VIOLANTILLAE. Martialis hanc græcè appellauit Ianthida, ab ἴον, quod ſignificat violam, & ἄνθος florem. vnde Violantilla & Ianthis idem eſt.

38. MENDACES ASTVS. magicæ artes, quibus amantes ſolent vti.

Pag. 7. v. 5. ADHVC OPTAS. tamquam indigeas.

6. VOTA PAVES. times tanquam ſis cariturus promiſſis.

11. DIGNA QVIDEM MERCES. & ſi diu(inquit) laboraſti; tamen præmium habes par laboribus tuis:immò maius. nam propter hanc non fuiſſet recuſandum ſubire labores herculeos: & inferos adire, vel nauigare per Cyaneos ſcopulos: per quos nauigauit Iaſon cum Medeam rapuit in Ponto.

15. OENOMAI. propter hanc(inquit) non fuiſſet recuſandum certamen propoſitum

poſitum ab Oenomao. nam Oenomaus Martis & Æginæ (vt alij Aſteropes) filius, Piſæ & Elidis tyrannus in Peloponeſo, cum vnicam haberet filiam Hippodamiam; audiſſetque ex oraculo ſe moriturum cùm nuberet, fretus duorum equorum celeritate, Pſillæ & Arpinæ, quos habebat, certamen procis propoſuit. id erat eiuſmodi. Stadium à Piſa ad aram Neptuni in Iſthmum vſque patebat, ipſe arietem Ioui immolabat. interea inibat curſum quem petebat: peractis ſacris Oenomaus currentem inſequebatur, Myrcillo aurigante: quem cum erat conſecutus, haſta cædebat ad necē. Marmacas (vt ſcribit Pauſanias) primus in certamen deſcendit. Pelops è Phrygia veniens Oenomaum ſuperauit, corrupto Myrcillo, abduxitque puellam. is eſt qui (vt ſcribit Thucydides) magnitudine opum, quas è Phrygia attulerat, deuinxit ſibi Peloponeſi incolas, qui pauperes erant: atque ita inſulam occupauit. hæc ex Diodoro, Lycophrone, & illius interprete, Pauſaniaque accepimus.

14. PISEA LEGE. Conditione propoſita ab Oenomao ad Piſam.

15. TREMENTEM. nam victus necabatur.

17. HAEC DONA FORENT. nec ſi (inquit) alter Paris fuiſſes, talē eſſes nactus mulierem: atque ita anteponit Violantillam Helenæ.

18. HAEC. talis. qualis eſt Violantilla. nec (inquit) ſi Aurora te amaſſet vt amauit Cephalum, tam pulchram haberes. quaſi dicat, pulchrior eſt Violantilla Aurora.

18. ALMA TITHONIA. Aurora vxor Tithoni: quæ capta amore Cephali eum rapuit. Ouid.

Lutea manè videt pulſis Aurora tenebris. Inuitumque rapit.

19. SED QVAE CAVSA. exordium eſt epithalamij: quo carmen varietate quadam aſperſurus, noua excitat inuentione.

21. MVLTA VIRGA. à multis lictoribus magiſtratuum qui conueniunt ad nuptias. nam lictores accedente magiſtratu domum alicuius, virgis quas geſtabant pulſabant fores. Liui. Fortè accidit vt lictores Sulpitij cum is è foro in domum ſe reciperet, fores (vt mos eſt) virga percuteret. Et Plinius. vij. ſcribit Pompeium vetuiſſe lictorem pulſare fores Poſſidonio de more.

24. FORTE SERENATI. narrationis quæ tota facta eſt initium, in qua iure quodam poëtico euagatur, & fabulam producit.

Ibid. PLAGA LACTEA. in ſyderibus circulus quidam oſtenditur candido colore: quem quidam lacteum dixerunt. ſiue (vt Demoſthenes ſcribit) quoniam Iuno cum inſcia Mercurio mammam infanti præbuiſſet, tandemque reſciſſet eum eſſe filium Maiæ, reiecit, & profuſi lactus ſplendor inter ſydera eſt. Alij ſcribunt, id eueniſſe Herculi, cum Iunoni dormienti ſuppoſitus eſſet, & tandem reiectus. alij Herculem nimium lactis hauſiſſe ex mamma Iunonis, nec totum potuiſſe continere: ſed profuſi colorem eſſe inter ſydera. Alij Opem id lac fudiſſe, cum pro Ioue quem volebat cælare, ſaxum Saturno oſtenderet, ſimulans eſſe filium natum: & Saturnus iuſſiſſet vt ei præberet lac. quod ſaxo non ſiccante eſt effuſum.

31. NONDVM ANIMVS IPSI. nondum ei erat certum conſilium quid eſſet actura.

38. SCIS VT MATER. oratio Cupidinis ad Venerem: cuius initio beniuolentiam captat: cum ſuam in eam pietatem commemorat: & officia mox narrat.

Pag. 8. v. 1. NVLLA MILITIA. nuſquam (inquit) fruſtra laboraui cum aliquem oppugnaui ad amorem.

Ibid. DEDISTI. vulnerandum & incidendum amore.

2. QVONDAM. aliquando.

ADAMANTE. Adamas. notiſſimæ duritię, duarum violētiſſimæ naturæ rerum, ignis ferrique contemptor, hircino rumpitur ſanguine & calido. cum magnete certat, cui ſi admotus fuerit, ferrum trahi non permittit. Plinius auctor.

8. E NOSTRO CAELO. appellauit Stellā, & ita iam eum laudauit à nobilitate & forma: quorum alterum inter bona corporis numeratur, alterum inter externa.

Ibid. PROTINVS. non tamen ſtatim nomen infanti dabatur: ſed nono die

maribus,

maribus, octauo fœminis. Macr. Eſt etiam Nondina Romanorum dea, à nono die naſcentium, qui luſtricus dicitur. Eſt autem luſtricus dies quo infantes luſtrãtur & nomen accipiunt. ſed is maribus nonus, octauus autem fœminis.

9. QVONDAM TIBI DVLCE. quod tibi olim iocundum erat : ita enim volebas.

15. ARCV INERMI. percuſſimus (inquit) leniter & parcè.

Patritiis. patricij appellati ſunt qui genus duxerant à patribus : quos Romulus elegerat. eiuſdem autem erant conditionis Athenis, quos appellabant εὐπατρίδας, vt ſcribit Dionyſ. Halycarnaſſeus: qui ſentit Romulum exemplo Athenienſium rempublic. inſtituiſſe.

21. HIPPOMENEM. per comparationem ignes Stellæ amplificat. Hippomenes Megareus captus forma Atalantæ filiæ Echinei, quæ cum procis curſu certabat, ea lege vt victi necarentur; victori ipſa nuberet: in certamen deſcendit, tribuſque malis aureis quæ Venus dedit in ſtadio, effuſis, puellæ curſum retardauit; quæ & ipſa à tam formoſo vinci cupiebat: ſed immemor beneficij & Veneris oblitus pœnas dedit. Nam amoris impatiens Atalantam in templo Cybelis compreſſit: ob quam impietatem ira numinum vterque in leonem verſus eſt.

22. IVVENIS ABYDENI. Leandri: nam Abydos & Seſtos opida ſunt ad oſtia Helleſponti. vtroque littore ad ſtadia triginta inter ſe diſtant. à portu in portum pontis locus eſt paulum ab vrbibus digredienti ad Seſton, locus quidem apobathra dictus, ad quem ratis iuncta fuit. Abydum Mileſij condidere, Gyge Lydorum rege permittente. Theopompus ait Seſton paruam eſſe, ſed munitam. Leander verò Seſtiacam amans ex Abydo noctu natabat in vlteriorem ripam, praeferente illa ex turri lumen. tempeſtate deprehenſus periit. vtrumque pinxit Apelles nobili gloria. Apud Seſton inſignis tumulus erat Iouis & virginis, vbi aquila, quæ à virgine educata viuam in mortuæ rogum ſe coniecit.

29. VATEM SVVM. ſuæ tutelæ.

Ibid. SIC MOERERE. ſic angi.

31. LABORES ARMIFEROS. bella & arma poterat (inquit) heroico carmine omiſſis amoribus geſta ſcribere. Sed tamen maluit in elegia verſari quæ tua eſt.

Ibid. MITIS. remiſſiore carmine & ſtilo.

34. SVBTEXERE LAVRVM MYRTHO. antepoſuit (inquit) myrthum & elegiacum carmen, quod Veneris eſt, lauro & grauiori ſtilo. nam myrthus eſt dicata Veneri: ideirco electa eſt pro verbena in coniũctione Sabinorum & Romanorum. quoniam (vt ſcribit Plinius) coniunctioni & huic arbori præeſt Venus. quin & ara vetus fuit Veneri myrtheæ: quam poſtea Murtiam dixerunt. Liuius, ad Murtiæ deæ ſedes. Plutarchus in quæſtionibus Rom. 19. Καὶ γὰρ ἣν νῦν Μουρκίαν Ἀφροδίτην καλοῦσι, Μυρτίαν τὸ παλαιόν, ὡς ἔοικεν, ὠνόμαζον.

35. LAPSVS. in amorem.

36. VVLNERA. gemitus amantium.

37. NOSTRAE COLVMBAE. argutè ſcribit pietatẽ in Venerem, quam Stella ob amorem tantum egerat. Nam carmine defleuit columbam mortuam quam in deliciis habebat Violãtilla. ea autem eſt Veneris auis. & Catullus paſſerem Leſbiæ. Martialis.

Stella delicium meæ columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit Maxime paſſerem Catulli.

Inſcriptio operis erat, Columba.

Pag. 9. v. 1. TEPEFECIT PECTORA. tanta (inquit) vis Cupidinis erat, vt pectora etiam Veneris tepefecerit.

2. NON ASPERNATA ROGARI. innuens ſe non inuitam audiuiſſe preces: quo verbo iam aſſenſionem Veneris futuram demonſtrat.

3. GRANDE VOTVM. grande munus. Idem Martialis.

Perpetuam Stellæ dum iungit lambda vati,
Læta Venus dixit, plus dare non potui.

4. PIERIVS IVVENIS. Stella poëta.

5. CVI. id eſt cum qua forma. Incertum (inquit) eſt maior ne ſit laus formæ in ea, an nobilitatis: nam vtrumque eſt ſummum.

8. AMOMVM. Aſſyrium eſt. naſcitur etiam in Armeniæ parte Ocene media Ponto. Inter vnguenta crinibus adaptatur.

10. PROSILVIT. excreuit.

11. SVGGESTVM. globum.

Ibid METIRE. Conſidera.

14. CONSVRGERE. nam Venus ex ſpuma maris nata concha in littus delata dicitur. vnde conchæ Veneri dicatæ ſunt, & Venereæ dicuntur. Propertius.

Et venit è rubro concha Ericyna mari,

Mart. *Leuior ô conchis Galle Cytheriacis.*

Eadem ratione Iulius Cæſar Veneri genitrici dicauit thoracem, quem ex Britannicis margaritis factum voluit intelligi: & duæ conchæ, quæ nauem à Periandro miſſam vt nobiles pueri caſtrarentur, retinuerunt, in Veneris Gnidiæ templo colebantur. Quattuor autem Veneres coluit antiquitas, vt Cicero in natura deorum docet. quarum ſecunda ex ſpuma procreata, fertur ſecundum Cupidinem ex Mercurio peperiſſe. Digna (inquit) erat Violantilla meis natalibus: non enim eſt me inferior forma.

17. IPSI. id eſt ad ipſius iuſſa.

Ibid ERRARETIS. ei pareretis, non mihi.

18. HVIC. Laudat eam à magnitudine animi.

19. VINCIT OPES ANIMO. non eſt (inquit) contenta opibus quas habet animi magnificentia.

Ibid. QVERITVR IAM SERAS AVAROS. conqueritur Seras eſſe auaros in depectendis lanis è ſiluis ſuis, quas (vt putant) paucas mittunt. Seres, populi qui in cognitionem venerunt Romanorum opera liberti. An Plocanij? qui cum vectigal maris rubri pro domino exigeret, ventis præter Carmaniam ad Hyppuron delatus effecit vt Rex à quo ſuſceptus fuerat hoſpitio, miſerit legatos Romam: qui docuerunt, Seras populos eſſe qui arbores haberent, vnde canitiem frondium aqua profuſa depecterent. ea fila redordiebantur à mulieribus Romanis: indéque fiebant tenuiſſimæ matronarum veſtes. Seres ea lingua dicuntur ſyluarum nobiles. Virgil.

Velleráque vt foliis depectant tenuia Seres.

20. AVGVSTVM NEMVS. ſacrum nouo & inſolito fœtu.

Ibid. GERMINA CLYMENEA. Succina quæ dicuntur fluere lacrymis ſororũ Phaethõtis, quæ dicuntur Solis filiæ & Clymenes. Nam hæc in deliciis matronarũ habebantur, eadem penè auctoritate qua gemmæ, vt ſcribit Plinius. Ouidius.

De ramis electra nouis quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Diodorus inſulam in Scythia refert ſupra Galliã in Oceano: quò tẽpeſtas plurimum electrum eiiciat, nuſquam alibi repertum. Plinius fabuloſiora de electro multis verſibus inſectatur. ἠλέκτωρ Sol dicitur per epithetõ: à cuius lucis ſimilitudine electrũ eſt appellatum. Electrum item aurum eſt quinta parte argenti: nam ſi excutitur, incudibus non reſiſtit. Homerus ſcribit Menelai regiam auro, electro, argento, ebore fulſiſſe. Helena calicem ex electro Mineruæ ſacrauit mammæ ſuæ menſura. Denique phialæ ex hac materia fiebant: vt apud Iuuen. docuimus.

Ibid. INDA MONILIA. id eſt margaritas Indicas: quę in maris fundo ab vrinatoribus perquiruntur ex mari. Indico precioſiores: vt ſcribit Plinius.

21. SORORES VIRIDES. ſorores Phaethontis verſas in populos.

23. CRYSTALLA GELARI. nam cryſtalla maximi luxus apud Romanos: non niſi vbi maximè hibernæ niues rigent glaciéſque reperiuntur, vt ſcribit Plinius. vnde Græci nomẽ dederunt. nam κρύσταλλος ſignificat gelu. de hoc plura apud Pliniũ lib 36. na-

lib. 36. naturalis hiſtoriæ. Soli. quædam aliter ſcribit de eodem.

26. PROTEA. Proteus Idotheæ pater, cuius puellæ conſilio Menelaus, vt apud Homer. refert, deum lubricum, & ſe in varias formas vertentem, vinculis detinuit, & dare oraculum coegit. Erat enim vates. Diodorus verò eum Ægypti Regem fuiſſe ſcribit: qui quoniam omnium artium erat peritiſſimus & aſtrologiæ, dictus eſt in varias ſe formas vertere. Ad hunc nauigauit Paris rapta Helena, vt ſcribit Herodotus. vt fabulæ ferunt, tenuit Palenem Macedoniæ. Deinde Carpathon inſulã maris Ægyptij. Silius finxit eum tenuiſſe Capreas Campaniæ, apud Lycophronẽ. Preterea inuenio Proteum Palenem Macedoniæ habitaſſe, cum Telegono & Tylo filiis: qui quoniam hoſpites palæſtra ſuperatos necabant, pater filiorum impietate offenſus, à Neptuno patre impetrauit vt in Ægyptum duceretur: quod ille conceſſit factis antris in fundo maris, quibus illuc commearet. filij ab Hercule ſublati ſunt.

27. HANC SI. magnum teſtimonium de forma Violantillæ ex Veneris perſona, qua hanc Daphnæ anteponit. Si (inquit) vidiſſes hanc, ô Phœbe, neglexiſſes Daphnem. hæc filia Penei fluuij fuit. ex Græcis tamen nonnulli, & Papinius in Thebaide, ſcribunt eam fuiſſe filiam Ladonis. vt verò Parthenius ſcribit eo libro, quem de amantibus compoſuit, Amiclesi fuit filia: quam ne per vim Apollo ſtupraret, Iupiter in laurum arborem conuertit.

Ibid. IN LITTORE NAXI. Coniunge hoc cum ſequenti verſu: & ſi (inquit) in littore Naxi hæc conſpecta fuiſſet, Bacchus & Theſeus Ariadnem contempſiſſent. Naxos inſula antea Dia dicta eſt, & Strabo cum de Naxo mentionem facit, Diam ait. Idem tradit Diodorus, ex quo deprauatam dictionem apud Ouidi. nam Chion, pro Dia illic nonnulli ſcripſerunt: & verſum illum emendauimus,

Qua breuis æquoreis dia feritur aquis.

cùm antea perperam legeretur. *India fertur aquis.*

30. GNOSSIDA. Ariadnem filiam Minois Gnoſſij. id eſt Cretenſis. nam Gnoſſos Minois regia fuit ab eodem condita, vt ſcribit Strabo & Diodorus.

31. QVOD NISI. niſi (inquit) Iuno rogaſſet ne hoc permitterem, rector æthræ Iupiter induiſſet falſas pẽnas, & feciſſet ſe auẽ pro hac vt pro Leda verſus eſt in cycnum. & taurum ſe effinxiſſet, vt pro Europa. aut manaſſet aurum, vt fluxit in ſinum Danees.

32. HVIC. in gratiam huius Violantillæ.

Ibid. IVVENI. Stellæ.

34. DABITVR. cui dari vis ô Cupido. quàm venuſtè amorem Violantillæ & Stellæ poëtæ profitetur, cùm in Cupidinis gratiam nuptias celebrari fingit!

35. THALAMI SECVNDI. nam Violantilla vidua erat. Gorgophone Perſei filia (vt ſcribit Pauſanias) mortuo priore coniuge Æoli filio, nupſit Oebalo. Inde ſecunda matrimonia vſurpari cœperunt, antea incognita. Culpa enim videtur & pudoris contemptus, ſecundo nubere. Inde quæ non nubebant viduæ, coronabantur mortuæ, vt virgines: quod Vale. ſcribit: & Dido ſecundas nuptias culpam appellat.

37. TEPVISSE IN VICEM. id eſt viciſſim: pudorem autem innuit Violantillæ. quæ ardente iam Stella diu vix tandem tepuit.

Pag. 10. v. 1. AMYCLEOS OLORES. biga Veneris duobus oloribus trahitur: quos Amycleos perpetuo epitheto appellarunt poëtæ, ex quo Iuppiter ſub forma cycni cum Leda concubuit. Nam Amycleæ opidum Laconiæ, patria Helenæ, Caſtoris & Pollucis.

4. NITIDOS PENATES. Violantillæ; qui altitudine ſua erant tanquam mœnia & arces Tybridis.

Ibid DIGNA DEAE. conueniens Veneri.

6. NEC SORDET A NITIDIS ASTRIS. nec contemnitur à Venere quæ in aſtris eſſe ſolet. non enim videtur hæc inferior ſede cœleſti.

7. HIC LYBICVS. Marmora diu ignota fuerunt: & ex his columnæ tantùm in templis deorum, non luxus, ſed roboris cauſa ponebãtur: mox in priuatas ædes,

luxus recepit. *Lybicus*. Numidicum marmor intelligit, quod ex Numidia Lybiæ M. Lepidus primus omnium oſtendit Romæ, limina domus ex eo faciendo.

Ibid. PHRYGIVS. Marmor Sinadicum intelligit. Nam Sinada Phrygiæ oppidum ad ſexaginta ſtadia proximum habet vicum Docimam, vbi marmor fodiebatur, quod incolæ Docimitem vel Docimeum. Romani Sinadicum appellarunt: ex quo columnæ fiebant ingentes, colore alabaſtrite ſimiles.

8. SAXA LACONVM. marmor Laconum precioſiſſimum (vt ſcribit Plinius) viride cunctis hilarius.

Ibid. ONYX. Marmor quod onychitem vocat Plinius, in Arabiæ montibus, nec vſquam alibi naſci putauerunt antiqui. colorem vnguis habet, vnde nomen accipitur. nam ὄνυξ ſignificat vnguem.

Ibid. FLEXVM. dixit quoniam in varia opera flectebatur; vaſa ſcilicet potoria, pedes lectorum, ſellaſque, vt Nepos tradit. magno fuit miraculo cùm P. Lentulus Spinter amphoras ex eo & vrceos oſtendit cadorum magnitudine. Caliſtus Libertus Claudij triginta columnas in ſcena ſua oſtendit.

9. VENA CONCOLOR MARI. Porphyritem notat. nam mare purpureum dicitur ab Homero & Virgilio: & porphyrites marmor colore purpuræ nomen accepit. Plinius. Rubet porphyrites in Aegypto.

Ibid. RVPESQVE. ex ſuperiore pendet. nam rurſus porphyritem intelligit. cuius colorem apertius deſignat cùm ait purpuram eo vinci.

Ibid. QVIS. iuxta quæ marmora.

10. PVRPVRA OEBALIS. Lacedæmonia. nã purpura, Getulica, Lacedæmonia, Tyria, apud antiquos commemoratur.

Ibid. LIVET. videtur habere colorem liuidum, adeo ſuperatur.

Ibid MODERATOR. murex vnde tingitur purpura Tyria.

11. PENDENT. porticum deſignat.

12 ROBORA. laquearia (inquit Plinius) nũc & in priuatis domibus auro teguntur: poſt Carthaginem euerſam primò inaurata ſunt in Capitolio cenſura L. Mummij. inde tranſiere in cameras: in parietes quoque, qui iam & ipſi tamquam vaſa inaurantur.

Ibid. METALLO DALMATICO. id eſt auro. nam aurum inuentum eſt in Dalmatia principatu Neronis: in metallis quæ quinquagenas libras quotidie effundebant. Martialis ad Damaltam.

Fælix aurifere colone terre.

14. FRIGORA. Nemus arboribus conſitum ſcribit. id erat in ædibus Violantillæ iuxta fontem: vt etiam Martialis ſcribit eo epigrammate.

Fons dominæ regina loci, quo gaudet Ianthis

Frigora. à conſequenti quod præcedit intelligit. nam cùm ex vmbris frigora fiant, hoc pro vmbris accepit.

15. DECVSSA. id eſt incuſſa.

Ibid. SILVIS VETVSTIS. altis & denſis arboribus.

Ibid. EXCLVDVNT RADIOS. arcent ſolem.

16. TEMPERAT IDEM. moderatur pro ſua voluptate.

Ibid. ANNVM. tempus anni.

19. IDALIAS DOMOS. Idalium nemus Cypri dicatum Veneri, vt ſcribit Plinius. Hæc loca gratiſſima erant Veneri, Cyprus, Erix Siciliæ, Cythera Syria, vt refert Diodorus.

Ibid. ERYCINA. vbi templum habuit multis mulieribus miniſterio ſuo dicatis, deſtitutum tamen temporibus Tiberij.

21. QVONAM. oratio eſt Veneris ad Violantillam ſecundas nuptias ſuadentis. exordium ſumptum à reprehenſione corporis & frigidæ ignauiæ: quam liberius Venus exequitur in alumnam ſuam.

24. ÆTAS TRISTIOR. ſenectus.

25. EXERCE FORMAM. cape fructum ex forma tua.

Ibid.

Ibid. DONIS. dotibus naturæ deſpexiſſe pudorem Violãtillę indicat, quæ multos procos eluſerit.

31. NEC FORMAE NEC STIRPIS EGENS. & formoſus & nobilis à bonis externis iuuenem commendat.

32. CARMINA. Doctrinam laudat quæ eſt in bonis animi. legũtur (inquit) eius carmina per totam vrbem.

33. HVNC ET BISSENOS. ominatur ei conſulatum de quo anxius erat Stella: & Martialis Phœbum rogat pro eo ad conſulatum faneat: eo epigrammate.

CAMPIS DIVES APOLLO SIC MVRINIS. ſic optantis eſt.

34. PRAESIDIS AVSONII. Domitiani.

Ibid MOVIT CYBELEIA LIMINA. id eſt prætor fuit. nam prætores habitu triumphali præerãt ludis Megaleſiacis. id eſt Cybeleis. in quibus ludos edidit Stella pro victoria Sarmatica Domitiani. de quo Martialis.

Quos cuperet Phlegræa ſuos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa Lyæe ſuos.

quamuis aliter in noſtris ſit commentariis.

36. LEGIT CARMEN SYBILLAE. id eſt Duumuir eſt. olim XV. erant viri legendis libris Sibyllinis. quos tamen non legebant iniuſſu ſenatus, vt ſcribit Liuius. Aliquando variato numero fuerunt duo.

37. PARENS LATIVS. Domitianus. laus Imperatoris quem patrem Latium appellat.

38. FAS MIHI. poſſum (inquit) cum ſim Dea illius mentẽ & animũ cognoſcere. Pag. II. v. I. DACAS QVAE EST GLORIA MAIOR. hunc verſum mendoſum & ſyllabis olim vacillantibus in hos numeros redegimus. dabit (inquit) Domitianus ei negocium vt ludos celebret pro victoria ſua Sarmatica: quos Stellã edidiſſe ex teſtimonio Martialis antè confirmauimus.

2. DACAS EXVVIAS. id eſt victoriam de Dacis.

Ibid ET LAVROS RECENTIS. nam de Sarmatis laurum tantùm intulit Ioui Capitolino Domitianus. neglexítque triumphum. quod Mart. epigrammate teſtatur, & ſcribit Tranquillus. Martialis.

Quòd ſpectatorem te tua laurus habet.

Ibid. CELEBRARE. id eſt celebrãdas ludis. hæc (inquit) eſt maior eius gloria.

Ibid. ERGO peroratio eſt cumulo quodam exemplorum excreſcens.

3. DEME OCIA IVVENTAE. Exerce (inquit) iuuentam.

5. ALITVVM. Lucre. item de Venere:

Aereæ primum volucres te diua, tuumque
Significant initum percullæ corda tua vi.
Inde feræ pecudes proſultant pabula læta.

7. SOLVO IPSVM AETHERA. tunc (inquit) me duce æther exercet connubia cum terra, cum pluuiæ in terram deſcendunt. Idem Columella in hortis.

Nec genitrix (id eſt terra) *nati tunc aſpernatur amores.*

9. RAPTOREM. deorum qui eripuit deos ex incendio.

Ibid DARDANA. ſacerdos, Ilia virgo Veſtalis. ſacra autem Veſtæ erant Dardana, & ex Troia allata. alibi diximus.

13 FVRTO. adulterio.

15. HIS MVLCET DICTIS. Iam mulcetur Violantilla, & de nuptiis cogitat.

18. ASTRIS. ἀςὴρ græcè, latinè ſignificat ſtellam. Inde fœmininum eſt Aſteris formatum quaſi Stelles. id eſt amica Stellæ. quod nomen poëta formauerat, inſerueratque carmini quod inſcribebatur Aſteris, ortus ſolis.

20. QANTVM NON CLAMATVS HYLAS. nam Hercules amiſſum Hylam diu clauauit. Flaccus in tertio.

Rurſus Hylan & rurſus Hylan per longa reclamat
Auia. Reſponſant ſyluæ & vaga certat imago

Iuuenal. *& multum quæſitus Hylas.* hic filius Theodamantis fuit raptus ab Her-

ab Hercule, vt ex commentariis Apollonij alibi docuimus. In Bithynia egreſſus aquatum, ſecutuſque ceruam immiſſam à Iunone (vt canit Flaccus) cum veniſſet. ad littus, raptus eſt à choro Nympharum. Theocritus ab omnibus Nymphis raptum tradit. Onaſus in primo Amazonicorum eum in mare lapſum merſum ſcribit. Nicandrus in ſecundo, ab omnibus raptum. Apollonius ab vna tantùm.

22. MACTI TORIS. applauſus eſt & congratulatio. fœlix (inquit) & beate tantis nuptiis.

24. TVMIDAE PISAE. apta comparatio qua labor Stellæ exprimitur in amóre, & tandem reſpiratio. nam Alpheus qui iuxta Olympij Iouis templum labitur, per ſubterraneos meatus in Siciliam peruenire dicitur ad Arethuſam, cuius amore captus eſt. nota fabula apud Oui. Virgilius in iiii. geor.

Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis.

& in. iii. æneidos.

Alpheum fama eſt huc Elidis amnem Occultas egiſſe vias ſubter mare.

Euſtathius in. xiii. odyſſeæ quatuor Arethuſas fontes fuiſſe ſcribit, Syracuſis, Smyrnæ, in Chalcedone, in Itacha.

Ibid. AMNIS. Alpheus. ſic eadem laboris conditione, qua tu in externos amores Arethuſæ Siculæ.

26. DEMERSO CANALI. occulto meatu.

27. PROLATVS tandem emergens.

28. NAIS. Arethuſa nympha.

Ibid. MINVS EXVLTAVIT. gaudium Stellæ per comparationem ex antiquis hiſtoriis ſumptam amplificat.

37. CVM THETIN. Thetis Chironis filia, vt verò Hom. tradit, Nerei, Peleo nupſit.

38. PROSPEXIT ERECTO EQVO. pietatem patris expreſſit, qui abeuntem filiam quàm longo potuit viſu eſt perſecutus.

Ibid. ERECTO EQVO. nam Chiron Centaurus erat media parte equus.

36. TEMPE. locus Theſſaliæ, de quo hæc Plinius. In eo curſu tempe vocantur quinque milium paſſuum longitudine, & fermè ſex latitudine: & vltra viſum attollentibus ſe dextra læuaque leuiter conuexis iugis, intus ſua luce viridante allabitur Peneus viridi calculo amœnus, circa ripas gramine canorus auium concentu.

Pag. 12. v. 1. VOTIS MARITI. ô quàm ſegniter (inquit) venit aurora retardans voluptatem & gaudia Stellæ mariti. vt illud Martialis.

Phoſpore redde diem. quid gaudia noſtra moraris?

Caſare venturo Phoſphore redde diem.

3. LATOVS. Apollo filius Latonæ. nam Λητώ græcè Latona dicitur. inde Latous. Apollonius tamen in primo Latoidem appellauit. Γείνατο κυδαλίμοις ἰναρίθμιοι Αἰολίδαι Λητοΐδης.

Ibid. NYSA. Arabiæ fœlicis antrum, vbi Bacchus eſt educatus. Sophocles in India ſcribit Nyſam, quam corniger Bacchus ſibi obſtetricem colit, vbi ales non clangit. Homerus.

Qui quondam altricem Bacchi ſacramque ruebant Per Nyſam.

Nyſa item in Aſia iuxta Trales. Nyſæi verò equi velociſſimi erant, vt meminit Plato & Strabo, non hinc ſunt appellati. Hippoboton pratum quoddam eſt per quod iter faciunt qui ex Perſide & Babylone in Capſias proficiſcuntur. ibi olim paſcebantur equorũ. L. milia, quæ armenta regia erant. Nyſæi equi quibus reges vtebantur, optimi & magni, inde genus ducebãt; vt alij putant, ex Armenia. Horũ meminit etiam Plato in legibus. ſed qui eas in Latinum vertit ſermonem quum legeret illic, νυσαίους ἵππους, id eſt Nyſæos equos, tranſtulit inſulares equos. nam νυσαίους putauit deriuatum eſſe à νῆσος, quod ſignificat inſula. parco illius nomini, ne mortui vmbram inſectari videar.

4. ORTYGIA. eadem Delos dicta, quòd ὄρτυξ, id eſt coturnix, in ea primam viſa ſit. licet fabula canat, ſororem Aſteriem verſam in coturnicẽ. In inſula nec ſepeliri nec cremari mortuos fas erat. efferebantur in Reneam inſulã diſtantẽ quattuor ſtadiis: nec

diis:nec illic alebatur canis,vt docuimus in commentariis in Ibin. Primi illic ſaginare gallinas inſtituerunt,vt Varro in re ruſtica. & inde Plin.id ſcribit. Iidem præſtantia æris nobiles ſunt,vnde æs Deliacum.Corinthij inſulam tenuerũt, duces Mithridatis populati ſunt.Romani inſtaurarunt.Orthygia item in Sicilia eſt.

5. LYCII MONTES. Patara.nam Apollo ſex menſes in Lycia ad Pataram colebatur.Regio eſt in minori Aſia,iuxta Pamphyliam à parte Orientali,à Lyco Pandionis filio.nam priùs Thermile dicebatur, vt ait Herodotus.Diodorus autem in ſexto hiſtoriarum ita ſcribit: Lycus deinceps cùm in Lyciam veniſſet, templum Lycij Apollinis penes Xanthum fluuium erexit. Horatius.

Numquam ab humeris poſiturus arcum,
Qui rore puro Caſtaliæ, lauit
Crines ſolutos: qui Lyciæ tenet
Dumeta. Natalémque Syluam
Delius & Patareus Apollo.

Ibid. TYMBRA. campus in agro Troiano.& Tymbræus fluuius qui ſe in Scamandrum erumpit ad Apollinis Tymbræi templum. hæc Strabo.Quænam autẽ ſit herba Tymbra,ex hortis Columellæ & Plinio alibi recitauimus.

6. ILLI. Baccho.

Ibid. PANGEVS. mons Thraciæ cuius radices ambit Oreſtus fluuius.

10. THYRSOS. Thyrſis vtebantur in Bacchanalibus. Ouidius.

Serta comis manibus frondentes ſumere Thyrſos.

ea erat haſta aculeata obtecta hedera. Diodorus de Baccho. huius ſcriptoris verba Græca non recitabo, ne ea oſtentare videar.Sed Latina ita à nobis facta ſunt: In choreis & mulierum thyrſis ſumma cum voluptate educatus eſt. Feminarum exercitu quas thyrſis inſtruxit,orbem terrarum luſtrauit . nonnullos ſe contemnentes hoc conſilio edomuit:introducebat mulieres habẽtes mucronem ferri hedera circundatum,quæ reges imparatos adortæ ſuperabant:& Pentheus thyrſis eſt interfectus. Ouidius. *Prima ſuum miſſo violauit Penthea thyrſo Mater.*
Thyrſus pro furore. Lucretius.

Sed acri percuſſit thyrſo laudis ſpes meum cor.

Ibid ENTHEA. tempora diuina: vnde & muſa enthea dicitur:& vates enthei, id eſt deo pleni.Græca eſt dictio ἔνθεος.

12. OMINA SOCIALIA. nam omina & auguria auſpices captabant in nuptiis.

18. MIXTA STOLA. matronæ vtuntur. Ouidius.

Quas ſtola contingit. ſumptáque vitta vetat.

plura in commentariis Iuuenalis diximus , ex Horatio & aliis auctoribus . Mixtæ (inquit) matronæ plebeis anguntur multitudine.

20. POSTE RECLIVIS. Cantaturi habitum expreſſit. cogitabat (inquit) hymen cantare rarum carmen quod elegantes Stellæ aures oblectaret.

23. VINCVLA. in iugario vico vrbis erat ara Iunonis iugæ, vbi veteri ritu nubentes vinculis quibuſdam iungebantur in omen futuræ concordiæ. Mẽdoſa eſt dictio apud Liuium,iugularius vicus pro iugario.

Ibid INSIGNI TEDA. quam tantùm mares geſtare poterant,vt ſcribit Plinius.

24. IPSE CANAT NOCTEM. voluptatem noctis. Solus enim ſcit.

25. QVANTVM LICET NOSSE. quantum poſſum ego coniicere.

26. MARTIA ILIA. Martia quæ habuit rem cum Marte : per exempla ſumpta à virginibus pudorem Violantillæ exprimit.

28. TVRNO SPECTANTE. alludit ad carmen Virgilij.

Accepit vocem lacrymis Lauinia matris,
Flagrantes perfuſa genas: cui plurimus ignem
Subiecit rubor.

Spectantem Virgil. *Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.*

Ibid CLAVDIA. virgo inceſti ſuſpecta virginitatem probauit, cum nauẽ qua mater deorum vehebatur,miraculo ſubſiſtentẽ iniecto cingulo ſola ſubduxit. ſcribunt

C Liuius

Liuius in ſecundo bello Punico, Valerius, & Silius.

29. MOTA CARINA. Cybelis.

Ibid. POPVLOS. multitudinem ſpectantem.

30. NVNC OPVS. poëtas hortatur ad diem celebrandum.

31. COHORS ENTHEA. poëtarum multitudo deo plena.

34. PHILETAS. Cous, ex Coo inſula Carpathij maris. ſecundas in elegia tulit, Fabij iudicio. & vt Strabo refert, criticus fuit, id eſt, antiqnorum ſcriptorum cenſor: quamuis Strabonis interpres, Græcam vocem ſecutus, vocē inſolitam Latinis reddiderit, pro critico transferens iudicialem. Eſt item Coa inſula, quæ Græce κῶ dicta eſt, in Ægæo cum quattuor oppidis, Iulide patria Simonidis & Bacchilidis poëtarum: Cartheia, Cereſſa, Phoceſſa. Mendoſa eſt dictio apud Strabonem, Phorceſſa. ea patria fuit Pamphiles Platis filiæ: quæ prima docuit veſtes bōbycinas texere mira ſubtilitate: vnde veſtem Coam dicimus.

36. CALLIMACHVSQVE SENEX. hic Cyrenæus à Batto oriundus qui Cyrenas condidit. primas in elegia tulit, teſtimonio etiam Strabonis. Sed de Philete & Callimacho plura ſcribemus in epicedium patris poëtæ, in quinto huius operis.

Ibid. ANTRO VMBRO. ad patriam poëtæ alludit: quæ Meuania fuit in Vmbria.

38. DIVESQVE FOCO. qui ſe diuitem dicit foco lucente.

Dum meus aſſiduo luceat igne focus.

Ibid. THOMI. oppidulum (vt ait Strabo) in Ponto. ἀπὸ τοῦ τέμνω quod eſt incido. nā illic Medea fratrem dicitur diſcerpſiſſe. Sed tamen vt ex carmine Apollonij Rhodij diximus, & illius interpretis teſtimonio, Straboniſque confirmatur auctoritate, fratrē Medea diſcerpſit ad Abſyrtidas inſulas oræ Illyricæ: vnde ab Abſyrto Abſyrtides ſunt appellatæ Sed de hoc plura in commentariis in Ibin diximus.

PAG. 13. V. I. SIMPLEX CAVSA. non vna cauſa, ſed duæ. & tua ſcilicet qui mihi vinculis ſtudiorum coniunctus es: & Violantillæ, quæ eſt mea ciuis & popularis. eſt enim Parthenopea.

5. AT TE. ô Violantilla Hoc diſiunctiuè legendum. quoniam autem quidā coniunctim legêre cum ſuperioribus, falſum hinc acceperunt teſtimonium, eſſe Parthenopeum, cùm ſit Patauinus, teſte Martiale. Hoc enim quod ait, *At te*, nō ad Stellam: ſed ad Violantillam referendum eſt.

7. TELLVS EVBOIS. Parthenope. quā olim tenuerūt nō ſolùm Cumani, ſed & Chalcidēſes ex Eubœa, ex Pythecuſis, itē & Athenis à quibus incolis dicta eſt Neapolis.

8. SEBETVS. fluuius iuxta Neapolim. ex cuius nympha Telon qui Capreas tenuit, Oebalum ſuſcepit. Columella: *Doctáque Parthenope, Sebetide roſcida lympha.* glorietur (inquit) Neapolis tali ciue alumna qualis es: nec Lucrinus lacus aut Sarnus Pompeianus plus gloriari poſſunt ſuis nymphis quā Sebetus Violantilla. vult enim Violantillam videri nympham Sebeti fluuij Neapolitani.

10. & 11. NEC SIBI PLACEANT MAGIS. non ſe magis extollant.

Ibid. NEC OCIA. id eſt receſſus & amœnitates.

Ibid. PLACEANT MAGIS. ſcilicet ſibi & ſe efferant.

Ibid. SARNI POMPEIANI. nam Sarnus fluuius alluit agrum Pompeianum.

12. QVI LEGAT LEGES. qui ſint boni ciues in toga.

Ibid. LEGANT CASTRA. qui ſint vtiles foris.

14. PARCAT. ne rugoſum ventrem pariētis reddat, & mammillas pendentes: aut in diſcrimen vitæ doloribus conijciat. Propertius.

Viderit hoc ſi quam, iam peperiſſe pudet.

quibus verbis tam bene optat vltimis epithalamii verſibus quàm toto carmine aſſurrexit: cuius calor omnis in hunc exitum & læta omnia fouebantur.

DOMITIVS AVGVSTINO.

MIrari ſoleo, Auguſtine, cum huius poëmatis virtutes intueor, modò remotas inuentiones, modò carminis elegantiam: modò fabulas & hiſtorias reconditas. Sed in hac villa Tiburtina, in qua tam multis verſibus laſciuit, id mihi præcipuum videtur, quòd eam non tam deſcribit, quàm energia quadam carminis à fundamen-

damentis inchoans ad tectum perducit, inſtruitque & ornat totam. Nonne ſpatiari videris tibi ipſi cùm hoc carmen legis, & in penetralia villæ illius à poeta duci? Hæc vtraque Anienis ripa in fornicem coniungebatur, thermaſque habebat & plurima ſigna: Si cui (inquit) fortè datum eſt vt in villa Manlij Vopiſci fuerit; hic nec caniculares æſtus ſenſit, nec leonis calorem. nam algor quidam eſt totis tectis & mira amœnitas.

27. Tibvr. villam Tiburtinam.

Ibid. Glaciale. algentem Tibur. Catillus Amphiarai filius poſt patris interitum iuſſu Ocilei aui in Italiam venit cum tribus filiis, Corace (vt alij ſcribunt Cora) Catillo, Tiburte. Condiditque oppidum. Silius: *Hinc Tibur Catille tuum.* Plinius Tiburtem conditorem fuiſſe ſcribit: quem tradit cepiſſe auguria iuxta tres ſalices quæ ſua ætate adhuc virebant. Seceſſu & exilio mitiori locus fuit Tibur. Cato in originibus teſtatur à Catillo Arcade præfecto claſſis Euandri conditum.

28. Penates geminos inserto Anione. Duplicem domum quæ ab vtraque Anienis ripa coniungitur.

29. Avt potvit. fœlicitate quadam adeptus eſt vt hoc haberet.

Ibid. Noscere. ſentire.

Ibid. Commercia. coniunctionem per fornicem.

Ibid. Ripae. Anienis.

Ibid. Sociae. ædificio vtramque coniungente. Anio, flu. ex montibus Thebanorum oritur, triſque lacus efficit: vnde Sublacuo datum eſt nomen, vt ſcribit Plinius, cuius meminit Tacitus in dapibus Neronis. Strabo: ex Alba (inquit) decurrens, præter Latinam Marſorum vrbem, in Tiberim intrat.

30. Villas. domum.

Ibid. Certantes. conantes amœnitate ſua.

Ibid. Defendere sibi dominvm. ſeruare ſibi dominum incolumem.

31. Sirivs. canicularis, de quo alibi dicemus.

Ibid. Latravit. æſtu laceſſiuit. vſus autem verbo eſt conuenienti caniculæ. nam Sirius Canicula eſt. de quo Plinius hæc. Nam Caniculæ exortu accendi ſolis vapores quis ignorat? Cuius ſyderis effectus ampliſſimi in terra ſentiuntur. feruent maria exoriente eo: fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna. Origem appellat Ægyptus feram, quam in exortu eius contriſtare & conueniri tradit, ac velut adorare quum ſternuerit. Hyginus hunc fuiſſe canem tradit cuſtodem Europæ vel Icarij. quod etiam tradit Ouidius in Faſtis. Canis (inquit Hyginus) habet in lingua ſtellam, quæ Canicula appellatur. In capite autem alteram quam Iſis ſtatuiſſe ſuo nomine exiſtimatur, & Sirion appellaſſe propter flammæ candorem, quòd eiuſmodi ſit vt præter cæteras lucere videatur. Ita quòd eam magis cognoſceret, Sirion appellaſſe. nam & Iſis Syria fuit, quamuis ſcriptura varia: vt ſcio quoſdam Græcos aliter ſcripſiſſe. Interpres Arati, apud Græcos tradit viginti ſtellas eſſe in corpore Canis in cælo: ſed de Sirio hactenus.

32. Alvmnvs Nemees. Leo in Nemea ſylua educatus. nec is (inquit) qui fuit in Tiburtina Manlij, læſus eſt æſtu ſolari qui maximè ſæuit cùm ſol eſt in Leone. Inter Cleonas oppidum (vt ait Strabo) & Philontem agri Argiui ſurgit Nemea ſylua, vbi leo interfectus eſt ab Hercule, tranſlatus in cælum: vel quòd ſit princeps ferarum, vel quòd primus fuerit labor Herculis: vel quòd cum inermis necauerit, vt Piſandrus ſcribit & Hyginus refert.

Ibid. Aspexit. afflauit.

Ibid. Gravis. æſtu moleſtus.

33. Talis. epiphonema eſt, id eſt acclamatio, vt illud Virgilianum:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem!

quod Fabius obſeruauit & docuit. *Talis hyems.* adeo temperatus algor eſt in hac ripa.

Ibid. Improba frigora frangvnt solem. leniunt æſtum. eadem metaphora vſus Cicero: Dum ſe calor fregerit.

34. Domvs. villa hæc.

Ibid. NON AESTVAT ANNVM PISEVM: id eſt partem anni calidam & nimio æſtu flagrãtem. nam cum ad Piſam in Olympia ludi celebrabantur, & æſtiuum erat tempus (vt docet Pindarus) & ob multitudinem hominum conuenientium æſtus augebatur.

35. IPSA VOLVPTAS. manu ſua (inquit) ipſa voluptas tectum villæ pinxiſſe dicitur. Ego tamen hunc locum mutilatum eſſe crediderim.

36. SVCCIS IDALIIS, Cypriis, ab Idalio nemore ei dicato, vt ſcribit Plinius.

37. PERMVLSITQVE COMAS. villæ.

38. VOLVCRIS NATOS. Venit (inquit) Cupidines hanc villam habitare.

Pag. 14. v. 1. O LONGVM MEMORANDA DIES. grata poetæ acclamatio & admiratio. nam & gratiam refert perceptæ voluptatis in villa: & auctoritatem dat carmini ſuo, dum oſtendit hoc non eſſe fictum quod ſcribit, ſed teſtimonium: cum illic fuerit & ſpeculauerit omnia. *Memoranda longum.* æterno memoratu digna.

Ibid. QVAE. figuratè legendum, vt dicas, ô qualia carmina.

2. TOT MIRACVLA. tot res in villa admiratione dignas.

3. INGENIVM QVAM MITE SOLO: Deſcriptionis initium: primaque laus villæ ab vbertate ſoli, & altera ab artificio ædificij. *Quam mite ingenium.* ô quam mitis natura eſt ſoli, vbi condita eſt villa.

3. QVAE FORMA. ô quam elegans forma ædificij.

4. EST CONCESSA. tributa.

Ibid. LOCIS BEATIS. locis fertilibus & ſolo feraci.

Ibid. ARTE MANVS. architecti.

Ibid. NON LARGIVS. nuſquam (inquit) natura ipſa ſeſe conceſſit & effudit maiore benignitate: atque ita incipit laudare in villa ſuccum naturalem.

6. INCVBVERE, id eſt impendent.

Ibid. VADIS. alueo Anienis.

Ibid. CITATIS. curſim labentibus.

Ibid. FALLAX IMAGO. quam frondes ſcilicet repræſentant in aqua.

Ibid. RESPONSAT FRONDIBVS. repræſentat frondes in aquis vmbra frondium.

7. FVGIT. protenditur.

Ibid. PER LONGAS VNDAS per longum ſpacium Anienis.

8, IPSE ANIEN. In omnibus codicibus quos adhuc vidi hæ duæ dictiones ita ſcriptæ ſunt, *Ipſa autem.* ego verò admonitus epitheto quod ſequitur, *Saxeus*, aduertenſque mentionem antea factam fluminis Anienis, ita legendum affirmauerim vt emendaui, *Ipſe Anien.* nam Anio dicitur & Anien: & *Anienacaſu vocandi*, dixit Propertius.

9. SAXEVS. labens alioquin per ſaxa & ſtrepens.

Ibid. INFRAQVE SVPERQVE. ſuperiori & inferiori parte villæ.

Ibid. HIC. cum abluit villam Vopiſci.

11. SOMNOS AVENTES CARMINA. id eſt quietem placidam.

10. VOPISCI. qui non ſtertit altò ſomno ſecurus, ſed auens & meditans ſemper carmen, tenui ſopore iacet.

Ibid. PRAETORIA. ædes villæ.

Ibid. ALTERNAS RIPAS NON EXTERNA SIBI: non diuiſa inter ſe: ſed coniuncta.

14. FLVVIVMVE OBSTARE. non conqueruntur (inquit) prætoria quæ vtraque ripa ſurgunt, fluuium obſtare ſibi quominus coniungantur: nã ſunt fornice coniuncta.

15. SINVS SESTIACOS. iactet (inquit) vt iubet antiquitas, Seſton coniunctam fuiſſe Abydo, & traiectum fuiſſe in alterutram ripam tutum, vt referatur ad id quod Xerxes coniunxerat Seſton Abydo ponte. longa hiſtoria in primis apud Herodotum, quam recitauimus in commentariis Iuuenalis. Vel referatur ad Leandrum, qui ex Abydo natabat Seſton: vt conueniat cum eo quod ſequitur de puero qui à Baiano Puteolos Delphino vehebatur.

16. EPHEBO. nam Diuo Auguſto principe Delphin puerum portabat ex Baiano Puteolos in ludum litterarum, quem Simonis nomine ad ſe vocabat obiectis

fragmentis

fragmentis panis. Dilectus eſt ab eo miro amore puer. res eſt Mœcenatis, Flauij, Alphi, multorumque litteris memoria commendata. Quocunque diei tempore inclamatus eſſet à Puero, quamuis abditus, ſtatim aduolabat: & paſtus dorſum aſcenſuro præbebat, aculeos velut vagina condens. receptum Puteolos per magnum æquor ferebat; ſimili modo reuehebat pluribus annis: donec puero extincto ipſe ad locum frequentiſſimè veniens, deſiderio expirauit. Meminerunt Plinius & Gellius.

Ibid. IVNCTOS: nam qui vehitur biga iungere equos dicitur, cum innititur.

Ibid. AVDACI. qui ſe committebat vndis & delphino. quaſi dicat, non cedit hoc miraculum, coniunctam eſſe vtramque ripam Anienis vna domo, vel fabula de Leandro, quòd natauerit ab Abydo in Seſton. vel quòd puer ex Baiano Puteolos ſit Delphine vectus.

18. TRANSMITTERE VISVS. In vlteriorem partem aſpicere.

Ibid. SIC CHALCIDA. comparat res mirandas locorum, quæ vi tempeſtatis ſeiuncta ſunt cum diſtantia & interuallo vtriuſque ripæ Anienis in villam Vopiſci. nam maria abſciderunt Siciliam Italiæ, Eubœëam Bœotiæ. hoc eſt quod dicit Chalcida Eubœëæ eſſe ſeiunctam fluctibus. Præterea Eubœëæ Atlantem & Marcliam Belbicam Bithyniæ, Leucoſiam Sileno permontorio: quod Plinius ſcribit.

19. 20. FLVCTVS FLVVII. accipe pro epitheto & adiectiuo *fluuij*: vt exponas perpetuò reciprocantes. nam Euripus iuxta Eubœëam fluit refluitque ſepties die & noctu, vt tradiderunt Strabo & Plinius. Liuius fabuloſum putat quòd ſepties tantum illud fieri dicant: incertumque eſſe quotiens id veniat arbitratur.

20. EXPELLVNT. dirimunt & ſciungunt.

21. ORA BRVTIA. ea eſt in fine Italiæ vbi eſt Rhegiũ, dirimiturque euripo à Sicilia.

20. PROFVNDO. freto maris & euripo.

21. PELORVM SICANIVM. quod è regione eſt.

22. QVID PRIMVM. honeſta dubitatio, quâ carmen excitat & auditorem recreat feſſum; ſimul rei magnitudinem exprimit.

23. TRABES AVRATAS. laquearia auro aſperſa: de quibus ante diximus.

Ibid. POSTES MAVROS. auctor eſt Polybius, in extremis Africæ dentes elephantorum poſtium vſum præbere. quòd autem valuæ ex ebore apud Romanos ornarentur, Propertius indicat eo verſu:

Auro ſoni erant ſupra faſtigia currus:
Et valuæ Lybici nobile dentis opus.

Ego tamen intellexerim potius de citro arbore. Nam vt Strabo teſtatur, & Plinius copioſius ſcribit; in Mauris plurima arbor citri eſt, vnde menſæ fiebant magnis impendiis & luxu: quod in commentariis Martialis pluribus verſibus teſtati ſumus. Vult Papinius videri, poſtes ex citro fuiſſe in villa Vopiſci.

24. VENA PICTVRATA. vel naturaliter diſtincta marmora ſuis venis, vel picturæ artificio. nam marmora etiam pingebantur nouo & luxurioſo inuento, vt ſcribit Plinius.

25. MIRER. mirando laudem.

27. LVCORVM SENIVM. Laus ſyluæ & nemoris eſt à vetuſtate Tiburi. Certè tres erant quercus, vt ſcribit Plinius, longè antiquiores ipſo oppido. nam apud eas Tiburnus conditor dicitur inauguratus.

30. IMITANTIA SOMNOS MVRMVRA. leuiter ſuſurrantia, quæ dormientem imitari videntur.

34. VICINO FLVMINE. vel Albulam intelligit. quæ aquæ ſunt iuxta Anienem in planitie Tiburtina, pergelidæ & ſulphureæ, vulneribuſque medentur. Martialis;

Crudarum nebulaquod Albularum. alibi.
Canæ vbi ſulphureis Albula fumat aquis.

ſuperiora ſcribunt Strabo & Plinius. vt dicat aquas Anienis quæ caleſiunt proximis balneis Vopiſci, deridere nymphas Albularum vicinas, quæ frigore rigent. Vel *vicino flumine*, ſuperiore & inferiore parte fluminis.

35. MANVS VETERVM. ſigna antiqua & archetypa.

37. CONTINGERE DIGITIS. gemmas inſertas ſignis: ſed dignas quæ annulis potius geſtarentur.

38. MANVS MYRONIS. Myron Eleutheris natus Ageladis diſcipulus bucculis maximè nobilitatur. celebratis verſibus laudatur. fecit & canem diſcobolon: cuius meminit Fabius & Perſea. Alia præterea multa quorum meminit Plinius. Corpora quidem curioſe formauit. animi ſenſus non ſatis expreſſit. capillum quoque & pubem non fecit emendatius quàm rudis antiquitas. Victus à Pythagora Regino in pancratiaſte effingendo: qui Delphis eſt poſitus.

PAG. 15. V. 3. NEC OPINVS. in aliis codicibus extat *opimus*. nos legimus *opinus*: vt dicat, imprudens incedebam per luxurioſa pauimenta, quod tandem aduerti admonitus ſplendore reciproco.

4. TESTAE. id eſt teſtulæ quibus erat conte&tum pauimentum.

6. ASAROTA. pauimenta ſunt in quibus Zenodorus primus claruit. nam aſaroton ſtrauit Pergami miro artificio paruis teſtulis & in varios colores tinctis. ibi erat columba bibens: & vmbra capitis fuſcans aquas. aliáque ſubripiens eſcam. Aſarota dicta, vt ſcribit Plinius, quoniam purgamenta cœnæ in pauimento quoque euerri ſolent, ab α particula intentiua, & σαίρω verro. Aſarota (inquit) & pauimenta tanto artificio teſtulis ſuis habent figuras deſignatas, vt picturam ſuperent. Vel legas.

Aſarota ſubierant pedibus meis nouis figuris.

Ibid. GRADVS. pedes mei expauere, cum calcarent tam pretioſum pauimentum.

8. TRICORIS. Tricora ædificia tribus pinnis ſurgentia.

9. QVID TE. arborem laudat quæ per poſtes & tecta ſurgebat in aërem: adeo vt nullus dominus villæ eſſe potuerit, qui noluiſſet ſuccidi cum eſſet impedimento. ſed tanta erat Vopiſci benignitas, vt non modò vellet eam cædi, ſed etiam pateretur reuirêre: vel ope nymphæ fluuii qui allabebatur: vel numine Hamadryadis, quæ nympha eſt arborea.

17. MARTIA. ex nouem aquæductibus, quarum hæc nomina ſunt: Appia, Anioretus, Martia, Tepula, Iulia, Virgo, Auguſta, Claudia, Anio nouus, vt Frontinus auctor eſt. Martia quondam Auſea dicebatur, quod ſcribit Plinius. Fons Piconia oritur in vltimis Pelignorum montibus: tranſit Marſos & lacum Fucinum Romã petens: mox ſpecu merſa in Tiburtina ſe aperit: vnde fornicibus extructis in Vrbem inducebatur. Primus Ancus Martius, vnus è regibus, eam ducere auſpicatus eſt. Quintus Martius in prætura Rex eſt ſubſecutus. Demum M. Agrippa reſtituit: vnde à tot Martiis conditoribus Martia eſt dicta. Brotheus verò meus cum Plinium deprauaret, vbi ille ſcribit; Quintus Martius Rex in prætura: Ipſe expugnans veram ſcripturam, falſam ita ſuppoſuit: Marcus Titus in prætura. ignorans Rex eſſe cognomen familiæ. vt non liberet offendi quod ſequitur in prætura. nam Quinto Martio Regum familia erat Romæ, quod diſcas ex epiſtola Ciceronis & illius Liberto ac Tranquillo.

18. AN SOLVM. Non glorietur (inquit) tantùm Sicilia quòd Arethuſam petat Alpheus longo meatu ſubterraneo. nam in eo non cedit villa Manlij, cùm Martia aqua ex vltimis Pelignorum montibus ſubterraneo meatu labens, tandem in Tiburtino iuxta eam villam ſeſe aperiat.

19. DVLCIS SEMITA. grata Alpheo contendenti ad Arethuſam amicam.

Ibid. PORTVS AETNASOS. Siculos.

18. AMNEM ELIDIS. Alpheum labentem iuxta Elidem & Piſam.

21. NOCTE SVB ARCANA. Tiburnus (inquit) qui genius loci eſt, omiſſo alioquin Aniene ſe oblectat in ſpecu vbi Martia ſe aperit.

20. ANIENI FONTE. id eſt Anienis fluuius, vbi ſe oblectare ſolet. alij codices habent *Aniene in fonte relicto*. nos, cùm is nullus ſenſus eſſet, emendauimus, *Anieni fonte relicto*. nam vt propoſuimus, antiqui dixerunt Anienus Anieni: quod Pompeius vſurpauit.

24. PLAVDIT AQVAS. Martiæ.

25. At-

25. ALBVLA. nympha Albularum.

Ibid ILLIC. in antro Martiæ.

26. HAEC DOMVS. commemorantur omnes amœni ſeceſſus, quos vrbs habuit in agro. horum genios & deos ait optare mutare locum, ſi liceret, & venire in villam Vopiſci: qua methodo eam omnibus anteponit.

Ibid PHOEBEM NEMORALEM EGERIAE. Dianā Aricinā: de qua alibi plura dicemus.

Ibid. ADIVNGERE. auocare & allicere ad ſe.

27. VIDVARE. priuare.

28. TAIGETA. mons eſt Laconiæ, qui imminet Spartæ & Amyclis ex parte terræ motu dirutus. Cùm Sparta etiam corruit, cum terræmotum prædixit Anaximāder. illic erant ſyluæ denſiſſimæ Laconum venationibus. Sæpe luſtra. Dryades (inquit) omnes quæ in ſyluis ſunt Taygeti, mallent habitare villam Manlij & nemus.

27. ALGENTIA. eodem epitheto vſus Silius:

Gelidos dehinc inuiſere montes Taygeta.

28. ACCERSERE. abducere & ad ſe aduocare.

Ibid PANA. qui genius eſt Arcadiæ.

Ibid. LYCAEIS SYLVIS. ex ſyluis Arcadicis quas tenet & amat.

29. QVOD NI TEMPLA. præterea huic (inquit) migraſſent fortunæ quæ coluntur Præneſte: darentque hic reſponſa ſua. niſi Hercules locum iam occupaſſet & reſponderet. nam Hercules Tiburi colebatur: indeque appellatum eſt Tibur Herculeum.

Ibid TYRINTHIA. templa Herculis Tyrinthij. de Tyrinthe oppido plura dicemus alibi ex Strabone, Homero & Euſtathio.

29. ALIAS SORTES. alia oracula.

Ibid. SORTES SORORES. Fortuna colebatur ſub imagine duarum ſororum & Præneſte (vnde certa dabantur reſponſa: quod ſcribit Strabo. Silius.

Sacrisque dicatum Fortunæ Præneſte iugu.)

Et Antij. vnde Fortunæ Antiatinæ à Tranquillo dicuntur. & Macrobius ait earum ſimulacra moueri ſolita cum darent reſponſa. Horatius vnam appellauit: *O diua gratum quæ regis Antium* ita eſt interpretatus templum Fortunæ donis illic fuiſſe opulentiſſimum. Cicero in diuinatione ſcribit de inuentione ſortium Præneſtinarum, & templi Fortunæ. Propertius (vt in commentariis in eum poëtam diximus)

Nam quid Præneſte dubias ô Cynthia ſortes,
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?

29. 30. SORORES PRAENESTINAE FORTVNAE. Martialis de Antiatinis.

Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores:

30. MIGRARE. In Tiburtinum.

31. POMARIA BIFERA. Alcinous rex Phæacum in Corcyra pomaria feraciſſima habuit, adeo vt aliis fructibus maturis alij ſuccederent. plura ex Homero alibi recitauimus de carmine Odyſſeæ.

Ibid. POMARIA ALCINOI. id eſt pomaria Manlij æquantia pomaria Alcinoi fœcunditate fructuum.

Ibid. BIFERA. bis quotannis fructum ferentia: quod autem antè legimus, *Taygeta algentia*, in codicibus inemendatis algeona ſcriptum eſt. nos *algentia* ſcribi oportere exiſtimamus.

33. IVGERA TELEGONI. Tuſculum intelligit. nam Telegonus Vlyxis & Circes filius ea mœnia condidit, vt ſcribunt Pompeius & Porphyrio. Propertius: *Ææi mœnia Telegoni.* agrum verò Tuſculanum fuiſſe amœniſſimum, cum alia multa, tum Strabonis confirmat auctoritas. Scribit enim ſeceſſum fuiſſe gratiſſimum, multiſque & magnificentiſſimis villis ornatum.

34. DOMVS LACINIAE. Lacinium ad Crotonem eſt, vt ſcribit Strabo. vnde Iuno Lacinia: cuius loci amœnitatem ſcribit Liuius. xxiiii. libro ab vrbe. Croto (inquit) habuit murum patentem in circuitu xii. millia paſſuum, ante aduentum Pyrrhi in Italiam; poſt illius belli vaſtitatem vix dimidia pars habitabatur. In vrbe templum

vrbe

vrbe ipſa nobilius, Laciniæ Iunonis, factum ab omnibus circa populis. locus eſt frequenti ſylua & proceris abietis arboribus ſeptus. lata in medio paſcua habuit: vbi omnis generis deæ ſacrum pecus paſcebatur.

35. LITTVS ANTIPHATAE. Formianum intelligit ſeceſſum amœniſſimum: vbi habitarunt Læſtrygones, vt Plinius ſcribit: quibus imperauit Antiphates, auctore Homero in Odyſſea: & Ouidio in xv. metamorph. totum ſinum illum ante tempora Troiana tenuit Lamus: quod ſcribit Homerus. & Silius.

Fundique & regnata Lamo Caieta: domuſque
Antiphatæ compreſſa freto.

Cruenti dixit, quoniã Læſtrygones erant Anthropophagi: carnibuſq́. veſcebantur humanis. quod ſcribit Plinius in vij. naturalis hiſtoriæ. Thucydides fabuloſos putat. in commentariis in Iuuenalem diſſeruimus. Vlyxes quidem apud Homerum vnum ex ſociis ab Antiphate fuiſſe abſumptũ refert. Amœniſſimas item fuiſſe Formias teſtatur Homerus. Fuerunt item Læſtrygones in Sicilia.

Ibid. IVGA CIRCES. Circei, vbi Circe homines in feras vertere dicebatur. Nam Circe quum Sarmatarum Rege coniuge interfecto migraret, expulſa ob crudelitatem in ſocios, ad deſertam quandam Oceani inſulam diuertit. quod nonnullos ſenſiſſe refert Diodorus: vt alij tradunt, quandam hiſtoriam ſecuti, montem in Campania tenuit: quem ab eius nomine Circeum appellarunt: & eandem diuertiſſe in inſulam Oceani putarunt: qui decepti ſunt falſa carminis Homerici interpretatione. nam vbi ille Circes & Circei meminit in Odyſſea, mare Tyrrhenum, quo alluitur, Oceanum frequenter appellauit. Mons autem (vt ait Strabo) plurimis radicibus abundat. Habebat Circes ſacellum Mineruæ aram. Vlyxis pateram de fœcunditate herbarũ cùm legiſſet Aeſcylus poëta, totã Italiam herbis abundare dixit.

36. LVPIS DVLICHIIS. id eſt vbi ſocij Vlyxis Dulichij, id eſt Ithacenſes verſi ſunt in lupos: atque ab Homero diſcedit Papinius. ille enim ſcribit ſocios Vlyxis qui ad Circem venerant duce Eurylocho verſos fuiſſe in ſues: fuiſſeque illic leones, lupos, vrſos, in quos alij conuerſi fuerant.

Ibid. CIRCES VITREAE. propter paludes Circeas. nam in aquis habitantes, vitreos, quod aquarum eſt epitheton, ſolemus appellare.

Ibid. ARCES SVPERBAE ANXVRIS. nam collis Anxuri imminet: quem cum Fabius occupaſſet, vrbem cepit. propterea *ſuperba*, id eſt æditæ arces. Anxur olim, nunc Terracina, vt Liuius ſcribit, eadem dicta Trachynia ab aſperitate, vt auctor eſt Strabo nam τραχὺ græcè, latinè aſperum ſignificat.

Ibid. ET SEDES. Caietam intelligit, quæ condita quidem eſt à Laconibus; ſed ſi Virgilio credimus & Dionyſio Halycarnaſſeo, nomen accepit à Caieta nutrice Æneæ: quæ illic mortua eſt & ſepulta. Vel à curuitate ſinus, vt refert Strabo. nam Caieta curua omnia Lacones appellant.

37. 38. MITIS ANVS. Caieta nutrix Æneæ.

Ibid. DEBET. refert acceptum illud nomen.

Ibid. ALVMNO PHRYGIO. Aeneæ, quem educauit.

38. CEDANT QVAS TE. Antium intelligit, quò hyeme ſecedebant Romani.

Pag. 16. v. 1. LITTORA AVIA. ſine portu. nam Antium portu caruit, vt ſcribit Strabo: quem poſtea habuit. Vrbs ſita erat in rupe ad ocium vrbanarumq́ue rerum vacationem principibus conceſſa, cùm primùm reſpirare poſſent.

2. SCILICET. nimirum (inquit) per talem ſeceſſum & amœnitatem componis animum ad grauitatem.

3. QVIES FOECVNDA. ocium tuum in quo aliquid ſemperagis, hoc ſeceſſu continet.

4. VIRTVS GRAVIS. diſcis grauis eſſe & comis pariter, quod difficillimum eſt, vt ſcribit Cicero.

Ibid. DECOR SANVS. non autem falſa habitudo arte mangonum comparata.

6. SENIOR GARGETIVS. id eſt Epicurus. nam is fuit filius Neoclis: & ex pago Gargetio, vt ſcribit Laertius. Epicurus (inquit) qui voluptatem ſectabatur & tranquillita-

quillitatem, ſi viueret, diſcederet Athenis, vbi habebat hortos, quos primus inſtituit ad relaxationem animi (vt ſcribit Plinius) & in villam tuam migraret.

7. Haec per et Ægabas. par (inquit) erat venire in talem villam, etiam ſi per tempeſtatem Ægæi nauigandum eſſet, tanta eſt eius amœnitas.

9. Maleae. id eſt periculis naufragiorum quæ fiunt ad Maleam Laconiæ promontorium: quod exit in mare quinque milibus paſſuum, tam certo diſcrimine, vt prouerbium fuerit; Cùm Maleam trāſieris, ne reſpicito, vt ſcribit Strabo. Plura alibi de hoc dicemus.

8. Astris oleniis. id eſt aſtro hœdorum, qui appellātur Olenij à capella quæ Iouem nutriuit, quæ dicta eſt Olenia, vt ſcribit Callimachus, ab Oleno oppido Arcadiæ. ſed de hoc in ſecundo plura dictabimus.

9. Sicvlos aestvs. Scyllam & Charybdim.

12. Maiore lyra. cantatum à Virgi.

15. Satyram liuentē. nam qui natus eſt vt ſatyrus, liuorem contrahit vultu.

16. Sev tva. ſiue in ocio ſecurus nec iratus epiſtolam ſcribis.

Ibid. Midae. regis Phrygum qui ditiſſimus fuit.

19. Hermus. fluuius Lydiæ ad Myſiæ initium: qui aureas habuit arenas, ex monte Dindymene ſacro in Sardianum agrum defertur, vt ſcribit Herodotus. meminit Strabo.

20. Sic. optantis aſt. tali (inquit) amœnitate & ocio. nam nihil habuit maius poëta quod precaretur Manlio Vopiſco, homini amiciſſimo, qui tanto ſtudio ſibi receſſum hunc exædificauerat, quàm vt fœliciter frueretur ocio & votis ſuis.

DOMITIVS AVGVSTINO.

QVI bona fide deos colit Auguſtine, veneretur & ſacerdotes: vt alibi Papinius ſcribit. nam beniuolentiam non poſſumus omni tempore in eum, quem principem colimus teſtificari; & ne quid prætereamus officij ac pietatis (ſolemus eum quoque amore proſequi) quem principi carum eſſe cognoſcimus. Rutilius Gallicus (quod te ignorare nolim) tanta fuit apud Domitianum auctoritate & gratia, vt ei legum iudiciorumq́ue omnium cura credita ſit: vnde vrbis cuſtos eſt appellatus. hinc hemiſtichion illud Iuuenalis: *qui cuſtos Gallicus vrbis*, in commentariis noſtris docuimus, de hoc Rutilio intelligit: cum alij de anſere interpretarentur. Is nuper in morbum lethargicum inciderat. nam perpetuo opprimebatur ſomno. conualeſcenti poëta congratulatur hoc carmine quod Soteria inſcripſit, quaſi munera pro amici ſalute perſoluta. nam ea ſoteria appellantur à σώζειν, quod eſt ſeruare: vt in commentariis Martialis docuimus. Soteria verò primus ſcripſit Orpheus, vt Apollodorus tradit.

26. Estis. alij ambigunt an dij ſint, quorum prouidētia mundus regatur. alij putāt deos quidem eſſe, ſed eos nullis precibus moueri, quo minus fata in exitum perducantur. Ego (inquit) Papinius) ex hoc didici & deos eſſe qui audiant preces mortalium, & eos aliquando flecti. nam Gallicus videbatur moriturus: ſed populi votis ſeruatus eſt diis exaudientibus.

Ibid. Io. vox lætantis & proſequentis triumphum.

Ibid. Clotho. vna ex tribus Parcis, quæ verè (vt fert Heſiodus in Theogonia) bonum malumque futurum mortalibus naſcentibus dant, & vitam nent. Homerus,

ἄσσα οἱ αἶσα Γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

26.27. Nec opvs inexorabile. Et fata (inquit) poſſunt exorari.

27. Astrea. de hac ex Heſiodo & Hygino plura recitauimus commodè. Papinius ait Aſtream conciliatam eſſe Ioui. cuius ſcilicet regnum olim irata eſt, & in cælum fugit: eamq́ue à Ioue impetraſſe vitam Rutilij, à quo ipſa diligenter colebatur.

Ibid. Videt pios. fauet ſe colentibus: vt nuper fauit Rutilio Gallico.

30. Es caelo. dis es germanice cordi. codices alij omnes hunc verſum ita habent.

Et cælo diues Germanice cordi.

ſed cum nullus ſenſus exiſteret, & facilè in has ſyllabas redigi poſſit quæ certam præbent ſententiam, à nobis emendatus eſt, vt antè diximus, vt. dicat: ô Domitiane & cælum & dij gerunt curam tui. noluerunt enim perire Gallicum, cuius opera & fide vtereris ad imperium tuendum. Quid enim crediderim poëtam elegantiſſimum aliter locutum eſſe aut dixiſſe? *Germanice dives*. frigido & ſordido epitheto in Imperatorem. leges igitur noſtra ſententia:

ES CAELO DIS ES GERMANICE CORDI.

Ibid. PROXIMA CERVIX. Gallicus, qui ſecundo loco ſuſtinet pondus imperij.

35. ALACRES COHORTES. lætitiam de ſalute Rutilij Gallici ad eos in primis pertinere ait, penes quos legum moderatio & iudiciorum cura eſt: & ad ſocios nominis Romani qui leges à populo Romano accipiunt. nam vt diximus, Rutilius Gallicus iudiciorum omnium & legum curam gerebat.

Ibid. QVAE COLVNT SIGNA VRBANA. id eſt equites. nam decuriæ iudicum ex equeſtri ordine eligebantur.

36. LEGES CONFVGIVNT, FORA TVRBIDA, IN TVVM SINVM. nam qui in foro iniquè damnatus eſſet, ad Rutilium prouocabat.

Pag. 17. v. 1. NOSTER COLLIS. nos quoque poëtæ (inquit) confremamus in tanto gaudio. *Noſter*. inemẽdati codices habẽt, noſſe: ego verò *noſter* legendũ puto.

2. PETORIS FAMAE. quæ erat Gallicum moriturum.

6. TERENTI. Terentus locus in campo Martio, dictus quòd ibi ara Diis patris & Proſerpinæ terra conderetur, vt placet Feſto. eum locum inſtaurauit Valeſius diuino monitu: vt eſt apud Valerium Maximum. Nec dij manes (inquit Papinius) tantum ſceleris committant, vt Gallicum eripiant.

9. NEC HORTABOR ALVMNVM DIRCES. inemendati codices habent, *Hortatur*. ego vero coniunctim legendum puto; vt dicas, *aſt ego nec*.

Ibid. HORTABOR ALVMNVM DIRCES. Bacchum. nam Dirce fons Thebanus eſt: & Thebe patria duorum numinum, vt ſcribit Plinius, Herculis & Bacchi.

10. IPSE VENI. Tu ô Gallice faue. mihi eris inſtar numinis. non enim ſine laude poëtices potuiſſes togam & iudicia ornare.

15. PIMPLAEA ENTHEA. Muſa diuina. *Ibid*. VATIS. Rutilij.

Ibid. LICET EXCLVDAT. poteſt excludere & ſedare mihi cantaturo ſitim, nec ego hauriam fontes Parnaſſi. Pieria, Olympus, Pimpla, Libetrum, loca ſunt Thraciæ. ex quibus cùm nonnulli in Bœotiæ partem migraſſent, vbi eſt Parnaſſus, in eo loca iiſdem nominibus dicarunt. Inde muſæ Pimpleæ, Pieriæ, Libetrides dicuntur: vt ſcribit Strabo.

Ibid. PIRENE. Acrocorinthus collis eſt qui pro arce Corinthi habetur. eius vertex habet ædiculam Veneri ſacram. infra verticem fons eſt Pirene non multis aquis, ſed ſuauiſſimis & perſpicuis ad imum; tametſi Euripides multas aquas illic eſſe teſtatur. Sacer eſt muſis. ex eo fonte cum Pegaſus potaret comprehenſus eſt à Bellerophonte, vt ſcribit Strabo.

18. CVRAT NOSTRAS LEGES. ſeruat leges poëtarum.

19. QVARE AGE. & ſi (inquit) abundas carminibus cum ſis poëta: non tamen debes noſtros verſus aſpernari, cum numina etiam dona ſua in ſacris accipiant. nam & frugibus Cereri & vino Baccho ſacrificamus. damuſque ſpolia hoſtium Marti; & feras occiſas Dianæ.

21. THOLO. Tholus, vt Varro ait, ſignificat templi teſtudinem. Tholus item erat ædicula rotunda Athenis; in qua erat cœnatio magiſtratuum, vt Græci ſcribunt. hic de tholo templi. & Vir. *Si qua ipſa meis venatibus hauſi Suſpendive tholo*.

24. LYRA TENVIORE. meo carmine.

26. QVAE. ô quanta præmia morum tuorum.

28. QVAE LVMINA. oculos madentes lachrymis.

Ibid. PLEBIS IGNARAE LVGERE. & vidi (inquit) plebem lugentem, quæ non ſolet obitu magnorum virorum moueri: immò lætari.

29. LABENTE NVMA. exemplum ſumit ab his, quorum obitu populus Romanus commotus

commotus eſt; Ouidius.

Extinctum Latiæque nurus, populúſque patreſque Defleuere Numam.

30. POMPEIO. nam & Pompeius ordinis erat equeſtris. Lucanus.

Sedit adhuc Romanus eques. & in vii. ad Pompeium:

Te mixto fleſſet luctu iuuenisque ſenexque.
Iniuſſúſque puer laceraſſet crine ſoluto
Pectora. fœmineum ceu Bruti funere vulgus.

NamBrutum fœminæ anno fleuerunt, vt eſt apud Liuium, quòd maximus pudicitię vindex extitiſſet.

Ibid. HOC ILLVD. nimirum, inquit, hoc aſſecutus es, quoniam inuitus audis vincula ſontium, abſtines verberibus reorum.

Ibid. VIRES ARMATAS. magiſtratu & auctoritate.

36. IN ALTA PECTORA. in intimam hominum beniuolentiam.

37. REVERENTIA. ſic (inquit) homines & colere & amare diſcunt.

38. IPSA ETIAM. genus (inquit) etiam morbi conſtrauit omnes. nā præcipiti quadā vi te oppreſſit: nec vllo remedio retardabatur. nam in lethargum morbū inciderat. de quo hæc Celſus ſcribit in iij. Alter quoque morbus eſt aliter freneticis contrarius. In illo difficilis ſomnus, prompta ad omnem audaciam mens eſt: at in hoc marcor, & inexpugnabilis penè dormientis neceſſitas. Lethargum Græci nominăt. atque id quoque genus acutum eſt: & niſi ſuccurratur celeriter, iugulat. Propterea Papinius eius morbi periculum pręceps appellat: nec tantùm propter ſenectā (inquit) accidit quod ſolet euenire: ſed ob nimiam curā qua publica negotia gerebat. Rutilius vix ſexageſimum abſoluerat annum.

Pag. 18. v. 4. IMPERIVM ANIMI. vigebat (inquit) animus Rutilio, & corpori labores imperabat.

6. DVLCE OPVS. nam libenter laborabat pro Domitiano.

7. INSIDIOSA QVIES. periphraſis eſt morbi lethargi. dicitur autem lethargus à λήθη, quod ſignificat obliuionem. & ἀργὸν, pigrum. nam in eo eſt obliuio rerum omnium, & marcor.

8. TVNC DEVS. Apollo iuxta Vercellas ad radices Alpium colebatur. Martialis Apollineas Vercellas appellat. [illegible] taſque ſint arcti: Introducit Papinius numen Apollinis ex Vercellis oppido Alpino proſpexiſſe laborantem Rutilium, & accurriſſe cū Æſculapio ad opem ferendam.

10. HEV TANTI PRIDEM SECVRVS ALVMNI. heu, inquit, Apollo tandem alumnū ſuum, de quo pridem fuerat ſecurus & negligens reſpexit.

12. FACVLTAS GAVDENS ALTI. id eſt res & facinus dignum cælo.

Ibid. DATVR. ſeſe offert nobis.

14. TENDATIS. pergite, inquit, Parcæ & nete vitam Gallico; nec rumpite adhuc filum.

Ibid. FVLMINIS ATRI. hoc ad Æſculapium: qui cum olim reuocaſſet Hyppolytū mortuum ab inferis, à Ioue fulminatus eſt. Non eſt, inquit, metuendum fulmen ſi hunc ſeruabimus. nam ipſe Iuppiter laudauerit & probauerit artes noſtras in Gallico ſeruando.

15. LAVDARIT. inemendati codices habent laudauit. ego verò emendaui laudarit. quod magis conuenire videbatur.

Ibid. HAS ARTES. mendoſi codices habēt *artes*: ſed nos *artes* legimus: vt dicat, laudauerit Iupiter has artes medicinæ, quibus ſeruauerimus Gallicum.

18. IPSE GENVS SVIS. ipſe, inquit, genus ſuum & familiam illuſtrauit.

Ibid. PRAEMISSA NOBILITAS RETRO. id eſt maiores etiam illuſtrat.

19. NEC LATET ORIGO. nec tamen principium generis obſcurum eſt.

24. PERMERVIT, militauit: Inemendati codices habent *permeruit*.

Ibid. MANVS. dextra Rutilij.

Ibid. IVRATA. ſacrata.

ex ſpuma quoque remedia adhibet, quam anguis emittit depaſtus prius herbas medicas.

15. IVNGAM MANVS. afferam partem meam.

Ibid. ATQVE OMNE VIRVS. omnes herbas virentes. nam virus virorem ſignificat. vnde res virulentæ apud Celſum. virus idem latinè dicitur quod græcè *φαρμακον*, id eſt medicina: vt tradit Plinius.

17. QVOD CARPSI. inemendati codices habent *carpſit*. Sed vt perſona conueniat Æſculapio loquenti, qui paulo ante ait, *iungam*, nos legimus, *carpſi*. id eſt collegi.

Ibid. DE GRAMINE AMPHRISIACO. ex paſcuis ad Amphriſum fluuium Theſſaliæ. nam Phœbus amore captus pauit regis Admeti armenta, vt eſt apud Ouidiũ & Strabonem, ita ſcribit. In agro quidem Erethriæo vrbs erat Tempe Apollini conſecrata, cui ædem ipſam ſacratam, vt aiunt, rex Admetus ſtruxit. penes quem Phœbum mercede famulatum eſſe vulgatur. Lucanus:

Qui flumine puro
Irr*igat Amphriſus famulantis paſcua Phœbi.*

RITV PAEONIO. in habitũ Pæonium. Pæon Endymionis filius, vt Pauſanias ſcribit, nomen Pæoniæ prouinciæ dedit. Homerus cum medicos laudat, eos ait eſſe genus Pæonis.

20. MONSTRANTQVE SIMVL. docent alter alterutrum.

22. SVSPECTA NEBVLA. inſidioſas tenebras.

I*bid.* SOMNI MALI. lethargi.

Ibid RVPERVNT. nam hoc primum adhibendum eſt remedium, vt ſcribit Celſus, vt qui lethargo laborant, excitentur. Celſus in tertio. Hos ægroros quidem ſubinde excitare nituntur, admotis his, quæ per ſternuramenta euocant, & his quæ odore fœdo mouent: qualis eſt pix cruda, lana ſuccida, piper, veratrum. Plura apud illum.

24. OCCVPAT. celeriter rapit remedium.

25. TELEPHVS ARTE HAEMONIA. id eſt altero vulnere Achillis Hæmonij. nam ab Achille Telephus ſanatus eſt altero vulnere: vel certè emplaſtro ferri rubigine mixta, vt Plinius putat. vnde Achilles, inquit, pingitur decutiens rubiginẽ ferri in vulnus Telephi. plura recitauimus de hoc in commentariis Mar. ex primo libro Euſtathii in Home.

Ibid. ATRIDAE METVENTIS. Vſurpauit Homeri verbum, qui ſcribit Menelaum percuſſum à Pandoto timuiſſe inſpecto vulnere.

Ibid. SVCCO MACHAONIO. duo fuerunt medici in Græcorum exercitu Agamemnonem ſecuti, filii Aeſculapii, Podalyrius & Machaon. qui auctore Celſo, & Homero teſte, vulneribus tantum medebantur herbarum ſuccis. propterea Marti. dum chirurgum veller deſignare, Podalyrium dixit. Euſtathius verò affirmat, Podalyrium verſatum eſſe in ea parte medicinæ quæ modum vitæ ægrotantibus præſcribit: Machaonem in vulneribus ſanandis: qui, vt idem auctor eſt, imperauit in Tricha Theſſaliæ vrbe: quæ eadem Trachyna dicta eſt. horum ſorores fuerunt Hygia, Ægle, Pane, vt refert Plinius, quas Socrates pinxit. plura de his ſcripſimus in Mar. ex Lycophronis interprete.

27. QVIS LOCVS SIT MIHI. paruam, inquit, gratiam meretur cura & votum pro Rutilio, cùm patres omnes & vniuerſus populus idem ageret. tamen nouit Apollo vates meus quàm ſolicitus ego quoque fuerim.

13. AVGVROR CVNCTA. ſubauſculto & colligo omnia.

35. NETITE. frequentatiuum dictum à neo. deducite, inquit, fila ô Pareæ.

37. ERIT NATALIS VITAE. erit dies natalis vitæ Rutilii. nam hodie eum natum putabimus.

Ibid. SAECVLA TROICA. id eſt Tithoni annos. nam Tithonus & Laomedon Troiani fratres fuerunt. Laomedon tenuit loca circa Troiam: Tithonus ſucceſſit in orientem: vbi dicitur amore captus Auroræ verſus in cicadam. Hieronymus, vt refert Euſtathius in Odyſſeum. Homer. ſcribit Tithonum periiſſe ab aurora, vt im-

mortalis eſſet; oblitum etiam petere, ne conſeneſceret. Cteſias auctor eſt (vt refert Diodor.) Teutamo in Aſia regnante, qui vigeſimus à Nino & Semiramide fuit. Tithonum fuiſſe præfectum Perſarum. cum autem Aſſyrij mille amplius annis tenuiſſent Troiam primum obſeſſam à Græcis, petiiſſe opem ab illis, miſſaque fuiſſe. x. millia Æthiopum cum totidem Suſianis cum ducentis curribus duce Memnone Tithoni filio.

38. ANNOS PVLVERIS EVBOICI. id eſt Sybillæ Cumanæ. nam Cumas Chalcidenſes ex Eubœea condiderunt. Sybilla annos ab Appolline popoſcit pro numero pulueris Puteolani quem manu prehenderat. Sybilla alibi.

Vel quantas ego Delium popoſci.

nota hiſtoria.

Pag. 20. v. 1. SITVS NESTOREOS. ſenectutem Neſtoris.

2. MEVANIA. in Vmbria. patria Propertii cum Clitumno fluuio: cuius aqua pota candidos boues reddit. Plinius hunc in Faliſcis eſſe putat. Vir. & Silius, vt in commentariis Silij copioſius de eo diſputauimus.

4. SVFFICIAM. non ſatis ero ad vota quæ ſuſcepi pro te.

5. FARRA EXIGVO SALINO. id eſt mola. nam ex farre & ſale mola fit. Plinius: mola tantùm falſa litanr qui non habent thura.

Ibid. PLACVERVNT DIES. Ouidius:

Sed tamen vt fuſo taurorum ſanguine centum,
Hæc canit in minimo thuris honore deus.

DOMITIVS AVGVSTINO.

ETruſcus, Auguſtine, in cuius balneo tam ſublimi carmine euagatus eſt Papinius, ex ſeruili conditione ad opes peruenerat & dignitatem. nam pater ex aula Claudij Caligulæ Neronis libertatẽ eſt adeptus & diuitias. Eundẽ ſenem in exiliũ à Domitiano miſſum, huius filij (cui nunc poëta blanditur) lacrymæ & pietas reuocarunt. quod quidẽ innotuit & epigrãmate Mar. & huius poëtæ carmine. Nũc ſolutus curis animum ad voluptatem componẽs in ſodalis gratiam balneolum deſcribit. ſed furore vehementi ſola propè inuocatione agitur. paucis enim verſibus in balneum laſciuit, longiuſque incipit quàm narrat vel definit: ipſo tamen initio inter nymphas quæ aquarum ſunt varietate geſſit carminis.

9. NON HELICONA. cantaturus (inquit) de aquis & fornace balnei non accerſam aliquod numen ex Helicone. ſed inuocabo nymphas & Vulcanum. alius cœtus numinum.

14. REGEM IGNIS. Vulcanum.

15. THEBAE. apoſtrophe ad Thebaidem quam componebat, cuius carmen intermittit, vt hanc Syluam canat in gratiam Etruſci ſodalis.

Ib. ARMA NOCENTIA. fraterna. nã fratres Eteocles & Polynices de imperio Thebano concertarunt. damnanda igitur & nocentia bella erãt cum eſſent inter fratres.

17. IVNGE CYATHOS. cum bibebant antiqui, ſoluti curis numerabant pocula ad numerum litterarum, quibus amicorum abſentia nomina ſcribebantur. hoc innuit Horat. in carmine. Porphyrio apertè eſt interpretatus. hoc in commentariis Mar. copioſius diximus. Vult ergo Papinius potu accendi ad carmen illud Mar. bibent. *Succurrent mihi quindecim poëtæ.*

18. CHELIM CONTANTEM. id eſt ſegnem.

21. ETRVSCO VERECVNDO. erat enim iuuenis & inſigni pudore.

22. TE DEAE. inuocat nymphas.

Ibid. DEAE VIRIDES. nymphæ muſcoſæ: vel à colore maris: quod viride alioquin dicimus.

Ibid. AVERTITE. exuite.

Ibid. LIQVIDOS VVLTVS. cæruleos. alij codices habent à vertice: vt legas. *Redimitæ liquidos vultus à vertice.* Vertex ſummitas capitis. dicta quòd inde fit flexus capillorum; ſcribit Fabius.

24. EMERGITIS. ſoletis emergere.

25. Torqvetis. cruciatis amore.

26. Non vos. abdicat & reiicit nymphas fontium, quæ aliquo crimine infames ſunt.

27. Non ivvat sollicitare. nolo elicere & inuocare vos.

28. Cvlpa. aliquo ſcelere.

28. Salmacis. fons in Caria, cuius aquam qui potauerit, mollis dicitur fieri: Id negat Strabo. Salmacis autem nympha, vt eſt apud Ouidi. Hermaphroditum adeo auidè eſt complexa, vt ambo in vnum coierint corpus. Hinc doloſum fontem appellat Papinius. Vitruuius ſcribit, Midam & Aradamam duxiſſe coloniam in Carianum, expuliſſe Legas & Cares: diuerſoriumque erexiſſe iuxta Salmacim fontem: cuius aqua ſuauiſſima multos ad mutuam vitæ ſocietatem in eundem locum allexerit: vnde fabula de fontis mollitie nata eſt.

Ibid Crebenidos. aliis ſyllabis inuerſa eſt dictio in omnibus codicibus. ſed ita emendamus. nam Crebenes fluuius Phrygiæ eſt, cuius filia Heſperia, vt eſt apud Oui. ab Æſaco amata fuit, filio Priami. ea dum fugeret in ripa fluminis patris, morſu ſerpentis extincta eſt. Æſacus dolore in mergum eſt conuerſus. hactenus Ouid. deinceps Græci: Crebenus pater mœrore exaruiſſe dicitur, & factus eſſe palus: vnde peſtilentes exhalationes emittuntur. Stra. Crebeſiam paludem appellat flumina *Crebenidos*. Heſperies filiæ Crebeni.

Ibid. Vidvae. amiſſo Æſaco.

Ibid. Arida lvctv. poſt mortem filiæ.

29. Praedatrix. Hylam lacum in Bythinia intelligit: vbi raptus eſt Hylas puer Herculis: quod accolæ teſtabantur ſingulis annis, circumeuntes lacum & Hylam vocitantes: quod ſcribit Solinus. Hunc raptum fuiſſe ad Argantonium promontorium ſcribit Stra. Proper. (vt in eius commentariis diximus) Arganthiphagum appellat.

Hic erat Arganthiphagi ſub vertice montis.

nam ita ille verſus emendandus eſt.

30. Cedat. diſcedat.

Ibid. Vos mihi. inuocat nymphas aquarum quæ in vrbem ducebantur. hæ olim nouem fuerunt, ſed poſtea maiori numero, vt ſcribit Front.

31. Novis vndis. aliunde aduectis.

Ibid. Attollitis. augetis.

32. Praeceps anien. nam Anio vetus & Anio nouus in vrbem ducebatur. de aquæ igitur ductu, non de flumine nunc intelligit.

33. Virgo. virginem aquam duxit Marcus Agrippa ab octaui lapidis diuerticulo duo millia paſſuum. virgo dicta, quoniã Prænestina via qua labitur, cum eſt prope Herculeum ſinum longo diuerticulo ſecedit. quaſi Herculis congreſſum declinare videatur. vnde virgo eſt dicta, vt putat Plinius. Frontinus verò de aquæductibus ſcribens, ait id nomen datum eſſe quoniam eius fontem indicauerit virgo.

32. Exceptvra natatvs. in qua homines ſæpe natare ſolent. nam aqua virginis præſtabat tactu, quod ſcribit Plinius, vt Martia hauſta.

35. Martia. de aqua Martia antè dictum.

Ibid. Praecelcis molibvs. deſcribit fornices ductuum.

Ibid. Vnda vaga. longo ſpacio errans, *præcelſis molibus*. altis ædificiis & fornicibus.

36. Crescit. ſublimis eſt.

Ibid. Pendens. non attingens terram: ſed in aëre.

Ibid. Transmittitvr. in vrbem.

Ibid. Innvmero arcv. multis fornicibus.

Pag. 21. v. 1. Cytherea. vult Venerem fuiſſe architectam tam amœni balnei: vt eſt antea in villa Vopiſci.

3. Svccendit. ſuppoſuit fornacibus.

Ibid. Mariti. Vulcani.

4. Tha-

4. THASOS. vna ex Cycladibus. vnde Thaſium marmor, vt ait Plinius. Parij autem Thazon condiderunt, vt ſcribit Thucycides & Strabo.

Ibid. CARISTOS. vrbs Eubœēæ in ripam ſnb monte vbi erat Apollinis Marmarij templum. lapis illic naſcebatur, quem pectebant & texebant. mantilia inde conficiebantur egregiè contexta. plura apud Strabo. Mamnra, primus (in quem Catullus ſcripſit) Catiſtium marmor habuit Romæ in columnis.

MOERET ONYX. vilia (inquit) hic non ſunt marmora: ſed pretioſa. Atqui Mar. hæc omnia marmora in hoc balneo eſſe ſcribit: ſed illic à copia marmorum: hic à præſtantia laudat. *Onyx*. id eſt marmor onychites *mæret*. qnoniam nō eſt admiſſus in thermas. de his marmoribus in commentariis Mart. ſatis multa diximns.

6. & 7. SOLA PVRPVRA. ſolum marmor porphyrites exciſſum ex venis Numidicis illic eſt. nullū (inquit) marmor illic eſt, niſi variatū maculis purpureis. vt Numidicum & Sinadieum: quòd quidem diſtinctum eſt maculis purpureis: quoniam Atys puer eùm in Phrygia Cybelem fugeret, nota fabnla, abſciſſis genitalibus lapidem hunc cruentauit guttis manantibus. de marmore Sinadico antè diximus.

9. ET SIDONIA. gutta purpurea.

10. VIX LOCVS. vix, inquit, admiſſum eſt marmor Laconicum viride, vt ſi cōiunctum cum Sinadico pariat varietatem.

11. EVROTAE. Eurotas fluuius Laconieæ inter Gytium & Acceos erumpit. de quo plura ſcribit Probus teſtimonio Callimachi. Hic pro marmore Laconieo, qnod viride eſt, ponitur.

10. CVM REGVLA LONGA. id eſt longus tractus marmoris viridis & linea quædā.

11. VARIAT SINADA. marmor Sinadicum.

Ibid. NON CESSANT LIMINA. Nec limina, inquit, vacant marmoribus. nam viliora marmora in liminum erant vſu: vt Plin. ſcribit. hic verò liminibus etiam precioſa marmora.

12. VITRO VARIO. nam poſt tempora M. Agrippæ vitrum eameris poni cœptum eſſe ſcribit Plinius.

13. NITENT IN SPECIES ET ANIMOS. repręſentant, inquit, vultus pręſentes tanquam ſpecula.

14. PARCIVS IMPERAT. minorem emittit flammam.

15. MVLTVS DIES. multa lux.

16. ALIO AESTV. Thermarum, vbi ſol, inquit, immittit radios, tāquā velit alio etiā æſtu calere improbos & non contentus ſuo.

19. LABRIS. labra vaſa ſunt. Cura (inquit Cicero) vt labra in balneis ſint. ad alios autem vſus eſt nitenti ripa.

22. PATET OMNIS. totus conſpicuos eſt.

26. ET DEPREHENSA. etiam ſi deprehenderetur hic Diana ab Actæone, non moleſtè ferret.

27. QVID NVNC STRATA. quid ego narrem tibi tabulata, quæ in ſublimi parte ædium ſunt: quò deſinunt vaporaria habentia in vertiee pilam concauam: qnò peruenit flamma ignis in imo ardentis: ſed languida & tenuis vt domus ita tepeat, non autem æſtuet?

Ibid. PILAS CREPANTSS. obſtrepentes igne.

28. IGNIS LANGVIDVS. flamma iam remiſſa: cum tantùm aſcenderit.

Ibid. ET HYPOCAVSTA. vaporaria. nam ita Cicer. interpretatur ad Att. ſcribens. In vnda Neronea. in thermis Neronianis. Martialis.

Et in modico ſexta Nerone calet.

35. IAM. patre reſtitutō ab exilio.

Ibid. RENASCI. poſt calamitates aeceptas.

DOMITIVS AVGVSTINO.

SAturnalia, Auguſtine (à quibus totum opus inſcripſit Macr.) dies feſti erāt menſe Decembri dicati Saturno. vii. vt Næui. poëta & alij prodiderunt. nonnulli tres, alij vnum: quos Feneſtella ſequitur. In his Domit. (vt Tranquillus refert) inter

ter ſpectacula largiſſimum dedit epulum diuiſis panariis ſenatui & equitibus plebeiis ſportillis cum obſoniis. Papin. qui conuiua fuerat, Imperatori blandiens, epulas laudat; quod & Mar.facit.in quo illud maximè ſequitur, vt primum aptè inuocet. numina igitur Saturnalitia tantùm appellat, reliquis repudiatis.

Pag. 22. v.6. ITE FERIATAE. ad agendum ocium. vel lege *feriatum*, ductum à feriis quibus ceſſatur ab opere.

7. REVOCABIMVS. ad carmen.

Ibid. CALENDIS IANI. Ianuariis Kal. poſt Saturnalia.

8. SATVRNVS COMPEDE EXOLVTA. Saturnus in compedibus toto anno erat. Ver. Flaccus cauſam ignorat:Apollodorus ſcribit, Saturnum vinciri per annum laneo vinculo, & ſolui ad diem ſibi feſtum,hoc eſt in Saturnalibus. inde prouerbium,deos pedes laneos habere, ſignificari per id, decimo menſe ſemen in vtero animatũ, in vitam grandeſcere,quod donec erumpat mollibus nectitur vinculis.

9. GRAVIDVS MERO. in quo omnes vino indulgent. Iuuenalis à contrario:

Et vinum totum neſcire Decembri.

vt nos quidem docuimus. quod alij non aduerterunt.

12. CAESARIS. Domitiani.

Ibid EBRIA. in qua omnes vino exhilarati ſunt.

15. IAM BELLARIA ADOREA. bellaria à Græcis τραγήματα, πέμματα dicuntur: ſecundarum menſarum cibi pro libis dulciariis accipit. propterea ait *adorea*. hoc eſt farracea. nam quod antiqui adoreum dixerunt,nos far, auctore Plinio.ea erãt pręſtantiora. Virgilius. *Et adorea liba per herbam.* alij codices habent *velaria*. vt dicas, è velis quibus tegebatur amphitheatrum hæc decidiſſe.placet prior ſententia.

15. HVNC ROREM. placentarum. cuius meminit Næuius. Græci Ponticam appellarunt, vt ſcribit Macrobius, quoniam in Ponto copioſiùs naſcatur. Varr.Præneſtinam dixit.

17. IVGIS IDVMES. palmas intelligit.nam Idumæa, quæ Arabia finitur à Peluſio, lxv. millia paſſuum palmetis conſpicua eſt, de quo ſatis multa recitauimus ex Strabone & Plinio in Martialem.

18. DAMASCVS. vrbs Syriæ nobiliſſimaPerſiæ vicina. duobus fructibus mõs eiuſdem nominis maximè nobilis eſt, prunis ſcilicet & mixis:vt ſcribit Plinius.

Ibid. PIA. nam Syrii cultui deorum maximè intenti ſunt. Spargebantur, inquit, pruna & mixæ Syriæ.

19. ÆBOSIA. de Zachare loquitur. id autem eſt mel in arundinibus collectũ vltra Tripolitarum mare. Libanus & Antilibanus vltrà Syronium definunt ad Arabiæ montes qui ſunt vltrà Damaſcum campum in medio poſitum. Papinius Æboſiam appellaſſe videtur. nam, vt ſcribit Strabo, illic naſcitur Iuncus odoratus & canna zacharis. alii Æboſiam in Chio eſſe ſuſpicantur.

Ibid. PRAECOQVIT. maturat ante diem.

20. GRATVITVM. in munus.

21. MOLLES GAIOLI. ſigilla. id eſt parua ſigna. mittebantur in Saturnalibus.cauſam ex Macrobio recitauimus in comment. Martialis, & ſigillum pueri Bruti in Saturnalibus apud eum poëtam eſt.

Ibid. LAGVNCVLIQVE. Lagon puer fuit ſubdolæ & fucatæ vernulitatis, cuius ſignũ Luciſcus finxit. Martialis.

Nos puerum Bruti facimus, nos Lagona viuum.

Gaiorum præterea numiſmata in arte erant. alibi Papinius:

Plus minúſue aſſe Gaiolo.

hoc loco perGaiolos & Lagunculos ſigilla intelligit Gaii &Lagonis puerorum,quę ex more in Saturnal. repræſentata ſunt, vel pane dulciario vel aliquo alio obſonio.

22. AMERINA. pyra intelligit ita appellata à patria, vt Picẽtina, Alexãdrina. Plin.

Ibid. NON PERVSTIS. nondum maturis. nam ſeueriſſima ſunt, vt ſcribit Plinius.

23. ET MVSTACEVS. de eodem Iuuenalis neutro genere. *Et muſtacea perdas.* ita dictum quoniam ex farina ſiliginis, vt refert Cato in re Ruſtica, muſto cõſperſa

conficiebatur. adhibebant aniſum, cuminum, multa præterea alia.

23. LATENTE PALMA. videbamus (inquit) cadere cariotides, ignorantes vbinã eſſet palma arbor ex qua deciderent. mendoſi codices habent, *Latante pa'ma*. ſed nec vllus eſt ſenſus, nec ſyllaba permittit.

24. CARIOTIDES. de his lege quæ diximus in commentariis Mart. Spargebantur autem palmæ in theatris Mart. *notæ cariotides theatra.*

27 HYEMS. tempeſtas rerum miſſilium. nam Domit. in hoc epulo ſequenti die (vt refert Tranquillus) ſparſit aues & omnis generis miſſilia, quorum maior pars, quoniam inter populares decideret, pronuntiauit quinquagenas teſſeras, ſenatui & equitibus.

31. IOVIS NOSTRI. Domitiani.

Ibid HIMBRES. tales rerum miſſilium turbines. CAVEAS. ſpectatorum.

34. PLEBES ALTERA. multitudo miniſtrorum.

Ibid. NON MINOR. non inferiori conditione eorum quibus miniſtrabant.

35. PANARIA. panarium vas in quo panis ſeruatur, vt granarinm in quo granum, auctor Varro. hic accipit pro vaſis in quibus bellaria erant. Martialis.

Cum ; anariolu tribus rediſti.

Ibid. MAPPAS. nam mappæ etiam dabantur Saturnalibus. Martialis.

Hic comes acceſſit ſpongia, mappa, calix.

36. SVBVECTANT. geſtant per ſingulos.

37. VINA MARCIDA. permatura & dulcia. Martialis.

Marcentes tibi porrigentur vuæ.

vnde & flores quum nimia maturitate languent, marcere dicuntur.

Pag. 23. v. 1. SEVERIOR. eſt apoſtrophe ad annonam, cuius quinquagenas teſſeras ſenatui & equitibus pronuntiauit Domit.

3. BEATA. larga & copioſa.

4. NESCIS HVNC DIEM. non ſentis iacturam vllam huius diei, aut propterea tui penuriam aſſeres. Domitiani autem laus eſt: qui, vt ſcribit Tranquillus, vitium curam remitti iuſſit, vt maior eſſet annonæ fertilitas.

6. ANTIQVI IOVIS. Saturni. anteponit ſæculum Domitiani temporibus Saturni.

8. OCCVPABAT. id eſt nec ſegetes tam citò proueniebant.

9 VNA MENSA. ex hiſtoria eſt Tranquilli. nam Domitianus primus in eo conuiuio veſcendi initium fecit. Martialis.

Veſcitur omnis eques tecum, populúſque, patréſque.
Et capit Ambroſias cum duce Roma dapes.

11. LIBERTAS REVERENTIAM. nam libertas conceſſa eſt ſeruis in Saturnal. Horatius in ſeruum: *age libertate Decembri Quando ita maiores voluerunt vti.* & cum dominis diſcumbebant. inde L. Actius in annalibus: mos traditur illic iſte, vt cum famulis domini epulemur ibidem.

18. EFFVGIT LEVIS VOLVPTAS. volnptatem ſpectaculorum extollit, cùm ait eam leuem effugere. nam quæ iocnndiora ſunt, breuiora nobis videntur & effugere citiùs.

19. STAT SEXVS. poſt epulum (vt ſcribit Tranquillus) non modò virorum ſed mulierum pugnas edidit Martialis.

Belliger inuictis quòd Mars tibi ſæuit in armis,
Non ſatis eſt Cæſar, ſæuit & ipſa Venus.

Ibid. SEXVS RVDIS FERRI. id eſt mulieres imperitæ armorum tractandorum.

20. ET. cùm inierunt pugnas. alij codices inemendati habent *cupit*.

22. THERMODONTIACAS. Amazonum turbam ad Thermodontem habitantium. Propertius.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis,
Thermodontiacis turma lauatur aquis.

24. Statim. ſimul ac nati ſunt.

25. NODOSVM. nam altius non creſcunt.

19. Grves mirantvr (inquit) quæ & ipſæ inter miſſilia erant. nam aues etiam ſparſit, vt diximus. mirantur autem cum ipſæ id genus hominum ſoleant inſectari, vt eſt apud Home. & Plinius, in vii.

Ibid. Casvrae. in amphitheatro.

32. Spasio. pſallocithariſtes & chorocithariſtes intelligit, quos Domitia. edidit. Spaſio & Hemus magiſtri puellarum ad ſaltationes erant. Hemi Iuuen. meminit.

34. Agnoscitvr. ſpectatur.

36. Tvmentes. epitheton Lydorum & Syrorum.

37. Gades tinnvlae. id eſt agiles & ad ſaltationem aptæ puellæ Gaditanæ.

Ibid. Tinnvlae. à tinnitu æris quo ſaltant. Martialis.

Edere laſciuos ad Betica cruſmata geſtus.

38. Syrorvm. confluunt (inquit) non ſolùm Syri ſerui & ſcænici homines, ſed etiam extremi & viliſſimi miniſterij. vt qui mutat ſulphurata vitro.

Pag. 24. v. Gregale. nam faſciculis & gregatim ſulphurata permutantur. Martialis.

Qui ſulphurata fractis permutat vitreis. Iuuena.

Et rupta poſcentem ſulphur a vitro.

4. Nvbes volvcrvm. ſparſæ ſunt aues, vt diximus, quod & Mar. ſcribit. & Nero in ſpectaculis idem fecit. auctor Tranquillus.

Ibid. Nilvs sacer. ſcilicet habet: hæ ſunt aues Memnoniæ, vt ego arbitror. nam Memnon in Ægypto ſepulcrum habuit, vbi aues quas inter luxurioſas commemorat Plinius ſingulis annis certabant, aquam madidis alis afferentes vt herba reuiuiſceret, quod ſcribit Pauſanias. Plinius in gulam: E ſepulchris (inquit) aues eruimus.

Ibid Phasis. phaſianos intelligit allatos ex Ponto vbi Phaſis eſt fluuius. illic tamen auriculas ſubmittunt è plumis: quod alibi non faciunt, ſi Plinio credimus.

6. Nvmidae. gallinas Numidicas intelligit. eædem appellantur Meleagrides, vt putat Plini. Columella alias exiſtimat. & Varro: criſta ſcilicet cærulea, cum Numidicæ rubram habeant, guttis diſtinguuntur. Mar. Numidicas guttas appellat. Iuue. aues Aphras.

Ibid. Legvnt. capiunt. idem.

7. Sinvs. pleni apud Mar.

14. Sonantes Satvrnalia. nam Saturnalia clamabant ſoluto conuiuio more veteri, vt ſcribit Macrobius.

12. Hoc solvm. quod ſequitur. ex hiſtoria autem eſt. nam Domitianus ad lychnos edidit ſpectacula, & ipſe ſpectauit ludos toga germanica capite geſtans coronam auream cum effigie Iouis, Iunonis ac Mineruæ, aſſidentibus diali ſacerdote & collegio flauialium pari habitu, niſi quòd illorum coronis inerat ipſius imago.

6. Facem. quo ſplendore (vt nonnulli ferunt) Theſeus vias labyrinthi illuſtratas euaſit. auctor Hyginus.

Ibid. Haec cernens. nihil ſcilicet eſſe tenebrarum.

22. Inemptas. datas gratis.

23. Servm. nocturnum.

26. Ibit procvl. propagabitur in poſteros.

Ibid. Hic dies. laus huius conuiuij.

27. Sacer. conſecratus immortalitate.

30 Qvod reddis. inſtauras. nam Domitianus inſtaurauit Capitolium quod murſus arſerat, vt ſcribit Tranquil. & ita fore vaticinatur Iuppiter apud Silium;

Ille etiam qua priſca fides ſtat regia nobis,
Aurea Tarpeia iungit Capitolia rupe. Mar.
Pro Capitolinis quid non tibi ſoluere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore poteſt?

Ibid. Sin minvs. at ſi diſplicuerint.

DOMITIVS AVGVSTINO.

EVripides, Anguſtine, inter tragicos, Simonides inter Lyricos, Liuius inter hiſtoricos, affectus qui mitiores ſunt & lacrymas diligentiſſimè expreſſerunt. quibus ex poëtis heroicis iure addes Papinium, vel hoc vno epicedio confirmatus. cum tamen multa hoc ſtili genere ediderit quæ in ſequentibus libris extant. Nonne vides quantis affectibus lacrymas eliciat? Nimirum illud agit poëta, vt amicum dolentem commiſerando lacrymis exhauriat. vt cum ille humor ſeſe totum effuderit, habeat quem rationi obtemperantem conſoletur. Hoc conſolationis genus poëtis fortaſſe conueniat, qui iure ſuo defenduntur, vt flere & ipſi incipiant. Philoſophi certè, atque eos ad Apollonium ſcribens ſecutus Plutarchus, rationibus ſtatim delapſam mentem aggrediuntur: eamque verborum & ſententiarum grauitate erigere nituntur ad æquitatem, nihil dolori concedentes. Glancias verna Athedii Melioris libertate donatus, patronoque cariſſimus libertus, duodecim natus annos extinctus eſt. in hunc Martialis epitaphion edidit verſu phaleucio:

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma.

& Papinius Athedio exanimato, ac dolore penè inſanienti, hoc epicedio occurrit.

Pag. 27. v. 1. Alvmni. pueri quem educaſti.

2. Improbvs. improbus eſt qui nimium poſcit. Improbus (inquit) ſum & nimium poſtulo ſi audeo te conſolari in tanto & tam recenti dolore.

3. Flebile. dignum lacrymis.

4. Via lvbrica. hiatus vulneris humectatus ſanguine.

Ibid. Medentia. conſolatoria.

Ibid. Saevvs. immitis, qui non indulgeo dolori tuo.

8. Tigris. Tigris & in India & in Hyrcania eſt fœtus amantiſſima, vt beluæ feritas maximè appareat cum eripitur. nam vbi vacuum reperit cubile, præceps odore veſtigat raptorem: ille appropinquante fremitu vnum abiicit ex catulis, qui plurimi ſunt. Tigris tollit, refértque in cubile: mox raptorem conſequitur. alter catulus abiicitur. atque ita fit donec ea fraude retardata raptor nauim conſcendit: feritate beluæ fruſtra in littore ſæuiente. *Tigris.* de fœmina intelligas. nam maribus non eſt cura fœtus, vt ſcribit Plinius.

9. Orbati. amiſſo fœtu.

10. Carmen tergeminvm. id eſt Sirenum quæ tergeminæ ſorores erant. nam tres eodem partu nati tergemini appellantur.

Ibid. Sicvla. nam Sirenes in Sicilia ſedem habuerunt. Strabo ambigit, Plinius ante Surentum in Campania eas ſediſſe ſcribit. atque ita Homerus innuere videtur in Odyſſea.

11. Chelym. Orphea.

12. Mvlceat. lenire poſſet.

Ibid. Stat. fixus eſt.

13. Admoto tactv. cum admouetur remedium conſolatorium.

19. Nigrae pompae. lugubri habitu. mulieres verò in luctu albis induebantur, vt ſcribit Plutarchus in quæſtionibus, imitatione Argiuarum, quas lotis veſtibus in funere vſas ſcribit Iſocrates.

21. Prodvxi. Comitatus ſum.

22. Animam. te lugentem te ipſum. nam Glancias erat alter tu.

Ibid. Brachia. planctus.

24. Havrire ignem. ad necem. nam & Porcia Bruti (vt nonnulli ſcribunt auctore Plutarcho) hauſtis carbonibus ardentibus mortem ſibi conſciuit.

25. Similis. pari dolore.

Ibid. Offendi te socivm doloris. id eſt ſi fui dignus & acceptus à te in ſocietatem lacrymarum.

Pag. 28. v. 1. In ipso fvlmine. in medio dolore.

Piis. lugentibus parentes amiſſos.

4. Et mihi.cecini ſolatium. hoc eſt meipſum conſolatus ſum. nam patre & puero amiſſis epicedion dolorem effudi.

Ibid. Proprios. meorum mortuorum.

Ibid. Defectus. deficiens in medio dolore.

5. Quem natura patrem. Non propterea, inquit, quòd natura prohibuerit te eſſe patrem Glauciæ, ego quoque arcebo te à luctu. atque ita verecundè oſtendit eum non angi oportere tantopere, cum non ſit pater.

6. Confer, coniunge mecum.

7. Iam dudum. hinc orditur laudes Glauciæ. hic verna erat natus domi Melioris ex parentibus libertis.

9. In limine. anni pueriles.

10. Rapit. vt inde incipiam.

12. Purpureo sanguine. epitheton homericum eſt: nam & Homerus πορφύρεον αἷμα dicit, quod Plinius quoque obſeruauit.

13. Orbes. Oculi. 14. Castigati. breuiores. nam id in forma laudatur.

Martialis. *Frons breuis atque modus, breuibus ſit naribus vncis.*

19. Hyblaeis. melle Hyblæo. Hybla ab Hyblone rege, vt Thucydidi placet, dicta. In Sicilia oppidum & mons: mel mittit quod cum Attico certat. meminerunt Strabo & Plinius. Thucydid. in vi. hiſtoriar. Ὕβλωνος βασιλέως Σικελοῦ προδόντος τὴν χώραν καὶ καθηγησαμένου, Μεγαρέας ᾤκισαν τοὺς Ὑβλαίους κληθέντας.

Ibid. Serpens. ad hiſtoriam fabuloſam Herculis alludit, cui infanti duo angues à Iunone nouerca immiſſi dicuntur: propterea, vt inquit Diodorus, ſemper odio habuit monſtra.

21. Veris bonis. veris dotibus.

23. Non longinqua. nam peruenerat ad duodecimum annum.

Iurata. valde optata. nam per res optatas ſolemus iurare.

25. Tibi. ô Melior, 28. Mentis arcana. ſecretas cogitationes.

Ibid. Remittet. leniet. 29. Tumentem. nos emendantes *tumentes* diximus.

30. Deflectet. trahet ad colloquium & contemplationem ſui.

31 Inceptas. ſemeſas. *Ibid.* Libata. iam guſtata à te.

32. Turbabit cuncta. totam menſam licentia puerili.

34. Abitus. diſceſſum.

35. Ipsos postes. te cum fueris in poſtibus.

Pag. 29. v. 2. Pius altor. inemendati omnes codices habent, *Alter*. Sed nos emẽdantes legimus *Altor*. nam Melior fuerat altor Glauciæ, & educauerat eum. nam altor ab alendo dicitur. & hæc opponuntur, *altor & alumnus*.

Ib. Altor pius. Melior erga te pius. 3. Tanto funere. tantis exequiis.

4. Modo pectore curae. vtrumque affectum paternum expreſſit. nã pater modo filio oblectatur, modo de eo ſollicitus eſt.

5. Non te. oſtendit eum non fuiſſe emptum ex grege venalitiorum, ſed natũ domi vernam, vt cauſam maiorem amoris demonſtret, & paternam propè pietatem Melioris in eum.

Ibid. Cathastae. Cathaſta locus vbi ſerui venales exponebantur, pedibus cretatis. quod Plinius indicat cum de generibus terræ ſcribit, à καθίστημι, quod eſt conſtituo. nam illic conſtituti erant venales. Tibullus.

quem ſæpe coegit *Barbara gipſatos ferre Cathaſta pedes.*

Martialis. *Sed quos arcanæ ſeruant tabulata Cathaſtæ.*

Perſius. *Cappadoces rigida pingues clauſiſſe Cathaſta.*

6. Nec mixtus. nec tu (inquit) aduectus es ex Aegypto, & à Mangone edoctus ſales & verba laſciua: vix tandem reperiſti emptorem vt alii.

10. Uterque parens. tuus.

Ibid. In tua gaudia. Donati (inquit) ſunt libertate parentes tui à Meliore, ne doleres te natum eſſe ex ſeruis.

11. Genvs. tuum. ſcilicet eſſe ſeruile.

13. Fas mihi. Exemplis antiquorum & rerum naturalium ficti poſſe oſtendit vt plus adoptiuus filius ametur quàm genitus à patre, vt ex hoc innuat Meliorem plus amaſſe Glauciam quàm ſi fuiſſet filius.

Ibid. Dixisse. quæ ſtatim dicam.

16. Prima ivra. maiores affectus.

17. Non omnia. non tantum affinitate homines amore coniunguntur.

19. Nova pignora et adscita. id eſt adoptiui filii.

Ibid. Serpvnt interivs. inſinuant ſe altiùs in amore. *connexis* quàm qui connexi ſunt genitura. Affert cauſam. nam filios genitos neceſſariò habemus amandos: quos autem eligimus in adoptione, hi ſunt quos ſponte & beniuolentia complectimur. quod autem neceſſariò habemus, minus gratum eſt quàm quod ſponte accipimus. *At legiſſe iuuat.* inemendati codices habent, *& fleuiſſe.* nos autem ita emendamus. vt dicat, eligimus tantùm quos amamus.

21. Blandvs. blandiens.

22. Vincebat. amore in Achillem.

24. Phoenix. Amintoris filius, vt ſcribit Homerus: cum ſuadente nouerca rem habuiſſet cum patris concubina, expulſus ad Peleum confugit. vbi hoſpitio ſuſceptus, Achillis educationi datus eſt magiſter & agendi & loquendi. quod Fabius repetit. Phœnix item Agenoris pater, qui nomen Phœniciæ dedit. Phœnix fluuius (auctore Herodoto) qui labitur à Thermopylis in Aſopum. Phœnix mons (vt ait Strabo)

26. Acestes. nota hiſtoria carmine Virgiliano.

27. Cvmqve procvl dyctis. Danaë Acriſii filia in mare proiecta eſt vnà cũ Perſeo filio arca clauſa: Dyctis piſcator Seriphius retibus arcam cœpit, domumque retulit, & educauit Perſeum Gorgonem Seriphiis qui oſtendit, & in lapidem vertit, in matris vltionem: quam inuitam ad nuptias adigere voluit Polydectes rex. Iuppiter (inquit Papinius) pater Perſei filium periclitantem neglexerat: ſed Dyctis eum ſeruauit & fouit. Plus ergo amauit qui eum aluit quàm Iuppiter qui genuerat.

Ibid. Genitor. Iuppiter pater Perſei.

Ibid. Cessaret. non ferret opem.

28. Dyctis flvctivagvs. epitherõ conueniens piſcatori. nam fluctibus vagatur.

Ibid. Comebat. fouebat.

Ibid. Persea volvcrem. habentem talaria. hæc accepimus ex Strabone, Apollonio Rhodio, & illius interprete.

29. Qvid referam. hactenus exempla attulit à patre & altore: iam idem facit à matribus & nutricibus.

30. Decepta fvnera. nota fabula, vt ſemel per fraudem Iunonis decepta eſt, cùm illius ſuaſu periiſſet vt Iuppiter ad ſe veniret qua maieſtate ſolebat ad Iunonẽ.

31. Reptantem pectore. in amplexu.

Ibid. Inoo. Inus matertera & nutricis tuæ. *Ibid.* Tvtivs. nam periclitatus eſt in vtero matris conflagratione. *Ibid.* Accam. duas Accas fuiſſe ſcribunt: Alteram, amatam ab Hercule, cuius meminit Plutarchus in quæſtionibus. Alteram, nutricem Romuli, Fauſtuli paſtoris vxorem. hæc (vt Antias ſcribit auctore Gellio) grandem pecuniam meretricio quæſtu comparauit: cuius hæredem moriens Romulum ſcripſit. Alii non Romulum, ſed populum Romanum hæredem inſtitutum aiunt. Addit Maſſurius, hanc habuiſſe duodecim liberos, ex quibus vno extincto Romulum adoptauit. qui ſe & fratres voluit Arvales nominari. vnde Arualium collegium dictum eſt, & inſtitutum ne plures quàm duodecim eſſent. Horum inſignia erant ſpicea corona & infulæ. Plinius huius collegii meminit: Neglexerat (inquit) Ilia mater Romulum, ſed Acca nutrix curabat.

34. Transertos. inſitos in aliena arbore. *Ibid.* Svis. qui priùs in eodem ſtipite erant. 36. Nec dvm mores. & nondum mores apparebant.

Pag. 30. v. 1. Plinius de floribus hæc. Magna vt palam eſt admonitione hominum, quæ

ſcribit Diodorus. Sed illa vlta eſt iniuriam, immiſſo incendio naphthæ: quod eſt bituminis genus, vt etiam ſcribit Plinius in ſecundo naturalis hiſtoriæ.

Ibid. AEOLIA. ab Æolo oriunda. fuit autem Creontis.

Ibid. CREVSA. quam pellicem ſuam præcipuè oderat.

Ibid. EDITVS. natus.

38. ATHAMAS. nota fabula apud Ouidium. Vlyxes Aſtyanacta Hectoris filium de turri eiecit Troia capta. huic inquit pepercıſſet.

2. MISSVRVS. dimiſſurus.

2. TORPENT. immobilia ſunt. nam morienti torpent oculi.

4. TENET CRINEM. auferendum morituro ante diem, vt etiam Iris aufert Didoni apud Virgilium.

Nondum illi flauum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat.

& apud Euripidem, Orcus introducitur qui auferat crinem Alceſti morituræ.

Ibid. TENET. ablatum ei.

5. FRAGILES. teneros.

6. CADENTE. iam deficiente.

13. INTEGER. nondum ſumpta forma.

17. FLORES CILICVM. crocum Coritium.

Ibid. GRAMINIS INDI. id eſt coſti. cuius radix in ſummo precio eſt apud Indos, guſtu feruens, odore eximio. naſcitur in primo ſtatim introitu Indi amnis in Patale inſula. duobus generibus: nigro, quod præſtantius eſt:& candicante.

18. ARABES LIQVORES. myrrha quę in Arabia naſcitur, crinibus pręſertim vergendis optima, qui ſtacte dicitur à gutta quam emittit. nam στάζειν eſt ſtillare.

Ib. PHARII. aquæ rhoſaceæ. nam ex Ægypto & copia & pręſtantia rhoſarum proueniebat. Martialis aſſentando. Nile rhoſas.

Mitte tuas meſſes, accipe Nile Rhoſas

Ibid. PALAM EST VIDEQVE. & publicum & ſuum teſtimonium interponit. legendum & parentheſi. inemendati codices habent, *vbique.* nos *vidi* legimus.

20. MELIOR. Atedius. nam id eſt eius cognomen.

21. OPES DESERTAS. cum non eſſet ſuperſtes puer qui iis frueretur.

22. INVIDVS. nam ſatisfaciens votis Melioris.

Ibid. IN MVNERA. capienda.

19. LAVERE. vt illud Ennij:

Tarquinii corpus bona fœmina lauit & vnxit.

23 HORROR HABET. adhuc (inquit) horreo cum in mentem venit.

26. VNDE ANIMI. ſcilicet ſurrexerant tibi tam atroces.

Ibid MANVS SAEVAE. In pectora tua plangenda.

29. PREMIS. hærendo.

30. GENITOR. parentes Glauciæ.

31. ATTONITI. victi lacrymis tuis.

33. AGGER MILVIVS. pons Miluius. deſcribit enim locum ſepulturæ. nam in Flaminia eſt ſepultus vltra Miluium pontem. Martialis:

Hoc ſub marmore Glaucias humatus
Iuncto Flamineæ iacet ſepulchro.

36. TALIS. exemplum ſumit ab his qui nulla morbi tabe abſumpta perierunt integra adhuc forma, qualis fuit Palæmon filius Inus, quem mater præcipitans ſe ex promontorio ad Corinthum in amplexu habuit, fugiens furores Athamantis coniugis. nota hiſtoria.

Ibid ISTHMIACOS. Corinthios. *Ophelten.* Opheltes Lycurgi filius, poſtea Archemorus dictus ab initio fati. Papinius in Thebaide:

Noſtri ſignatus nomine fati Archemorus.

Periit autem morſu ſerpentis.

Pag. 32. v. 2. MINAS LAETI. iniurias imminentes ab inferis mortuo.

3. Cerbervs. Hecateus Mileſius ſerpentem in Tænaro fuiſſe ſcribit, cuius veneno omnes peribant. inde eum appellauit canem Ditis primus Homerus. ἄδου κύνα ſed nec formam nec nomen dedit. poſtea tricipitem finxerunt.

4. Nvlla soror. ex Furiis. nam tres.

4. Svbibit ripas interivs. benè admouebit cimbam ripis.

7. Ne dvra facvltas. ſcilicet ſit. id eſt vt puer facilè poſſit conſcendere.

Ibid. Ascendisse. inemendati codices habent *accendiſſe*. nos *aſcendiſſe* legimus, quod maximè conuenire videtur.

8. Qvid mihi. fingit Mercurium qui animas ad inferos ducit & reducit, nunciare de puero quæ ſequuntur.

Ibid. Gavdenti virga. nam Mercurius dicitur habere virgam, quoniam orationis deus & deorum interpres eſt. Caduceum autem habet nodo ſerpentum obſitum, vt deſcribit Macrobius virgam. Virgi.

Tum virgam capit: hac animas ille euocat orco Pallentes.

Plinius. xxix. naturalis hiſtoriæ. Hic tamen complexus anguium & efferatorum concordia eſſe videtur quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circundata effigie anguium fecerunt.

10. Noverat. verba Mercurij.

Ibid. Blaesvs. puer fuit quem vnicè dilexit Melior. eius mortui ſtatuam domi ſeruabat. & quo magis illius deſyderium leniret, Glauciam libertum acceperat. Ait itaque Papinius, Glauciam cum ad inferos deſcendiſſet, agnouiſſe vmbram Blæſi, cuius imaginem viderat ſæpe ornari ſertis à Meliore. huius Blæſi meminit Mart. eo epigrammate.

Qui præſtant pietate pertinaci.

Pag. 32. v. 11. Pver. Glaucias.

12. Similes cvras. ſimilitudine formæ lenientem.

15. Ivngit vestigia. properat ad illum.

16. Svmmos amictvs. mouet (inquit) laciniam Blæſi. quod cum Blæſus non ægre ferret, & illum tamen non agnoſceret, puer audacius ſequi cœpit.

18. Ignota. credit aliquem eſſe quem non viderit apud ſuperos.

20. Sensit. adiuit ex Glaucia.

24. Porsit. porrexit.

26. Alternvm. vt pariter ſecum te amet.

27. Qvin. cur non.

30 Astraqve. contra Horatius.

Damnatum celeres reparant cæleſtia Lunæ Nos vbi decidimus.

elegantiſſima poëtæ contentio, qua exemplorum auget copiam.

Pag. 33. v. 4. Mervit mori nec commiſit aliquid dignum morte.

9. Impetrare cvncta: poteris enim impetrare reditum ad ſuperos à Plutone.

11. Pectora. Melioris.

14. Nega. oſtende te non periiſſe.

15. Qva potes. qua ratione potes repræſentando te.

16. Insinvare. tacitè conſolari apparendo in ſomnis. qua ſpe Meliorem mœſtum & languentem nonnihil erigit, & ratione iam confirmatum ad hilaritatem quoque prouocat.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Inter prima poëtices rudimenta, Auguſtine, cum alia præponuntur diſcenda à præceptoribus, tum locorum deſcriptiones, ſine quibus Poëma nullum abſoluitur: vt ſeorſum & ſuo ſtilo tractatæ inſerantur emendatæ grandiori operi. Papinius ita hanc partem excoluit & variauit, vt quæ ſolet eſſe poëmatis pars, apud hunc perfectum & elucubratum opus videatur. nec enim tantùm energiam & repræſentationem loci ſectatus eſt qua ſola ſolet eſſe contenta diſcriptio. ſed multa addit variis figuris, quæ ſupra deſcriptionis legem in opus conſummatum conueniũt. quod cum alibi, tum in villa Pollij deſcribenda ſpectare licet. Redibat à

dibat à Parthenope patria poëta vbi ludos quinquennales ſpectauerat, qui (vt ſcis Strabonem ſcribere) illic celebrabātur. cōtendentem ad vrbem Pollius coëgit precibus diuertere in villam Surentinam. hanc hoſpitij gratiam referens Papinius, laudat; & ab operis difficultate. nam inter montes exciſos ſtructa erat, & ab amœnitate loci ac ornamentis & ſignis.

19. Notos nomine sirenvm. id eſt Surentinos. nam Surentum cum promontorio Sirenum quondam ſedes fuit, vt placet Plinio. in extremo autem promontorio (quod quidam Prænuſium nominant) erat Mineruæ templum conditum ab Vlyxe: vt Strabo refert: circumflectenti vt (idem eſt auctor) inſulæ quædam ſaxoſæ occurrunt quæ Sirenes appellantur.

Ibid. Saxaqve. id eſt promontorium.

20. Onerata. preſſa.

Ibid. Templis. quę condidit Vlyxes.

Ibid. Minervae Tyrrhenae. nam ad mare Tyrrhenum eſt. & Tyrrheni olim tenuerunt ab agro Surentino ad Sillarum amnem.

21. Specvlatrix. vnde Puteolanus ſinus poteſt videri.

Ibid. Dicarchei. Dicarchea olim dicti ſunt Puteoli, à δίκη quod ſignificat iuſtitiam qua potiſſimum regebatur, vt Feſto placet. poſtea Puteoli dicti, vel à frequentia puteorum qui ibi ſunt, vel à putore, vt ſcribunt Varro & Strabo. Addit Strabo, putorem illum ſulphureum inde natum eſſe, quòd gigantes olim in bello Phlegræo ſeparatim illic lauerunt vulnera.

24. Vritvr. coquitur ſolum.

Ibid. Non invidet. non enim ſuperabatur à Falerno. nam Surentina vina cum reliquis omnibus contendebant, vt Strabo refert: quoniam longam accipiebant vetuſtatem, facto periculo eius temporibus. ea (vt ſcribit Plinius) conualeſcentibus ſunt apta: inter ſalubritatem & tenuitatem: tametſi Tiberius Cæſar dicebat medicos conſenſiſſe vt palmam Surentino darent: alioquin id eſſe generoſum acetum.

26. Conversa gymnade. gymnas græcè idem eſt quod gymnaſium. ſed à Papinio pro lucta accipitur hic & in Achilleide. Iam (inquit) res nulla reſtabat perfectis ludis Parthenopeis vbi luctantibus præmia proponuntur in Ambracia, vnde ſumus oriundi. nam pater habuit Sellas patriam in Ambracia, vt antea dictauimus.

23. Stadio parthenopeo. luſtri patrij. poſt quinquennales ludos quos in Parthenope patria ſpectaueram.

24. Laetvm. exhilaratum.

27. Trans gentile fretvm. à Parthenope.

Ibid. Qva limite. cupiebam (inquit) per Appiam redire ad vrbem: ſed Pollius coëgit diuertere Surentum.

31. Ivvere morae. placuit immoratū eſſe. atque ita deſcriptionis ſumit initium.

Ibid. Recessv. ſinu.

32. Lvnata aeqvora. curuata in ſpeciem lunæ.

32. Hinc atqve hinc. vtroque cornu.

33. Intervenit. ex interiore parte montis.

34. In terras. receſſum interiorem.

Ibid. Pendentibvs. altis vndique ſcopulis.

35. Gemina testvdine. duplici vaporario.

37. Chorvs phorci. nymphæ (inquit) marinæ cupiunt lauari balneis.

Pag. 34. v. 2. Excvbat. templum (inquit) illic eſt Neptuni. vnde fluctus imperio coërcentur, ne ſæuiant in lares innocuos & pios.

3. Amico salo. mari cuius Deus eſt.

Ibid. Rvra foelicia. in agro (inquit) & interiore terra eſt templum Herculis. hoc inſtaurauit Pollius, vt altera Sylua teſtatur Papinius.

8. Minvs avdet. minus fremit & ſæuit.

9. Saagna. æquora tamquam ſtagna.

10. Inde. ex littore à portu (inquit) ex littore ducta eſt porticus, hoc eſt via quædam tecta, in ſummas vſque rupes vbi eſt ædificata villa.

Ibid. Arces. rupes.

Ibid Erepit. porticus. eſt enim cliuoſa, dum in altum ducitur.

Ibid. Vrbis opus. dignum aliqua vrbe.

Ibid. Domat. ſuperat.

Ibid. Longo dorso. longo tractu.

12. Qua prius. in qua via ante porticum ſtructa.

13. Feritas. ruditas ſine aliqua amœnitate.

14. Qualis si subeas Ephyres. Corinthus dicta eſt Ephyre ab Ephyre nympha, vt ſcribit Pauſan. & interpres Apoll. poſtea Corinthus à Corintho Iouis filio, Baccheis dicitur. nam familia Bacchiadum annis ducentis Corinthum tenuit, vt Strabo ſcribit. Cypſelus tyrannus eos deleuit. hi ſunt quorum factione Tarquinius & Demarathus domo eiecti ſunt, vt ſcribit Dionyſius Halycarnaſſeus. Ouid.

Et quæ Bacchiadæ bimari gens acta Corintho.

In Chryſſæo ſinu alterum cornu tenet, vt ait Strabo. alterum & Cenchreæ vicus & portus ab vrbe Corintho diſtans ſtadiis ſeptuaginta. talis (inquit) porticus eſt à littore ad villam Pollij, qualis via eſt Lechæo cornu Corinthum: nam ea quoque recta eſt in ſpeciem porticus.

15. Lechaeo Inoo. vbi ſe præcipitauit Ino, de qua ante dictum eſt.

18. Sedet. ſedare velit.

19. Phoemonoe. Phoëbi filia fuit, vt ſcribit Plinius, & Pauſanias: quæ prima, vt ille ait, carmen heroicum cecinit.

17 Equi volantis. fons caballinus.

20. Turbavit. dum hauſit aquam ex fundo vſque: atque ita eum poetam excellentem oſtendit.

25. Ingenium. ſitum & artificioſam diſpoſitionem.

26. Haec Phoebi. alij codices habent: & nos *hæc* legimus. *Hæc* ſcilicet pars domus.

Ibid. Tenerum. radios orientis ſolis.

27. Negat. non vult.

29. Natant praetoria. id eſt vmbra ædium & villæ per aquas vagatur.

31. Favit. altis, inquit, loci natura ſponte locum commodum præbuit: in aliis arte domita eſt.

Ibid. Colenti. diruenti montem & ædificanti villam.

34. Lustra. cubilia ferarum quæ Lucretius ſecla appellat. quod id his ſedeant feræ & cubent.

38. Discentia iugum. quæ nunc ſeruiunt: cum prius indomita viderentur.

Pag. 35. v. 1. Intrantes. recondita ſub ſaxis reciſis.

2. Vatis Methymnaei. Arionis. nam Methymnia vrbs fuit in Leſbo patria Arionis, Terpandri muſici, Hellanici hiſtoriarum ſcriptoris, Calliæ, qui Alceum & Sappho eſt interpretatus. nomen accepit à Methymna filia Leſbi: quę inſulam tenuit. Mar. *Sic Methymnæo gauiſus Arione Delphin.*

3. Thebais. id eſt cythara Amphionis Thebani. nota hiſtoria. *Plectri* Getici Orphei qui Thrax fuit, Oeagri filius: qua muſice omnes ſuperauit, vt ſcribit Diodorus. ædidit poëma mira ſuauitate refertum. in Ægyptum nauigauit: vnum cærimoniarum vſum ad Thraces detulit. inter Argonautas cecinit hiſtoriam de chao & exordio mundi: vt eſt apud Apollonium. Nunquam fuiſſe Orpheum ſcribit Cicero in diuinatione. Græci verò quinque Orpheos contendunt: quorum nomina, opera, patriam, in commentariis Silij recitauimus. Thamyras item Philamonis filius & Arſinoës. Thracius dictus, eſt ex Edonis vrbe: ſiue Odriſius, vt ſcribit Pauſanias, quoniam ibi ſit natus. Is theologiam ſcripſit tribus millibus verſuum. Nunc de Orpheo intelligit Papinius: Cedat, inquit, gloria cytharæ Orphei, Arionis, & Amphionis: quod olim bruta & inanimata allexerit ſono. nam & tu moues ſaxa.

nes ſaxa. 7. ADHVC VACVA PTSA. Piſa nondum poſito ſimulacro Iouis Olympii ad Piſam quod ſculpſit. nam multa pręterea fecit. Mineruam ex ebore, quę eſt Athenis in Parthenonia ſtans.eandem deam ex ære: eãdem,quam Romæ ad ædem Fortunę Æmilius Paulus dedicauit. Multa pręterea quę Plinius recenſet. *Cælo Polycleteo*. Polycletus Sycionius Ageladis diſcipulus Diadumenum fecit. molitur iuuenem centum talentis nobilitatum, Doryphorum viriliter puerum. multa pręterea. Huius proprium fuit cogitaſſe, vt vno pede inſiſterent ſigna, vt Var. ait, & pene ad vnum exemplum.

10. AERAQVE. æra Corinthia intelligit.De æris autem Corinthij præſtantia lege Plinium libro. xxxiiii. naturalis hiſto.

Ibid. POTIORA. precioſiora.

Ibid. ISTHMIACIS. Corinthiis.

SAPIENTVM. philoſophorum.

12. QVOS TIBI CVRA SEQVI. inuentum fuit Aſinij Pollionis vt Imagines bibliothecis ponerentur, qui primus bibliothecam publicauit: eorum ſcilicet quorum animę immortales in iiſdẽ loquebantur:ſed luxus temporum nouas quoque & alienas imagines formauit.

13. VIRTVTE QVIETA. ocio.

14. SEMPER TVVS. numquam ſeruiens curis & affectibus.

18. INARIMEN. ante Miſenum inſula eſt Homerus, vt Strabo quidem accipit, duas dictiones fecit. ἐν Ἀρίμοις. noſtri coniungentes Inarimen dixerunt. Typhœus illic ſepultus eſt. Silius:

Non ardentem ſortita Typhœum Inarime.

Ibid. PROCHYTA. à Pithecuſis diuulſa eſt: vt ait Strabo. Plinius. ab Inarime.nam Pithecuſæ & Inarime idem eſt. dicta à ϖρο. quod eſt profundo.nam profuſa eſt Prochyta. cuius mulieris meminit Dionyſius Halycarnaſſeus.

19. ARMIGER HECTORIS. Miſenum intelligit dictam à Miſeno :qui olim armiger Hectoris fuerat,& Æneam eſt ſecutus:nota hiſtoria vel carmine Virgiliano.

Ibid. NESSIS. pręteremiſſa à coſmographis: à Lucano commemorata.

tali ſpiramine Neſis, Emittit Stygium nebuloſis aëra ſaxis.

Ibid. EVPLOEA. vna ex inſulis in ſinu Puteolano,dicta ab εὖ bene,& πλέω nauigo. nam nauigantibus fœlix ſtatio eſt.propterea Papinius appellat eã *omen fœlix carinis*.

Ibid. MEGALIA. nomen prędij erat Pollij ita appellatum : vel legas *Megaria*. nam inter Pauſilippum & Neapolim, vt ſcribit Plinius, eſt Megaris, ſeu malis legere Megalia: vt conueniat vtet que auctor.

Ibid. EXERTA. id eſt expoſita.

24. TVVS LIMEN.nomẽ prędij Pollij,à portu ita appellatũ.λιμὴν ſignificat portũ. vel legas Limon, vt ſit prædium pratis uirens. nam λειμὼν ſignificat pratum : vt dicimus daphnõna,lauretum,platanona,locum conſitum platanis.Angitur,inquit, tuum prædium,domino abſente à regione;& tanquam inuidens ſpectat villam Surentinam procul.

25. DIAETIS. diæta locus domi vbi tantùm verſamur nullo negocio aut vſu.nam διαιτῶ ſignificat verſor. Tranquillus: in diætam cui nomen eſt Hermeum receſſerat. Diæta item ſignificat legem victus

26. LIMITE. directa via per mare.

27. INGERIT. repræſentat.

Ibid. METALLIS. lapidicinis. nam metalla ſunt venæ tam lapidis quàm æris & aliarum rerum. Plinius: & vbicumque vna inuenta vena eſt, non procul inuenitur alia. hoc quidem & in omni fere materia: vnde metalla Græci videntur dixiſſe. nam μεταλλεύω ſignificat indago.

28. RESPERGIT. nam Sienites marmor quod ad Sienem Ægypti foditur, maculoſum eſt. vnde antea appellabatur Pyropœcidos, id eſt ignitis maculis variatum: ex quo obeliſcos fecere in Ægypto.

29. MOESTA. quia illic non potuit Cybele potyri Aty ſuo . de marmore Sina-

dico antea eſſe dictum.

31. CANDIDA AREA. latum ſpacium marmoris can didum.

Ibid. GYRO PVRPVREO. punctis & venis purpureis.

32. DE MONTE. de marmore Laconico antè diximus.

34. THASOS. Thaſon è Cycladibus inſulis vnam Parii incoluerũt: ex qua maculoſum marmor mittebatur, vt ſcribit Pli.

35. ET CHIOS. Pli. primum vt arbitror, verſicolores iſtas maculas Chiorum lapidicinæ oſtenderunt, cum extruerent muros.

36. TVRRES CHALCIDICAS. à Chalcidenſibus conditas.

Pag. 36. v. 1. NOS. Neapolitani.

Ibid. ALVMNO. nam educatus eſt Neapoli Pollius, & aſcriptus in ciuitatem.

5. SCOPVLOS. in quibus ſunt vates & Satyri. Satyri fabuloſi ſunt apud poetas. ab hiſtoricis dicuntur eſſe in Africæ deſertis ad orientem: laſciuiréq; Atlante monte: præter os nihil habentes humanum. Macrob. à σάθη dictos putat. i. membro virili, quòd libidinoſi ſint.

11. PANES. Pan ore caprino, hircinis cruribus colitur à Mendeſiis tanto in honore illic (auctore Herodoto) vt ab eius nomine vrbs condita ſit: quam Chemin vocant, id eſt Panos vrbem. nomen eſt Arcadiæ & Campanorum: quod intelligi voluit Silius.

12. DOMINIS AMBOBVS. id eſt Pollio & Iulio Menecrate genero ſuo.

14. MYGDONII. Tithoni filii fratris Laomedontis.

15. AVLA TYRINTHIA. id eſt Herculeanum. nam ab Hercule Herculeanum nomen accepit: quod eſt in Campania oppidum, vbi habebat prædium Pollius.

Ibid. SINVS DICARCHAEI. Puteoli, vbi item eiuſdem erat prædium.

16. GALESI THERAMNAEI. id eſt Tarentina. nam Tarentum cõditum eſt à Theramnæis, id eſt Lacedæmoniis.

18. AVCTOR GARGETICVS. Epicurus de quo antè eſt dictum. id eſt philoſophiam Epicuream.

19. DISSONA. carmen elegiacum.

20. IAMBON VLTOREM. iambicum carmen quod Archilochus poeta Parius (vt ait Strabo) ob ſpretã filiam à Lycambe in vltionem primus inuenit, compulitq; maledictis & acerbitate ad laqueum. eodem vſus eſt Hipponax poeta in Bubalum & Anthermum ſculptores, quoniam eũm deformis eſſet, ab his in contemptum effectus fuerit. tametſi Pli. non aſſentitur. Eodem vſus Cato Vticenſis in Scipionem Metellum: quoniam Lepidam aliquando dimiſſam & ſibi conceſſam repetiit. Iambicum igitur carmen in vltionem vſurpatum eſt.

21. TRITONIA. Pallas. cuius templum erat in vicino promontorio, vt antea eſt dictum.

24. DELPHINES. qui cantu mulcentur præſertim hydrauli, vt ſcribit Pli.

25. TROICA. i. ditior opibus Troianis & Babyloniis.

27. QVEM NON AMBIGVI. ex ſententia Epicuri (cuius philoſophiam ſectabatur Pollius) ait eum veræ vitæ vacare. nam Epicurus vitam appellabat id ſolum tempus, quo operam damus voluptati cum virtute: nec angimur curis.

34. PLENVM VITA. plenus vita eſt qui vixit, vt diximus ex Epicuri ſententia. Manilius: *Victuros annos ſemper nec viuimus vnquam.*

Lucreti. *Cur non vt plenus vita conuiua recedis.*

35. SPARGIMVR. diſpargimur. vt illud Vir. *In fluctus ſpargere.*

37. GEMINAE TERRAE. & Puteoli patria & Neapolis ciuitas data tibi.

Pag. 37. v. 2. MEIS. Neapolitanis.

3. ERRORE PLECTRI. vel ſuperbus cithara: in qua errat plectrum dum pulſatur: vel ſuperbus laude carminis qua per errorem efferimur.

AT NVNC. poſteaquam exuiſti iuuentam, & agnouiſti veram vitam.

IN ALTO. pelago, gloriæ & negotiorum.

13. EMERITAM. quæ iam perfecit curſum ſuum.

Ibid.

Ibid. NOSTRAS. quibus nos agitamur.

14. DISCITE. alloquitur Iulium Menecratem,& generum,& filiam Pollii: hortaturq; ad imitationem morum Pollii.

12. PROCEDITE. ſuperatæ laude amicitiæ.

13. TVQVE NVRVS INTER. hic deeſt verſus. non enim benè ſequitur, niſi ita emendes. *Tuque nurus inter, cuius præcordia curæ, Nec frenem,* &c.

16. NON TIBI. hoc referendum eſt ad Iulium Menectatem.

Ibid. INFOELIX. auara.

Ibid. STRANGVLAT. continet, flagellat.

18. EXPOSITI CENSVS. ſcilicet ſunt tibi ad vſum & liberalitatem. atque ita à villæ deſcriptione exiuit in laudem Pollii & totius domus, ne putes eum ſtudio villæ potius quam amici beniuolentia carmen cecini ſſe.

DOMITIVS AVGVSTINO.

FEſtiua locorum amœnitas, Auguſtine, à mollibus & delicatis hominibus vmbrarum opacitate in primis quærebatur. hinc porticus, Pompeiæ, Liuiæ, Claudiæ ſtructæ ſunt: arbores ex nationibus externis tranſlatæ, quæ ramis plurimum luxuriarentur, platanus & lothos. Lothon quidem carmine celebrat Homerus, cum eius fructu Vlyxis ſocios in Africa ſubſtitiſſe narrat patriæ oblitos & incœptæ nauigationis. Eiuſdem nominis herbam contendit eſſe Pli. Sed ne ab arbore diſcedam, hæc eſt ex genere cum ſex haberet domi L. Craſſus, Gneo Domitio collegæ ędes per iurgium licitanti conceſſit, ſi pateretur excipi ſex arbuſculas, quod ille recuſauit. eaſdem in hortis ſæpe oſtentauit Cæcina Largus. Quid? nonne Hortenſius dicendæ cauſæ diem cum Cice. permutauit, vt ei eſſet ocium ad platanum in Tuſculano vino irrigandam? Atedius verò Melior (de cuius elegantia ſæpe dictum eſt) platanum habuit in hortis iuxta fontem: in cuius laudem carmen ædidit Papi. in domini aſſentationem, fabulamq; confingit de eius ortu: quod pro munere mittit Atedio, diem ſuum natalem celebranti. Quid mirum Auguſtine? nam demonſtratiuum genus tam latè patet, vt non modò poetæ tam paruis laudationibus laſciuiãt: ſed oratori quoque ſit conceſſum arborem laudare, & minima quæque: nam (vt refert Fabius) ſingulos cibos medici nonnulli laudarunt, & ſomni æditæ ſunt laudes.

25. STAT. erecta eſt.

31. SATIS EST. non indigeo alia ope.

34. PHOLOEN. Pholoë nomen ancillæ apud Vir. quæ dicta eſt Sergeſto. *Creſſa genus Pholoë.* Idem nomen apud Horatium. Pholoë mons cum oppido in Arcadia: Pholoë hîc pro vna ex Naiadibus.

36. IANI NEMVS. Iani templum à Numa conditum eſt ad infimum Argiletum, vnde pacis & belli indicium eſſet. nota hiſtoria ex Liuio & Ouid.

36. RVRA CACI. Cacus notus carmine Virgiliano. hunc malum vicinum fuiſſe interpretatur Columella, Soli. & Diodorus, furem, quem ipſe Lycinium appellat. ſpeluncam habuit in Auentino. Ouid. *Cacus Auentinæ timor ac infamia ſyluæ.*

38. CAELICA TECTA. Cælium montem ita appellatum à Cælio rege Tuſcorum: qui cum in auxilium veniſſet Romulo contra Latinum, vt Varro ſcribit, mortuus in eo colle eſt humatus: qui cum eo venerunt Tuſci, in planum deſcendentes, vicum tenuerunt, qui Tuſcus dictus eſt.

37. QVIRINALES. Quirinalis collis ab æde Quirini dictus eſt.

Oui. *Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini:*
Inque Quirinali conſtituere iugo.

Ibid. LEVIS. IMMINET. inemendati codices habent, *Sum inuenit.*

Pag. 38. v. 9. LEGIT VESTIGIA. luſtrat radices.

Ibid. TERRAE AVENTINAE. Auentinus mons, vt Næuius ait teſte Varrone, ab auibus dictus eſt, quæ eò à Tiberi volarent. alii à rege Albano Auentino illic ſepulto. alii ab aduentu hominum, qui eo conueniebãt propter templum Dianæ. vel (quod magis Varroni placet) quoniam in eum ob paludes homines ratibus aduehebãtur. ibi ſtructum eſt Dianæ templum, Seruio Tullo regnante, à populis Latinis: in cuius foribus

foribus bouis cornua figebãtur, cum in aliis ceruorum penderent, in monumentum veteris hiſtoriæ bouis immolatæ Dianæ in Auẽtino: quæ nata in Sabinis portendebat imperium. Sacerdos appellatus eſt Cornelius cui nata eſt bos, Andron Curiatus, vt Tuba tradit auctore Plutarcho in quæſtionibus. meminit item Plin. præter Liuium. Aptè igitur fingitur errare Diana per radices collis: in quo habebat templum.

11. PECVS. Faunos, Satyros, & Panes.

14. AVT SOLITO. vt ſolet.

24. IMMITEM BROMIVM. nam ſolemus in aduerſis conqueri de numinibus quos colimus; & cum Pan ſequatur Bacchum ducem, eum incuſat.

26. MANVS. rami.

29. VIVE. verba Panos ad arborem.

31. DECLIVIS. inclinata in aquas, quò ſe deiecit Pholoe.

Ibid. PREME. opaca.

32. MERVIT. feriri igne ſuperno. Nouem dii fulmina mittunt; vt docent Tuſchorum litteræ. Sunt autem vndecim fulminum genera: quorum octo dii ſingula habebãt, Ioui terna. Romani duos tantùm deos fulmina iacere dixerunt, Iouem diurna, Summanum nocturna.

35. DOMINAM. Pholoem.

37. PHOEBI FRONDES. laurus.

Ibid. DISCOLOR VMBRA. nam populi genera tria ſunt, alba, nigra, lybica. Alba folio bicolor eſt. Virg. *Herculea bicolor cum populus vmbra.*

Ibid. FRONDES IOVIS. Eſculus Ioui dicata, vt ſcribit Pli. glandem amaram fert in Macedonia, vt ait Theophraſtus.

38. NOSTRAE. nam pinus dicata eſt Pani, vt in Mar. diximus.

Pag. 39. v. 1 ANIMATA. quæ concepit.

3 SINVATVR. inemendati codices habent *ſeruatur.*

6 LIBRATVR. vt ſuſpenſam ſe demittat. *Stirpe* radicibus.

8. PHOEBEIA. Pholoe comes Phœbes. i. Dianæ. Hæc verba ſunt Papinii.

10. GENITALI LVCE. i. natali tuo. nam celebrantibus diem natalem mittebantur munera ab amicis.

13 CVM PONDERE grauitate.

14. QVIES. qui nunquam ceſſas in ocio per ignauiam.

15. PER HONESTA. dulcia inter ſeueritatem & iocunditatem.

17. ET SECRETE PALAM. inemendati codices habent, *& ſatiare palam.* nos *ſecretè* legimus. vt dicat, qui non minus continẽter ſecretus viſus, quam ſi publicè ageres.

19. COMERE. adornandas diuitias dum bene vteris.

24. SVB TESTE. nam Melior ſingulis annis celebrabat conuiuiũ in monumentum Blæſi pueri ſui mortui de quo Mar. *quod donas facis ipſe Blaſianum.* quo loco plura diximus. *Hoc* rogauit, vt viuas.

Ibid. TE SVB TESTE. te dante conuiuium pro eo.

Ibid. SITVM TACENTE. obliuionem ſui inter mortales. *Reu reſcit.* ſingulis annis renouatur tua pietate.

DOMITIVS AVGVSTINO.

PSitacum auem Indicam in deliciis fuiſſe ob ſermonis humani docilitatem antiquorum monumenta teſtantur. Imperatores tam promptè ſalutabant, vt id ſponte & ſuo ingenio facere viderentur. Inde illud Mar.

Pſitacus à vobis aliena vocabula diſcam,
Hoc didici per me dicere, Cæſar aue.

Plini. inquit, humanas voces reddunt, Imperatores ſalutant. Oui. Pſitacum Corinnæ mortuum defleuit. Papini. Atedij Melioris mortuum cum heſterna cœna conuiuas oblectaſſet, ita ornat, vt non tam cum Ouidio contendere, quàm eum præcedere videatur.

39. FACVNDA. cuius facundia afferebat voluptatem dómino.

35. Me-

35. MEDITATA. quæ didiceras. Fabula Phaethōtia.i. Cycnus. nam Cycnus audito interitu Phaethontis, dolore in auem ſui nominis conuerſus eſt. Cycnus autem antequàm moriatur ſuauiſſimū cantum emittere dicitur. ea de cauſa dicatus eſt Phœbo deo vaticinij, vt ſcribit Cicero. Mar.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator Cycnus funeris ipſe ſui.

Pli. hoc fabuloſum putat. Papinius ait pſitacum ſibi prædixiſſe mortem cantu, vt Cycni ſolent.

37. PHAETHONTIA. Phaëthon triſyllabum eſt. Varro per ſynæreſem protulit:

Tum te flagranti deiecit fulmine Phæthon.

Sol (vt Euſtathius ſcribit, & Pherecydes) cum Rhode puella filia Aſopi concubuit, vnde ſuſcepit filios, Phaethontē, Aeglem, Lampetiam, & Phaëthuſam. noſtri aliter ſcripſerunt.

Pag. 40. v. 2. CONNEXVSQVE EBORI. Caueam deſcribit virgulis argēteis ſtipatam & intextam ebore.

3. CORNV. i. roſtro. nam vt ſcribit Pli. miram habet duritiem roſtri quo ſe excipit & innititur.

7. ALES PHOEBEIVS. coruus. nam mira eſt docilitas coruorum, vt ſcribit Plin. hiſtoriāq; refert de eo coruo qui ex nido ſupra ædem Caſtoris ad forum in proximam ſutrinam euolabat. illic ſermoni aſſuefactus omnibus matutinis Tiberium, Germanicum, Druſum, Cæſares nominatim ſalutabat: mox populum Romanum tranſeuntem. à quodam interfectus: qui plebis indignatione à vico illo expulſus & interemptus eſt: elatus duorum Aethiopum humeris, præcedente tibicine, ſparſis coronis, in via Appia ad ſecundum lapidem humatus eſt.

8. DIMITTERE. vt reddat.

9. STVRNVS. tantæ docilitatis, vt Cæſaris iuuenes temporibus Veſpaſiani Sturnum habuerint Latino & Græco ſermone docilem.

16. AONIO. muſarum nota fabula.

10. PERDIX. cur docilem dixerit Papin. viderit ipſe.

11. SOROR. Procne verſa in Philomelam; vt ſcribit Probus, & nos dictauimus in commentariis epiſtolæ Sapphus.

20. AMICI. qui olim conſolatus eſt Atedium in morte Blæſi pueri ſimul gemendo.

23. INGLORIVS. non ſine laude funeris.

26. CROCIS SICANIIS. nam non modò Coricium crocum, ſed etiam Siculum optimum eſt, vt in Iuuena. dictauimus.

27. PHOENIX. nam (vt ſcribit Plini.) in Arabia auis: vt Manilius tradit, ſexcentum & ſexaginta annis viuit. moritura caſſiam & ſurculos thuris alióſque odores in nidum congerit, quem ſuccendit alarum plauſu: & illic ardet. ex cineribus alter oritur.

DOMITIVS AVGVSTINO.

FEras in ſpectaculis, Auguſtine, vidit populus ſæpe & libenter. primus interfecit Hyperbius Martis filius: nemo tamen exhibuit frequentius quàm Domitianus. qui non contentus amphitheatro Romano, eas quoq; in Albano conficiebat. Leonem manſuefactum nuper in arena extinctum alterius feræ morſu deflet Papinius hoc carmine, in Imperatoris gratiam. Leonem autem manſuefieri Hanno Carthaginenſis primus docuit: & cum auſus eſt tractare. qua de cauſa damnatus fuit ciuibus, timentibus eum omnia auſurum, qui tantam potuiſſet immanitatem domare.

31. IRA CONSTRATA. victa & domita.

SCELVS. ſæuiendi in homines. nam leo, vt Polybius Aemilianus comes dicebat, in ſenecta præſertim homines appetit, cum feras perſequi non poſſit. viros potius quàm fœminas, infantem nunquam niſi maxima fame. Teſtatur idem, ſe multos leones crucifixos vidiſſe in Africa, vt reliqui eo ſpectaculo à cæde deterrerentur.

33. Imperio. parere magiſtri.
Ibid. Minori. quo fortior ætas.
34. Domo. ex cauea.
36. Insertas. immiſſas.
Ibid. Laxo morsu. aperto ore.
38. Grege Massyllo. multitudine Maſſyllorum venatorum. Nam Maſſylli populi Africæ ad occidentem leones miræ magnitudinis venatione capiunt. Mart.

Maſſylli leo fama iugi

Pag. 41. v. 2. Deceptus caeco hiatu. fouea: nam Gætulus quidam (vt ſcribit Pli.) veſte obiecta in caput leonem foueis factis capiebat.
3. Fera fugiente. nimirum hic eſt ille leo, qui laceratus fuit à tigride in ſpectaculis Domitiani. quem intelligas peracto morſu aufugiſſe. Mar.

Lambere ſecuri dextra conſueta magiſtri,
Tigris ab Hyrcano gloria rara iugo,
Sæua ferum rapido lacerauit dente leonem.

6. Hoc nefas licuisse. hoc potuiſſe fieri.
8. Primo ictu. primo morſu.
9. Ille novus pudor. illa tigris nouum & inauditum dedecus.
13. Attollit manum. eum vulneraturus.
18. Ceu caderes. ac ſi nobilis gladiator interfectus eſſes mœſtis ſpectatoribus.
19. Tetigit ora Caesaris. nam Cæſar fleuit.
20. Scythicas feras. Scythia pauca animalia gignit inopia fructuum, vt ſcribit Plini. vt Lybia inopia aquarum diuerſas habet feras. nam ad vnum fontem, diuerſis conuenientibus & illic coeuntibus, monſtroſa naſcuntur animalia. inde prouerbiũ, Africam ſemper noui aliquid afferre.
20. Phariae feras. Aegyptias. hippopotamum autem præcipuè mittit & crocodilos Aegyptus in ſpectacula. de crocodilis teſtis eſt Strabo, vt de aliis ſileam. M. Scaurus primus hippopotamum & quinque crocodilos oſtendit Romæ temporario euripo.
21. Vile est. paruifacit Domitianus: & contemnit comparatione leonis, nec id curat.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Ecce tibi alterum epicedium, Auguſtine: quo Papinius Vrſum iuuenem amiciſſimum conſolatur, lugentem Piletum puerum libertum quem amiſerat & dilexerat vnicè. primùm indulget dolori (quod in Atedio quoq; fecit) & lacrymas auget. deniq; ad rationem reuocat. Accuſat eos qui leges præſcribunt in fletu, & monent, pro gradu neceſſitudinis mortuos eſſe lugendos. nec aut fratris plus quam patris, aut vxoris plus quam filij morte eſſe dolendum: ſed lacrymarum rationem pro neceſſitudine ſeruandã. Fieri enim poteſt (inquit) vt magis lugeamus ſeruum ſi eum amamus; vt ita Vrſum confirmet in luctu: quamuis puerum libertum defleat.
26. Ponis discrimina. leges diſtribuis.
28. Accendere. ſ. rogum & celebrare funus.
29. Et durum est. marito.
30. Conclamare partem tori deserti. lugere amiſſam vxorem.
31. Arcte tamen. quamuis nulla ſit neceſſitudo.
32. Vincit. magnitudine doloris.
Ibid. Maiora vulnera. dolorem amiſſorum, qui magis eſſent coniuncti.
33. Minor plaga. iactura minus coniuncti.
34. Nec pectora movit. legendum eſt per interiectionem ab eo. quoniam rerum omnia ita (inquit) fortuna voluit: nec mota eſt vlla miſericordia vt famulum amitteres quem gemis. Gemis (inquit) famulum conditione & fortuna: ſed pietate & fidum dignis illis lacrymis.
36. Maior stemmate iuncto. maior libertate data à te. hoc eſt libertate animi ſuperabat conditionem ſuam.

38. Deiſque si tam dura placent. & poſtquam dij tam erudeles fuerunt vt hoc permiſerint,gemis hominem.& hoc quod ſequitur.

Pag.42. v.1. Hei mihi svbdo ipse faces. legẽdum eſt per interiectionem. nam exorſus laudes Pileti veretur ne quo magis laudauerit Vrſi dolorem augeat.

4. Sibi imperiosvs erat. qui ſponte peragebat quæ abs te imperata erant.nam ipſe ſibi iubebat.

Ibid. In haec fvnera. in mortem talis pueri.

5. Castiget. i. reprehendat. per comparationem à minori excuſat lacrymas Vrſi.

6. Parthvs eqvvm. Parthia non admodum magna fuit. nemoroſa eſt & montana, Tiberij temporibus latos oecupauerat fines. nam ad Caſpias vſque portas Aragos & Rapiros erat propagata. De Parthorum moribus propriam ſcripſi hiſtoriam Strabo, quæ non extat. Parthi exules dicuntur eorum lingua, vt Trogus ſcribit.

Ibid. Fidos canes Molossi. Moloſſi populi in Epiro nobiles oraculo Iouis Dodonæi,optimos habebant canes:vt etiã Laconici & Salaminij,quod ſcribit Varro in re ruſtica. Horat.

Qualis aut Moloſſus aut fulvus Lacon amica vis paſtoribus.

Virg. *Veloces Spartæ catulos acreſque Moloſſos.*

Melites autem canes ex Melita inſula in deliciis erant: vt ſcribit Callimachus, autoritate accedente etiam Strabonis.

7. Et volvcres. & auibus (inquit) funera data ſunt. vt coruo, de quo antè diximus.

Ib. Cervvs Maronis. & ceruus apud Maronẽ defletur à Syluia.notũ eſt carmẽ.

8 Qvid si nec famvlvs. hactenus excuſauit lacrymas tanquam miſſas in funere ſerui: nunc contendit eum fuiſſe liberum etſi fortuna erat ſeruili.

10. Te tantvm. qui te ſolum herum potuiſſet pati.

Ibid. Sed maior. non erat famulus (inquit) ſed maioris indolis quam vt poſſet ſeruus videri.

14. Paris. mollis & formoſus ab Homero deſcribitur & Horatio.

Nequaquam Veneris præſidio ferox

Pectis cæſariem.

17. Caventem bella. inemendati codices habẽt *canentem*. nos *cauentem* legimus: nam in Scyro inſula inter virgines filias Lycomedis latuit, vt bellum Troianum vitaret. quod cum à poëtis ſcriptum eſt, tum à Strab. Papinius formoſum eum deſcribit,vbi ait:

Attamen arma inter feſtinatoſque labores,

Dulcis erat viſu niveo,natat ignis in ore

Purpureus, fulvoque nitet coma gratior auro.

24. Hesperus. Atlantis filius cum Atlantis montis cacumen aſcendiſſet,vt ſyderum curſus obſeruaret,ſubito ventorum turbine raptus eſt: à populis verò quibus erat iocundiſſimus ob excellentem iuſtitiam & humanitatem, cælo eſt dicatus, & receptum vt ſtella ab Heſpero Heſperus vocaretur. Diodorus auctor.

26 Qvalis dvbiae. caſtrabantur mares: quod Domitianus prohibuit,vt auctor eſt Tranquil. & Mar.

Ludus & immeritos execuiſſe mares.

Vtraque tu prohibes Cæſar.

Mollis autem forma eſt ſpadonum.

Ibid. Dvbiae formae. nam ſpado dubium eſt ex facie, vir ne ſit an mulier.

27. Transire de sexv. quod faciunt ſpadones.

29. Iam casside visa. cum iam tractaret arma.

30. Parthenopevs. inter ſeptem duces ad Thebas forma præſtabat. Papin.

Pulchrior haud vlli triſte ad diſcrimen ituro

Frons fuit. vel legas *miſſa*: vt illud Martial.

Non iaculo non enſe fuit læſuſue ſagitta.

Caſſide dum liber Parthenopæus erat.

33. Evrotas. de quo ante diximus, Laconiæ fluuius ex monte Mænalio font ducit, vt ſcribit Callimachus. Alpheo confunditur, rurſúſque diſcedit: ripæ Tau opacantur. tam virilis (inquit) forma erat Pileto, quàm ſolet eſſe in pueris Laceda moniis: qui ab ineunte ætate laboribus durantur.

34. Elin. i. ludos Olympiacos. Eleorum rex Augeas fuit, qui ad Troiam quadr ginta naues miſit. Elei præfuerunt in Olympico certamine à prima Olympiade, qua Chorebus palmam obtinuit, vſque ad vigeſimam ſextam. Piſa deinde Indoru poſſeſſionem ſibi vindicauit: rurſus tamen Elei facti domini.

Ibid. Approbat Iovi. ſuarum virium facit periculum in ludis Iouis Olympic Locus vbi celebrabantur, Olympia dicitur; non autem in Olympo monte, qui pr cul inde abeſt.

37. Volentem. non innitum. Martial.

Liberior domino ſæpe fit ille ſuo.

Pag. 43. v. 1. Tecvm. ô Pilete.

Ibid. Nec vnqvam svvs. Nunquam ex ſe pendebat.

4. Fidem cecropiam. Theſeum & Pirithonm.

Ibid. Sed lavdvm termimvs esto qvem fortvna sinit. legendum eſt per i teriectionem: vt dicat, non excedamus terminum eius conditionis. nam fuit ſe uus. nec comparari poteſt eius amicitia Achilli & Patroclo, aut Theſeo & Pirith hominibus liberis: ſed comparat amori ſerui erga dominum, vt Eumæi erga Vl xem. nam Eumæus Creſſij filius Ormeni Syrus emptus à Laerte in agro magna fi fuit in aduentum vſque Vlyxis, qnem vnicè diligebat. de eo tale extat carmen apu Homerum, decima quinta Odyſſeæ.

Τῇσιν δ' ἀμφοτέρῃσι πατὴρ ἐμὸς ἐμβασίλευε
Κτήσιος Ὀρμενίδης. & poſtea:
ἔνθα με Λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν.

5. Mente aegra. mœſta ob abſentiam domini.

6. Tardi vlyxis. tardè reuertentis.

10. Fores fortior. leuiùs ferres.

11. Vesvvina incendia. Veſuuius, & Veſpins eodem nomine, mons eſt ame niſſimus in Campania, præterquàm in cacumine, quod planitiem quidem habe ſed fructum nullum ferentem. loca illic viſuntur cauernoſa & cineres: ex quib olim eum arſiſſe coniectura eſt. emiſit incendium temporibus Titi.

Ibid. Locros. Locri in Bœotia. Opūtij ab Opunte oppido Patrocli patria. Loc item Epicnemidii in eadem Bœotia à Cnemide monte dicti. Locri præterea Oz læ, à malo odore, quem Taphoſus mons proximus emittit. Locri deniq; Zephy in Brutiis à Zephyrio promontorio dicti, de quibus nunc ſenſit.

12. Polentinos saltvs. Polentia in altera ex Balearibus inſulis, eiuſdem nom nis ad radices Alpium lanis nigris nobilis, vt ſcribit Pli. de hac Papinius.

16. Cyrene. in his omnibus locis prædia erant. Vrſi Cyrenem Therei condid runt, qui olim ex Lacouia venientes Theram tenuerant inſulam, quæ dicta eſt C liſto. Callymachus.

Nomine Caliſto fuerat: ſed poſtea There,
Dicta fuit Tellus vrbis origo meæ.

i. Cyrenes quam Battus ex progenitoribus Callimachi condiderat. Eqnos al optimos, & fructus fert, ſilphium in primis. meminerunt Herodot. Strabo, Plin. Trogus.

22. Tristis rhamnvsia. Rhamnes opidum eſt in Attica: vbi Nemeſis coleb tur. vicum tamen appellat Strabo. Nemeſis autem dea eſt quæ vlciſcitur ſuperbo nimia fœlicitate ea colebatur in Capitolio, qnamuis Latino nomine careat. Dicit autem à νεμεσᾶ, quod eſt ſuccenſeo & indignor. nam ſuccenſebat nimia elatis fœl citate. Eadem iuxta Cyricum dicebatur Adraſtea, qnoniam ab Adraſto erectu eſt ei templum. locum venationis habet poſtquam autem dextram quam antiq attingebar

attingebant cum eam venerabantur.Plin. auctor vndecimo naturalis hiſtoriæ. Falsò quidam Rhamnuſiam pro fortuna acceperunt.

31. Qvo sono. ô quanto gemitu.

32. Tibi. Propter mortem tuam.

34. Vinci. ab Vrſo gemitu & dolore.

36. Phariae volvcri. Phœnici.

Pag.44. v.1. Nec qvod tibi Setia canos restrinxit cineres. nec (inquit) vmbræ tuæ & tibi gratius fuit quod rogus fuerit aſperſus vino Setino (id autem tribuebatur clariſſimis viris) aut quòd vrna ex marmore onychite cineres tuos acceperit: quàm quòd tantos tibi perſoluerit gemitus Vrſus.

Setia. i. vinum Setinum, de quo in commentariis Mar. diximus.

2. Nec qvod onyx. i. vrna ex marmore ouychite. Porphyrio tamen onyx pro ampulla accepit. Patrocli quoq; rogus nigro vino extinguitur apud Homerum Iliados trigeſimo tertio.

Πρῶτον μὲν κ' πυρκαϊὴν σβέσαν αἴθοπι οἴνῳ
Ὅσσον ἐπὶ φλὸξ ἦλθε, βαθεῖα δὲ κάππεσε τέφρη.

Virgil. *Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit,*
Reliquias vino & bibulam lauêre fauillam

2. Gremio. concauitate ſua.

3. Vallavit. i. texit, ſcilicet cineres tuos.

Ibid. Acceptivs. gratius eſt vmbræ tuæ quam gemitus vrſi.

4. Qvid terga dolori. hinc incipit reuocare Vrſum à gemitu.

8. Meritvsqve dolorem. quamuis dignus fuerit lacrymis & iſto dolore.

13. Notat. obſeruat quem cuperet in amplexu.

15. Et ipse dabit. mittet ab Eliſiis.

16. Gavdens. libens & non inuidens amori.

DOMITIVS AVGVSTINO.

CElebrabant antiqui, Auguſtine, diem quo nati erant, diis gratias agentes pro hac luce quam inſpexerant. Clientes patronis, & amici amicis id agentibus munera mittebant: quæ vt nonnulli auari exigerent ſæpius eodem anno, bis térue diem ſuum fritilla celebrabant natalem: in quo Martial. epigrammate deridentur. Plus quoq; fritilla. his [illegible]mnis erat, vt ſcribit Plin. Polla Argentaria Lucani vxor coniugis mortui diem natalem celebratura, à Papinio exegit, vt carmen in illius ederet laudem: quod ipſe genethliacon inſcribit. nam *γένεσις* ſignificat generationem & ortum, de quo dies agitur natalis. Quaſi ergo inter aras Pontifex ſacrum ita orditur carmen.

21. Isthmiae Diones. de fonte Pirene intelligit, de quo antè diximus. Is ad Actocorinthum in Iſthmo ſacer Muſis. montis vertex habet ædem ſacram Veneris. Papinius appellat Pirenem fontem vngulæ pendentis: quoniam (vt ſcribit Stra.) Pegaſus alatus equus illic bibens deprehenſus eſt à Bellorophonte.

21. Diones Isthmiae. Veneris Acrocorinthiæ.

23. Pendentis. id eſt volantis. collis autem excelſus eſt ad tria ſtadia.

25. Arcas. Mercurii.

26. Rotator. qui regis in orbem & furorem.

31. Docti Amnes. vt Permeſſus & alij Muſis ſacri.

32. Et plvs. plus ſolito.

Ibid. Aoniae. Parnaſſiæ. Aones enim populi Parnaſſum tenuerũt: vt ait Strabo.

Ibid. Et si qva pateram diem. Si aliquis ſe coutulit in vmbram in diem vt pateram daret voluptati. *Inepta depra-*

35. Thespiacis. Theſpiæ ad Heliconem ſunt, vbi eſt conſecrata Muſis ædes, *uata* fonſque caballinus. locum nobilitauit Cupidinis ſignum à Praxitele ſculptum, *Lectio* quod Glycerium meretrix Theſpienſibus dono dedit. Pauſanias verò ſcribit, Phyrnem incenſam cupiditate habendi ſigni quod pulcherrimum putaret Praxiteles; *nis Int.* vt idem exploraret, hac calliditate vſam: ſummiſiſſe nuncium, qui dum ſecum lo-

quæreretur Praxiteles, nunciaret eius domum conflagrare, arſiſſeq́ue ſigna. quod cum ille audiuiſſet, Modò Cupidinis ſuperſit, leuis eſt iactura: atque ita Phyrnen eo commento deprehendiſſe hoc pulcherrimum eſſe, quod poſtea Theſpienſibus dedit: eiuſq; gratia Theſpiæ viſebantur: vt ſcribit Plinius. quod per iurgium obiecit Cicero Verri: qui ſignum rapuerat. ex Strabone, Pauſania & Plinius. Hæc miror Strabonem ſcripſiſſe, Glycerium quomodo Phyrne fuerit: quod & Pauſanias ſcribit. & græco verſu ita vulgatum eſt: *φρύνη τὸν πτερόεντα, τὸν εὐτεχνήεντ' ἔρωτα, Μισθὸν ὑπὲρ τέχνης ἄνθετο Θεσπιέσι.*

38. FAVETE LINGVIS. verbum ſacrorum quo imperratur ſilentium: vt Macrobius docuit. ſed non placet.

Pag. 45. v. 2. GEMINAS ARTES. duplici genere ſcribendi.

3. VOCIS EVINCTAE PEDE. Carmine.

4 SACERDOS ROMANI CHORI. poëta Latinus. nam & prophetæ apud Ægyptios, vt apud Platonem eſt, vates erant, ſacrique habebantur. Propert. idem.

Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos.

5. FOELIX. aduerſio eſt ad Cordubam patriam Lucani: quæ in Hiſpania Bætica eſt. Hæc ſoli præſtantia opibuſque inſignis Bæti fluuio interluitur, & protenditur in occaſum, qua occurrit Oceanus: de quo Ptolemæus ita ſcribit:

ἡ δὲ πρὸς μεσημβρίαν πλευρὰ τῆς Βαιτικῆς περιέχεται μὲν ὠκεανῷ κατὰ τὴν ἐντὸς θάλασσαν καὶ τὸν Ἡράκλειον κόλπον.

16. PRONOS MEATVS. decliues vias in occaſum Hyperionis. Hyperion Solis & Lunæ pater fuit, vt ſcribit Diodorus. pro Sole tamen accipitur, nomenq́ue habet (vt nonnulli græcorum ſentiunt) *παρὰ τὸ ὑπεριέναι*, id eſt à ſuperno curſu.

8. STRIDOREM ROTAE. nam (vt ſcribit Poſſidonius) qnod Strabo quoque legit) cum Sol in occaſum deſcendit, quidam illic fit ſtrepitus, quem exiſtere ant umant vndarum Oceani feruore ex calore ſolari.

9. FERTILES TRITONIDE. olea arbore Tritonidis Palladis.

10. PROVOCAS. in certamen. nam Bætica olinetis abundat.

Ibid. TRAPETVM. mola olearia à *τρέπω* quod eſt verſo. quod verbum Homerus in Alcinoi hortis vſurpauit, trapetum deſignans.

11. IMPVTARE. ferre impenſum & aſcribere debito. Iuuenalis: *& quamuis rarotamen imputas hunc rex.* Martialis.

Qui nobis pereunt & imputantur.

Debet, inquit, orbis terrarum tibi ô Bætica, qui Lucanũ ſibi dediſti diuinum munus.

12. HOC PLVS FVIT QVAM SENECAM. Seneca Cordubenſis, & Iunius Gallio eius frater. de Gallione hæc Tacitus. Iulinm Gallionem Senecæ fratris morte pauidum: & pro ſua incolumitate ſupplicem increpuit Salienus. Idem de Lucano ſcribit: Lucanum genuit Mela grande claritudinis adiumentum.

15. BAETIS. non procul à Caſtaone mons eſt, è quo Bætis fluit: quem Argenteum appellant, cum in eo ſint argenti metalla. Auctor verò eſt Polybius & hunc & Anam è Celtiberia oriri, qui noningentis diſtant inter ſe ſtadiis. Antiqui ſanè Bætim Thartesſon appellarunt. Inde Steſichorus poëta ita ſcribit: Iuxta Argenteos immenſi Tharteſſi fontes, occultaſq́ue petras, duobus oſtiis erumpit in Oceanum. Inter quæ oppidum eſt Tharteſſum. & Tharteſium agrum iuxta Calpen appellari Eratoſthenes ait. quod Arthemidorus redarguit.

Ibid. NOBILIOR MELETE. Smyrna Ioniæ oppidum in Aſia minori, Homeri patria, quamuis de ea ambigant: condita à Smyrna Amazone, inſtaurata ab Alexandro. Melete fluuio gaudens non procul orto. Lucanus (inquit) anteponendus eſt Homero & Virgilio.

Ibid. NOLI PROVOCARE. in certamen. nam vincẽ ris.

23. CITO. nam xxiii. anno mortuus eſt: intra quod tempus multa compoſuit opera.

24. FLVMINA. vt Orpheus.

29. NOCTVRNAS ALII. Argumento operis anteponit Lucani poëma Homero, quo

ro, qui Iliadem ſcripſit, excidium Troiæ, & Odyſſeam, errores Vlyxis. vtrumque opus antiquitatis ambagibus fabuloſum. Lucanus verò res Romanas complexus eſt memoriæ fide & rerum nobilitate præſtantiores.

31. PVPPEM MINERVAE TEMERARIAM. hoc referendum eſt ad nauem Aiacis, quæ ira Palladis in naufragium delata eſt. nam Aiax Caſſandram in templo Palladis violauerat. Homerus ſimpliciter Palladem iratam fuiſſe Græcis ſcribit. de violata Caſſandra verbum non facit. quod Strabo etiam aduertit: de quo Propertius (vt illius verſum mendoſum explicemus)

Victor ò Iliada rape nunc & dilige vatem,
Quam vetat auelli veſte Minerua ſua.

Potes referre etiam ad Argouauim, quæ arte & numine Palladis fabricata eſt. Placet prior ſententia.

Ibid. PVPPEM TEMERARIAM. naufragium Aiacis ad Capharcum promontorium, in quod delati ſunt Græci Nauplio præferente facem, vt ita eos aduocaret in ſaxa; in vltionem Palamedis filij amiſſi Vlyxis inſidiis.

36. LVDES HECTORA. Quaſi præludium grandiori operi ſcribes. Nam Lucanus opuſculum iuuenis compoſuit, quo complexus eſt certamen Achillis & Hectoris, iterque Priami ad Achillem, à quo redemit Hectoris cadauer dantis muneribus. Id totum tranſtulit ex vltimo Iliados Homeri.

37. AVRVM SVPPLEX. Deſcribit munera quibus Priamus ſupplex Hectoris corpus redemit. fuerunt autem duodecim pepla, totidem chlænæ, tapetes totidem, totidem albentes veſtes. Homerus vltima Iliade.

ἔνθεν δώδεκα μὲν περικαλλέας ἔξελε πέπλους.
Δώδεκα δ' ἁπλοΐδας χλαίνας, τόσσους δὲ τάπητας.
Τόσσα δὲ φάρεα καλὰ, τόσους δ' ἐπὶ τοῖσι χιτῶνας. Reliqua illic.

38. SEDES RESERABIS. Orpheus Oeagri filius ſextus ab Atlante vndecim ſæculis ante bellum Troianum fuiſſe dicitur, multaque ſcripſit. Odas quæ dicuntur Ionis tragici fuiſſe: ſermones, quos alij ad Theognetum Theſſalum referunt, alij ad Cecropem Pythagoricum: Oracula, quæ dicuntur fuiſſe Onomacrij: Soteria, quæ dicuntur Timoclis Syracuſani, & Perſij Mileſij: Deſcenſum ad inferos, qui libellus inſcriptus eſt Orpheus. Hunc imitatus Lucanus numeris Latinis, opuſculum eadem inſcriptione edidit & argumento.

Ibid. RESERABIS. dices quomodo fuerint reſeratæ & patuerint fores inferorum Orpheo illuc deſcendenti.

Pag. 46. v. 1. INGRATVS NERO. hoc ait in inuidiam Neronis, qui carmen Lucani recitari non permiſit inuidens illius laudi, quo poëtã impulit vt in Imperatorem coniuraret cum aliis. Tacitus: Lucanum propriæ cauſæ accendebant, quòd famam carminum eius premebat Nero, prohibueratque oſtentare.

Ibid. INGRATVS. qui non pateris ſpectatores frui voluptate audiendorum carminum Lucani: & tamen tibi etiam inuito anteponetur hoc Opuſculum, dices. Scripſit etiam incendium vrbis ad Pollam vxorem, de quo hæc Tranquillus in Nerone: nã quaſi offenſus deformitate veterũ ædificiorum & anguſtiis flexuriſque vicorum, incendit vrbem per ſex dies ſeptemque noctes. ea clade ſæuitum eſt, lætus flammæ (vt aiebat) pulchritudine. ἅλωσιν Ilij decantauit in illo ſuo ſcenico habitu. Tacitus: ſequitur clades, forte an dolo principis, incertum. vtrumque auctores prodiderunt.

3. CVLMINIBVS REMI. Dionyſius Halycarnaſſeus annales ſecutus, fabuloſa quædam referens, ſcribit, cum alia, tum quoſdam ſenſiſſe Romulum & Rhemum Aeneæ filios fuiſſe: ſed plus apud me valet Plutarchi & noſtrorum fides, Enniique poëtæ antiquiſſimi auctoritas, apud quem ita eſt ſcriptum de Romulo & Remo, cùm Romulus Romam vellet appellare à ſe, Remus verò Remoram.

Certabant, vrbem Romam Remoramue vocarent.

tamen plebem Remi apud Mar. & hic culmina Remi pro Romana accipimus.

4. DOMINI NOCENTIS. Neronis tyranni.

13. Canopi pelvsiaci. Ptolemæi Ægyptij qui Pompeium interfici iuſſit. Canopus verò in Ægypto diſtat ab Alexandria centum & viginti ſtadiis. nomen accepit à Canopo Menelai gubernatore, qui ibi mortuus eſt. Serapidis habet templum cultu & religione excellens, vbi ſomnia captabant vel pro ſe vel pro aliis. et per foſſam nauigatur ab Alexandria ad ſacra ſolemnia, mulieribus viriſque nocte & die impudenter canentibus & ſaltantibus.vnde impudicam & laſciuam Canopum legimus, quod illic dictauimus.

Mores vrbis damnante Canopo.

vt addas, etiam Canopo laſciua non probante. apud Silium copioſius in noſtris extat commentariis.

15. Dabis. carmine tuo.

14. Altivs pharo. alludit ad morem Ægypti in tumulis regum ornandis, in quibus ex ſyenite lapide obeliſcos erigebant, ſurgentes magnitudine turris, quod Plinius refert. Sepulchrum tamen Pompei ad Caſſium montem erat. Pharos turris in Ægypto, de qua in ſequentibus dicemus.

Ibid. Crventa. ob cædem Pompei.

17. Ante annos. nam iuuenis admodum Virgi. cecinit culicem, de quo initio diximus.

18. Ennii. Ennius Calaber ex Rudis oppido. Silius de eo:

Rudis miſera vetuſta.

familiaritate Scipionum clarus, ſeptuagenario maior, morbo articulari mortuus eſt,in via Appia ſepultus iuxta Scipionis tumulum.quidam eius oſſa Rhodias in patriam relata fuiſſe ſcribunt.Euſebi. auctor,meminit Strabo.

Ibid. Mvsa rvdis ennii ferocis. nam incultus eſt genere dicendi. eúmque ſicut ſacros vetuſtate lucos adoramus: in quibus grandia & antiqua robora iam non tantam habent ſpeciem quantā religionē,vt Fabius ſcribit. 19.Lvcretı. ad corpus eloquentiæ non facit in ſua materia,quæ philoſophica eſt & difficilis, Democritum & Epicurum ſecutus. aliquot libros per interualla infamiæ conſcripſit amatorio poculo in furorem verſus. quos poſtea Cicero emendauit. tandem propria ſe interfecit manu anno ætatis. xliiii.

19. Ardvvs fvror. nam de rebus naturalibus ſcripſit carmine admiratus Empedoclem in eo genere.

20. Qvi dvxit argonavtas. qui ſcripſit nauigationem Argonautarum. is eſt Publius. Terent. Var. cuius meminerunt Proper. & Ouidius. Atacinus dictus ab Atace vico in quo natus eſt in prouincia Narbonenſi. xxxv. annum agens litteras græcas magno ſtudio didicit.tranſtulitque quatuor libros Apollonij Rhodij in ſuum opus de Argonautis. propterea Fabius ait eum fuiſſe interpretem operis alieni.

21. Transfigvrat. metamorphoſis Ouidij.

38. Babylon. ad Babylonem quidem primò ſepultus eſt Alexander: ſed Ptolemæus Lagi filius eius corpus Perdiccæ abſtulit cum id ex Babylone referret, atque in Alexandria diuerteret vt Ægypto potiretur. idque compoſuit in alueolo aureo qui poſtea à Ptolemæo cui nomen erat Coceas raptus eſt, & vitreus ſuppoſitus.

Pag. 47.v.1.Ripis ebri. nam caput Orphei in Ebrum fluuium Thracium abiectum, in Leſbum (vt nonnulli Græcorum tradunt) delatum eſt: ibique Græcis ad Troiam nauigantibus dedit reſponſum.

Ibid. Ivssvs. nam imperata eſt ei mors, vt ſcribit Tacitus. venïſque ſolutis & profluente ſanguine vbi frigere pedes manúſque ſenſit, & paulatim ab extremis cedere ſpiritum, feruido adhuc & compote mentis pectore, recordatus à ſe carmen compoſitum, in quo vulneratum militem per eiuſmodi imaginem obiiſſe tradiderat, verſus ipſos retulit.

11. At tv. ſiue (inquit) es in circulo lunari, ſiue in Elyſiis.

19. Pompeii et catones. Nam his in carmine fauiſti.

23. Lampade matris. hoc in inuidiam Neronis dicit, à quo Lucā.iuſſus eſt mori. nam

ri. nam ille matrem dicta factáque ſua exquirentem & acerbius corrigentem, tandem interfici iuſſit. lege hiſtoriam apud Tacitum & apud Cornelium copioſius.

24. Adsis. idem Mar. qui duplici epigrammate hunc eundem diem celebrat.

28. Haec non thyasis dolosis. hæc non agit dies feſtos, quia ita velit ſuæ indulgere voluptati, atque exercere Bacchanalia ſub prætextu tui natalis: ſed tota de te cogitat & ex te pendet.

29. Indvit figvras. falſi numinis: id eſt non colit Bacchum ſimulans celebrare diem natalem tuum.

33. Vvltvs. nam habebat auream imaginem Lucani.

39. Adoret. celebret & colat diem natalem Lucani.

DOMITIVS AVGVSTINO.

QVanti faciat Pollium Papinius & illic oſtendit vbi eius villam egregiè deſcripſit: & hic planè demonſtrat cum ipſi totum tertium volumen dicet, addita epiſtola quæ non magis Sylvarum ordinem & rationem complectitur, quàm beniuolentiam teſtificatur. Prima præterea occurrit Sylua qua Herculis ædem ab illo inſtauratam in littore Surentino celebrat.

Pag. 48. v. 1. Tam fideliter. ſine intermiſſione. alij codices habent *fæliciter*.

3. Non habeo probandam. non eſt opus probem.

4. Temeritatem. celeritatem.

3. Libellorvm. ſyluarum.

Ibid. Div. multis verbis.

5. Natos in sinv tvo. ſcis (inquit) me ſcripſiſſe apud te freq uenter ex tempore hoc carminis genus.

6. Stili nostri. celerrimi.

Ibid. Expavesas. vel admireris, vel quia te obtundo.

Ibid. Qvotiens. quotiens (inquit) te ad eloquentiam tuam contuliſti, ego quoque æmulatione & exemplo tuo auidius litteras amplector, & per omnes ſinus ſtudiorum te duce exſpatior, vt mirandum non ſit ſi tam facilè mihi exit carmen.

8. Secvrvs. nihil dubitans aut timens accuſationem.

10. Habverat qvidem. nam in ſecundo cecini villam tuam. inemendati codices, *Habuerat quicquid.* ſcripti ſunt: ſed emendandum eſt vt diximus.

Ibid. Hic. tertius.

11. Avctorem. ducem. nam tibi dicatus eſt, & prima Sylua in tuam gratiam ſcribitur.

Ibid. Hercvles svrentinvs. Sylua de æde Herculis Surentini.

16. Sic. hac Sylua.

19. Germanici nostri. puto hic deeſſe dictionem. nõ enim veriſimile eſt Papinium ita de Imperatore ſcripſiſſe, vt eum familiariter appellando *noſtrum* diceret. propterea nos dictionem inſeruimus, vt legas,

Germanici dei noſtri libertus.

Domitianus enim (ſeu mauis Germanicus) deus & dominus appellari voluit, quod Tranquillus refert. Martialis.

Edictum domini deique noſtri.

20 Qvam div svm moratvs. Hoc eſt, quàm celeriter ei ſatisfecerim. vt legas à contrario ſenſu. De his autem omnibus ſuis Syluis dicemus.

24. Sermo secvrvs. non cupidus, ornatus, aut affectatus.

27. Intendere tibi. Suſceptam eſſe cauſa tua vt tecũ verſet. quoniam ad te tua (inquit) potiſſimum cauſa in patriam cogito. nam Pollius in Campania erat.

DOMITIVS AVGVSTINO.

SEx Hercules fuiſſe Cicero refert in natura deorum. plures Varro ex veterum theologia. quorum nomina, parentes, geſta, apud hos ſcriptores cum voles inuenies, Auguſtine. Domita monſtra ab vno ex his ac fabuloſos illos labores conſummatos fuiſſe & vetuſtas credidit, & nos accepimus. Hic in Italiam primus litteras intulit cum ex Hiſpania rediret. quod Plutarchus in quæſtionibus cõmemora-

 uit, cauſam-

uit, cauſamque fuiſſe affirmat, vt eodem templo cum Muſis coleretur. Cum Campaniam peragraret, vt Geryonis armenta traduceret, viam inter Miſenum & Puteolos iniecto aggere in mare quinque ſtadiorum muniuit. Hinc primum coli cœpit antea eius numine incognito, paſſimque tota Campaniæ ora ſacella erexit, quorum vnum anguſtiſſimum illud quidem, & vetuſtate penè collapſum, Pollius inſtaurauit in littore Surentino. nam cum ſubito imbre eius menſæ apparatæ illuc tranſferendæ fuiſſet admonitus, loci anguſtiam qua vix capiebantur amplificauit mira celeritate. quod Papinius precibus Herculis quas refert datum eſſe dicit. Laudatur opus à celeritate in primis. nam intra annum abſolutum eſt: & ædificationis cauſa Herculis ſacra ceſſauerant, quæ nunc inſtaurat Pollius.

Pag. 49. v. 1 CAVSAS ANNI DESIDIS. cauſa quare hoc anno tibi ceſſauerint ſacra hæc autem ratio eſt, quòd coleris maiore tholo, id eſt quòd occupatus fui in tholo & templo tibi amplificando vbi coleris.

3. NEC TENES. vt olim.

4. NVDA LITTORA. ſine magnificentia templi.

Ib. TECTVM NAVTIS. eſt templum quod erat pro tecto & tegete nautis aliquando illic pernoctantibus & quieſcentibus. 6. CEV TAEDIS. ita in honeſtiorē & magnificentiorem ædem priſtina aſcendiſti, veluti conſcendiſti ex Oeta monte in cælum.

Ib. IGNIS HONESTI. qui attulit tibi honorem immortalitatis.

OETEA FLAMMA. nam in Oeta monte arſit Hercules. in eo naſcitur helleborum. parteque vna attingit Ambraciam. inde Plinius ita ſcribit. xxv naturalis hiſtoriæ de helleboro: Plurimum autem naſcitur in Oeta monte. & optimum vno eius loco circa Epirum. Brotheus verò grammaticus, quem ſummæ prauitatis & ignorātiæ incredibilis cum epiſtola quæ in fine eſt commentatiorum in Iuuenalem, tum altera lucubratione noſtra redarguimus. doctiſſimorumque hominum ſuffragiis damnauimus, hunc quoque locum Plinij. vt cc. lxx. alia ex certo obſcurum & falſum reddidit. nam vbi ille ſcriptum reliquit, optimo vnum eius loco circa Epirum, grammaticus indoctus & ſola ignorantia audax ita ſubuertit, optimum vno eius loco quem vocant pyram. vbi legiſti Brotheu inſulſiſſime, pyram locum eſſe in Oeta monte? nimirum te decepit rogus Herculis, qui nuſquam fuiſſet ſi Oliras fluuius eum extinguere potuiſſet, quod voluit & conatus eſt ne tu aliquando tam pueriliter errares, loci propriam appellationem exiſtimans quod commune eſt. Sed diſce duas quoque Anticyras fuiſſe: quarum altera eſt Bœotiæ inſula priùs Cypariſſus dicta (quod Pauſanias tradit) vbi optimè præparabatur helleborum, tutoque ſumebatur. quod ſcribit Plinius & Strabo. Alteram Anticyram (vt idem eſt auctor) ad Maliacum ſinum & Oetam montem, vbi helleborum naſcitur. vt potueris videri dignus venia, ſi ſaltem ita emendaſſes: vno eius loco circa Anticyram. Sed nimis multa de helleboro, quo (mihi crede) admodum indiges.

10. INOPINVS. inſperatus.

11. SVNT FATA. nimirum (inquit) ſunt fata etiam in diis & locis.

14. VESTIGIA. in quibus videbatur poſſe ædificari.

16. PLECTRO TYRIO. Amphionio: nam Thebani à Cadmo Tyrio oriundi ſunt.

17. ANNVS STVPET. tantum operis intra ſuum ſpacium factum eſſe arces & ſaxa.

19. DEVS. Hercules.

23. ERGO AGE, ET MERSVM TVMVLIS EVRYSTHEA. Euryſtheus Micenarum rex (cujus meminit etiā Thucydides in primo hiſtoriarum) qui labores Herculi imperabat; poſtea quàm peractis certaminibus Iunone quoque aſſentiente (vt ſcribit Diodorus) in cælum Hercules relatus eſt, interficitur ab eius filiis qui Athenienſium præſidio, Iolao, Theſeo, Ilo ducibus exercitum aduerſus Euryſtheum duxerunt: quem victum & fugientem Ilus interfecit. hactenus Diodorus. Strabo verò & Pauſanias ſcribunt, Euryſthei mēbra Gargetis ſepulta eſſe, caput Corinthi ſeorſum, quod ab Iolao circa fontem Acariam ſecus tramitem abſciſſum fuit, locuſque appellatur Euryſthei caput. Ait itaque Papinius: Adſis Hercules ſine iam peractis certaminibus & non timens imperia Euryſthei Argiui, Euryſtheumque mortuum

& diuerſis

& diuerſis tumulis ſepultum ac merſum. nam vt diximus, alibi caput, alibi membra erant ſepulta.

24. Liber calcas. ſine es in cælo, quod virtute tua tibi paraſti; vbi habes Hebem vxorem. nam vt ſcribit Homerus, & Diodorus ſequitur, conſecrato Herculi & recepto in cælum Hebe vxor data eſt.

25. Liber legibvs. quæ erant à Ioue & Iunone dictæ vt pareres Euryſtheo.

27. Phryge exclvso. hoc ait in conſolationem veteris repulſæ Hebes. nam Hebe recepto Ganymede excluſa eſt à poculorum miniſtratione: ſed poſt conſecrationem Herculis, vt ait Papinius, rediit in priſtinos honores.

28. Oenivm. nomen loci.

Pag. 50. v. 2. Molorchi. Molorchus Herçulem hoſpitio ſuſcepit. nota hiſtoria.

2. Antra. pręſepia & ſtabula Diomedis.

5. Pollvta altaria. ad quæ mactabantur hoſpites à Buſiride; quem Eratoſthenes negat vnquam in Ægypto fuiſſe.

6. Agmen pharetrvm. ſagittas venenatas ſanguine Hydræ Lerneæ, vt ſcribit Diodorus.

7. Robvr. clauam quam à Vulcano accepit, vt Diodo. ſcribit.

8. Dimitte hostem lvstratvm hvmeris gerentibvs. dimitte pellem leonis quo luſtraſti & purgaſti agrum Nemeum.

9. Pvlvinar. apparatus erat in deorum templis ad aras, quò, quaſi & ipſi venturi eſſent ad diem feſtum & epulas, inuitabantur pontificum cærimoniis.

Ibid. Acantho sidonio. acanthus latinè ſpina dicitur. herba tamen eſt quę aſſurgit in topiarium & vrbanum opus. Vir.

Bacchas ſemper frondentis acanthi.

de quo Plinius ita ſcribit. acanthos eſt ad topiaria & vrbana opus herba, elato longóque folio crepidines marginum aſſurgentiumque plurimorum totos veſtiens. Duo genera eius ſunt. alterum lene, quod aliqui pederotum vocant. alij melamphyllum. Theophraſtus quoque; (ex quo malo dictionem græcam ſeruare integram, quod fecit Plinius: & Acanthum dicere potius quam ſpinam) florem huius pulchrum eſſe affirmat ad coronamenta: plurimumque naſci circa Thebanum agrum, intelligens Ægyptum. nam & Strabo ita ſcribit: Poſt Mẽphim eſt Acanthus oppidum in Lybia, & Oſyridis Acanthique Thebaici lucus; ex qua gummi fit. Alibi ita ſcribit: circa foſſam eſt Ægyptiarum acanthorum lucus Apollini ſacer.

12. Torvs asper. ſculptis ſignis exciſus.

12. Avge menalis. Arcas. nam Hercules in Arcadiam regreſſus ad Aleum regem diuertit, cuius filiam Augen clam grauidam factam reliquit. Pater eam magiſtro nauis tradidit mergendam. illa ad Parthenium montem è naui egreſſa Telephum inter virgulta peperit. Magiſter nauis cùm eam mergere non auderet, quibuſdam ex Caria in Aſiam nauigantibus dono dedit: reliqua ſcribunt Euripides, Strabo. Inuocat Herculem vt veniat tam hilaris quàm fuit poſt coitum cum Auge, qui quoniam clam fuit, maiore eum affecit voluptate. Ouid.

Non ego Parthenius temeratam vallibus Augen

nomen fictum eſt à ſplendore ob pulcritudinem. nam αὐγὴ ſplendorem ſignificat.

13. Confectvm thyasis. laſſum ſaltatione & bacchatione. nã thyaſus bacchationem ſignificat, ἀπὸ τοῦ θύω quod eſt impetum facio.

Ibid. Mvlto fratre. multo Baccho.

15. Thespivs. Erithei filius, quem mutilato nomine Diodorus Theſpin appellat. quinquaginta filias habuit. Hercules patre accerſito ad ſacra per fraudem filias omnes vna nocte compreſſit: natique ſunt ei totidem filii mares, qui in Sardiniam miſſi ſunt in coloniam duce Iolao. duo tamen Thebis manſerunt: Septem Theſpiis partem Sardiniæ quã tenuerunt ab Iolao dixerunt Iolaeã. auctor Diodorus. Silius de hoc carmen poemati inſeruit. Sed miror quare Deianira apud Ouidium puellas appellat turbam Teutrantiam, cum Atticæ fuerint ſi Diodoro credimus. Ouid.

Ne tibi crimen erit Teutrantia turba ſorores,
Quarum de populo nulla relicta tibi eſt.

Teutras autem tenuit partem Phrygiæ ad Caïcum.

14. Vagae noctis. qua vagatus es inter quinquaginta puellas.

15. Totiens socer. quem ſocerum habuiſti ex quinquaginta filiabus.

16. Insontes irae sine caestibus. inemendati codices habent, *teſtibus*. e verò legendum puto *Sine ceſtibus*. vt ſit ſenſus, concertationes hic ſunt in ludis e incruentæ & non hoſtiles. neque exercentur cæſtus quibus cædes ſæpenume parratur. Cæſtus antiquitas in ludos extulit, corio bouis crudo & arido brach reuincto. quale certamen legimus apud Homerum in ludis Patrocli: ſed mox gr uiora verbera excogitata ſunt, qualia apud Virgi. inferuntur ab Entello & Dare. Homerus Epeum & Euryalum pugiles facit in ludis Patrocli cinctos loris pugn re. quem locum de cæſtibus ſcriptum interpretamur. Cæſtos autem baltheu ſignificat Veneris, quo amantes percuſſi tanquam œſtro agitati ardent amore. c ius item meminit Homerus. qui Iunonem introducit Cæſton à Venere poſce tem vt ad amorem Iouem conciliet. de hoc plura ſcripſimus in commentari Martialis.

Ibid. Irae ivvenvm. certamina palæſtritarum.

17. Veloci lvstro. velox luſtrum erat illic quoniam, cum Olympici ludi po Olympiadem ſeu luſtrum celebrari ſoleant, ludi Herculis ſingulis annis ei, à Polli exhibebantur.

10. Hic templis. nepotem Pollij ex Pollia filiam intelligit, qui puer ſacerdo initiatus erat Herculi. hoc eſt quod ſcribit Diodorus, in agro Leontino ludo Olympicos inſtitutos fuiſſe Herculi, palæſtræ ſcilicet & equorum. tanta numin præſentia vt ſi intermitterentur, pueri illius ſacerdotes muti fierent, quo morbo l berabantur ſimul ac ſacra repetebant. Hic quoque puer eſt ſacerdos Herculis, erat in agro Leontino.

22. Socivs tibi. nam in templo muſarum Hercules colebatur, vt antea eſt d ctum.

24. Tempvs erat. deſcribit menſem Auguſtum.

27. Profvgis cvm regibvs. ad Ariciam. barbaricus mos erat, vt ſcribit Strabo nam qui primus hoſtiam mactabat, ſacerdos appellabatur. ſerui de honore certa bant fugitiui. ſinguliſque annis ei qui tenuerat ſacerdotium, certandum erat cur alius victor ſuccedebat. hi appellabantur reges, & quidem Nemorenſes. nam illi erat nemus, vnde Diana Nemorenſis dicta eſt, vel Nemoralis. Tranquillus in Cali gula: Nemorenſi regi, quod multis iam annis potiretur ſacerdotio, validiorem ad uerſarium ſubornauit. Ouidius in faſtis, id ſacerdotium regnum appellat.

28. Fvmat Aricinvm triviae nemvs. Valerius Flaccus:

Solique immitis Aricia regi.

Ibid. Fvmat sacris. nam Idibus Auguſti facibus diſcurrebãt ab vrbe in nemu Aricinum, vbi erat Dianæ templum. notiſſima hiſtoria. & Propertius:

Cum videt accenſis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ.

29. Lacvs conscivs Hippolyti. nam reuocatum ab inferis ope Æſculapii Hippolytum Diana occultauit in nemore Aricino, vnde equi arcentur, quoniam ab hi olim fuerat diſcerptus, putatúrque illic viuere in occulto. & appellatur Virbius.

Virgil. *At Triuia Hippolytum ſecretis alma recondit*
Sedibus.

Lacus ergo conſcius eſt Hippolyti latentis, ſcilicet illic. nam conſcij propriè dicimur rerum occultarum.

31. Pvdicis focis. virgineis facibus & ſacris.

32. Hecateias. Dianæ quæ Hecate quoque dicta eſt.

33. Ast ego. quamuis, inquit, mihi prædium eſſet in Albano amœniſſimũ donatũ ab Imp. vbi æſtus declinare poteram: tamen familiaris eram in Surentino Pollij.

Pag. 51. v. 1.

Pag. 51. v. 2. DIEM TRIVIAE. Idus Sextilis ſacras Dianæ.

3. ANGVSTASQVE FORES. & dum (inquit) fores templi anguſtas & humiles ac tectum aſſutum & vix cohærens tegimus frondibus vt arceamus ſolem: ſubitus imber exortus eſt.

Ibid. ASSVTA TECTA. inemendati codices habent *Aſſu-tus* & *grauatis*. nos verò legimus *Aſſutáque tecta grauamus frondibus*. vt ſit ſenſus, dum tegimus tecta aſſuta maléque hærentia hiantibus rimis, atque ita ſolem arcemus.

4. DEFENDIMVS SOLES. arcemus ſolareſ æſtus. nam defendo amicum cæde, cum tueor: defendo aduerſarium, cum propulſo.

9. VLVLANT NYMPHAE. alludit ad carmen Virgilianum.

Summóque vlularunt vertice nymphæ.

12. SVPERNE. ſuperiore parte montis.

Ibid. FIDES REDITVRA. cum redituram ſperaremus ſerenitatem, quæ perturbata erat ſubito nymbo, volebamus quærere locum proximum vt inde rediremus ad inſtitutas dapes.

18. SCRVTATORES PROFVNDI. Iuuenalis:

Dum gula ſæuit
Retibus aſſiduis penitus ſcrutante macello
Proxima.

21. COHORS. comitum fœminarum turba.

26. REPLESTI IVVENEM PARTHENOPEN. inſtauraſti noſtram Neapolim, & Stertinij medici frater, cui ſexcentena ſeſtertia in quæſtu fuerunt Claudij liberalitate, ædificiis Neapolim exornauit. Parthenope Neapolis appellata, à Parthenope vna ex Sirenibus illic ſepulta, vt Plinius credidit. Euſtathius verò Dionyſij interpres, Parthenopen puellam fuiſſe arbitratur, quę ex Eubœa aducta cum aliis colonis, cum vrbem imperio teneret, amore extincta ſit.

32. TEXISTI SCOPVLOS LONGO TRAMITE. hoc ait propter porticum quam à littore ad villam perduxit. eam ante deſcripſit. 35. *Calidas lymphas*. balneorum.

38. QVOD PANDIS. ornas & peruium facis.

Ibid. AMO. libenter incolo.

Ibid. IVNO PROXIMA. nam à Surentino ad Sylarum amnem triginta millibus paſſuum agrum tenuerunt Picentini, vbi erat templum Iunonis Acreæ conditum ab Iaſone. Iuno autem Acrea non procul etiam à Corintho dabat oraculum vetuſto templo, vt ſcribit Strabo. vt dictionem eandem ſcribendam putem apud Plinium in ſuperioribus verſibus, vbi nonnulli codices Argeæ proferunt. Petit igitur Hercules, vt Pollius ſibi honeſtiorem ædem ædificet, ne habeatur ludibrio à Iunone nonerea quæ in proximo habebat templum.

Pag. 52. v. 3. NOLI TRANSIRE. alludit ad ſedem Sirenum quæ illic erat: quam naues proſperè etiam nauigantes non poterant tranſire allectæ cantilenæ ſuauitate.

5. SOROR. Minerua quæ in promontorio iuxta Surentum, quod nonnulli Promiſſum appellant (vt Strabo ſcribit) templum habuit extrema parte ab Vlyxe conditum.

12. LABOR PERGAMEVS. Pindari interpres ſcribit, Apollinem, Neptunum, Iunonem, cogitaſſe de Ioue deiiciendo de Imperio: ſed deprehenſos dediſſe pœnas. Iunonem in vincula coniectam: Neptunum & Phœbum coactos parere Laomedonti, eoque aſſumpto in ſocietatem operis ſtruxiſſe mœnia Troiæ.

Ibid. RELIQVIT MENTEM. Pollij quam ſuperat.

13. NEC MORA. ſtatim deſignatum eſt & pictum ædificium in tela: vt ea ſimilitudine erigeretur.

16. PARS VVIDA TERRAE PROTECTVRA HYEMES. Mendoſi codices, *pars inuida* habēt. ego *vuida* lego. vt ſit periphraſis tegularum quæ ex terra vuida fiunt ad arcēdas hyemes. Plinius. Inenarrabili terræ benignitate ſiquis ſingula æſtimet. paulo poſt. Figulinarum opera, imbricibus, tabulis, teguliſque ad balnea mammatis vel ad tecta coctilibus latereulis. Cornelius tamen Nepos auctor eſt, contectam fuiſſe

Romam ad bellum vſque Pyrrhi quadringentis ſeptuaginta annis ſcandulis.

18. Liqueſcit. dum coquitur ad calcem.

24. Capreae dites. ornatæ ædificiis Tiberii Imperatoris in primis.

25. Taurubulae. Hoc nomen à coſmographis prætermiſſum eſt: ſed puto fictum eſſe à Papinio, atque ita appellari viam Herculeam ſeptem ſtadiorum ante Lucrinum in exteriore parte: cuius meminerunt Strabo & Diodorus. nam ſtructa eſt cauſa traducendarum boum. ταῦρος autem græcè, latinè taurus: & βάλλω iacio ſiue traiicio ſignificat. Vnde *Taurubulæ*.

26. Echo. ſonitus qui natura locorum euenit, & plerumque conuallium. ſed Cizio ad portam Thraciam turres ſeptem fuerunt, quæ voces acceptas numeroſiore repercuſſu multiplicabant, & Olympiæ porticus ſepties eandem vocem reddebant vnde heptaphonus eſt appellata.

31. Anhelat. vix altero anno laborabatur: vel quod placet, vix altero anno redit erat æſtas qua anhelamus.

35. Placidae tubae. ad certamen gymnicum, non ad bellum cruentum.

36. Fumat arena. ſtadij dum frequentatur.

Ibid. Hos honores. Comparat ludos qui Herculi exhibentur cum ludis Olympicis & Actiacis. nam ad Actium promontorium lucus erat cum gymnaſio & ſtadio ad quinquennale certamen apparatum in Phœbi honorem, cui illic erat sacer tumulus & lucus. Fiebant autem inſtar Olympicorum, eorúmque curam geſſerunt Lacedæmonii. eos auxit Auguſtus victis Cleopatra & Antonio. conditámq; illic vrbem Nicopolim in victoriæ monumentum meminerunt Virg. Strabo, Plutarchus.

37. Aut Cyrrhae pater. Periphraſis eſt Phœbi. nam Cyrrha vrbs vetuſta iacebat iuxta Delphos, vnde aſcenſus eò initiũ eſt, Phœbo ſacra. inde Cyrrhęus dictus Actiacum tamen intelligit, vt diximus.

38. Isthmos lacrymabilis. hoc ait propter ludos Iſthmios qui celebrabantur à Corinthiis, vt ſcribit Strabo. ibi erat templũ Neptuni, eodem auctore, quem Iſthmium dicebant: cum luco picearum arborum. Siſyphus, vt ſcribit Pauſanias, eos inſtituit in honorem Melicertæ, quem delphin in Iſthmum detulit. noſtri non Melicertem, ſed Palæmonem in mare cum matre coniectum ſcribunt. Theſeus ibidẽ ludos funebres inſtituit. *Lacrymabilis*. nam erant ludi funebres Nemeæ inter Cleonas & Philontem, vbi Argiui ſacra celebrabant, corona propoſita ex apio. De his ludis longum extat Pindari carmen. vnde & odæ Nemeæ ab illo inſcribuntur.

Pag. 53. v. 1 Infans foelicior. nam puer erat ſacerdos Herculis Surẽtini. hic (inquit) puer eſt ſacrorum magiſter. Illic infanti mortuo Melicerti ſeu Palęmoni funebres ludi dicuntur.

5. Gaurus. nam Gaurani colles Surentinis iunguntur in Campania, vt Pli. ſcribit, nobiles vinetis.

Ibid. Palmes icarius. nã Icario patri Erigones propter iuſtitiã & pietatem Liber pater vuam & vinum dedit, quod priùs oſtendit mortalibus. huius meminit Eratoſthenes & Hyginus. Icarius, Tyndari frater, quem alij Icariotum dixerũt. vnde Penelope Icariotis dicitur à Propertio.

Quæq; terunt faſtus Icarioti tuos.

Nam ex Polycaſta Lygei filia Penelopem ſuſcepit, & fratres, vt ſcribit Strabo. Idem habuit Dorochem vxorem, vt Homerus tradit in Odyſſea, quam quidam Penelopes matrem falsò putauerunt. Icarius mons Atticæ, vt ſcribit Pli.

7. Et placidus limen. vel *Limon* legas, de quo antè diximus.

8. Graias tubas. ludorum Græcorum.

10. Sacrum. gentile. imitatione ſuorum ludorum qui erant æmuli Olympicis, inſtituti oraculo iubente, vt ſcribit Strabo, & antè diximus.

13. Disco. Saxum gymnaſio quod iaciebatur ad exercitationem. Home. ſpatium quo anteceſſerat Antilochus Menelaum in certamine equeſtri, tantum ait fuiſſe quantum diſcus occupat.

14. Telo. iaculationem ſcribit Quintus poeta in ludis & ſyluis in funeribus Scipionum

piouum.

18. Capit. eſt capax tanti honoris.

Ibid. Non dedignatvr. non eſt indigna.

19. Qvod si dvlce. Hercules Epiclo interfecto in morbum incidit, quo leuari non poterat niſi priùs purgaretur cæde. acceſſit ad Helenum patrem Neſtoris vt id præſtaret. feciſſet, niſi diſſuaſiſſet Neſtor. Adiuit Deiphobum Hippolyti filium eadem cauſa. Reſpondit, eum liberari poſſe ſi venderetur & pecunia daretur Epicli filiis. In Aſiam igitur profectus, amico ſponte eſt diuenditus, data pecunia liberis Epicli: ipſe ſeruus factus Omphales filiæ Larnæ reginæ Lydorum, in cuius gratiam dicitur aliquando veniſſe. Liber factus, cum multos regno infeſtos ſuſtuliſſet, Cercopes latrones, Seleum viatores ad ergaſtula vinearum cogẽtem ligone interemit. Ex concubitu cum illa Lamonem & Cleolaum ſuſcepit filios. Ad hoc alludens Papi. ait: ſi Polla iuuenis eſſet, Herculem in eius gratiam ſumpturum colus: vt pro Omphale fecit.

30. Scto vincere. nam Cerberum domui.

Pag. 54. v. 3. Gades. inſulæ extra columnas Herculeas, vbi templum Herculi condiderunt Tyrij, vt ſcribit Stra. Virg.

Gades Herculis humidúmq; Tybur.

Sunt ante ſolis cubilia cum illic occidat & lucem te rminet. ſunt autẽ ad oſtium Bætis in Oceanum erumpentis.

5. Albentia tempora. nam cum ſint tria genera populi, vt ſcribit Pli. alba, nigra, & quæ Lybica appellatur: alba Herculi dicata eſt: & ea coronati olim eius ſacra peragebant. ſed poſteaquàm Laurentum germinauit in Auentino, lauro coronabantur. auctor Varro in ſecundo rerum humanarum.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Prouinciæ quæ populo Romano parebant, legionum præſidio præſidúmq; prude ntia & conſiliis in officio continebantur. diſciplinaque illa militaris qua Romanæ opes & partæ & auctæ ſunt, iuuenum exercitatione & cura Imperatoris diligentiſſimè colebatur. ex omnibus autem ſociis Romani nominis, qui in Syria erant, ob frequẽtes tumultus & ſeditiones, magno erant terrori. Domitian. Metium Celerem Papinio iucundiſſimum iuuenem & amicum ad legionem quæ illic erat, regendam delegit. Papinius abeuntem carmine proſequitur, quod propempticon inſcribit. nam προπέμπειν, comitari eſt & abeuntẽ proſequi. Amorem & deſiderium partim curioſa numinum appellatione, partim carminis æſtu apertiſſimè demonſtrat.

12. Advertite consilivm. & audite vota mea.

10. Servare. præſtare rutas.

14. 15. Grande depositvm. reſtituendum aliquando nobis.

19. Fratres Oebalii. Caſtorem & Pollucem Laconicos ab Oebalo rege dictos, rege Laconiæ, cuius filia Pyrene, audita Chencreæ morte, lacrymis fontem dedit Pyrenem, vt ſcribit Pauſanias. Inuocat tanquam ſtellas ſalutares Metio nauigaturo. rogátq; vt excludant Helenem ſydus tempeſtuoſum. De his Plini. ita ſcribit: gem inæ ſalutares & proſperi curſus prænunciæ, quarum aduentu fugari diram illam ac im manem appellatam Helenam ferunt. & ob id Polluci & Caſtori id nomen aſſignant: eóſq; in mari deos inuocant. nam (vt ſcribit Hyginus) ob mutuam pietatem in cælum tranſlati dicuntur: munúſq; à Neptuno etiã accepiſſe, & equos, quibus vtebantur. & vt naufragiis ſalutares eſſent, in Ponto præcipuè coluntur, vt ait Stra. & Occide ns eos plurimum veneratur, vt ſcribit Diodorus. Horatius:

Sic fratres Helenæ lucida ſydera.

20. Soror is iliacae. Helenæ raptæ à Paride Troiano.

23. Cessit. in ſortem venit.

Ibid Secvndi regni. maris. nam primum cælum eſt.

25. De antris doridos. nam Nereides fundum maris tenent in ſpecu habitantes apud Nereum patrem. Home. de Thetide. li. 18. Iliados.

ἄκουον

ἄκουσε δὲ πότνια μήτηρ

Ἡμένη ἐν βένθεσσιν ἁλὸς παρὰ πατρὶ γέροντι.

Paulo poſt, αἳ κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν.

26. Baianos sinvs. rogat numina vt Baias ſe recipiāt & Puteolos. nā illic erat nauis qua erat diſceſſurus Metius in Alexandriam. ea annonam attulerat ex Ægypto nam in vrbem inde ſæpe annona immittebatur. Mar.

Mitte tuas meſſes, accipe Nile roſas.

Tranquil. quod Alexandriam propter immenſam & repentinam famem inconſulto ſe adiſſet. alibi item ſæpe indicat Tranquil.

28. Celsa ratis. nauis illa onetaria. nauem autem oneratiam primus inuenit Hippus Tyrius.

Ib. Scandere gavdet. quam vult conſcendere.

29. Celer. Metius Celer.

30. Trans aeqvora. ex Ægypto vſque.

31. Gravis. onerata.

Ibid. Intvlit annvm pharivm. Innexit annonam Ægyptiam.

33. Sparsit vina mareotica. libauit vinum ſuum Mareoticum. Mareotis Mariæ lacus idem dicitur, quem multis foſſis auget Nilus. portus qui in eo eſt longè aliis ditior ob merciū copiam quæ illac importantur & exportantur ex Alexandria vinum Mareoticum ad multam vetuſtatem perdurat, auctor Strabo.

Ibid. Minervae tyrrhenae. Mineruæ cuius templum erat ad Surentum, quod littus olim Tyrrheni tenuerunt. Mareotis Lybiæ Ægypto contermina eſt, quam tenent Marmaridæ & Adimaridæ, vt ſcribit Silius: vt eſt apud Herodotum, Adimachidæ. Mareoticum item vinum laudatur; ſed in proxima regione, ſcribit Stra. peſſimum eſſe, quo Alexandrini ad pondera vtuntur.

36. Svppara. extremam partem ſignificat vnde vela pendēt. Supparus item ſignificat veſtem puellarem lineam. Afranius: puella non ſum, ſupparo ſi induta ſum.

38. Moderamina. periphraſis eſt anchoræ.

Pag. 55. v. 1. Molorchvs. Molorchus inſtrumentum nauticum ad latentia ſaxa indaganda. quòd miror & à noſtris & à Græcis Iulióq; Pollùce in primis prætermiſſum fuiſſe. 4. *Inclinet pelagus ad ortus.* faciat vt mare & venti conuertãtur omnes ad orientem vbi Syria eſt, ſecundi Metio illuc nauiganti.

5. Protevs mvlto corpore. nam in varias ſe vertit formas. carmen eſt apud Home. in odyſſea, & idem Virg. in georgi.

7. Translatvm qvi perdidit ingvina. cuius pars inferior verſa eſt in piſcem. Duo enim Glauci fuerunt, vterq; Bœotius: alter diſcerptus ab equabus ad Pothniam. Vit. meminit, & Strabo: alter Anthedonis filius in balenam conuerſus. Anthedon oppidum Idumçæ Paleſtinæ, vt ſcribit Pli. eiuſdem nominis oppidum Bœotiæ, ab Anthedone patre Glauci. de quo Home. 11. Ill. Ανθηδόνα τ' ἐσχατόωσαν.

10. Cvm matre. Matuta ſeu Leucothea.

11. Vestras. patriam veſtram. nam Ino & Palæmon Thebani fuerunt.

Ibid. Palaemon. idem Portunnus.

12. Amphiona phoebevm. citharœdum, id eſt, res Thebanas, quarum auctor & conditor Amphion fuit.

Ibid. Plectro non degeneri. non inferiore laude carminis.

13. Et pater aeolio. Æolus Hypotæ filius ſumpta vxore Lippari filia Æolidibus inſulis imperauit, in hoſpites perhumanus. Velis vti nautas docuit. Ad eum diuertiſſe Vlyxem ſcribit Homerus. Plinius verò ita ſcribit: Tertia Strongyle à Lipara mille paſſus ad exortum ſolis vergens; in qua regnauit Æolus. Quæ à Lipara liquidiore tantùm flamma differt, cuius fumo quinam futuri ſunt venti, in triduo prædicere incolæ traduntur. Vnde Æolo ventos paruiſſe exiſtimatum. Broteus verò meus (quem omnibus ſubſelliis iam pridem ignorantiæ accuſaui, & damnatum inſector) cum verba hæc Pli. non intelligeret, in triduo prædicere incolæ traduntur: homo temerarius virgula Ariſtarchi & dictatoria cẽſura ſtatim rectam ſcripturam

ram expungere non veritus eſt, & falſam ita ſupponere: Quinam flaturi ſint venti interdum prædicere dicuntur. Non ſentis Broteu quanto errore feraris præceps? nam quod obſecro miraculum eſſet ſi incolæ interdum id prædixiſſent quod plериq; nautæ ſæpe faciunt, quamuis Strōgylem inſulam non incolant? id erat memoratu dignum ſtultiſſime, quod interdum prædicerent. hoc eſt qui inde ad tres dies eſſent flaturi venti. At mihi non habebis fidē, neq; aſſentieris verbis meis, qui à teipſo plerúmq; diſſentis. Audi Strabon. præuaricator: qui ante Plin. ita ſcribit, ex teſtimonio Polybij: Quo ex loco (inquit) exhalationes inchoent, & flammæ & fumus annotari, & εἰς τρεῖς ἡμέρας, id eſt, in tertium diem quis ſpiraturus ſit ventus. Tam graui iudice condemnatus de litteris audebis aliquid vnquam præſcribere? hic eſt vnus ex ducentis & ſeptuaginta locis in quibus tuam caſtigauimus ignorantiam integro opuſculo. Sed vt ad Æolum reuertamur, hic habuit ἓξ δ' υἱεῖς ἡβώοντες filios & totidē filias ſorores quæ fratribus nupſerunt: vt ſcribit Hom. x. Odyſſæç, ex quibus nonnullos nominat Diodo. illud verò miror, Oui. in Heroidibus Canacem introduxiſſe conquerentem quòd per patris crudelitatem ſibi non licuiſſet nubere Macareo fratri, cum Home. de filiis Aeoli ita ſcribat. εἶτ' ὅγε θυγατέρας πόρεν υἱάσιν εἶναι ἀκοίτας. 17. Soli Zephyro. & ſolum Zephyrum permiſit flare Aeolus Vlyxi nauiganti, reliquis vtre colligatis, vt ſcribit Home.

20. Paretoniis. Aegyptiis. Paretoninm ciuitas & portus ingēs quadraginta ferè ſtadiorum, ab aliis Amonia vocatur, vt Stra. ſcribit. à Catabathmo diſtat nongentis ſtadiis. vel vt Pli. metitur, ſeptuaginta milibus paſſuum.

23. Qvamvis movet. quamuis ego nollem flere, ne id ſit malum omen Metio diſcedenti: tamen lacrymas cohibere non poſſum.

31. Iam cedente. cum abibit.

32. Qvis rvde. deteſtatio nauigationis, in qua & Horatius mortalibus ſuccenſet, & Propertius. demum Claudianus. Quis (inquit) tam audaci ingenio fuit, vt nauigium inueniret quo mortales vndis committeret & pelago? Danaus quidem cùm in Græciam ex Aegypto nauigaret, primus natem oſtendit. Antea non niſi ratibus nauigabatur inuentis à rege Erytra in mari rubro. Iaſon verò primus longa naui nauigauit, vt Philoſtephanus auctor eſt: & ſcribit Plin.

Ibid. Aeqvor rvde. ignotum & intactum.

34. Hiantes. auaros & nimium cupidos. Propertius.

Natura inſidians pontum ſubſtrauit auaris.
Vt tibi ſuccedat, vix ſemel eſſe poteſt.

35. Avdax ingenii. elocutio familiaris Silio in primis Italico. nam ille ſæpe ait, fœlix voti, fœlix auſi.

Ibid. Virtvs. vis (inquit) & temeritas Gigantum, quorum pedes in volumina draconum deſinunt, vt ait Macro. non maior fuit cum Iouem de cælo rapere voluerunt, quàm eius qui priùs auſus eſt nauigare. Perierunt autē fulmine Gigantes in Macedonia ad Cumam, quem locum ab ardore poſtea Phlægram dixerunt. quidam tamen auctores ſunt, eos in Campania conflagraſſe.

37. Bis. duobus montibus, Oſſa & Pelio.

Ibid. Olympvm anhelantem. ſub pondere. Olympos quatuor fuiſſe accepimus. Et Stra. obſeruauit, quorum duo ſunt: alter Idæ Phrygiæ ad Antandri ora, vbi Sophocles Menelaum ita Agamemnonem alloquentem introducit. Tu hic conſiſtens ad Idæam tellurem ex Olympo greges cogens immola tibiæ ſonitu. Alter in Myſia, quem Pli. ſcribit quoq; dictum fuiſſe iuxta Olympenam ciuitatem. Tertius in Theſſalia, de quo nunc loquitur. Quartus in Leſbo inſula.

Pag. 56. v. 5. Et fvlmina plvra. nam cum ſint nouem dij qui ſinguli iaciunt fulmina (vt Tuſcorum literæ docent) Iupiter trina iacit: ſunt enim vndecim generum. trina autem. nam (vt ſcribit Pli.) ſupernorum trium ſyderum ignes ad terram decidui fulminum nomen habent. ſed maximè ex ſydere quod medium eſt. id Iouem appellāt. vnde traditum, Iouem fulmina iaculari triſida & triſulca, quoniam ex tribus ſyderibus oriantur ſpeciem triſulcam & triſidam præ ſe ferentia. Seruius verò

(cuius vtinam nulla fuiſſet apud pleroſq; grammaticos noſtri temporis auctorir ne ineptis quibuſdam interpretationibus imbuti, falſa aliquando, puerilia & b bara traderent) more ſuo inanem trifidi fulminis interpretationem commẽtus

9. PLIAS. Pliades (vt antiqui aſtrologi ſcribunt) filiæ fuerunt Atlantis & Ple nes; ſeptem, quibus per Bœotiam iter facientibus Oriõ vim inferre voluit. ſed c fugiſſent, ſeptem annis eas inſecutus eſt: nec potuit reperire. Iupiter puellas mi ratus, in cælum tranſtulit, ad caudam Tauri. Vergiliæ à noſtris appellatæ, qu poſt ver appareant. quod tempus quoniam initium nauigationis eſt, Pliades no nulli dixerunt: à πλεῖν quod eſt nauigare. Earum ex ortu æſtas ſignificatur, occa hyems.

Ibid. TVNC NVBILA. tunc tempeſtuoſa facta eſt cùm antè non eſſet.

14. PECVS OLENIVM. capellas & hœdos Olenios intelligit, ſydus tempeſtuoſu Aegium enim oppidum non procul ab Oleno Arcadiæ oppido. locus eſt vbi cap à qua nomen accepit, Iouem nutriuit lacte. alibi Papi.

Et quæ Ioue prouocat omnes Olenos.

Iouem, id eſt, educationem Iouis. & Aratus.

Diuáque capra Ioui (vt fama eſt) hic præbuit vber. paulo po
Olenúmque Iouis vates dixere capellam.

Sunt autem in cælo in heniocho ſiue auriga, capella in dextro humero: hœdi ſi ſtro. quod ſydus Cleoſthenes Tenedius primus dicitur oſtẽdiſſe. Scio Hyginum c rioſiùs perſcrutatum ſententias antiquorum, aliter de hoc nomine ſcripſiſſe.

Ibid. ORION. de quo ante dictum eſt, vt ſcribit Columel.

Ibid ORITVR. decimo ſexto Kalend. Iulii. eius zona Kal.

11. IVSTA QVEROR. meritò (inquit) damno audaciam nauigãdi. vel ex hoc qu nauigaturus eſt Celer meus.

12. SERVANTIA. obſeruantia, & cernentia.

13. TOT TIMORES. vectores. timores appellat ob diſcrimina tempeſtatis.

14. SVPER RELIQVOS. in primis portatura eſt.

15. TE CELER. ô Celer. inemendati codices habent.

Quamque ſuper reliquos & noſtri pignus amoris.

Nos ita caſtigamus.

Quæque ſuper reliquos te noſtri pignus amoris
Portatura Celer.

18. LVCANI MARIS. Tyrrheni. nam inde ſoluebat: atque ita ſigillatim & ex o dine maria nominat, per quæ nauigaturus eſt Celer, contendens in Syriam.

Ibid. NVM TORVA CHARYBDIS. nam ex Tyrrheno Siculum ingrediebatur: v in freto eſt ſcopulus Scylla & Charybdis mare vorticoſum: vt ſcribit Plin. Scylla, Acuſilaus ſcribit, Phorci & Hecates filia. Home. Erati matrem fuiſſe tradit. Al Phorbantis & Hecates. Steſichorus Lamiæ. Pli. Cratis fluuij: fabulæ noſtræ Crat nymphæ. Hæc (vt Home. in duodecimo odyſſeæ ſcribit) monſtrum fuit duodeci pedibus, ſex ceruicibus, totidémq; capitibus. & vt ille ait, δεινὸν πέλωρ. Charybd verò (vt idem eſt auctor) ſcopulus inferior ſub caprifico ter fluctus abſorbet quo tidie & reuomit. Strabo tamẽ eum verſum exponit, Τρίς μεν γάρ ἀνάρρυσιν ἐν ἤματι τρεῖς δ' ἀναρροιβδεῖ. pro bis. non enim ter id accidit, vt ipſe affirmat.

19. FLVCTVET. abſorbeat fluctus & reuomat te tranſeunte ab ripa.

20. MARE ADRIA. ab Adria oppidulo. quod Stra. etiam docuit.

Ibid. QVOS MORES. hoc eſt quam facilem & qualem præſtet ſe tibi.

21. QVAE PAX. tranquillitas.

Ibid. CARPATHIO. hoc mare inter Rhodum & Aegyptum interiacet: ita appel latum à Carpatho inſula. Pli. Carpathos quæ mari nomen dedit.

Ibid. QVALI AVRA. hoc eſt mare Syrium. quod demum eſt ingreſſus Celer.

22. DORIS. mare.

Ibid. BLANDITA. quæ olim fauit.

Ibid. FVRTIS. raptui.

Ibid.

Ibid. IVVENCI. Iouis conuerſi in taurum.

Ibid. AGENOREI. qui rapuit filiam Agenoris Syrij.quamvis Herodot.eam raptam ſcribat à Græcis Cretenſibus: & abductam in Cretam. Euſebius ſcribit eam fuiſſe Phœnicis filiam, compreſſam à Ioue, nupſiſſe Aſterio regi Cretẽſium:indéq; natos, Minoem, Rhadamanthum, Sarpedonem.

25. CIMMERIVMQVE CHAOS. Cimmerii populi ſunt qui frigoribus occupatas terras incolũt:quales erant inter Baias & Cumas: vbi erat cõuallis, quæ neque matutino neque veſpertino tempore ſole contegebatur. hæc Feſtus. Ephorus auctore Stra. ſcribit, Cimmetios habitaſſe ſubterranea domicilia iuxta Baias, quæ Archillas appellabant. ibi fiebant ſacra Plutonia : dabanturque ab his reſponſa : atque inde faciebant quæſtum. Cum veuiebant aduenæ aliquid audituri, ducebantur in cauernas illas: quis nec oriens nec occidens ſol aſpiciebat, vt ſcribit Home. hi à rege deleti ſunt, cum oraculi fides parum ſucceſſiſſet. vbinam eſſent ambigunt nonnulli. Heródo. vicinos Amazonibus ſcribit. ſed (vt puto) natus eſt error ex verſu Home. qui cum ſcribat aduentum Vlyxis Baias, locum non deſignauit apertis verbis : ſed tantùm dixit nauem lapſam eſſe ad fines Oceani : vbi erat Cimmeriorum populus & vrbs. intelligens aptè iuxta Baias. quod inſequentia eodem libro indicant. Papi. hoc loco Cimmerios accipit pro remotiſſimis populis. Calimis Cimmeriorum meminit in Aſia.

Gens bel'o aduentat fortiſſima Cimmeriorum.

Ibid. CHAOS. à die alludit quòd in obſcuro habitabant.

26. MET REGIS. Celeris, quem colo vt regem: expoſuimus apud Iuue. & Mar.

28. NON SOCIVS. quia nihil adiuuarem.

31. NIHIL IVRATVS. hoc eſt ex hiſtoria quã Thucydides in primo ſcribit. Ait enim principes Græciæ ſecutos eſſe Agamemnonem non tam iureiurando addictos quo obligati erant Tyndaro patri Helenæ, quàm Agamemnonis opibus. Idem ſcribit Sophocles. nam iurauerant omnes ſe vindicaturos ſi quando Helena raperetur. Quamuis autẽ Phœnix eo iureiurando non eſſet addictus: tamen ſecutus eſt Achillem in caſtra. placet hoc magis quàm vt referas ad ſacratam militiam.

32. AMOR IGNAVVS. Cur (inquit) cum te amem ceſſo ignauus & te non ſequor?

34. ISI PHARONEIS. inemendati codices modò *ipſe* modò *ipſi* proferunt. Nos *Iſi* ſcribimus. nam inuocat Iſidem numen Aegypti, cui Celerem commendat. hæc antea Io dicta Inachi filia fuit. & Inachum flumen Boſporum dixit, auctor Euſebius.

Ibid. PHORONEIS ANTRIS. Argiuis. Phoroneus (vt Euſebius ſcribit) regum antiquiſſimus Argis regnauit, filius Inachi & Niobes. Alij Niobem fuiſſe filiam affirmant; prius iudicia & leges conſcripſit. huius filij fuerunt Io & Spartus, qui Spartam à ſuo nomine condidit.

34. STABVLATA. cum erat bos.

36. PVPPEM MAREOTIDAM. nauem Alexandrinam qua vehitur Metius.

SISTRO MVLTISONO. ex epitheto potes redarguere Seruium malè interpretantem ſiſtrum apud Virg. nam non tuba erat, nec ſpiritu ſonum ædebat, ſed iactatione concuſſum reſonabat multis crepitaculis pendentibus. idcirco *multiſonũ* ait. Propertius idem fermè.

Pag. 57. v. 3. FOECVNDA LICENTIA. doce (inquit) cum res mirandas Ægypti. in primis quare tantum inundet Nilus. quod quamuis explicare conatus ſit Herodotus, Diodorus pertractauerit, indagauerit Lucanus: tamen adhuc in ambiguo eſt. tres cauſas affert Herodotus inundationis, quas refellit. Hæ ſunt; Vel quia Eteſiæ venti contra fluminis impetum flant, retardantque curſum, & aquas tumeſcere cogunt: Vel quod ad eius fontes niues liquefactæ fluuium augent: Vel quòd fluit ex Oceano. cuius æſtu ipſe quoque æſtuat. Aliam naturalem affert cauſam, quam pluribus verbis probare contendit. eam illic requires.

5. VADA DESIDANT CECROPIO LVTO. Sais lingua Ægyptia, vt Lycophronis interpres ſcribit, Palladẽ ſignificat. inde verſum Propertij mẽdoſũ ita caſtigauimus:

Mercurio Sais fertur Hebeidos vndis
Virgineum primo compoſuiſſe latus.

vnde oſtium vnum Nili Saïticum eſt dictum, quoniam Sais id eſt Pallas illic cole tur. Strabo ita ſcribit: Tanaiticum oſtium eſt Nili: quod nonnulli Saïticum voca inde ad Peluſiacum oſtium ſunt lacus & paludes continuæ. petit igitur Papini Iſis doceat Metium quare Nili oſtium ſtagnat paludibus & luto Cecropio. id Saico: vbi Pallas Cecropia & Attica colitur. dic (inquit) cur inundet Nilus, & a. faciat paludes ad oſtium Saicum. ſcilicet coerceat. non enim permittit reflu aquas Nili, ſed in paludes conuertit ſtagna lacubus & paludibus obſita.

Ibid. LVTO CECROPIO. Palladio & Saïtico.

6. LASCIVIAT. de Canopo antè diximus & impudentia laſciuientium ad ea ſa hominum.

Ibid. TERAPHNEI. Lacedæmonij. nam à Canopo Menelai Lacedæmonij gub natore nomen accepit.

5. CVR INVIDA MEMPHIS. doce, inquit, cur Memphis inuideat. Memphis Api templum habuit Veneris phanum, quod alii Lunæ putarunt, pyramides duas in miracula. regia erat regum Ægypti. Inuidere videbatur: quoniam Memphitici n permittebant Apim bouem quem Ægyptus adorabat, certos annos excedere: na in fonte ſacerdotum demerſum necabant. aliumque ad Memphim duceba in ædē Vulcani. hunc à mulieribus tantùm videri fas erat, quæ ſublatis veſtibus f mora raſa oſtenderent: deinceps non licebat hiſdem ſpectare. hæc ex Diodor Plinio, Stra. & Herodo. Videbantur igitur inuidere gloriæ Apidis Memphitici, cum eum ab omnibus adoratum diutius viuere non permitterent. id ſcribit Pli.

7. CVR LETHEVS IANITOR. de Charonte & repræſentatione inferorum intellig quam Ægyptii in funeribus ædunt. adeſt enim magiſter cymbæ, vt diximus, quē ſi lingua Charontem appellant: cui dato obulo cadauer tradunt traiiciendum vlt Acheruſiam paludem. nauis appellatur Vari, græcè epiuathra. vbi aguntur ſu ſtatuæ Hecates, Cocythi, Lethes, iuxta quas eſt ſtatua Iuſticiæ. Diodo. auctor. Do ce, inquit, Iſi Metium quare Charon ſit in Ægypto, & iſta inferorū repræſentatio

Ibid. SERVET ARAS PHARIAS. id eſt manet ad aras Ægyptias.

8. CVR AEQVENT. doce etiā quare pari in honore habeantur animalia & dii. nat Ægyptii communiter colebant bouem, canē, felem, accipitrē, ibin, lepidotum, piſ cem oxyrinchum. Saitæ & Thebani, ouem. latum piſcem Latopolitani, atque ali præterea. ſcarabeum nonnulli: cauſa fuit, vel quòd dii olim cū pauci eſſent, homi num impietatē timentes in ea ſe verterunt animalia. vel quòd his inſignibus vſi ſin Ægyptii aduerſus finitimos in terrorem, qui victores coluerunt. vel ad vtilitaten quam ſingula præbent mortalibus: Diodo. ſcribit.

8. PRAESTERNAT. nam moriturus phœnix facto rogo ex variis odoramenti concuſſu alarum incendit. naſcitur vermiculus ex cineribus. vnde alter phœnix creſcit. qui primum reddit iuſta phœnici mortuæ, defertque totum nidum in Panchaiam ad Solis vrbem: eámque in ara collocat. Manilius docuit. repetit Pli.

Ibid. VIVAX. nam vt Manili. auctor eſt, viuit annis ſexcentis ſexaginta. & cū huius alitis vita magni anni fit conuerſio.

11. APIS ADORATVS. de hoc hiſtoriam multis verſibus ſcribit Herodo. Diodo. Plinius verò ex Herodoto ita tradit in. viii. naturalis hiſtoriæ. Bos in Ægypto eſt, numinis vice colitur. Apin vocat. & paulo poſt. Merſúmque in ſacerdotum fontem enecant, quæſituri luctum & alium quem ſubſtituant: & donec inuenerint mœrent, deraſis etiam capitibus. nec tamen vnquam diu petitur. Inuentus deducitur in templum à ſacerdotibus Memphim. plura illic leges.

10. QVOS AGROS DIGNETVR. id eſt quam partem Ægypti incolat Apis.

11. TREPIDIS PASTORIBVS. nam non ſperant alium priore extincto. luctúque & mœrore eum quærunt.

12. AD MANES AEMATHIOS. ad tumulum quidem Alexandriæ. nam in vrbe Alexandria circuitus quidam erat, in quo regum ſepultura erat & Alexandri. nam Ptolemæus Lai filius Alexandri corpus

pus Perdiccæ abſtulit, qui ex Babylone deferebat: detulitq́ue Alexandriam, eique parentauit prius in aureo alueolo: quem Coccas vitreo ſuppoſito rapuit, vt antè diximus.

Ibid. DVC AD MANES AEMATHIOS. id eſt in Alexandriam, vbi eſt corpus Alexandri Æmathij ſeu Macedonici.

13. CONDITOR VRBIS. nam Alexander Alexandriam condidit Dinarcho architecto opusdeſignante. quod Vitruuius quoque ſcribit.

14. ANGVIFERAMQVE DOMVM. duc, inquit, ô Iſi Metium etiam Necropolim: vbi anguibus extincta Cleopatra.

Ibid. BLANDO VENENO. locus diſtat ab Alexandria. XXX. ſtadiis. vbi Cleopatra vel aſpidis morſu, quod Plutar. refert; vel delibutorio veneno, quod Strabo tradit ex quorundam ſententia, ſe necauit in vinculis.

15. ACTIAS. patronymicum affectatū pro Cleopatra quæ ad Actium victa fuerat.

Ibid. CATHENAS AVSONIAS. nam ſe interfecit, ne in poteſtatem Auguſti veniret. *Cathenas* dixit: quoniam regum vincula erant cathenæ è collo pendentes cum ducebantur in triumphum.

16. VSQVE ET IN ASSYRIAS SEDES. hoc hemiſtichon mendoſum eſt in aliis codicibus. ſed in his elementis ita ſcriptum, vt in has ſyllabas poſſit coaugmentari. nam ita in illis legitur.

Vſque ad maſurias ſedes:

In Maſuriam autem quæ nuſquam eſt non mittebatur: ſed in Aſſyriam. propterea leges, *vſque in Aſſyrias ſedes.*

18. NEC NOVVS HOSPES ERIT. innuit eum antè in Syria fuiſſe præfectum cohortis. Hic. in Aſſyria.

19. MAIORIS CLAVI. cum bis latum clauum ſumpſiſſet.

20. IAM TAMEN. etiam ea ætate.

Ibid. PRAEVERTERE. antè ire & cohibere.

21. DAMNARE. vincere. ſuperare.

Ibid. SAGITTAS EOAS. Aſſyrias. Iaculo ſuo.

22. ERGO ERIT. ex affectu hoc legendum.

25. ALIAS AVRAS. quæ te reddunt.

26. QVANTVS EGO. ô quantus, inquit, aſſurgam carmine.

Ibid. QVANTA LYRA. quam grandi & ſublimi carmine.

29. NOVVS E PVPPE. vix egreſſus è naui.

31. BACTRA. narrabis, inquit, & deſcribes loca in quibus fueris. Bactri populi quorum Zariaſtes oppidum eſt. idem poſtea Bactrū dictum à flumine. Plinius autor. Zeugma à Seleucia Syriæ ad noſtrum littus diſtat centum viginti duorum paſſuum milibus. oppidum ita appellatum, quoniam Alexander ibi pontem in Eufratem iunxerit. nam ζευγνύω græcè, latinè ſignificat iungo: quod Plinius. XXXIIII. naturalis hiſtoriæ his verbis oſtendit: Ferunt quidam & religione quadam id fieri. & extate ferream cathenam apud Eufratem amnem in vrbe quæ Zeugma appellatur, qua Alexander magnus ibi vinxerat pontem. cuius annulos qui refecti ſunt rubigine infeſtati, carentibus ea prioribus.

32. ITER LATINAE PACIS. nam ea loca arma Romana pacata reddiderunt.

33. NEMVS IDVMES. palmas intelligit: de quibus alibi diximus.

34. ITERATA PVRPVRA. dubapham intelligit. id eſt bis tinctam: quę gratior erat. Plinius. huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. hac Lentulus Spinter Ædilis Curulis primus in prætexta vſus improbabatur. verba hæc accipit Plinius ex Nepote Cornelio, qui diui Auguſti principatu obiit.

36. VBI OPOBALSAMA. id eſt in Iudæa. Plinius. ſed omnibus odoribus præfertur balſamum vni terrarum Iudææ conceſſum. quoniam in duobus tantùm hortis, vtroque regio, altero. XX. iugerum, altero pauciorum. Paulo poſt: ſuccus plaga arboris manat: quem opobalſamum vocant. id autem ſignificat ſuccum balſami, ὀπὸς enim eſt ſuccus.

57. Ast ego. quaſi reſipiſcens à deſiderio amici abeuntis, inuicem ſe narraturum promittit, cum tedierit, rationem ſuæ, Thebaidis & Achilleidis: quæ oper. tunc perfecerit. *Aſt ego.* ſcilicet narrabo.

Ibid. Quae busta dederim. id eſt quem finem impoſuerim Achilleidi meæ

DOMITIVS AVGVSTINO.

Claudius Etruſcus, Auguſtine, Smyrnæus ſeruili conditione Romam tranſlatus in Imperatorum aula ſeruiuit, Tiberio primum:à quo libertate eſt donatus. mox in aula Caligulæ manſit:& Claudii qui ſucceſſit:& Neronis. à Domitiano in exilium miſſus eſt, cum in re ærarii adminiſtranda leui quodã errore lapſus eſſet: lachrymis & pietate filii reditu impetrato reuocatus eſt. Mart.

Quantum ſollicito fortuna parentis Etruſco.

paulo poſt:

Nam tu miſſa tua reuocaſti fulmina dextra.

Cum ad nonageſimum quoque annum perueniſſet, mortuus illatus eſt tumulo vxoris, defletus mira pietate filii:quem & hac Sylua ornat Papinius & eo epigrammate Mart.

Hic iacet ille ſenex auguſta notus in aula.

Accommodat autem ad lacrymas filij. Poëtæ eſt inuocatio. nam Pietatis numen citat, quam ſummam deorum nuncupat cuius numina, ſunt gratiſſima cælo. Pietas diis cara eſt, rara, egregia & præclara.

Pag. 58. v. 5. inspectant terras. ſed non habitant.

8. Rvdes popvlos. inſcios fraudum. pater eſt etiam ſenex.

16. Procvl hinc. ex ritu arcet à tam piis ſacris qui impii fuerunt in parentes.

25. Ad flvmina lethea. Lethe fluuius inferorum. Lethe item fluuius in Hiſpania:quem antea Lineam appellabant. huius meminit Strabo, addita etiã hiſtoria cur Lethe appellatur. Silius carmini inſeruit. Letheus præterea fluuius in Aſia iuxta Magneſiam labitur.

26. Domvs elysiae. Elyſios putat Strabo in vltima Hiſpania eſſe. mala interpretatione verſus Homerici. nam Home. Vlyxem ſcribit perueniſſe eum in locum, vbi necromantiam fecerit, vt antè diximus. Ait Vlyxes ſe veniſſe ad fines Oceani, atque illic peregiſſe ſacra: inde quicquid de inferis de Charonte, ille narrat, tranſtulit aliquando Strabo & nonnulli alii ad vltimam Hiſpaniam:quia illic ſit finis Oceani. Sed tamen verſus Homeri indicat intelligendum de Baiis & locis proximis.nam à Læſtrygonibus, quos ad Caietam fuiſſe planum eſt, nauigauit Circeos ad Circem: deinde vno die (vt ait) peruenit eum in locum vbi ſacra peregit: quod non potuiſſet ſi ad vltimaHiſpaniæ fuiſſet nauigãdum. Itaque interpretemur verba Homeri, vbi ait fines Oceani. vt dicas fines maris Tyrrheni. nam Oceanum dixit ſimpliciter pro mari. Elyſios autem ſuſpicati ſunt alii: quos nec Strabo inficiatur eſſe in inſulis Fortunatis in Oceano, de quibus multa ſcribit Plinius, & eas ſe noniſſe teſtatur Strabõ. Alii in circulo Lunæ animas piorum habitare dixerunt. poëtæ ſimpliciter apud inferos in priuato receſſu.

27. Lvcos pallentes. nam ſole fruuntur quali nos. ſolemque ſuum & ſua ſydera norunt.

31. Domini. Plutonis.

34. Macte. hinc orditur carmen in inferias Etruſci.

Pag. 59. v. 2. Mvnera non arsvra. æternitatem carminis pollicetur & ſibi portendit.

4. Me monstrante. teſtimonia mei carminis.

16. Flere parentem. & hic & antea indicauit Syluam, quam compoſuit in epicedion funeris paterni, eſſe multis diebus elaboratam, & vix tandem æditam: cum hic ſe patrem fleuiſſe dicat, & in quinto tandem eam Syluam collocauerit.

6. Ille dies. quo ſcilicet ego duxi patrem.

7. Svadet. hortatur & docet.

8. Tvli qvestvs. ego, inquit, iiſdem lacrymis agitatus ſum.

9. Non

9. NON TIBI. auerſio eſt ad patrem mortuum: quem laudaturus diluit primùm quod maximè obſtabat. Nam ſeruus fuerat:quam ignominiam multis exemplis & rationibus Papinius leuare nititur.

10. FORTVNA. in qua verſatus es apud Imperatores te ſatis illuſtrauit; quamuis ſplendore generis careres.

Ibid. CVLPAM PARENTVM. detrimentum natalium tuorum: ſed quibus imperator es.

17. CRESCIT. magnus eſt.

18. LEGEM. ſeruiendi.

19. ET VAGA. Luna quæ videtur vagari arbitrio ſuo, & tamen ſeruit. nam plenilunium nō fit.nec ipſa poteſt implere orbem ſuum imminutum, niſi certa temporum lege: cui ſeruit.

22. REGIS. Euryſthei de quo antè dictum eſt.

23. FISTVLA PHOEBI. nec puduit Phœbum ſumere fiſtulam more paſtorum: & cuſtodire armenta regis Admeti in Theſſalia, cui ſeruiebat ad Amphryſum.

24. SED NEQVE. cum laudat à patria, quòd quamuis ſeruus eſſet, tamen non venerit ex Barbaris, ex Dacis, Getis, Cappadocibus, vnde alii ſerui mitti ſolent. ſed ex Smyrna oppido nobiliſſimo Ioniæ. Epheſij aliquando Smyrnæi dicti ſunt à Calino poeta in oratione ad Iouem. Epheſi præterea erat locus appellatus Smyrna, vt Hipponax poeta oſtendit. Home. Smyrnam nuſquam nominauit, quamuis eſſet patria, cum tamen Miletum, Samon, Tenedum nominauerit. A Smyrna Amazone illic ſepulta dicitur. Meles in proximo oritur: vt ante eſt dictum. nec hunc nominauit Homerus: vt Pactolum: cum tamen nominauerit Hermum & Hyalum eiuſdem regionis.

25. VRENDO FONTE. in laudem Homeri hoc dicit.

26. QVO LYDIVS INTRAT BACCHVS. Tmolus, ante Timolus dicebatur. vtrumque in vſu apud poëtas Ouidium & Silium. mons Lydiæ vitibus conſitus, & vini generoſitate nobiliſſimus. inde etiam labitur Pactolus. Aptè poëta vt carmen variet, ait Bacchum deſcendere in Hermum fluuium vt ibi aurato illius limo ſua reficiat cornua. Megaſthenes fidem habet rebus geſtis Herculis & Bacchi: ſed paucos habet aſſertores. Eratoſthenes ea putat fabuloſa. Bacchus certè apud Euripidem in tragœdia quæ inſcribitur Bacchæ, cum peragrationem ſuam iactat, ita ait: Auriferа adiui & culta Lydorum loca. nam in Lydia quoque eius ſacra peragebantur.

27. SVA CORNVA. Diodorus hæc ſcribit: Sunt qui Hammonem affirment naturâ in vtroque tempore parua habuiſſe cornua: propterea filium eius Dionyſium eodem fuiſſe aſpectu: poſteriſque traditum, deum hunc cornua geſtaſſe.

34. PROXIMVS HAERES. Caligula qui Tiberio ſucceſſit.

35. AGITATVS FVRIIS. nā ſiue poculo amatorio Cæſoniæ, quod ipſe veritus eſt, & credi voluit Iuuenalis: ſiue naturæ feritate, quod Tiberius cognouit in pucro, furore quodam percitus rempublicam vexauit.

Pag. 60. v. 4. DEMISSVS IN AXEM. cum nondum in cælum deſcendiſſet: qua figura vrbanitatis Iuuenalis quoque vſus eſt de eodem: *Cælum deſcendere iuſſus.*

5. NERONI. Nepoti.

Seneca: poſtea quàm Claudius in cælum deſcendit.

3. IN ARCTOAS. id eſt Germanicas. nam cum in Vmbria eſſet Caius princeps, repentè impetum cepit expeditionis ducendæ in Germaniam. quò contendit delectu acerbiſſimè habito: vbi & plurimos centuriones primipilis priuauit: commoda & merita militiæ ad ſexcentorum ſummam ademit. de legionibus trucidandis cogitauit. idcirco Papinius ait Caligulam illic potiſſimum fuiſſe immanem ſuis.

6. QVIS SVPEROS. legatur interrogatiuè. Quis eſt, inquit, deorum miniſter, qui tot diis operam vnquam præſtiterit, & pariter ſatisfecerit quot tu imperatoribus? nam deorum miniſtri ſinguli ſingulis ſeruiunt: tu de multis imperatoribus benè meritus es.

Ibid. QVIS

Ibid. QVIS METVENS SVPEROS. id eſt, quis ſeruiens ſuperis.

6. TOT TEMPLA. tot aras, tot varios deos, quot ſcilicet tu Imperatores.

7. DATVR. dicitur,oſtenditur, nominatur.

Ibid. PROMERVISSE. officiis ſibi deuinxiſſe.

Ibid. ARCAS. Mercurius(inquit) ſeruit Ioui, non pluribus.

8. IVNO POTITVR. Iuno ſola vtitur miniſtra Thaumantide, id eſt, Iri:quæ qu niam cum admiratione quadam oritur(vt ſcribit Macro. & Cicero)dicta eſt Tha mantis filia. nam θαῦμα ſignificat miraculum.

10. TV. tu verò.

Ibid. TOTIES. quater.

11. INTEGER. illæſus.

12. IAMQVE PIAM. ſub Domitiano & impenſarum & redditũum rationes ſe uabat.

14. DIGESTVS. diſpoſitio & diſtributio.

15. IMPENDIA. non impenſæ, ſed tributa quæ impendit totus mundus.

16. QVICQVID SIECTAT HIBERIA. nam Hiſpania cum mnltis rebus abundare metallis in primis erat pleniſſima. nam(vt Strabo ſcribit)aurum,argentum,æs, fe rum nuſquam terrarum, neque tantum neque tam probatum generari ad Tibe vſque tempora compertum eſt.

17. QVOD NITET MONTE DALMATICO. aurum ſignificat quod è Dalmatia mitt batur. de quo nos antè diximus. & Pli. ita ſcribit: vt inueniatur aliquando in ſur ma tellure protinus rara fœlicitate, vt nuper in Dalmatia principatu Neronis ſi gulis diebus etiam quinquagenas libras fundens: cum iam inuentum eſt in ſur mo ceſpite. Martial.in Dalmatam:

Fœlix aurifera colone terra.

18. AREA NILI. annonam etiam ex Nilo & ex Aegypto ſeruabat. Longa eſt per phraſis Auguſtine,vt vides:qua poëta ambitioſè deſcribit munus Claudij Etruſci. quod eſſet non explicat ſuo nomine. videtur quidem præfectum ærarij deſignat Ego verò ſuſpicor, Claudium Etruſcum fuiſſe diſpenſatorem. nam diſpenſator ſeruis eligebatur. Claudius autem Etruſcus ſeruili erat conditione. Cornelius Ta citus: Galbæ corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludibriis ve xatum diſpenſator Argius è primoribus ſeruis humili ſepultura in priuatis eiu hortis contexit. Plinius 33. naturalis hiſtoriæ: Noſtra ætas fortior fuit Claudij prin cipatu:ſeruus eius Cyriaſſilanus nomine Rotundus diſpenſator Hiſpaniæ citerio ris. Plura diximus in Iuuenalis commentariis eo loco.

Prælia quanta illic diſpenſatore videbis Armigero.

Intelligamus igitur, Etruſcum fuiſſe diſpenſatorem.

19. SCRVTATOR MERSVS. vniones & margaritas ſignificat, quæ ab vrinantibu colliguntnr:Indicus maximè has mittit Oceanus circa Arabiã in Perſico ſinu mari Rubri. Margaritæ autem grandiores,præſertim Iugurtino bello, vniones appella ri cœptæ ſunt. vt Heli. Stilo prodit. Feneſtella per errorem tradidit minutas & vi les cœpiſſe circa Syllana tempora.

20. PECVARIA. lanas Tarentinas intelligit. de quibus alibi plura.

21. PERSPICVAEQVE NIVES. vaſa cryſtallina intelligit. de quibus hæc Plinius Contraria huic cauſa cryſtallum facit gelu vehementiore conc reto. nec alibi certe reperitur, quàm vbi maximè hybernæ niues rigent. Iccirco Papinius ait: *Perſpicuæ que niues*. id eſt vaſa cryſtallina perſpicua & perlucida : quæ è niuibus conſtant & glacie. Paulo poſt:Idem glacieinq; eſſe certum eſt. materfamilias trullam cryſtal linam emit ſeſtertiis centum & quinquaginta. Nero accepto nuncio ex Gallia re rum aduerſarum, duos ſcyphos cryſtallinos, quos fortè in menſa habebat, illiſos terræ fregit, ne ſe mortuo ſeculum his frueretur:tantum luxum ineſſe cryſtallo pu tabat.

Ibid. MASSYLAQVE ROBORA. menſas citreas intelligit,quæ ex citto arbore fie bant, magno impendio. finitimi autem ſunt Maſſylli populi eius arboris ſyluæ. De

citrea-

citrearum menſarum inſania & luxu multa in commentariis Martialis recitauimus. plura legere potes in 13. naturalis hiſtoriæ Plinij. Suſtinebantur autem pedibus formatis ex ebore & dentibus elephantorum: inde illa Pliniana indignatio, quòd eodem ebore & vultus deorum formentur & ſpectentur menſarum pedes.

22. HONOS DENTIS INDI. id eſt eburnei pedes menſarum, & elephanti Indi dente.

Ibid. PATENT COMMISSA. ſtant & aperta ſunt eius arbitrio.

24. NVMERAVERIS CITIVS. quàm opes quæ ad Claudij diſpenſationem & cuſtodiam perferuntur.

25. VIGILIS TE. hactenus de redditibus Papi. locutus eſt: iam laborem, curam & prudentiam Etruſci laudat in his diſtribuendis pro ratione impenſarum.

26. EXITVS. impenſæ faciendæ.

Ibid. EVOLVIT. verſat & angit. cum curæ tibi ſit quicquid vel militiæ vel in vrbanis ædificiis inſtaurandis impendendum eſt.

Ibid. QVANTVM ROMANA PILA. id eſt Romani milites poſtulent.

Ibid SVB OMNI DIE. in omni parte orbis.

27. QVANTVM TRIBVS. & quantum populus Romanus, qui in tribus diuiſus eſt, poſcat & velit. nam ei ſæpe dandum eſt donatiuum & congiarium ab Imperatore, cui tu pecuniam ſubminiſtras ex diſpenſatione tua ô Etruſce.

27. 28. QVID CVRSVS ALTI VNDARVM. id eſt quantum impendendum ſit purgandis alueis Tiberis & aliorum fluuiorum.

28. QVID PROPVGNACVLA AEQVORIS. id eſt portus faciendi & inſtaurandi.

30. QVOD AVRVM NITEAT LAQVEARIBVS DOMINI. mendoſi codices non *domini*, ſed *domum* habent. quod cum legi non poſſit, renitenti ſyllaba, nos ſcripſimus *domini*. Vt dicat: tu cogitas quantum aurum impendendum ſit laquearibus domini & Imperatoris aurandis. nam Domitianus cum alias condidit, tum cœnationem illam quam Micam appellarunt auream, de qua Martial. *Mica vocor*. eiuſdem meminit Euſebius: quanuis non in omnibus illius codicibus idem legatur.

29. SERIES VIARVM. Viæ longo tractu ſternêdæ. Strauit autem Domitianus cum viam Domitianam à ſuo nomine, quæ à latere Appiæ in Campanum littus ducebat: tum Appiam præfecto Macro.

Ibid. QVAE MASSA. & quantum impendendum ſit pro ſtatuis deorum inſtaurandis.

32. QVID CREPET IGNI. dum conflatur à fabro.

Ibid. SCRIPTVM. percuſſum & ſignatum.

Ibid. MONETAE AVSONIAE. ſignatum in Flauios nummos & numiſmata Romana. Qui primus ex auro denarium ſignauit, latet auctore incerto. Seruius quidem rex æs primus ſignauit. argentum verò ſignatum eſt anno vrbis quingenteſimo octogeſimo quinto, Fabio conſule, annis v. ante primum bellum Punicum.

33. HINC TIBI RARA QVIES. cum habeas reddituum & impenſarum curam raró quieſcis.

34. NVNQVAM LAESA CVRA. mendoſus codex habet *celſa*. nos *læſa* ſcribimus. nunquam (inquit) obruis curam mero.

35. SED IVRA TAMEN. In tantis (inquit) laboribus, cogitaſti tamen de vxore ducenda non magis tuæ voluptatis cauſa quàm vt procreares clientes Imperatori.

38. ETRVSCAE. nomen vxoris.

Pag. 61. v. 6. CVM PRIMA AMENTIA. Frater (inquit) Etruſcæ conſul fuit primo bello quod Domitianus geſſit aduerſus Dacos: in quo Appius Sabinus conſularis oppreſſus eſt. nam bis de Dacis triumphum egit Domitianus poſt varia prælia.

8. QVICQVID CESSATVM. quicquid defuit nobilitatis à genere paterno, materni generis nobilitas reddidit & ſuppleuit.

9. LATVS OBSCVRVM. lineam paterni generis humilem.

10. NEC PIGNORA LONGE. nec diu cunctata eſt ad pariendum.

11. VENIT LVCINA. bis Etruſca peperit fauente Lucina, quæ affuit parienti.

Ibid. LVCINA. Diana cognominata: quòd lucem naſcentibus infantibus pr
beat: qua dę cauſa & mulieres ſupercilia ei dicata putant: vt Varro tradit: qu
niam inde lux ad oculos defluit. Plinius verò XVI. naturalis hiſtoriæ, à luco L
cinam cognominatam tradit priorem nominis cauſam. Feſtus, Macrob. præter
multi. Egeria quoq; colebatur à mulieribus, vt Feſt. tradit, quòd eam opitula
credebant partui egerendo.

19. PVRPVRA VERNA. id eſt, viola purpurea. Columella in hortis:

Quæ frendens purpurat auro Ponatur viola.

Plin. Ion nominatam à Græcis dicit. vnde ianthinæ veſtes: quod Brotheus no
intelligens, hyacinthinas ſcripſit pro ianthinas: hómo ignorantia impudentiſ
mus, temeritate perditiſſimus, ricarius tanti auctoris natus. nulla alia de cauſa, n
vt mihi pila eſſet & ludicrum.

Ibid. FLORENTES ANNOS. Idem Martial.

Occidit illa prior viridi fraudata iuuenta.
Hic prope ter ſenas vixit Olympiadas.

26. Hos ANNOS. patrem prope nonagenarium mortuum.

27. ILLVM ET QVI. inſequentes verſus obſcuros & implicatos, in hunc tande
ſenſum explicauimus & aperuimus: Veſpaſianus (inquit) qui prolem habet in cæ
& in terris: in cælo Titum, in terris Domitianum: cùm de Iudæis triumpharet, e
etcitúmq; victorem honore & muneribus proſequeretur, Claudiũ Etruſcum
numero aliorum militum habuit: quamuis ei bello non interfuiſſet: quoniam al
ſens multa quæ illuc pertinebant curauerat: & quamuis obſcuris parentibus eſſe
tamen minorem numerum & honoris partem non habuit. Eundem quoque equ
tem fecit: cum ordines recognoſceret.

Ibid. NVNC TEMPERAT. Relatus eſt in numerum deorum.

28. PROGENIEM PARTITVS. Titum in cælo, Domitianum in terris.

29. DONAVIT HONORE. muneribus & honoribus: quibus poſt triumphum, exe
citum victorem proſecutus eſt.

31. TENVES PARENTES. obſcurum genus Claudij.

Ibid. NIHIL MINVERE. nihil detraxerunt eius parti.

32. IDEM. Veſpaſianus.

Ibid. CVM DVXIT POPVLOS IN EQVESTRES CVNEOS. Ex hiſtoria eſt. nam Veſp
ſianus (vt ait Tranquillus) ordines ampliſſimos & exhauſtos cæde varia & cont
minatos veteri negligentia purgauit; ſuppleuitq; recenſo ſenatu & equite: ſubmo
tis indigniſſimis, & honeſtiſſimo quoq; Italicorum ac prouincialium allecto. E
tempore (vt ait Papinius) Etruſcus allectus eſt in equeſtrem ordinem. *Cum dux*
populos. cum suppleuit equites ex Italicis & prouincialibus. Mendoſi codices ha
bent, *populos deduxit equeſtres.* ſed tu lege: *cum duxit.* Dii boni, quæ mendæ hoc vn
loco erant, quas omnes ſuſtulimus!

33. MVTAVIT GENVS. & mutauit genus Claudij Etruſci. nam eum ex libertin
conditione ad equeſtrem dignitatem prouexit.

34. EXVIT. fecit vt exueret annulum ferreum, quem ſerui & libertini ſolent ge
ſtare, & aureum ſumeret: qui erat inſigne equeſtre. Ferreum annulum Lacedæmo
nij habebant. eodem vtebantur, qui aureos habuiſſent cauſa legationis. Nam au
reos tantùm in publico ſumebant: ferreos domi. Ferreum item annulum mitte
bant ſponſæ, veteri ritu. aureo equites, ferreo ſerui vtebantur. Pli. de triumphan
tibus. Annulus in digito, ſcilicet triumphantis ferreus erat. æqua fortuna trium
phantis, & ſerui coronam ſuſtinentis.

Ibid. ET AEQVAVIT CELSO HONORE NATORVM. & pari honore eum affecit. Du
filij erant: Titus & Domitianus.

Ibid. VOLENS EXCEDERE. & eum tradere filiis.

35. TESTIS. oſtendit.

Ibid. NITOR. liberalitas adhuc etiam te mortuo.

Ibid. ETRVSCI. filij.

Ibid

Ibid. Assvetvs inde. ex liberalitate tua formatus & inſtitutus.

Pag.62. v.3. Nvnqvam pater imperio. nunquam imperio meo oſtendebas te patrem:ſed tantùm amore.

Ibid. Hvtvs. Etruſci.

4. Prontor. quam fratris.

5. Qvas tibi. hos item verſus implicitos aperuimus,partim vnius verbi e mendatione,vt vbi alij codices habebant, *Errabit.* tu legas *errauit.* partim diſtinctione verborum quæ confuſa erant. Nam in omnibus codicibus, præterquàm in noſtro, ita diſtinctum inuenies carmen: *Regreſſum maluit attonitum*: cum ita ſit ſuſpendendum, *regreſſum maluit.* & quod ſequitur, *attonitum,* referendum ad ſequentia.

6.Rependant. tibi. precibus filiorum reuocatus eſt ab exilio, in quod miſſus fuerat à Domitiano, vel vt ait Papinius:quoniam fortaſſe errauerat decrepitæ ætatis imbecillitate. vel potius quoniam cum fortuna diu ei fuiſſet ſecunda,pedem referre & regredi voluit. Laudat tamen clementiam Imperatoris, quòd & eum graui exilio non mulctauerit, & reuocatum foueret priſtina gratia. Hic enim exulauit in Campania & Apulia. Collega verò eodem crimine damnatus, miſſus eſt in Seriphon & Cycladas.

7. Senectvs. Claudij Etruſci.

Ibid. Tarda sitv. hebetata multitudine annorum.

Ibid. Exhavsta rebvs. vigore naturali exinanita.

8. Erravit. commiſit aliquid erroris.

Ibid. Fortvna malvit regressvm. maluit referre pedem.

9. Attonitvm. timentem grauius ſupplicium ſenem.

Ibid. Fvlminis. ambitioſa metaphora, qua deo æquat Domitianum.

10. Tantvm tonitrv. ex metaphora verbum eſt:ſed pro leui ſupplicio accipit.

11. Contentvs. ſatis tibi eſſe putans.

Ibid. Monvisse. non affeciſſe ſupplicio: ſed monuiſſe errati ſenem Claudium.

12. Socivs cvrarvm. collega Claudij damnatus eodem crimine.

14. In arces diomedeas: an ad inſulas Diomedeas : an(quod magis placet) ad agros in Apulia conditos à Diomede.

16. Limen romvlevm. vel palatinam aulam: vel certè ærarium. reſtituiſti (inquit) eum priſtino loco.

21. Marcomanos. Marcomani coniuncti cum Sarmatis bellum aduerſus Domitianum geſſerunt. Hos populos Marobutius ex humili loco ad Rhenum coloniam duxerat. Domitianus victos noluit ducere in triumphum : ſed tantùm de ea victoria lauream intulit Ioui Capitolino ſine triumphi pompa.Tranquillus auctor. & nos apud Martial. diximus. Papinius tribuit hoc elementiæ Imperatoris; qui hoſtem captum in vinculis ducere noluerit.

23. Iamqve in fine dies. iam luce hac perfungebatur.

24. Hic. ſi voluero conſolari tantùm dolorem Etruſci moriente patre.

30. Svbmovet. arcet eum ab amplexu patris.

Ibid. Gemvit. cum audiuit Ægæum patrem mortuum.

33. Cvi nos. verba Etruſci ad patrem.

34. Fortvna redevnte. cum ſis reuocatus ab exilio.

35. Placavimvs. vt te reſtitueret.

Ibid. Svpervm. quales ſolent eſſe in diis.

37. Ingrate. quaſi non habens gratiam reſtitutæ patriæ.

Pag.63. v. 1. Foelix. Æneas.

3. Qviqve tener. Scipio patrem ſeruauit ad Ticinum ſeu Trebiam (vtrumque enim traditur) cum & ipſe puer eſſet, & pater ab hoſtibus circundatus. Silius.

tum rapta properè ex oſſibus haſta
Inuiſum ceruice ferens humeróq; parentem
Emicat.

Sed ſeruati Scipionis decus, Celius hiſtoriarum ſcriptor ſeruo natione Liguri tradit.

dit. Liuius: Malim (inquit) de filio verum eſſe, quod & plures tradiderunt, ſec dam famam obtinuit. Plini. filio delegat: Affricanus (inquiens) de patre noluit a pere coronam ciuicam apud Trebiam. Idem Valerius: Lauſi Lydi. Lauſus Mege Tyrrheni filius, patrem in bello aduerſus Æneam ſeruauit. Nam illo vulner ipſe ſubiuit, interfectuſq; eſt ab Ænea. Virgil.

Quò periture ruis: maioráq; viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua.

Propterea ait: *Pietas temeraria.* qua plus auſa eſt quàm vires ferrent.

5. Ergo. particula quæ ſeruit affectui hoc loco.

Ibid. Mariti. Admeti. Alceſtis Pelei filia vxor Admeti regis Theſſaliæ: vt H merus in ſecundo ſcribit, & Diodorus tradit: vt viueret maritus ipſa mortua eſt: quem enim pro eo mori oportere reſponderat oraculum. Fuit item Admetus Moloſſorum, ad quem confugit Themiſtocles. huius meminit Thucydides in cundo hiſto.

6. Vincere. exorare vt Eurycidem reduceret.

7. Thracius. Orpheus.

Ibid. Phryga. Rhadamanthum apud inferos: qui rex Lyciæ fuit prouinciæ co iunctæ cum Phrygia.

Ibid. Melius pro patre. iuſtius mihi daretur repeti patrem quàm datum eſt O pheo qui vxorem repetiit.

8. Non totus. pollicetur ſe habiturum effigiem paternam, quam domi co tanquam viuam.

11. Minor. cedam tibi.

13. Manibus. vmbræ tuæ.

17. Monitura. vt tu poſtea in ſomnis moneas me & doceas.

21. Salve supremum. Verba poetæ.

25. Triste chaos. obliuionem & vetuſtatem.

26. Qui maior honos. maior (inquit) honos erit effuſæ lacrymæ à filio qu alia odoramenta.

28. Exemplo. meritis. vt inde eſſet exemplum meritorum tuorum, voluit tibi dicare hoc carmen.

29. Hoc sepulchro. id eſt, hoc genere ſepulchri. id eſt carmine.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Cum ſuperiore anno, Auguſtine, Iuuenalem æditis commentariis interpreta mur; perueniſſemúſq; ad eum locum:

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.

nonnihil applauſimus ingenio & induſtriæ noſtræ, quòd verſum explicarem quem ſexcenti interpretes, qui doctrinæ nomine gloriantur, aliquando ignorau rint. attulimúſque pro hiſtoriæ monumento hanc Papinij Syluam. docuimus e antiquis morem fuiſſe, vt cum primam barbam deponerent, & conderent crine numini dicarent, exhilararentque diem ſacris & conuiuiis: & vt ex Tranquillo ſcimus: Nero barbam primam conditam in aurea pixide, & precioſiſſimis marg ritis adornatam Ioui Capitolino conſecrauit. & alibi. Caius princeps barbam d poſuit ſine vllo honore, eodem inſtituto. Earinus Domitiani libertus iam form gratia languente, crines dicat Aeſculapio Pergameo. nam Pergamon habuit p triam in Aſia, Imperatorique Domitiano pocula miſcuit. nomen à vere ſumpſ quod numeris Latinis comprehendi non poſſe iocatur Martial. qui huius conſecr tionis quoque meminit.

34. Auro coronato. in pixide aurea.

36. Puppe timenda. in qua periclitamini.

38. Iuvenis phoebeis. Æſculapi fili Phœbi: quem Martial. deum Pergameu appellat, quoniam Pergami colebatur, vt docuimus in commentariis Martiali Alij Phœbum intellexerant illic qui Pergama condidit, ſed huius Syluæ teſtimo nio redarguuntur.

Pag. 64. v. 2. PATRI INTONSO. Phœbo crinito.

4. FORSAN ET IPSE. putans, inquit, Apollo iam Bacchum, cum quo certat de pulchritudine crinium, eſſe tonſum: & oſtentans tibi hos crines ſuos, fortaſſe ipſe quoque ſuos conſecrabit in illius æmulationem.

7. RAPINAE. Ganymedis qui raptus eſt ad Harpagium inter fines Cyzicenos & Priapenos. Alij ad Dardanum promontorium dixerunt.

12. IVNO ROMANA. Domitiam intelligit, ex qua ſecundo conſulatu filium ſuſcepit Domitianus. Altero anno ſalutauit; vt auguſtam. eandem Paridis hiſtrionis amore deperditam repudiauit; intraque breue tempus diſſidij impatiens reduxit.

14. TANTA VOLVPTAS. tam formoſus miniſter.

13. DE VERTICE ERICIS. Erix filius Butæ & Veneris, pugna cæſtuum nobilis. In Sicilia eiuſdē nominis collis: in quo Veneris phanum eximiæ venerationis multis illic mulieribus miniſterio deæ dicatis ex Sicilia & aliis prouinciis. Veneris item Ericynæ fanum Romæ erat ante portam Collinam: quod Marcellus conſtruxit deuicta Sicilia.

17. DOMOS PERGAMEAS. Pergamon intelligit regiam Attali: de qua Euſtathius & Strabo plura.

19. ANGVI. nam ſub ſtatua Æſculapii erat anguis, & ſub ſimulacro Salutis idem. quod ad Solem refert Macrobius longa diſputatione.

24. DE PLEBE NATORVM. de turba amorum.

25. NVLLAE VMBRAE. non habebat, inquit, alas.

31. DONVM IMMANE. ingens.

Ibid. IVRA PLEBEIA. non incides, inquit, in dominos plebeios.

34. LATMIVS VLTRO. codices alii hoc etiam loco mendoſi habent *lanius*. nos verò emendauimus vt legas *Latmius puer*. nam Venus anteponit formam Eaini, Athi & Endymioni: qui omnium formoſiſſimi eſſe dicuntur. *Puer Latmius*. Endymion, qui obdormiuit in Latmo mōte Ioniæ, à Lunaque ob formæ præſtantiam amatus: ſed (vt hiſtoria habet) primus curſum Lunæ percepit, vnde fabulæ locus datus eſt. Strabo legit *Latinum*, quem Hecateus putat ab Homero appellatum eſſe montem pediculorum. Illic in ſpelunca quadam viſebatur Endymionis ſepulchrum. Græci, quod Pherecydes docet, Latmium ſomnum pro diuturno accipiunt: quod Cice. quoque obſeruaſſe videtur.

35. PVER SANGARIVS. Sangarus & Gallus fluuij in Phrygia. Galli matris deûm ſacerdotes dicti ſunt. Plinius auctor. Idem Herodotus de Sangaro. Liuius eum ex Gallogræcia labi in Phrygiam ſcribit. *Puer Sangarius*. id eſt Athis dilectus Cybele, qui formoſiſſimus fuit.

Ibid. QVEMQVE IRRITA. Narciſſus Cephiſi & Liriopes filius, quem diu victurum reſpondit vates, ſi ſe non noviſſet, in fonteque formam ſuam aſpiceret. Elanguit in florem amore vmbræ, quam putauit puerum verum.

36. AMOR STERILIS. nam amabat inanem vmbram.

38. FORMOSIOR ILLE. Domitianus. nam ſtatura fuit procera, vultu modeſto, ruboriſque pleno. præterea pulcher & decens: maximè in iuuenta. & quidem toto corpore: exceptis pedibus, quorum digitos reſtrictiores habebat: poſtea deformis caluitio quoque offendebatur.

36. TE CAERVLA NAIS. de Hyla intelligit rapto à Nymphis.

Pag. 65. v. 4. PATER INCLYTVS. Domitianus.

5. EXCOLIT NOVA MOLE. nouis ædificiis. Martialis:

Exuta eſt veterem te præſide noua ſenectam,
Et ſumpſit vultus præſidis ipſa ſui.

nam plurima & ampliſſima opera incendio abſumpta reſtituit, & Capitolium quod rurſus arſerat, nouam ædem Ioui Capitolino erexit: forum tranſitorium, Iſium & Serapicum ſtadium, Micam auream, Flauiæ gentis templum, Mineruam Chalcidicam, Metodium forum, quod poſtea Traiani dictum eſt. hæc autem omnia decimo ſui Imperij anno, vt Euſebius colligit, confecit.

6. Propior cvra. magis aſſidua.

Ibid. Avrvm collo. Bulla vel potius torquis.

9. Ocvlos dvcis. Qui minima quæque ſpectabant.

Ibid. Ipsaqve taedas ivnxerat. Præterea (inquit) Venus dederat ei formoſiſſimam vxorem, cui Earinus non fuiſſet antepoſitus niſi excellenti forma.

13. Greges famvlvm. nam multos habuit Domitianus: Martial.

Tantáque ſydereos vix capit aula mares.

Myrrhas. id eſt vaſa myrrhina. Myrrha autem eſt quidam humor ſub terra condenſatus. ex oriente mittebatur, præſertim ex locis inſignibus Parthici regni, præcipua ex Carmani. Ea maximè placebat quòd purpureis lactiſque maculis diſtincta eſſet. Petronius: moriturus trullam myrrhinam tercentis ſextertiis emptam ne Nero potiretur. Martial.

Si calidum potas ardenti myrrha falerno

Conuenit, & melior fit ſapor inde mero.

de ſapore autē myrrhæ in vino cum & Plinium habeamus auctorē, & Plautum, miror quid in mentem venerit cuidam grammatico ignobili vt contenderet legendum eſſe apud Plinium, miro odore, & non myrrhæ odore. ſed de hoc in libris noſtrarum obſeruationum diſputatum eſt. quod opus multarum vigiliarum propediem edemus.

21. Carperet genas. ſpadones & eunuchi barbam non emittunt. quod cur fiat, à philoſophis & queritur & docetur; cum Ariſtoteles in quæſtionibus diſputat quare pueri cum re venerea vti incipiunt, pubeſcunt. cuius quoniam non ſunt compores ſpadones, barba carent. Ne forma igitur Earini lanugine pubeſcente periret, ſpado factus eſt; lege nondum lata à Domitiano quę mares caſtrari vetuit. Papinius pueri caſtrationem numini aſſignat Aeſculapii & Veneris.

22. Fvscaret. *fuſcetur* legendum. id eſt vmbraretur.

23. Devs patriae. Æſculapius qui Pergami colebatur.

24. Mollire. mollem & ſpadonem facere. *Torpens.* torpebat Aeſculapius. non enim adnitebatur, nec vim inferebat, ne puerum vulnere offenderet.

27. Ivbet transire de sexv. facit ſpadonem tamen. quamuis Æſculapius, de cuius imperitia nihil timendum erat, puerum caſtraret: tamen Venus cruciabatur & timebat.

30. Nvnc frangere sexvm. nondum (inquit) Domitianus legem tulerat qua prohibuit caſtrari mares. Tranquillus: caſtrare (inquit) mares vetuit. Spadonum precia quæ apud Mangones erant, moderatus eſt. Euſebius in temporibus: Domitianus eunuchos fieri prohibuit. Martialis:

Non puer auari ſectus arte Mangonis,

Virilitatis damna mæret erepta.

Alij codices omnes ita ſcripti ſunt: *Nunc frangere ſaxo.* nos verò emendauimus, *Nunc frangere ſexum.* Scilicet virilem, nefas eſt.

32. Natvra videt solos qvos genvit. Non mutantur, inquit, in alium ſexum pueri nati: nec habent alios quàm quos dedit natura.

Ibid. Lege sinistra. Caſtrandi.

33. Timent matres. non timent geſtare filios quos ſciunt non fore mutilatos lata lege à Domitiano.

34. Tv qvoqve. qui ſequuntur verſus veteri menda adeo confuſi erant vt legi non poſſent. A nobis verò emendati in hunc ſenſum proferuntur: Si tardius & poſt legem latam à Domitiano natus eſſes, ô Earine, non fuiſſes factus ſpado, ſed emiſiſſes barbam, quam nunc vnà cum crinibus dicares Æſculapio: ſed poſteaquàm ſpado es, & barbam non habes, mittantur ſoli crines.

Ibid Si esses genitvs tardivs. poſt legem latam à Domitiano.

35. Vmbratvsqve genas. tu habens barbam.

Ibid. Et fortior. non ſpado & mollis.

36. Misisses non vnvm mvnvs. non ſolum crines miſiſſes, ſed etiam barbam quam

quam nunc deponeres.

Ibid. Ad limina Phoebeia. ad templum Æſculapij filii Phœbi.

37. Nvnc. poſteaquàm barbam non habes ſpado.

16. Vertex solvs. vertex ſummitas capitis dicitur. de cuius nominis etymol. hæc Fabius in viii: Vt vertex eſt contorta in ſe aqua vel quicquid aliud ſimiliter vertitur: inde propter flexum capillorum pars ſumma capitis binos vertices hominum aliquibus ait ineſſe. Plinius vndecimo naturalis hiſtoriæ: hic autem accipit, pro crinibus.

Ibid. Vertex solvs. ſoli crines poſteaquàm barbam non habes.

38. Naviget. mittatur ad Æſculapium.

Pag. 66. v. 1. Hvnc. verticem & crines. Libet hoc loco gloriari quòd multos verſus perobſcuros vnius verbi emendatione aperuerim. Nam omnes alii codices ita ſcripti ſunt:

Patrias nunc ſolus victor ad aras Naviget.

Vnde nullus exiſtat ſenſus. propterea ita caſtiganimus:

Patrias nunc vertex ſolus ad aras Naviget.

Ibid. Tergemina dextra. Nam tres Gratiæ ſunt tres ſorores eodem partu natæ. Nam tergemini ſunt tres nati eodem partu: de Gratiis ante dictum eſt.

2. Coma Nisi. Pandionis regis Athenarum: vt Pauſanias meus tradit, & Strabo. ante docuerat. Quatuor filii fuerunt, Ægæus, Lycus, Pallas, Niſus. diſtributo regno à patre, Megara obuenerunt Niſo & ex Iſthmo vſq; Ithium, vt Philochorus ſcribit, vt verò Andron tradit, Eleuſinem vſque ad campum Triaſium: hic habuit crinem purpureum fatalem à filia decerptum & traditum Minoi. nota fabula vel ſolo Ouidii carmine:

Ibid. Savcia. decerpto crine à filia.

3. Et qvam. ex Homeri carmine hoc dictum eſt. nam Achilles in Patrocli funere flauam totondit comam, vt ait Homerus: quam Sperchio fluuio alebat germinantem, vbi Achilles ita loquitur,

Σπερχεῖ ἄμως σοί γε πατὴρ ἠρίζατο Πηλεὺς
Κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.
Σοί τε κόμην κερέειν, ῥέξειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην.

Carmen eſt in Trigeſimoquarto Iliados. nos latinè ita fecimus.

Sperchie, hos alia crines tibi mente dicarat
Peleus, in patriam reditum ſi fata dediſſent
Pia, & ad fontem lectas mactare bidentes.
Quinquaginta tibi ſimul, & diuinam Hecatombem.

idem in Achillei de, vbi Achilles alloquitur Sperchio, & ait: Tu non habebis meos natatus promiſſaſque comas. verſus Homerici meminit Strabo, & antea Plato in tertio de republ. vbi poëtam accuſat, qui introducit heroem tam molliter loquentem, atque id carmen à ciue ſuo edisci nõ vult. Sperchius Theſſaliæ fluuius ex Pelio erumpens in Maliacum ſinum. Lucanus:

ferit amne citato Maliachas Sperchius aquas.

Ibid. Servabat. dicatam à patre ipſi Earino.

4. Praecerpere. exerere præcerpendo crines.

5. Nvdare hvmeros. nudare collum & humeros qui tegebantur crinibus.

11. Manibvs. tonſoris.

14. Potentivs avro. precioſius (inquit) erit hoc ſpeculum cum formã Earini receperit, quàm pixis aurea in qua ſunt capilli. dicatũ eſt enim ſpeculum vnà cum coma. vt etiam apud Martial. idem conſilium formæ ſpeculum. Specula antẽ Brũduſina apud maiores præſtabant ex ſtanno & ære mixtis ætate Pompeii. Praxiteles primus fecit argentea. Paulo ante Veſpaſiani tempora inuentum eſt addere aurũ. Nam ita certiorem imaginem reddi putabant.

19. Si mervi. ſi dignus ſum exaudiri.

23. Proprios penates. templum Flauiæ gentis.

21. ARAS MOTAS. Æſculapij annuentis precibus Earini.

DOMITIVS AVGVSTINO.

AEgrotauerat Papinius in vrbe:iamq. conualeſcens de ſeceſſu in patriam cogitabat, affectus rerum vrbanarum ſatietate& tædio. Clandia vxor inuita migrabat, deſertura vrbem & ſuos. eam hortatur & rogat vt ſecum diſcedat. amœnitatem Campaniæ proponit. denique nullam manendi cauſam eſſe docet cum ipſe proficiſcatur. Syluam hanc appellauit eglogam à ſimplicitate carminis, quo in vxorem vtitur.

32. RHAMNVSIA. de qua antè dictum eſt. hæc plectit elatos nimia fœlicitate.

36. NON COMMENTA. non fingens vt Penelope. nam illa (vt eſt apud Homerum in odyſſea) procos eluſit matrimonium promittens cùm abſoluiſſet telam : quam die quidem texebat, noctu verò redordiebatur, vt ita labor produceretur. & Ouid. ad vxorem : non eſt tibi opus, inquit, tela Icariotide.

Pag. 67. v. 1. PENATES EVBOICOS. Neapolitanos ab Euboicis conditos.

11. HORTARERE VIAS. puto (inquit) te voluiſſe mecum venire ſi irem ad extremas Arctos. nam tibi eadem eſt mens quæ fuit cum mihi nupſiſti : & ego eundem ſeruo amorem, quem olim in te contuli.

17. TER ME. ter Papinius coronatus eſt in certamine Albano inſtituto à Domitiano. Id erat vbi poëtæ certatim Mineruæ laudes canebant. auctor Tranquil. victus autem idem eſt vt hic fatetur in certamine Capitolino, vbi Iouis Capitolini laudes perpetua certantium erat materia & argumentum, quod Fabius quoque obſeruauit & rettulit.

20. OSCVLA MEA. nam fueras ſollicita de futura victoria mea.

21. CVM CAPITOLIA INFICIATA FVERVNT NOSTRAE LYRAE. hoc eſt cum honor de certamine Capitolino non datus eſt noſtro carmini.

22 VICTA MECVM. ac ſi eſſes victa certamine vt ego.

24. CONSCIA LONGI LABORIS. tu ſola ſcis quantum temporis conſummaui in carmine formando. nam prima murmura audis.

26. QVALEM. alterum indicium amoris. *Qualem* .ô quàm dolentem tuam inuidiam. timuerunt dii ſe fore inuidiæ propter dolorē tuum. Aegiale Adraſti filia Diomedis vxor ab Homero Ægialéa dicitur in quinto Ilia. Diomede Ætolo & Sthelenο nauigantibus cum octoginta nauibus ad Troiam, maritum ſequi voluit.

37. MELIBOEA. Vxor Philoctetæ marito nauigante cum quindecim nauibus ad Troiam eum ſequi optauit.

38. ET QVAMQVAM SAEVI. Laodamia Proteſilai Theſſali vxor cū maritus cū quadraginta nauibus ad Troiā nauigaret, comes ire voluit: ſed tamē relicta eſt in Phylace patria, lacerās ſe & furēs præ dolore more Bacchātis & Mænadis. Hom c. Il. xj.

Τοῦ δὲ ϗ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος φυλάκῃ ἐλέλειπτο
Καὶ δόμος ἡμιτελής.

Ibid ET QVAM. Laodamia.

Ibid. PLANCTVS. queſtus.

Ibid. QVAM SAEVI. inuſitate iunxit *quam* cum poſitiuo. frequentius enim per additur, & auget.

Ibid. FECERVNT MAENADA. Reddiderunt furentem & inſanam more Mænadis. Sic certè virum alterum amiſerat Claudia vxor antequam nuberet Papinio. in quo lugendo eius pietatem laudat poëta.

Pag. 68. v. 3. CONIVGIS CANORI POETAE. aut certè, quod placet, citharœdi. iam idem etiam hortatur vt ſecedat, ſi quidem amat filiam, quæ iam matura viro nondum habuit coniugem, quem & Romæ reperire difficile erat.

8 TRACHYNIA ALCINOE. vxor Ceycis regis Thrachynii in auem verſa cum marito, vt eſt apud Ouidi. in mari nidificat. nidi ſunt pilæ figura paulo eminentiore, vt ſcribit Ariſto. & Plinius. Steſichorus putat ſeptem filias Alcionei gigantis in has aues conuerſas fuiſſe, audito patris interitu.

9. PHILOMELA. de qua in commentariis Sapphus, quos cum his cōiungemus, dicemus

cemus plura. Oua parit cùm plurima ſeptem vere primo.

11, Hev qvod illa. hei mihi quoniam illa caret viro.

17. Didvcit brachia. exercet chironomiam poſitam inter ciuiles virtutes à Platone & Chryſippo in libris de educatione liberorum.

20. Hoc decvs cessare. tam formoſam puellam carere viro & non procreare libetos.

Ibid. Nec tantvm Roma fertilis conciliare. nec ſolum (inquit) Roma poteſt dare viros: etiam Neapoli repetientur.

23. Non adeo vesvvinvs. mons iuxta Neapolim. idem Veſeuus aliquando miſit incendia, vt ante eſt dictum. imperante Tito arſit. quod ſcribit Tranquil. & Euſe. Nec Veſuuius ruptus in vertice tantum ex ſe incendij emiſit, vt regiones vicinas & vrbes cum hominibus exuteret. Papi. quamuis [inquit] hoc accideret in Campania: tamen multi ſunt illic ciues, vt facilè mihi poſſit dari gener.

25. Avspice phoebo. hoc ait quoniam Cumani, apud quos eſt templum Apollinis, Dicharchum tenuerunt, quod mutato nomine ex ſecundo bello Punico Puteoli eſt appellatum.

28. Qvae capys. De Capuæ monumentis lege commentarios noſtros in Tranquil.

27. Hospita mvndi. quo totus orbis confluit. nam (vt ſcribit Strab.) ad Puteolos etant portus manufacti, & ſtationes, & obiectis molibus puluetis Puteolani ad arcendos fluctus. nam puluis Puteolanus in ſpeciem calcis concretus in alto aduerſus luctus obiiciebatur: vbi naues iactis anchoris commodè manebant.

30. Parthenope. à Parthenope Sirene, quæ illic eſt ſepulta, vt Leucoſia ab altera, quod Pli. & Stra. placet. Euſta. verò in Dionyſium putat Parthenopem dictam à Parthenope, quæ ex Eubœa venerit dux eorum colonorum qui Neapolim tenuerunt. qui duce columba & Phœbo auſpice ad Neapolim ſubſtiterit cum ſociis columbæ: quam in augurio ſecuta eſt Parthenope.

Pag. 69. v. 1. Morvm ivra viris. vtuntur moribus ſuis, quos habent optimos pro legibus.

Ibid. Aeqvvm solvm et sine fascibvs. iuſtitia ipſa non indiget præſidio magiſtratus apud eos vt defendantur, inter ſe ſponte eam ſeruant.

5. Qvinqvennia. ludos quinquennales certantes magnificentia cum ludis Capitolinis Romæ.

6. Menandri. Menander poeta comicus, de quo ante eſt dictum, vnde comœdiæ Latinæ quæ in theatris agebantur, traductæ pene omnes ſunt. quid (inquit Papi.) laudem nunc, actionem & ſpectacula comœdiarum, quæ Romana lingua à Menandro acceptæ grata poëtarum licentia in theatro illic aguntur?

7. Romanvs honos. Romana lingua & dignitas.

Ibid. Grata licentia. transfetendi & recitandi.

Ibid. Miscent. noſtris.

11. Remo iliaco. Miſenum intelligit. Vir.

Imponit ſuaque arma viro, remumque tubamque
Monte ſub aërio.

13. Teleboum domos. Capreas intelligit. Telebos inſulæ ſunt inter Leucadiam & Achaiam, vbi Taphius & Telebous fratres fuerunt. Telebous exiguum regnum fratri reliquit. ſponteq; diſcedens colonos duxit Capteas in Campaniã. vnde Capreæ dictæ ſunt Teleboum domus. plura recitauimus in commentariis Silij.

14. Pharvs. turris in æmulationem phari Alexandrinæ, vt etiam erat Oſtiæ. de pharo Alexandrina & Oſtienſi ſatis multa recitauimus in commentariis Iuuenalis iam editis, ex Stra. Plinio & Dionyſio.

15. Non molli Lyaeo. Nam vinum Surentinum pungit ſaporem aceti, & generoſum acetum dictum eſt à Tiberio.

17 Aenariaeq. lacvs medicos. mẽdoſi codices ita ſcripti sũt, *Aenariũq; lacus.* nos ve-

 rò emen-

rò emendamus vt legas *Aenariæ* nam Aenaria inſula eſt in littore Campano vbi aquæ ſcaturiebant quæ calculoſis medebantur, vt Pli. ſcribit. idcirco Papini. ait *lacus m dicos*.

Ibid. STATINASQVE RENATAS. Statina inſula in littore Campano.

Ibid RENATAS. nam vno terræ motu oppidum hauſtum eſt, altero Statina emerſit. Pli. in eadem ſcilicet Campania oppidum hauſto profundo. Alioque motu terrę Statinam emerſiſſe. in codicibus verò mendoſis ita ſcribitur: Stagnum emerſiſſe.

25. SORDEBVNT. videbuntur vilia.

DOMITIVS AVGVSTINO.

QVartum librum Auguſtine, mittit Marcello homini amiciſſimo & literato, cui etiam miſſam à Neapoli epiſtolam hic inſerit. plures autem Syluas in hunc congeſſit, quàm in alios, vt demonſtraret ſe paruifacere eorum reprehenſionem qui accuſabāt quòd hoc ſtili genus ederet inemendatum, & vt ipſe faſſus eſt, ſubito calore effuſum. Marcello autem dicat hunc (vt ait) ob illius pietatem in Imperatorem, quem ipſe tribus Syluis initio libri adorat.

Pag. 70. v. 2. PIETATI TVAE. erga Imperatorem.

4. NVLLVM OPVSCVLVM. mearum Syluarum.

5. COEPISSE. ſumpſiſſe initium.

Ibid. HABET TRES. ſcilicet libellos & Syluas ad Imperatorem in initio.

10. EIVS EPVLIS HONORATVS. in omnibus aliis codicibus menda eſt. nam legitur *epiſtolis*. Papi. autem agit gratias in ſecunda Sylua non epiſtolis, ſed conuiuio & epulis Imperatoris quibus interfuerat.

15. SECVNDI ORDINIS. equeſtris. nam primus eſt ſenatorius. Contra hoc ius, id eſt, ita carus eſt mihi, vt quamuis tibi ſit condiſcipulus, & eo iure à te diligatur: tamen ita ametur vt iſti tuo iuri non cedam.

16. IAM VINDICIS. inemendati codices habent, *nam*, ſed malè.

17. SECVNDO HONOREM. quod conuenit honori.

18. IMPVTARE. aſcribere tibi.

Pag. 71. v. 3. MAIORIS GRADVS. ſenatorij ordinis.

7. ALIQVID EGISSE. aſſecutos eſſe.

10. QVANTO PLVS EST QVAM EDERE. quaſi dicat, longè plus. vt illud Plinij; neque enim eadem eſt conditio publicantium & nominatim tibi dicantium.

11. NON LICET. interrogatiue legatur. quaſi dicatur, licet exercere iocos.

Ibid. SECRETO INQVIT. aduerſarius & calumniator: exerce (inquit) iocos, ſed ſecretò. quaſi dicat, ſcribe ſi vis Syluas: ſed noli edere.

Ibid. SED ET SPHAEROMACHIAS. Atqui (inquit Papi.) publicè eduntur leuiſſimi ludi, & ſpectantur ſphæromachiæ. à σφαῖρα pila & μάχη pugna. ludus erat pilarius in gymnaſio, qui vt ait Iulius Pollux, l. ix. Sphenna appellabatur, vel à primo auctore, vel à σφάλλω quod eſt fallo. nam cum pilam vnus alteri videretur polliceri, alteri mittebat. Pilam quæ eo in ludo erat, putat ipſe eſſe harpaſtum. ambigit tamen an potius pila illic fuerit quæ mollis dicitur. nam harpaſti luſio ab eodem deſcribitur, quamuis pilam non nominet. Diuidebātur (inquit) iuuenes in partes: ducebaturque linea in medio campo vbi pila ponebatur pari ſpacio vltro citroq́; . duas ducebant lineas vbi diuerſæ partes tanquam ad metam conſiſtebant. vnde facto impetu pariter accurrebant ad pilam in medio poſitam: pars quæ priùs rapiebat, iaciebat ad metam alterius partis, quam ſi pila prætergrediebatur, hæc victrix erat. Contendebant igitur & pilam priùs rapere, & eam iactam repellere ne metam tranſiret. Ea luſio appellatur ἐπικονις, quia ex puluere raperetur. κονις ſignificat puluerem, [in editis tamen codicib. legitur ἐπίκοινος, quaſi à dubio iactu, & ἐφηβικὴ, quia ephebi ea exercebantur: quod vtrumque apertè deſignat in harpaſto. Mar.

Siue harpaſta manu puluerulenta rapis. alibi:

Hæc rapit Antæi velox in puluere Draueus.

His rationibus ego planè exiſtimo non in ſphenna fuiſſe harpaſtum, vbi nec puluetis nec

ris nec epheborum mentio eſt:ſed in hac luſione. Sileat itaque Brotheus, & hæc à nobis diſcat, quæ multis coniuratis adnitentibus percipere non potuit. nouiſſimè denique,

13. Consilio eivs accedam. Ironia eſt.

14. Tradvcor. derideor. Mar. Ridebis,multóque magis traduceris. Iuue. *traducit auos*. ridiculos reddit.

16. Hactenvs. ſcilicet ſcripſerim.

Ibid. Sin minvs. ſi volueris me ſcribere plura.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Domitius decem & ſeptem accepit conſulatus, quod ante eum nemo. ex quibus ſeptem medios continuauit. Omnes autem pene titulo tenus geſſit. nec quemquam vltra Kal. Maij, plures ad idus vſq; Ianuarij. Cùm nunc iniret ſeptimumdecimum, gratulatur Papinius, & aſſentando honorem extollit.

Pag. 72. v. 11. Reparator aevi. Ianus,à cuius kal. anni ſumit initium.

13. Qvem tv vicina paci. nam Domitianus templum Iano inſtaurauit, quod Martialis epigrammate indicat: & forum ſtruxit quod poſtea Neruæ eſt dictum. templum Pacis erexit Veſpaſianus proximum foro.

14.15. Novi fori. quod ſtruxit Domitianus.

17. Prior annvs. cum non eras conſul.

Pag.73. v.8. Altera saecvla. nam ſeculares ludos Domitianus iam celebrauerat, vt refert Tranquillus.

9. Ara parentis. Flauiorum templum.

12. Nondvm lavrvs indica. ſcilicet nondum intuliſti lauream Ioui Capitolino de Indis, vt feciſti de Sarmatis.

13. Nondvm rogant. nondum tibi ſunt ſupplices.

14. Decem menses nam duo menſes iam ſortiti erant nomina Domitiani. Septembrem enim Germanicum nominauerat,quia eo ſuſcepiſſet imperium:& Octobrem Domitianum,quia eo eſſet natus. vtrumque nomen abolitum eſt eo mortuo. tanta illis inuidia,vt poſtea nullus menſis nomen Imperatoris acceperit. quod Macrobius refert.

18. Annvit. longam iuuentam. Martialis.

Terrarum domino deóque rerum
Promiſit Pyliam pater ſenectam.
Addas Iane pater tuam rogamus.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Domitius epulum largiſſimum dedit ſenatoribus & equitibus, Auguſtine: in quo laudando Martial. & epigramma extat, & hæc Papinij Sylua,vbi gratias agit Imperatori quòd illic fuerit ipſe quoque acceptus tam honorificè. carmen inſcribitur euchariſticon. nam εὐχαριστῶ ſignificat ago gratias.

24. Intvlit. veniſſe ſcripſit. Æneas[vt Menecrates ſcribit] vrbẽ prodidit Græcis ob priuatam ſimultatem cum Paride: enauigauitque in Thraciam vbi mortuus eſt. quod Hegeſippus quoque tradit. alij in Arcadiam progreſſum ſcribunt. alij ad Epirum. Home. verò indicat eum manſiſſe in Troia.

Iam Priami genus eſt miſeratus Iuppiter. at nunc
Imperium Troiæ Aeneas violentus habebit,
Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.

Quo loco alij ſcribunt[vt refert Strabo & Euſtathius]

At genus Aeneæ cunctis dominabitur oris.

Virgil. & eum ſecuti noſtri,in Italiam veniſſe autumant.

Ibid. Arvis lavrentibvs. Laurentum oppidum iuxta Ardeam & Lauinum ſolis indigetis. illic multa oppidorum veſtigia ſunt a 'ueniu Aeneæ memorabilia.

25. Alcinoiqve dapes. Home. Vlyxem ad Alcinoum veniſſe ſcribit, ſuſceptũq; hoſpitio:& ſtatim Pontonoum circumtuliſſe poculum iuſſu Alcinoi:mox Alcinoũ mactaſſe ad conuiuium duodecim oues, octo ſues, duos boues: Demodocum ci-

tharœdum cæcum cecinisse tum celebrata certamina. Clytoneum fuiſſe victore curſu, Eurialum palæſtra, Amphialum ſaltu, Elatreum diſco, Laodamantem ca ſtibus.

26. Consvmpsit. Longo carmine produxit Homerus.

31. Et smyrna. Home. Smyrnæus.

Ibid. Et mantva. Virgil. ex Ande vico. Silius.

Mantua muſarum domus, atque adſydera cantu
Euecta Andino.

Nos enim ita locum deprauatum correximus, cum priùs legeretur *euecta Achino* nullo ſenſu. vt ex commentariis in poetam à nobis compoſitis prope diem cognoſces.

35. Hic limina vitae. hunc demum (inquit) diem poſſum veræ vitæ aſcribere.

Pag. 74. v. 2. Non centvm. alluſio ad carmen Virgilianum.

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Vrbe fuit media, Laurentis regia Pici.

9. Tantvm domino minor. Mar. de eodem:

Par domus eſt cælo: ſed minor eſt domino.

11. Mons lybis. marmor Lybicum & Iliacum ſiue Phrygium & Synenites, vnde trabes fecerunt reges quodam certamine obeliſcos vocantes à ſimilitudine radij. nam ὀβελὸς ſignificat radium. erant enim Solis numini ſacrati. Mitres rex primus eos inſtituit tumulo.

12. Et chios. marmor verſicoloribus maculis. quod cum Chij in muris ſuis oſtentarent, multo magis mirum fuiſſe (inquit Cicero) ſi eos Tiburtino lapide ſtruxiſſetis.

13. Lvnaqve. de marmore Lunenſi intelligit, de quo ante dictum eſt.

20. Triptolemi. Triptolemus filius Celei & Hyones, cum Ceres à parentibus hoſpitio ſuſcepta fuiſſet ad Eleuſinem, illis dormientibus à Cerere coniectus eſt in focum, & obrutus cineribus: mater excitata eum eduxit. Ceres: Impia (inquit) es. nam fuiſſet immortalis, ſi permiſiſſes ita eius mortalitatem purgari. ſed tamen à me habebit vt primus doceat ſerere frumentum. atque ita volucri curru abreptus Triptolemus annonam per Atticam diſſeminauit. Plinius aliter & Probus. alij ad Brigem referunt: ſuperiora ſcribit Hyginus.

19 Orbita. alludit ad currum Triptolemi. nam orbita rotarum veſtigium eſt.

23 Robora mavrorvm. citreas menſas. Strabo citrum quidem non nominat, ſed Mauritaniam multas & magnas habere arbores affirmat: Indeque menſas Romanis ſuppeditari varietate quadam diſtinctas ex vno integróque ligno.

26. Svmmittentem vexilla. deprimentem altitudinem.

28. Honos. maieſtas quædam.

Ibid. Dissimvlatvs. quam cupiebat tegere.

31. Sic. eadem oris maieſtate diſſimulata.

Ibid. Lvbrica. vncta oleo.

36. Nec dvm aeqvo. nondum nominaui parem tuis vultibus.

37. Mensas aethiopvm. Iupiter cum vult ſe exhilarare conuiuio, ſecedit ad Æthiopes, vt eſt apud Home. in principio Odyſſeæ.

Pag. 75. v. 2. Trivmphos pallenaeos. Victoriam ſuam de Gigantibus. nam Pallene oppidum eſt in Macedonia, vbi bellum giganteum geſtum fuiſſe contendunt Macedones in agro, quem poſtea Phlegræum, denium Comam: vnde ſuborta eſt opinio eorum qui dixerunt Gigantes conflagraſſe ad Cumas in Campania.

6. Pandas limina. ſcilicet iam conſulatu tuo.

8. Qvinqvennia lvstris coronatis. intelligit quinquennale certamen inſtitutum Ioui Capitolino, vbi muſicæ equeſtri curſu gymnicis ludis certabatur, & plures aliquanto erant coronati (vt ait Tranquillus) quàm nunc ſunt. inde ait *coronatis luſtris.*

10. Talis. tantæ lætitiæ.

12. Acies germanas. victoriam de Germania.

Ibid. Daca praelia. triumphum de Dacis.

13. Avro palladio. nam corona illa ei data eſt in Albano certamine inſtituto Palladi.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Qvis dvri silicis. &c. Appia via, Auguſtine, ex vrbe Brunduſium vſque ſtrata iuxta Theracinam foſſarum habebat initium, quæ paluſtribus fluuiorum aquis repletæ erant: per has nocturna nauigatio erat, primiſque tenebris qui ibi conſcenderant nauim, reliquum Appiæ ſpacium ea nocte conficiebant. qualem nauigationem ſatyricè ludens Horat. in ſuo itinere Brunduſino deſcribit. Temporum autem vetuſtate oblimatis foſſis ea præſertim quæ à latere Appiæ deſcendens Baias & Cumas ducebat. Viatores curribus illac vehebantur, & quidem tardiſſimis. Domit. hanc harenis ingeſtis & lateribus ſternere aggreſſus eſt. in quo laudatur à Papinio carmine phalecio, tanta figurarum varietate, vt quod vndecim ſyllabis continetur, ad heroicam prope magnitudinẽ ſeſe extollat. Ab admiratione initium ſumit, & quaſi admonitus ſtrepitu operarum intelligat cauſam tanti ſonitus.

19. Appiae saxosae. ſtratæ ſaxis.

Ibid Latvs. nam ad latus Appiæ erat hæc via Domitii.

Ibid. Catervae lybicae. certè, inquit, non commeant per Campaniam Lybicæ & Hannibalis turmæ, vt inde hic ſtrepitus exiſtimari debeat.

21. Nec dvx advena. ego de Spartaco intelligo. nam Lentulus Bardiacus familiam gladiatorum habuit Capuæ, quorum maxima pars è Galatia & Thracia erat. Ex his octoginta duo diffugerunt vna conſpiratione raptis inſtrumentis culinariis pro armis. Iidem cum incidiſſent in currum armorum quæ ad aliud oppidum ferebantur, ea diripuerunt: armatique tres conſtituerunt duces: quorum primus erat Spartacus Thracius: cui olim dormiẽti viſa eſt ſerpens ſub capite. mulier Thracia vaticinata eſt id portendere ei potentiam multis formidabilem. Ad hunc homicidæ fures ſceleratique homines confluxerũt, atque ita coactus eſt exercitus, vt Imperatores Romanos Clodium, Varinium, Coſſinium variis præliis profligauerit, vixque potuerit vinci à Craſſo & Pompeio.

Ibid. Nec dvx advena. nec aliquis Spartacus.

21. Inqvietvs. ſeditioſus & afferens tumultum.

22. Bello peierante. facta aliqua coniuratione, & confugientibus ad eum aliquibus violato iureiurando pop. Rom.

23. Nec frangit vada Nero. vt ſcilicet olim. Nam Nero foſſam ab Auerno Oſtiam vſque inchoauit, vt nauibus, nec tantùm mari, iretur per centum & ſexaginta miliaria latitudinis, qua contrariæ quinqueremes cõmearent. Tunc periit vini Cecubi gratia ſucciſis vitibus quæ id ferebant. Erat enim in ſinu Amyclano qua ea foſſa ducebatur. huius operis cauſa comportari iuſſit illuc quicumque erant in carcere, & qui damnabantur ob aliquod ſcelus, ad id opus damnari iubebat. Certè (inquit Papinius) nunc Nero non fecit foſſam vt poſſimus ſuſpicari hanc eſſe illam multitudine operarum.

26. Qvi limina Iani. Iani ædem reſtituit (vt ante eſt dictum) iuxta forum.

27. Qvi castae cereri. nam Domitianus, ne penuria frumenti eſſet, nimio cultu vinearum, iuſſit ne quis in Italia nouellaret: vitéſque ſuccidi in prouinciis vbi plurimum, dimidia parte relicta, auctor Tranquillus.

29. Terras sobrias. ſucciſis vitibus.

Ibid. Vetat. caſtrari mares prohibet.

30. Et censor. ita quoque à Plinio in epiſtolis dicitur. & Martialis ad eum:

Cenſor maxime, principúmque princeps.

31. Pvlchrae formae. nam formoſi ſpadones fiebant ne decor barba periret.

32. Tonantem capitolio. nouam enim ædem excitauit Ioui Capitolino, vt ſcribit Tranquillus.

35. SANCIT LIMINA. dicat templa.

34. GENTI PATRIAE. genti ſuæ Flauiæ.

Ibid. FVTVRA SEMPER. Martialis.

Idem manebit altum Flauiæ gentis decus.

27. ET PACE. æde Pacis ſtruxit Veſpaſianus, pinxit Atticus, Priſcus auxit Domitianus.

35. FLVVIVMQVE CALVVM. Alludit ad Domitianum qui caluus erat: Immò & caluitio offendebatur, quamuis librum ſcripſit de cura capillorum ad amicum. Illum ſéque conſolans Iuuenalis:

& caluo ſeruiret Roma Neroni.

36. COENO HIC POPVLEO. in aliis codicibus ita hic verſus legitur:

Hic ſenis populi vias grauatas.

nos verò ita emendauimus:

Cœno hic populeo vias grauatas.

nam in Amyclano ſinu, per quem hæc via ducebatur, erant populeta paluſtria; vt iure Papinius dixerit, viam illam fuiſſe impeditam cœno populeo. Plinius: Cecubo erat generoſitas celeberrima, ſinu Amyclano, populetis paluſtribus.

38. EXIMIT LONGOS AMBITVS. Dum ſternit viam Domitianus, fecit vt viatori per longos ambitus non ſit rependum vt priùs.

Pag. 76. v. 1. NOVO INIECTV. noua tellure & harenis iniectis.

2. GAVDENS. nam cupit vt liceat commeare in vrbem à Cumis & Gaurano ſinu hoc itinere. *Septem montibus.* vrbi.

Ibid. ADMOVERE. propinqua reddere hoc itinere.

6. NVTABAT. vacillabat.

Ibid. CRVCE PENDVLA. nam iugum currus ſpeciem crucis efficit. pendula autem erat iumentis incumbens quæ lubrico cœno ſæpius labebantur.

9. MALA NAVIGATIONIS. Timebat ne ſubmergeretur cœno ac ſi nauigaret medio mari.

11. ORBITAE TACENTES. rotæ orbitam ſignantes in cœno non ſtrepebant.

12. QVERENS. ægrè trahens.

13. LANGVIDA QVADRVPES. mula vix incedens propter cœnum. Nam mulæ olim currum vehebant: vnde aurigæ muliones dicti. auctor Feſtus, & nos in commentariis Iuuenalis docuimus; & apud Tranquillum, vbi mulio pro auriga accipitur.

14. REPIT. repere videtur, non ingredi. nam ſæpe cadit.

Ibid. ALTA STATERA. Stateram appellat lignum vnde vincto fune & alligata mula currus trahebatur, à ſimilitudine. nam ſtatera videtur.

18. SVLCOS. riuos quibus aquæ emittantur.

20. ALTO EGESTV. hoc eſt extrahere eas magna profunditate.

21. ALITER REPLERE. Alio genere terræ.

22. PARARE GREMIVM. ſedem ſaxis ſternendis.

23. NE MALIGNA SEDES. ſcilicet ſit ſaxis.

24. DVBIVM. nutans.

25. VMBONIBVS. vmbo ſignificat extremam partem ſcuti. hic accipitur pro extremitate viæ ſtratæ qua vtrinque erigebatur, ne proximum infunderetur cœnum.

26. GOMPHIS. γόμφοι græcè, latinè ſignificat caluum. ſignificat item iuncturam lignorum, vel etiam ſaxorum. vnde γομφοῦν eſt compingere. quod Heſychius docet. hic ergo *crebris gomphis* pro crebris iuncturis.

31. COCTO PVLVERE. lateribus.

34. ET ATHON CAVARE. alludit ad operas Xerxis, quibus mons Athos excauatus eſt & diſciſſus à continenti. Plura apud Iuuenalem diximus ex Herodoto & Plinio.

37. NISI LECHIAE VETARENT. Codices alii eandem mendæ indolem præ ſe ferunt. *Deuia* habentes, non Lechiæ. nos autem legimus Lechiæ. nam Lechiæ ad fines anguſtiarum Iſthmi, portus eſt Corinthi, vt Plinius & Strabo docent. Niſi (inquit) illic portus eſſet, quo naues excipiuntur, hæ manus interſcinderent Iſthmon, vt

mon, vt ſine ambitu nauigaretur ad alterum latus Peloponneſi. Sed vetant Lechiæ. quia ſcilicet deſererentur. ſyllabam tamen mutauit. nam antè *Lecheo* prima breui dixit.

38. MISCVISSET FRETA. Vtrumque mare, Ægæum & Ionium.

37. HIS. opera harum manuum Iſthmum interſcindere tentarunt, Demetrius rex, Cæſar Dictator, C. princeps; Domitius Nero. Infœlici incepto, vt omnium paruit exitu.

Pag. 77. v. 1. QVIETA CYME. mendoſi codices habent *Crine*. ſed nos *Cyme* legimus, vt etiam emendauimus apud Silium: *fatorum conſcia Cyme*. græcum autem eſt. nos Cumæ dicimus.

6. LYNTERNA PALVS. Linternum poſt Sueſſam ad mare cum fluuio eiuſdem nominis.

Ibid. PALVS. nam aquis ſtagnantibus illic ſunt paludes. Silius:

Hic dum ſtagnoſi ſpectas templumque domóſque Linternum.

Illic erat monumentum Scipionis Aphricani, qui ibi conſumpſit vltimam ætatem cùm ſeditiones & inuidiam declinaret.

Ibid. PIGERQVE SAVO. alij codices habent *pigerque Saſon*. Saſon quidem inſula eſt inter Epirum & Brunduſium medio interuallo. Silius:

Adriaci fugite infauſti Saſonis arenas.

Lucanus:

Cúmque Spumoſo Calaber profunditur æquore Saſon.

ſed ego puto legendum *Sano*. qui fluuius eſt in finibus Campaniæ. meminit Plinius. nam *piger* epitheton non conuenit Saſoni. pręterea loquitur de locis tantùm Campaniæ, non de Calabris.

9. VVLTVRNVS. fluuius per Venafrum labitur, & mediam Campaniam. Capuam etiam alluit & Vulturnum oppidum.

11. REDVNDAT. Vndis obſtrepens effundit hæc verba.

12. MEORVM CAMPORVM. nam Campania in regiones per campos diuiſa eſt. vnde Capua dicta eſt à centeſimo campo, vt nonnullis placet.

17. CARINAS DVBIAS. periclitantes.

20. COEPI ESSE AMNIS. intra alueum labens.

21. GRATES AGO, SERVITVS. id eſt tanti facio quòd ſim domitus à te, vt non modò non pudeat veniſſe intra alueum, ſed etiam agam gratias.

25. COLIS ME. excolis & ornas.

29. OBRVAT. ne maris Tyrrheni quo alluitur proximum littus, inundatio me obruat.

31 BRAGADA. fluuius Lybiæ iuxta Vticam. proxima ſunt caſtra Cornelia. hic inundat proximas regiones, facitque æſtuaria. quod à Strabone ſcriptum Silius ita repetit:

Turbidus arreptis lento pede ſulcat arenas
Bragada, non vllo Lybicis in finibus amne
Victus limoſas extendere latius vndas,
Et ſtagnante vado patulos inuoluere campos.

30. CINYPHIVS. Lybicus. Cinyps autem fluuius ex monte Chariton, vt Herodotus ſcribit. inter duas Syrtes labitur.

34. PROVOCARE. in certamen aquæ conſpicuæ.

Ibid. LYRIM. Lyris Minturnas pręterlabitur. ad eum Latii olim fines erant. antea Clanim dixerunt. Labitur de Appęninis collibus & agro Veſtino præter vicum Fregellas; excurrit in luçum ſacrum: quem Minturnenſes celebrabant honoribus. Fibrenus in eum erumpit. Lyris autem aquis, ſi Ciceroni credimus, nullæ ſunt frigidiores.

36. PLAGA MARMORATA. Longa via ſtrata marmoribus.

37. HVIVS. viæ.

38. ARCVS. nam ad initium viæ ſtratæ à Domitiano ex Appia in eam ingredienti, pri-

ti, primum occurrebat arcus triumphalis, quo honote ille plurimum delecta eſt: multoſque in vrbe ſibi erexit.

Ibid. ad arcum.

Pag.78.v.2.QVANTVS NVBILA QVI CORONAT IMBRI. Tãtus (inquit) eſt arcus ille tri phalis quantus Iris. is noctu non apparet: quamuis Ariſtoteles affirmet aliquan viſum eſſe. nihil autem aliud eſt quàm radius ſolis immiſſus cauę nubi: colorumq illa varietas fit ex mixtura ignis, nubiumque aëris. Plini. auctor.

3. VIATOR FLECTITVR. relinquens Appiam regreditur in eam viam.

5. TVNC. cum primum viam Domitianam ingreſſi ſunt.

6. IMPETVS. concitatio curſus.

Ibid. IVVAT IPSOS IVGALES. placet iumentis trahentibus currum.

8. PRIMA CARBASA VENTILANTVR AVRA. totus hic verſus mendoſus erat. enim ſcribebatur:

Primæ carbaſa ventilantis auræ.

nullo ſenſu. noſtra verò emendatione hoc ſignificat: cùm prouenerunt currus viam Domitiani, leni curſu & ſuaui ita feruntur, vt naues ſolent cum remis c ſantibus & exorta ſecunda aura plenis velis aguntur.

Ibid. PRIMA AVRA. naſcente vento.

9. PRIMO AXE. extrema parte orbis.

13. EOAE LAVRVS. triumphi orientales. nam Septentrionales ei dati ſunt, & occidente. paulo antè: *nondum gremio Iouis Indica laurus.*

24. REPLET. viam occupat dum furens agitur.

26. CAMPI. qui eſtis obruti limo.

27. ATQVE AMNIS. Vulturne.

Ibid. FAVENTE CAELO. diis fauentibus. mendoſi autem codices habent, *fa re cælo.*

33. LVCOS AVERNI. hi erant ad Auernum, vbi necromantiam Vlyxis ab Hom ro deſcriptam putarunt antiqui. ea regio erat Plutoni dicata. ſacerdotéſque il placatis diis manibus per ſacra, reſponſa dabant; atque inde comparabant victu Ibidem fuiſſe Æneam duce Sybilla, Virgilius horum imitator cecinit.

35. ET RELIQVIT. diſcedens ad Lauinum.

37. NATVRA MELIOR. melior ipſa natura. nam magis vult prodeſſe humano g neri quam illa profuerit.

Pag.79.v.1.INDIA. cui natura dedit ſiccitatem. Nam (vt Ariſtobolus ſcrib ſoli montes illic & ima montium imbribus irrigantur, campi arent. Hearch verò in campos pluere æſtate affirmat, hyeme negat. à Patelane vſque in Hy ſpem non pluit. Sed omnino (inquit Papinius) maderet India, ſi cæli imperium neret Domitianus.

2. ÆMVS. montem pro tota Thracia accipit.

5. NEC IAM. Sybillæ vel tres libri (vt Gellius putat) vel certè vnus, vt Plini arbitratur. nam ſex reliquos, quorum vnum attulerat vel duos ad Tarquiniu n gem, combuſſit: tertius à rege emptus quanti omnes voluerat, in ſacrario Cap tolij reconditus eſt, ibique arſit temporibus Syllanis, vt Plinius tradit. Perman tamen vetus ſuperſtitio exiſtimantium adhuc eum ſeruari. Huic legendo & inte pretando quindecim viri præfecti ſunt. Continebat enim facta populi Roma non tamen legere poterant iniuſſu ſenatus, vt Liuius refert.

7. PERLVSTRA MEA DICTA. exquire mea verba.

8. COMINVS. ſine interprete.

9. ÆVI MERENTIS. quod agitur.

12. LONGIOR. vt ſis futurus ſuperſtes, non modò quoad videas filios, ſed etia abnepotes.

16. POPOSCI DELIVM. ſumpto puluere Puteolano manibus, petii à Phœbo, vt t tidem annos mihi daret.

17. IVRAVIT TIBI. in tua fœdera.

Ibid. Arctos. Daci, Sarmatæ, Cati ad Arcton habitantes.

19. Qva vagvs hercvles. Herculem in India fuiſſe ſcribit Plinius, cùm de Macedonia ita ait: Hæc eſt Indiæ victrix per veſtigia Liberi patris atque Herculis euagatæ. Niſi malis columnas Herculis intelligere: quod non placet.

21. Nili capvt. occidentem intelligit. nam Nilus in extremis Mauritaniæ partibus oritur, vt Iuba rex deprehendit in monte ſuperioris Mauritaniæ, in lacu quem Nilidem vocant, vbi natant piſces, Alabetę, Coracini, Siluri, Crocodili. quæ genera in Nilo præterea tantùm reperiuntur.

Ibid. Nives atlantis. nam Atlas mons, de quo antè dictum eſt, ab vna parte perpetuis niuibus riget. Silius: Canet barba gelu. Virgilius idem.

DOMITIVS AVGVSTINO.

EX Campania, quò per æſtatem ſeceſſerat ludens, Syluam ad Victorium Marcellum mittit, quem diſcedens in vrbe reliquerat. Sed iam putat eum quoque ſeceſſiſſe aliquem in locum cum Gallo amico. Hic Imperatori Domitiano carus, Latinæ viæ ſternendæ curam ſuſceperat. Papinius opes eius laudat, & vires aptas bellis. Poëtarum verò inertiam miſeratur: cui facinora militaria longè anteponit vt blandiatur Marcello. denique ait ſe perueniſſe ad exitum Thebaidis, & meditari Achilleidem. ſibi eſſe in animo ſcribere geſta Imperatoris. Sed Marcellum conſulit, an ſit par tanto honori.

32. Crescit in latvs. addita via à Domitiano.

33. Ager solidvs. via vetus ſtrata lapidibus.

36. Ripa lydia. deſignat domum Marcelli, quæ iuxta naumachiam erat Domitiani. ea autem erat iuxta Tyberim.

37. Vadvm. naumachiæ.

Ibid. Praetexitvr. ambitur.

Pag. 80. v. 15. Lvnae metalliferae. Luna Etruriæ oppidum; ingenti portu, in quo erat receptaculum omnium fermè qui mare Liguſticum nauigabant; copia marmoris candidiſſimi, ingentibus ſaxis integris, vnde tabulæ & columnæ ſolidæ fiebant. Cornelius Nepos Mamuram, cuius luxum notat Catullus, ſcribit habuiſſe columnas aut è Caryſtio aut è Lunenſi marmore.

29. Positis plectris. nam Achilles, vt eſt apud Homerum, in ocio fuit rapta Briſeïde: amoréſque cithara cecinit, vt noſtri quoque ſcribunt iratus Græcis. ſed interfecto Patroclo, ex eo ocio armauit ſe in Hectorem, quem vicit.

30. Flammabit. alij omnes codices *flammabat* ſcriptum habent, & *exſulabit*. nos *flammabis* emendauimus, & *exultabis*. vt legas:

Et ſolidos nouus exultabis in actus.

36. Qva tibi svblimi. nam Marcellus fuit patronus in cauſis apud centumuiros: quorum iudicia nunc ceſſabant. Hi haſta vtebantur, vt diximus apud Suetonium, erantque centum & quinque, vt docet Feſtus. ſed tamen centum dicti.

Pag. 81. v. 8. Templi maronei. ad tumulum Virgilianum, qui erat in Neapolitano, & poſſidebatur à Silio poëta.

14. Latinae antiqvae. Latina via inter Appiam & Valeriam ad Caſinum Appiæ coniungitur.

16. Thvles nigrae. caligãtis. Domitianus habuit Orcadas inſulas Oceani Britannici in ditione, quarum vltima eſt Thyle. Veſpaſianus pater expeditione ſua temporibus Claudii eas deuicerat, redacta vecte vna ex illis in poteſtatem. Iuuenalis: *& modò captas Orcadas.*

17. Portae caspiacae. Caſpiæ portæ in Ponto ſunt quædã anguſtiæ ita appellatæ à mari Caſpio proximo. populi illic ſunt Caſpii. quo loco multos redarguit Plinius qui Caſpias portas putarunt eſſe eaſdem quæ ſunt in Hiberia Ponti prouincia proxima Caſpiis. nam hæ aliæ ſunt: emittúntque in Sarmatas. Vix vllo aditur, propter appoſitos montes. & cum Nero ad Hiberiæ portas paraſſet expeditionem, per errorem multorum dicebatur petere Caſpias. Portæ Hiberiæ eædem Caucaſiæ dicuntur. Ibis (inquit) ad portas Caſpias tuendas munere militiæ tibi de-

M mandato

mandato à Domitiano, cùm ſis armis aptiſſimus. Ego autem in ocio verſor, & deſidia poetica.

27. Trivmphos. auus tuus proponit tibi triũphos domeſticos (nam ipſe triumphalis fuit) quorum æmulatione accendaris.

29. Stemmate. Stẽmata imagines æreæ maiorum qui triumphaſſent. aliquando coronati, à *ϛεμμα*, quod ſignificat coronam. hæ quibuſdam lineis etiam pingebantur ad aliorum imaginum differentiam. Et quoniam ex his maiot propagatur nobilitas; factum eſt vt ſtemma ſignificet nobilitatem maiorem.

36. Virebvnt. nam Veſpius vitibus in primis abundabat.

37. Premi. obrutas eſſe illic.

38. Abiisse. nam aliæ terræ prouolutæ ſunt in inſulas illic: vt Prochyta, Pythecuſæ: aliæ ſunt terræ motu abſorptæ.

Pag. 82. v. 1. Apex. Veſpij cacumen.

Ibid. Tiphata. locus iuxta Capuam: de quo fidem recitauimus Pompeij & Liuij, apud Silium. vbi in omnibus codicibus legebatur, *Tumphata*. ſed nos *Tifata* emendauimus. Illic habebat prædium Martial. vt etiam ad Teate oppidum Mauricinorum. Optat Papinius ne incendia illuc perueniant.

9. Nvnc vacvos crines. in aliis codicibus mendoſis ſcriptum eſt, *Nunc alios cineres*.

19. Nec enim tirinthivs. nec ſi tibi conferatur Hercules, poterit exiſtimari exemplum amicitiæ, cùm tu longè eum antecedas: imò & Theſeus qui Pirithoum amauit, cederet tibi.

21. Caeso. ab Hectore.

Ibid. Amico. Patroclo.

DOMITIVS AVGVSTINO.

AD Septimium Seuerum Lybicum ſeribit ex prædio Albano: carminéque lyrico ei blanditur. nam & ille hoc genere poëmatis oblectabatur: vt in fine apertè ſcribit. Primum autem veris aduentum deſignat, & ocium ſuum quo fruitur in Albano. admiratúrque Septimium, quod peregrinus & natus in Lybia tam Romanè loquatur, & ſcribat.

26. Honoribvs. nam Domitianus id prædium donauerat.

27. Tevcros lares. Veſtam ſacrum Troianum.

Pag. 83. v. 3. Modo fervverat. Nam in multam vetuſtatem à me ſeruari non poteſt.

10. Virago. Pallas in quinquatribus ſuis, vbi fuit coronatus.

15. Arenae bebryciae. Bebryx filiam Pyrenem habuit: à qua cõpreſſa ab Hercule Pyrenæos montes putat dictos Silius, qui diuidunt Galliam ab Hiſpania. Diodorus filiam regis in montibus Pyrenæis ab Hercule compreſſam tradit: ſed nec Bebrycem nominauit, nec Pyrenem. Bebryces item populi in Bithynia: qui veluti Leleges perierunt, vt tradit Eratoſthenes. Apud hos erat Nicopolis aula Amyci regis: qui cæſtibus pugnauit cum Polluce, & victus eſt: vt eſt apud Apollonium & Valerium Flaccum.

19. Cynnama. Cynnamum in Æthiopia naſcitur Troglodytis connubio permixta: inde mercantes vehunt per maria ratibus ſine remis & velo: ſoliſq; ventis acti deferuntur. tandem in portum Gebenitarum Ocilam nomine vix quinto anno ea nauigatio perficitur. idem cinamomum dicitur: de quo ante eſt dictum.

Ibid. Sabaeis. nam in Arabia etiam fœlici naſcitur, vbi ſunt Sabæi.

17. Leptis. colonia Tyriorum, vt Carthago: vt Vtica in Lybia eſt. Silius: *Saranáque Leptis*. eadem Neapolis dicebatur, ſi Straboni credimus. plinius certò diſtinguit Leptim à Neapoli: cum tamen vtramque fateatur eſſe inter Syrtes. patria hæc fuit Septimij.

22. Fonte Ivtvrnae. de Iuturna ſorore Turni. de qua apud Virgilium.

25. Nesciit. depoſuit, nec aliquid ex his retinuit.

26. Lvtras. alij omnes codices habent *intras*. ſed ego emendo vt legas *Lutras*. nam

nam *Lutras* Græci appellant immundas aquas rebus illic loris. Senſus enim eſt: cùm primùm Septimius attigit portum Romanum, oblitus eſt immundarum aquarum Lybiæ, & innatauit Tyberi. id eſt barbariem Lybicam depoſuit, auxitque Romanam linguam. Lutras autem dixit vt permaneret in tranſlatione. nam dixerat *portus Auſonum*.

34. TVRMIS ROMANIS. inter equites Romanos.

35. ALVMNI. vt Septimius qui alumnus erat Lybiæ.

Ibid. DOCEANT LYBIAM. alios Lybicos poſſint erudire moribus Romanis & lingua.

Pag. 84. v. 5. HERNICA. Hernici ſupra montes Præneſtinos Pitulum oppidum habent: inde ſequuntur Anagnia fora.

Ibid. CVRIBVS. Cures oppidum Sabinorum, Numæ patria.

9. BARBYTON. de hoc in commentariis Sapphus dicemus.

DOMITIVS AVGVSTINO.

HÆc Sylua tota tua eſt Auguſtine. continet enim laudem imaginis antiquæ; & ſignorum, quorum tu ſtudioſiſſimus es, gloriam extollit. Nonius Vindex imaginum antiquarum ſtudioſus & ſpectator egregius, cœna acceperat Papinium. vbi inter cætera ſigna præcipuè admirationi fuit Hercules æneus, à Lyſippo effictus, dextra pateram ſuſtinente, ſiniſtra clauam. ipſe ſedebat ſubſtrata leonis pelle, ſupino ore in cælum. in quo id potiſſimum laudabatur, quòd exigua menſura ſingula non minus ſpectabantur quàm ſi ingens fuiſſet. Epitrapezius dicitur, quòd omnia vaſa menſæ deſtinata, ita appellantur. nam ἐπὶ ſignificat ad, τράπεζα menſa.

14 LEVATVM PECTORA PHOEBO. id eſt, cura carminis.

15. SEPTIS. ſepta loca iuxta campum Martium: vbi ſigna antiquorum artificum erant venalia, & pueri & res precioſiores. Mar.

In ſeptis manſura diu, multumque vagatus,
Hic tibi Roma ſuas aurea vexit opes.

21. AH MISERI. iuſta & ingenua indignatio in gula.

22. GRVE RHODOPES. Strimonia. Cornelius Nepos ſcribit, ciconias magis placuiſſe temporibus Auguſtini: ſed temporibus Veſpaſiani grues inter primas aues expetebantur. ciconias nemo volebat attingere. è longinquo certè veniunt, vt ait Plini. Locus eſt in Aſia, quem appellant Pyrhonis comē: vbi grues diſceſſuræ commurmurant: apparéntque in noſtro orbe tam repente, vt nemo viderit venire, ſed veniſſe.

23. EXTA. id eſt, iecur. de iecore anſeris & eius ſapore, in commentariis Martialis diximus. dubiũ eſt Scipióne Metellus vir conſularis, an Marcus. S. eius eques id primus docuerit. Varro & Pli. auctores. Exta quid ſignificent ex diuinatione Cicer. Plini. & Varr. alibi recitauimus. hic pro iecore tantum.

24. QVA ALGA. Lucrino fundo, an Britannico, an Baiano. aliunde certè aduecta oſtrea in Lucrino compaſcebantur. ita enim gratioris ſaporis fore putabant.

28. 29. ALTER CASTOR. nam alternis diebus Caſtor & Pollux lucent. Home.

30. LVNA TIRINTHIA. vtinam nox geminata fuiſſet: qualis fuit, cum Hercules conceptus eſt compreſſa Alcmena à Ioue. tunc enim nox geminata eſt, vt eſt apud Plautum.

34. MENTITO. effícto.

Ib. REDDERE AVCTOREM. nominare artificem vniuſcuiuſque ſigni: etiam non inſcripto illius nomine.

37. HIC TIBI. hic tibi monſtrauit vt potuiſſes videre.

Pag. 85. v. 2. PRAXITELIS. praxiteles marmoris gloria etiam ſemet vicit. duas Veneres vendidit magnæ admirationis: alterã Coïs velata ſpecie: quod illi pluris fecerunt, putantes id eſſe ſeuerum & pudicum: alteram quæ reliqua erat emerunt Gnidii: ad quam ſpectandam multi nauigabant. Nicomedes rex eam voluit emere, repromittens ſe diſſoluturum totum æs alienum Gnidiorum. illi recuſarunt. Tota ædicula aperiebatur, vt ſpectaretur, par erat ex omni parte admirario. ſignum cō-

taminatum eſt macula quam contraxit, cum iuuenis amore eius captus, clam no-ctu ei cohæſiſſet. Praxitelis ſigna erant Romæ, Flora, Triptolemus, Ceres in hortis Seruilianis: boni Euentus & bonæ Fortunæ ſimulacra in Capitolio, Mænades.

Ibid. POLLICE PISAEO. Phidiam intelligit, qui Iouem Piſæum ſeu Olympicum fecit, vt antea eſt dictum.

4. LINEA. hoc eſt ex hiſtoria. nam Apelles cum Protogene certauit, vt eſt apud Pli. ductis lineis ſubtiliſſimis in tabula, quæ poſtea in palatio diu fuit magna admiratione, præſertim aliis pictoribus. Conſumpta eſt priore incendio domus Cæſaris. denique Apelles nullam diem egit tam occupatam, quin lineam duceret artem exercendo. inde natum ab eo prouerbium.

11. DEVS ILLE. eſt ipſe Hercules.

13. SENTIRI. extimari & concipi animo.

14. MENSVRA PEDVM STET INTRA. id eſt, lateat. nam tantum dimidia pars videbatur cum ſederet.

15. SI VISVS. ſi oculos.

Ibid. Hoc PECTORE. tali quale hoc eſt.

17. FRANGEBANT. domabant.

18. TAM MAGNA MENDACIA FORMAE. ſimulacra & effigies. Admirantis autem eſt quòd in tã paruo ſigno tanta repræſentetur forma quanta eſt Herculea.

19. QVIS MODVS IN DEXTRA. ô quanta moderatio fuit in dextra Lyſippi: qui cum ſoleret effingere ingentes ſtatuas; tamen ad tam paruum ſignum ſe accommodauit.

21. INGENTES COLOSSOS. nam Lyſippus coloſſos cælauit. vnum præcipue quadraginta cubitorum Tarenti. quem Fabius Verucoſus Romam transferre non auſus eſt ob difficultatem moliendi: cum tamen inde Herculem tranſtulerit.

22. TELECHINES. maris filij cum Caphyrna Oceani filia Neptunum educarũt. artium inuentores fuerunt primi. ab ipſis Apollo apud Lyndios Telechinus dicitur. Iuno & Nymphæ apud Alyſios Telechines. Nonnulli tradiderunt eos proprias formas mutare ſolitos, inuidoſque fuiſſe in artium diſciplinas: & eoſdem faſcinatores, ſolitoſque infundere aquam Stygiam plantis & animalibus. Alij ab æmulis id fictum aiunt. Eoſdem dictos Idæos dactylos nonnulli tradũt. Ex Creta in Cyprum nauigarunt & in Rhodum. Primi æs & ferrum fabricati ſunt. feceruntque harpem Saturno. Plinius Idæos dactylos ferri inuentores fuiſſe ſcribit.

24. EXIGVA MASSA. Martialis de hoc.

Exiguo magnus in ære deus.

26. MOLORCHI. à quo ſuſceptus eſt hoſpitio. nota fabula.

27. AVT ELEAE LVCIS. alij omnes codices ita ſcripti ſunt: *vt Tiliæ lucis.* nos verò ita emẽdauimus, vt legas: *aut Eleæ lucis.* nã Elea oppidũ eſt Arcadię iuxta Tegeã: vbi erat phanũ Pallados Eleę. Expone igitur *lucis*, id eſt, ad templũ Palladis Eleæ. auctor Str.

Ibid. SACERDOS. nam ſacerdos Palladis illac iter facientem Herculem hoſpitio ſuſcepit. Diana item Elea apud Arcadas colebatur.

32. ADHVC SAEVAE MEMINIT MANVS ALTERA CAEDIS. nam in altera manu ſigni erat patera: in altera, claua Martia: cuius læua caret robore, dextra mero. Totum hoc hemiſtichium ita inuerſum eſt in aliis codicibus: *& hac leue meruit manus aſpera ſedis.* nos verò ita emendauimus, vt legas: *adhuc ſeuæ meminit manus altera cædis.*

Ibid. MANVS ALTERA. id eſt, læua.

Ibid. MEMINIT SAEVAE CAEDIS. habet clauam: nec eam depoſuit quanuis in menſa ſit.

33. NEMEAEO. tegmine. nam effictum illic erat ſaxum ſtratum pelle leonis, vbi ſedebat Hercules. Martialis.

Hic qui dura ſedens porrecto ſaxa leone
Mitigat.

34. DIGNA OPERE. hoc archetypum habuit Alexander primus. Mar.

Hoc habuit numen Pellæi menſa tyranni.

Plutar-

Plutarchus ſcribit Alexandrum cum apud Mydium diem nocti potando iunxiſſet, nondum epoto Herculis ſcypho, nec cæteris de more peractis, æſtuare cœpiſſe febre. Ibi per Herculis ſcyphum hoc ſignum intellexit.

37. Prensabatqve libens. codices alij omnes ita ſcripti ſunt, *præſtabatque libens.* nos verò ita legimus: Alexander libenter præſtabat potaturus hoc ſignum, ea ipſa dextra qua & regna paulo ante abſtulerat, & euerterat vrbes.

Pag. 86. v. 1. Semper ab hoc. menda eſt in aliis codicibus: *ſemper ad hoc*: ſed lege vt nos emen dauimus: vt dicat; ſumebat ſemper animos in proximnm prælium ab hoc ſigno Herculis ſpectato.

6. Obrverat. nam Philippus pater Alexandri in ditionem Græciam redegerat. ſed adhuc non pacauerat cum mortuus eſt Alexander. Igitur patri ſuccedēs, Athenienſes, Thebanos, Corinthios, qui defecerant armis, oppreſſit. Thebas in primis diruit: exceptiſque amicis Macedonum, & his qui diſſuaſerant defectionem, & familia Pindari poëtæ, omnes captiuos vendidit ad triginta millia. ſex millia occubnerunt.

7. Excvsasse. omnes alias victorias oſtentauit Herculi Alexander: ſed tantum veniam pe tiit de euerſione Thebarum. nam erat Herculis patria.

8. Ille etiam. periit Alexander poculo venenato aqua Stygia quæ fluit ex rupe Nonacrina Arcadiæ, ſoláque mulæ vngula contineri poteſt. Necis conſcium aiunt Ariſtotelem fuiſſe. Scribit hoc Plutarchus: ſed Plinius & Pauſanias apertius. hic (inquit Papinius) Hercules ſignum dedit & indicium Alexandro poculi venenati. nam eo appoſito ſtatim ſudare cœpit.

Ibid. Ille etiam. Alexander.

Ibid. Fatis rvmpentibvs. cum fata eum eriperent ex medio curſu rerum magnarum.

9. Traheret. hauriret.

10. Timvit alios in nvmine caro. ſuſpicatus eſt venenum ſibi appoſitum ab aliis in dicio numinis cari Herculei.

11. Aera. ſignum Herculis æneum.

12. Regi naxamoniaco. Annibali Lybico. nam mortuo Alexandro ſignum poſſedit Annibal. Oderat hunc (inquit Papi.) Hercules, quanuis epulas & vinum ſibi libaret; dolens ſe comitem eſſe in bello illo nefando aduerſus Romanos. Præcipuè in eum exarſit cum Saguntum vrbem à ſe conditam euertit.

19. Miscvit face. incendio corripuit.

Jbid. Arces. Sagnntinas.

19. Ipsivs. ab ipſo Hercule conditas. Saguntum enim condidit Hercules ſepulto illic Zacyntho comite: qui ſecum ab expeditione in Gerionem reuertebatur. Extinctus eſt ſerpentis morſu, vt canit Silius. Oppidum eſt vltra Hiberum, ex Zacyntho inſula. Eodem aduenerunt coloni demum ex Italia ab Ardea. Apud Silium ille Saguntinus ad Herculem: *Conditor Alcide.*

20. Templa sagvnti. nam incendio Saguntino templa deûm arſerunt. Silius: *Ardens tecta deûm.*

21 Pollvit. cæde Saguntinorum.

Ibidem. Fvrias honestas. id eſt furorem. quo nomen & honorem conſecuti ſunt Saguntini ita ſe necantes. nam primores (vt Liuius tradit) argentum & aurum in ignem coniecerunt, ne ab hoſte poſſideretur. & eodem ſe plerique. Silius tam honeſtè mortuos eo eulogio proſequitur:

> *At vos ſydereæ quas nulla æquauerit ætas,*
> *Ite decus terrarum animæ, venerabile vulgus.*
> *Elyſium & caſtas ſedes decorate piorum.*

22. Nec post. mortuo Annibale tandem hoc archetypum peruenit ad Syllam.

23. Nec domvs plebeia. nec aliquis plebeius.

22. Potita. habuit.

23. Aere egregio. hoc eſt excellenti ſigno.

Ibid. CONVIVA SYBILLAE. id eſt Syllæ. Martialis.

Iuſſerat hic Syllam ponere regna trucem.

Syllæ autem Sybillæ prius dicebantur.& Corn.Sybilla priùs dictus eſt. ſed vetuſtas (auctore Macrobio) ſyllabam eliſit.& pro Sybilla Sylla accepimus. Incredibile eſt Auguſtine quantum adlaborandum fuerit his paucis verſibus, ob frequentes mendas quas deprehendas facilè in aliis codicibus. nam vbi ſcribendum erat *comes iſſe;* reperies comis ipſe. vbi *arces*, artes. vbi *ære potita*, æra petita. vbi, *egregio*, egregia. vbi *domus*, domos. vbi *cœnabat*, cœnabit. Sed quid hæc recenſeo? tu eandem induſtriam noſtram in toto opere agnoſces, ſi alios codices contuleris.

30. SCIT. teſtis eſt fidei & conſtantiæ Vindicis.

31. VESTINVS. cui amicus fuit extrema etiam fortuna:& nunc illius nomen mortui recolit. Veſtinus interfectus eſt iuſſu Neronis in conſulatu. odium in eum conceperat princeps ob nimiam ſodalitatem. nam Veſtinus eius ignauiam deuincebat: ille metuebat amici ferociam. Miſit igitur Generatum tribunum cum cohorte vt eum necaret. nam tunc epulabatur cum iuuentute delecta pari ætate. Primo aduentu tribuni ſtatim venæ abſciſſæ ſunt medico accito. viuens adhuc balneo merſatus, nulla ædita voce qua ſe miſeraretur.

Ibid. PAR MAGNIS AQVIS. id eſt qui quamuis mergeretur moriturus non ceſſit, nec victus eſt: vt vllam vocem emiſerit indignam viro. Vindex (vt innuit Papinius) inter eos iuuenes erat, qui tunc cum Veſtino epulabantur.

Ibid. SVB AEVO FLORENTE. nam Veſtinus iuuenis extinctus eſt. vt etiam indicat Martia. *Par magnis aquis.* ita nos emendauimus. in aliis codicibus extat, *Per magnis aquas.* Nullo ſenſu.

Ibid. VITTAS. nam poeta erat Vindex: vt antè dixit.

Pag. 87. v. 2. ARBITER MAREOTICVS. Buſiris.

3. LIMINA MORTIS. de Cerbero intelligit.

4 PVELLAS LYBIAE ET SCYTHIAE. Diodorus contendit Amazonas non ſolùm fuiſſe in Scythia ad Thermodoontem. ſed multæ ante etiam in Lybia. eas autem vicit Hercules. notiſſima hiſtoria. per puellas Lybiæ Heſperidas intelligit.

8. LYSIPPE. quòd Lyſippus hoc ſignum fecerit, teſtatur etiam Martialis. Plinius ſanè tradit Lyſippi opera fuiſſe ſexcenta & decem: quæ ſingula eius artē nobilitare poſſent.

Ibid. ALIIS OCVLIS. quàm Vindicis.

DOMITIVS AVGVSTINO.

MAximum Iunium abſentem in Dalmatia reuocat in vrbem. eíque congratulatur ob filium nuper ſuſceptum. Quaſi autē diſcedens ab Achilleide, quam inchoauerat, Muſam rogat, vt numeros heroicos contrahat in minores gyros & lyricos.

14. FORTIS HEROIS. id eſt Achillis. Heroes ſuum ſæculum habuerunt: vt Heſiodus ſcribit: quorum alij ad Thebas perierunt. alij in Fortunatis inſulis (quas alij Elyſios dixerunt) perpetuum æuum agunt; ſemideique omnes dicuntur. Heſiodus.

Ibid. ERATO. muſa ab ἔρως, id eſt amore dicta. quòd docti homines (vt interpretatur Diodorus) ab omnibus amantur.

17. INGENS OPVS. heroicum carmen.

Ibid. REGNATOR COHORTIS LYRICAE. Pindarus, Scopelimi filius, Thebanus: cuius laribus & familiæ parci iuſſit Alexander. morte quoque nobilis. nam in gremio pueri dilecti in gymnaſio mortuus inuentus eſt. nouem lyricorum (vt ait Fabius) facilè princeps. nouem autem Lyrici hi ſunt. Alceus Myrileneus, qui æolicè ſcripſit. Sappho Cledis & Eurygili filia. Steſichorus Euphemi filius, in cuius infantis ore cecinit philomela, qui bella ſcripſit & duces magnanimos doricè. Anacreon Theius Parthemi filius, qui Bathyllum puerum dilexit, & acino vuæ paſſæ ſtrangulatus eſt. Ybcus Reginus vel Meſſinus, vt alij ſcribunt, qui doricè ſcripſit. Bacchylides Ceus Milònis filius. Alcman Dimantis filius Spartanus, qui doricè ſcripſit, & pediculari periit morbo. Simonides ex Iulide oppido Ceæ inſulæ Cycladum, tenuis,

& ad

& ad lacrymas mouendas maximè idoneus. nonus Pindarus horum omnium princeps. idcirco ait Papini. *regnator lyricæ cohortis.*

22. MYRTHO. qua coronantur lyrici poetæ & elegi. myrthus viſa in Europa in tumulo primùm Elpenoris Circeis; vt ſcribit etiam Theophraſtus. mendoſus codex Plinianus habet Celcei pro Circeis.

28. CONCOLOR AVRO. Silius de Aſturibus: *Aſtur auarus*
Viſceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infœlix effoſſo concolor auro.

36. ACHILLES. Achilleis mea.

Pag. 88. v. 6. ALTER MAXIMVS. filius Maximi.

14. IGNEM. auidè inuehitur in captores orborum:quorum multitudine temporibus ſuis offendebatur. *ignem.* computat etiam impenſam pyræ tanquam id ipſe ſoluat. lege antem duodecim tabularum ligna ad rogum indolata eſſe oportebat. quod à Solonis legibus manauit ad coercendam funerum impenſam.

22. CASTORE DEXTRO. dextris auſpiciis. nam Caſtor equo valuit.

23. ILLE. auus pueri memorati.

24. REFVGIS. qui defecerant.

25. SVB IMO CAELO. intra fines ſuos qui ſunt ad imum ſeptemtrionem.

29. QVIS. quibus artibus temenſus ſenium muudi. nam annales ſcripſerat Maximus,imitatus geuus dicendi Saluſtij.cuius breuitas laudatur,& Troiani hiſtorici.

DOMITIVS AVGVSTINO.

CONgratulatur Iulio Menecrati Neapolitano:qui ex filia Polli Fœlicis,de quo ante eſt dictum, tres ſuſceperat liberos. Parthenopen autem patriam alloquitur; quæ cùm aucta ſit prole Iulij, debet ſacra diis reddere.

35. SABAEIS NVBIBVS.elegātiſſima periphraſis.& ab vno Papin.vſurpata pro thure.

Ibid. TEMPLA VITTATA. cuius incendio perierant multi.

Pag. 89. v. 1 DAMNA VESEVI. cuius incendio perierant multi.

Ibid SOLATVR. reparat.

15 PATRIVS APPOLLO. nam Cumani qui Appollinem colunt,olim Puteolos tenuerunt emporium , patriam Polli.

17. TERGEMINAE PROLIS. Iulius Menecrates à Domitiano impetrauerat ius trium lib erorum, cùm nullum adhuc haberet.Id autem inſtitutum eſt in honorem Horatiorum , vt ſcribit Donyſius. ſed de hoc plura diſputauimus in commentariis Martialis.

20. DONIS SACRATIS tribus liberis, quorum munus accepiſti à Domitiano.

22. LAETAM gratiorem.

Ibid. VIRGO. nata cum duobus liberis.

27. DVO SYDERA. Lucifer & Caſtor

Pag.90. v. 4. ABANTIA CLASSIS.id eſt Euboica. Caryſtus autē Chalcodetis dicebatur,vel Macris. vt Dionyſius putat, & Euphorus tradit. Ariſtides Macram ait. Chalcidemus Chalcidem à χαλκός, quod ſignificat æs , quod ibi primum aiuut repertum. Menechmus eandem Abantiam ait appellatam . Homerus nunquam Euboicos, ſemper Abantes appellat: eorúmque laudat robur: vt illud:*pariter comitantur Abantes.* Ariſtoteles ex Aba oppido Phocidis Thraces veniſſe ſcribit , qui Eubœam tenuerunt. Alij ab Abante heroe appellatam putant . vt etiam Eubœam ab Eubœa muliere indolis heroicæ. Hoc autem ait Papinius, quoniam ex Chalcide Eubœæ venerunt qui tenuerunt Neapolim.vt etiam qui condiderunt Cumas:quorum fuerunt duces Hippocles Cumæus & Megaſthenes Chalcidenſis.

7. EVMELIS. id eſt Parthenope Eumeli filia.nam Parthenope, vt poëta ſentit,Eumeli filia Coloniæ Chalcidenſis dux, ſolum Neapolitanum elegit, ſecuta auguriū columbæ. in cuius rei monumentum Apollinis ſtatua effecta eſt, columbà in læuo humero inſidente: ita vt eam reſpiceret Parthenopę, & adorare videretur. Eumelius Theſſaliæ populos habuit finitimos Phthioticæ; vt Homerus ſcribit, & refert Strabo.

8. CI-

8. Ceres actaea. cuius ſacro talia celebramus qualia ſunt in Attica ad Eleuſinem inſtituta ab Eumolpo: vt Apollodorus refert. vnde Eumolpia dicuntur à Sophocle.

9. Taciti. in aliis codicibus mendoſe ita legitur, *Votiu um tanti quiſſimus lampade mixtæ*. nos verò emendauimus vt legas, *Votiuam tanti quaſſamus*. nam facibus diſcurrentes ſacra Cereris operabantur, repræſentantes illius errores & indignationem filiæ quam peruestigaſſe fertur facibus adhibitis. Currebant autem vſque ad extremam laſſationem ſilentes multa bacchantibus ſimilia meditantes. nam Bacchi ſacra cum Cerere erant coniuncta. Ouidius.

Ipſe ſuos ludos vuæ commentor habebat,
Quos cum tadifera nunc habet ille dea.

hos verſus in interpretationem illius carminis Iuuenalis attulimus.

Talia ſecreta coluerunt Orgia tæda.

lege commentarios noſtros iam æditos.

DOMITIVS AVGVSTINO.

IN Saturnalibus (Auguſtine) xenia mittebantur & apophoreta: de quibus in commentariis Martialis à nobis diſputatum eſt. Papinius in Saturnalibus Plotio amico libellum miſerat pro xenio: Plotius iocans ei alterum librum remiſit ſcriptum de Philoſophia à Bruto, codice vetuſto & corroſo. Papinius cauillando iocatur: recenſétque apophoreta ſaturnalitia: quæ ille mittere debuiſſet cum accepiſſet xenium. Mihi ſanè videtur æmulatio Catulliana. nam & Catullus eodem argumento in Caluum conqueritur, quòd ſibi librum miſerit in Saturnalibus pro munere.

Catullus: *Dii magni, horribilem & ſacrum libellum,*
Quem tu ſcilicet ad tuum Catullum
Miſiſti continuò, vt die periret
Saturnalibus optimo dierum.

Vnde Macrobius accipit teſtimonium.

25. Vrbanvm. non contumelioſum nec deriſio.

27. Persev eras. ſi non miſeris aliquid poſt librum.

28. Non lvdis. ſed ſcilicet decipis.

30. Praeter me. præter laborem meum & occupationem.

Ibid. Decvssis. aſſipondium, dupondium, treſſis, quatreſſis, ita vſque ad x. quod dicitur decuſſis, hoc eſt decem librarum, vt eſt ad C. centuſſis. Perſius:

Et centum Græcos vno centuſſe liceret.

32. Qvales. quales chartæ ſunt pro cuculis. Martialis.

Ne toga cordylis, ne penula deſit oliuis.

Ibid. Lybicis. nam hæ peſſimæ ſunt oliuarum, vt ſcribit Plinius.

34 Lacertos byzantiacos. lacertus genus piſcis laudatus ex Betica, ſaxetanus & etiam parianus. Byzantij autem erat captura thynnorum, vnde etiam cordylæ.

Ibid. Colvnt. regunt.

56. Trino foro. triplici. de quo alibi diximus.

Pag. Oscitationes. negligentes ſcriptiones.

Ibid. Brvti senis. vel Brutum intelligit qui in philoſophia ſecutus eſt Antiochum Aſcalonitam, & veterem Academiam, Antiochique fratrem Emphilium, quod placet. Vel Brutum ſenem malè ſcribentem notat ſuorum temporum hominem.

Ibid. Libellionis. libellio bibliopola miſer & pauper.

5. Plvs minvs. circiter. Martialis: *plus minus ire decem.*

Ibid. Asse caiano. à Cais inſcriptis dictio. antè diximus.

7. Pilea. nam pilea mittebantur in Saturnalibus facta aliquando ex lacernis attritis. Mart. mittens pileum:

Si poſſem totas cuperem miſiſſe lacernas.
Nunc tantùm capitis munera mitto tuo.

id eſt ſolum pileum partem lacernæ. hoc autem addas velim & inſeras commentariis noſtris

riis noſtris in Martialem.

8. Mappae lvridae. ſupra modum candicantes. nam luridus eſt ſupra modum pallens, vt ſcribit Feſtus. à Martiale cretatæ dominæ:

Cretatam præter cum vellet mittere mappam.

9. Chartae thebaicae. nam chartæ mittebantur in Saturnalibus, vt eſt apud Martialem. *Thebaica.* à Thebis Ægypti. ſunt qui chartam ficum putent.

Ibid. Caricae. Carica genus fici, vt eſt coctana; auctor Plinius. Prunorum & coctanorum peculiaria hæc ſunt Syriæ, vt in commentariis Martialis diximus.

10. Rventi tvrbine. vel ad formam reſpexit. nam turbinata figura nonnullorum pomorum dicitur, quæ & geometrica eſt. Plinius de piris: Turbinatior his forma. vel (quod placet) quoniam dum poma cadunt, turbinis inſtar ruunt.

12. Ellychnia. ellychnium eſt quod lucernæ adhibetur & flammam nutrit. funiculus ſcilicet ex ſtupa, & (vt Plinius ſcribit) ex alia etiam materie aliquando.

Ibid. Sicca. etiam ſine oleo.

15. Nvsqvam cyniphiis. id eſt non habebas teſtudinem quam mitteres mihi. nam excogitatum eſt putamina teſtudinum in laminas ſecare, lectóſque & repoſitoria his veſtire. quod Aruilius Pollio primus docuit, ſagacis ingenij ad luxuriæ inſtrumenta. Anguſtatorium intelligit, quod ex putamine teſtudinum conſtabat, mittebatúrque in Saturnalibus. Martialis.

Fœmineam chereſon ſi nobis credis ineſſe,

Deciperis. pelagi maſcula turba ſumus.

Ibid. Cyniphiis campis. nã ſunt teſtudines terreſtres in operibus cherſinæ appellatæ à χέρσος, quod terram ſignificat. In Africæ deſertis, quæ maximè arenis ſitientibus ſqualet, roſido (vt creditur) humore viuentes: nec aliud ibi prouenit animal.

17. Perna. antiqui ex porco pernam, lardum, petaſonem ſumebant. Plinius caſtrandum ſuem prioribus pronis ſuſpendi docet. Vuluæ mentionem à Papinio prætermiſſam miror. nã & illa ex porca in Saturnalibus mittebatur, vt ex Martialis xeniis diximus. de qua Plinius hæc. xi. naturalis hiſtoriæ: Vulua eiecto partu melior quàm edito, eiectiua vocatur illa: hæc porcaria. primiparæ ſuis optima: contrà effœtis à partu; præterquàm eodem die. ſuis oceiſæ liuida & macra, nec nouellarum ſuum præterquàm primiparatum. potiuſque veterum necdum effœtarum. & biduo ante partum aut poſt partum; aut quo eiecerint die. proxima eiectiua eſt oceiſa vno die poſt partum. Veniebant autem in menſam vuluæ non tam ſuo ſapore gratæ quàm condimentis. quorum confecturam exquiſitè & guloſè docet Apitius. li. ſeptimo. Suiſque nominibus diſtinguitur; vt aliæ ſteriles appellentur: aliæ aliter condiantur. Cum autem Horatius vuluam amplam dicit, porcariam intelligit, quæ edito fœtu laxior eſt. nam vario palato aliæ aliis anteponebantur; atque eædem aliis gratæ, aliis non placebant.

18. Lvcanica. farcimen inuentum primum in Lucanis populis, vnde eſt ei nomen. Ab Apitio conditur pipere, cimino, ſatureia: aliis præterea rebus in Saturnalibus mittebantur, vt eſt apud Martialem; coronabanturque ea pultes.

Ibid. Graves falisci. Venter faliſcus, farciminis genus inuentum primum in Faliſcis, vt ait Varro. *Graues* appellat Papinius, quòd cum ventres ſint, & facti graui di videantur.

19. Oxyporvm. condimenti genus quod oxygarum appellat etiam Columella. Apitius cimini vnciis duabus, gingiberis vncia vna, rutæ viridis vncia vna, aliis præterea rebus conficit. Columella aliter vltimis verſibus totius operis.

Ibid. Casevsve. Caſeus quoque in Saturnalibus mittebatur, vt eſt apud Martialem. Variis fiebat generibus & nominibus. Dolcites ex Dalmatia, Cebanus ex Apennino, Auximates ex Vmbria, Lunenſis ex Etruria; conſpicua magnitudine. Veſtinus præterea & Cruſtumas; & qui fiebat in vrbe, omnium præſtantiſſimus, quem Mart. Velabrenſem appellat à regione vrbis.

20. Panes. maſſæ aphronitri. ſpuma nitri eſt. ἀφρὸς enim ſignificat ſpumam, & nitrum. nam nitrum ſpumam emittit cum ros cecidit. alij tamen dixerunt aphroni-

N trum col-

trum col'gi in ſpeluncis Aſiæ quas colligas appellarunt. Id ſole ſiccant. Lydium maximè probatur tamen ita in antiquis codicibus Martial. legitur, vt docuimus:

Ruſticus es; neſcis quid græco nomine dicar.
Spuma vocor nitri: græcus es, aphronitrum.

21. VVIS PSYTHIIS. paſſum quomodo fieret docuimus apud Iuuena. Plinij & Columellæ teſtimoniis. pſythium paſſi genus eſt quod ſuum ſeruat potius ſaporē quàm vini. Inde nos emendauimus quod ſcriptum erat, *poſuis vuis pſythiis*. Defrutum autem vinum coctum eſt ad dimidiam partem cum ad terram deſcendit. græcè dicitur ἕψημα, latinè ſapa.

22. DVLCI COENO. nam defrutum denſum eſt, & leniſcit in ſpeciem cœni.

23. CEREOS ARENTES. in aliis omnibus codicibus *cereos auentes* legitur: tu verò leges *cereos arentes*. nam ab arido & paupere cliente mittuntur. Mar.

Ceſſet cereus aridi clientis.

Mittebantur autem in Saturnalibus rogatione Publicij Tribuni plebis; qui cum diuites per occaſionem Saturnaliorum grauia exigerēt à pauperibus tributa, iuſſit vt his tantùm mitterentur cerei.

25. VVAS OLLARES. in ollis ſeruatas. quod fieri docet Columella in bumaſtis duraturis purpureis, vt pediculi impicentur, dura pice vas fictile condiatur, paleis quàm ſicciſſimis cribratis & ſubſtratis. altero vaſculo adhibito cooperiatur, circumlito luto paleato, & ponantur etiam in tabulato quàm ſicciſſimo, obrutis vaſis palea. eæ ollares vuæ dicebantur.

26. IN ORBE CVMANO. in rota figulina. Cumana, nam patinæ Cumanæ fictiles præſtabant, quod & Pli. ſcribit. & in Mart. diximus.

27. SYNTHESIN. ſyntheſis & vas fictile ſignificat. Martial.

Septennaria ſyntheſis Sagunti.

& veſtem ſaturnalitiam. de qua in dyſtichis Martial. diximus. & Tranquillus ſynthesinatum Neronem inde formauit. Ambiguitate igitur verbi ludit Papinius. nam cum ſyntheſim petiiſſet, quaſi ille offenſus eſſet magnitudine muneris, veſtem intelligens, interpoſuit. *Quid horres?* quaſi dicat, veſtem non peto ſyntheſin. ſed vas fictile, calicem aut cacabum. nam hoc quoque vas eſt, vt Var. ſcribit. Calicem autem in thermis frequenter vſurpari video. Iuuen. *ad illos thermarum calices.* Mart. *frangendos calices: Nil mittis:* quod ſcilicet precium mei muneris ſuperauerit.

30. NIHIL REPENDIS. immò (inquit) tantundem non reſtituiſti.

37. TANTVM. illud vnum, inquit, peto, ne nunc etiam mihi remittas.

38. HENDECASYLLABOS. Pro his meis, vt antea librum pro libro.

31. QVID SI. argutè oſtendit ſe eſſe captatorem, & Grippum regem. nonne, inquit, eſſem reprehendendus ſi ego te ſalutarem, & tu ſalutem redderes cum deberes cœnam: aut ſi dediſſem cœnam, & expectares cœnam à me cliente paupere? nam regis eſt qualis tu es, non reſtit.c paria clienti maiora, aut cum maiora dederit non expectare eadem.

DOMITIVS AVGVSTINO.

HIc eſt liber quintus, Auguſtine, quem Abaſcantio dicauit. hominis enim pietatē, prima Sylua laudat in Priſcilla vxore mortua & deflenda & ornanda, cui ſtatuam ſiccato cadauere erexerat in templo nobili. toro autem ſtudioſius blanditur, quoniam in aula Domitiani gratioſus erat. Mutilata eſt epiſtola, & ſupra dimidium vetuſtate amiſſa. Nam cum Syluarum omnium qui ſingulis libris continentur mentionem facere ſoleat, in hac primæ tantum argumentum legitur.

Pag. 92. v. 2. PVBLICE PROSINT. ad imitationem.

8. QVASI OFFICIOSVS. volens præſtare officium clientis cum nihil acceperim. Martialis: *& non officioſus amo.*

15. MATERIAM. talem occaſionem quæ eſt ex lacrymis.

DOMITIVS AVGVSTINO.

PRiſcillam Abaſcantij vxorem epicedio laudat, in quo etiam viri pietatem admiratur; qui nec lacrymis modum fecerat, quamuis iam alter annus ageretur

ex quo

ex quo mortua erat, & ſtatuam illi erexerat ſiccato cadaueri perſimilem: recolebátque præcipuo amore Abaſcantius inter Domitiani miniſtros. qui cum aliquandiu nullius muneris particeps fuiſſet, tandem in militiæ curam ab Imperatore aſcitus, eum ſecutus eſt in expeditionem Germanicam, operámque nauauit fortiſſimè.

Pag. 93. v. 2. AVRVM. auro cælando nemo claruit, cum argento multi ſint memorabiles. Auream ſtatuam nulla inanitate in templo Anetidis numinis Parthi i poſuerunt, quæ direptà eſt ab Antonio Fabula comitante eum qui primus violauit id numẽ, captum oculis & membris omnibus expiraſſe. Id cum Auguſtus quæreret an verum eſſet ex milite veterano Bononiæ apud quem cœnabat; reſpondit ſe illum fuiſſe, Auguſtúmque de mortui cruore cœnare. Nam totum ſibi cenſum ex ea rapina eſſe. Gorgias primus artis rhetoricæ magiſter auream ſtatuam ſibi poſuit.

10. HONOS AGILIS. cito, inquit, fugit honor elaboratus dextra. vel coniunge, *agilis dextra.*

14. IVNCTO APOLLINE. cuius numen non minus præſens mihi eſt quàm Apollinis.

15. OMNIS MATERTERA. omnes Muſæ ſorores Calliopes matris Orphei ex Oeagro.

16. SACERDOS BACCHI. omnes poëtæ qui ſacerdotes ſunt Bacchi & Apollinis.

Pag. 94. v. 1. ETIAM NVNC. nónne adhuc ſunt exhauſti oculi lacrymis cum tandiu luxerint?

4. MIRA FIDES. diuturnitatem lacrymarum miratur. repetiriſque exemplis etiam fabuloſis matrum quæ magis præeſſe ſolent in filiis deflendis, diutius Abaſcantium fleuiſſe innuit. *Mira fides.* vix credi poteſt te tam diu lugere.

Ibid. GENITRIX SIPILEIA. in aliis omnibus codicibus, Auguſtine, *genetrix ſipellea* extat confuſo carmine & ſenſu, vt ex hac vna obſcuritate multis deinceps carminibus tenebræ oborirentur. nos *Sipileia* emendauimus; vt Nioben intelligas quæ ex Slpylo vrbe Mæoniæ fuit verſa in ſaxum ob dolorem amiſſorum filiorum adhuc lacrymas emittens. Cum hac prima mortali concubuit Iupiter, vt refert Diodorus: Semele vltima. Plinius. Sipylum, quod antè Tantalis vocabatur, caput Mæoniæ. Sipylus item vnus ex filiis Niobes fuit. nupſerat autem Amphioni. Ouid.

Tum cum Mæoniam virgo Sipylumque colebat.

Præterea: *In patriam rapta eſt vbi fixa cacumine montis*

Liquitur: ex lacrymis etiam nunc marmora manant.

Solinus: Caput Mæoniæ, Sipylus excipit, Tantalis antea dictus. & in illam vocabuli memoriam orbitatibus datam à Niobe. Achilles apud Homerum hanc fabulam refert cum pluribus verſibus in Iliade ad primum. Propertius:

De Niobe lacrymas ſupprimat ipſe lapis.

5. EXHAVSISSE GENAS. lacrymis citius quàm tu.

6. MOESTI RORES. qui ſunt pro lacrymis Auroræ ob Memnonem filium amiſſum Diodorus Idam matrem dicit, Æſchylus Ciſſiam.

7. BVSTIS. ad buſta Achillis filij quæ ſunt in Sigæo promontorio Troiæ. Achilles à Paride interfectus eſt inter portas, vt ſcribit Plutarchus.

13. CENSORE. qui prohibuit adulteria, & caſtum amorem probat.

22. LAVDENTVR PROAVIS. & hi verſus mendis impediti inexplicabiles erãt. nam vbi ſcribendum eſt *laudentur proauis,* legebatur *laudantur proaui.* nos ita caſtigauimus, vt dicat: aliæ quæ carent laudibus animi, laudentur à bonis corporis & fortunæ, vt à nobilitate maiorum aut à forma. tu verò Priſcilla laudaberis à me à moribus & bonis animi, quæ vna vera laus eſt.

23. BONIS MORVM. id eſt virtutis.

Ibid. POTENTIS FALSO. in precio falſis laudibus.

24. EGENT VERAE LAVDIS. carent laude virtutis.

25. SPECIES FOELIX. egregia forma.

26. Ex TE. à tua virtute.

28. MAIOR HONOS. maior fama quàm vel formæ vel nobilitatis.

FRATERNVS ADVLTER. Nota hiſtoria ex tragœdia. nam Thyeſtes Meropem Atrei fratris vxorem precio corruptam compreſſit, ſuſcepitq́ue eo concubitu Tantalum quem ſibi appoſuit Atreus.

Pag. 95. v. 2. MELIVS. dij, inquit, melius fecerunt quòd non in aduerſis ſed in ſecundis fidem tuam in virum probaſti.

13. AMBIT LATVS. luſtrat oculis omnem partem. Martialis:

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

16. IVBATIS HVMERIS. fortiſſimis, à iubatis leonibus epitheton. nam leonum generoſitas iuba ſpectatur, vt ait Plinius. Primúſque Sylla centum iubatorum pugnam edidit in prætura.

19. MAGNVM LATE. deſcribit munus Abaſcantii.

21. LAVRVS AB ARCTO. à Septentrione, vt fuit laurus Sarmatica, de qua antè eſt dictum.

22. VAGVS EVPHRATES. ex maiore funditur Armenia. ortum habet ſupra Zizama ſub radicibus montis quem accolæ Cabotem nominant. Scythiæ proximum. hinc receptis aliquot in ſe amnibus, in Meſopotamiam labitur per Seleuciam, circa quam infunditur. Tigri præfluente dexteriore alueo Babylonem petit, quam permeat, mox in paludes diſtrahitur. Increſcit Nili modo æſtatis diebus. Meſopotamiam inundat, ſole obtinente vigeſimam partem cancri. minui incipit virginem tranſgreſſo. in totum remeat vigeſima parte virginis.

Ibid. BINOMINIS ISTRI. eodem epitheto vſus Silius. nam Iſter ex monte Arnobe in Germania ortus immenſo aquarum auctu per multas regiones defertur, appellaturque Danubius: cum Iſtriam attingit, Iſter dicitur, ſexaginta amnibus receptis. ſeptem oſtiis in mare erumpit: vt Ephorus tradit, quinque tantum.

24. E GVRGITE REFLVO. nam Oceanus Britannicus refluus eſt, & reciprocat æſtu; atque (vt ait Pytheas Maſſilienſis) octogenis cubitis ſupra Britannia Oceanus intumeſcit. In Thyles tamen hiſtoria Strabo putat mentitum eſſe Pytheam. Cuius teſtimonio Plinius nihilominus vtitur.

25. OMNIA. habet (inquit) curam Abaſcantius armorum quæ recondita ſunt in armamentario diſtribuendorum militibus exeuntibus in expeditionem, & eorum inſtaurandorum.

Ibid. FRONDES. ſcilicet lauri.

Ibid. IAM LACERAS. vetuſtate. Plinius de lauro: Romanis præcipuæ lætitiæ victoriarúmque nuncia additur litteris, & militum lanceis piliſque.

26. MVLTA LANCEA. lanceas Ætoli inuenerunt.

Ibid. FVMOSA PENNA. vetuſtate. Nam ſagittis & lanceis pennæ addebantur. Volucre (inquit Plinius) fecimus ferrum, vt citiùs mors ad hominem perueniret.

27. PRAETEREA. Eſt præterea (inquit) cura Abaſcantij pandere, & monere Imperatorem cum ordines militares diſtribuit, quis ſit idoneus centurio, quis idoneus præfectus cohortis aut tribunus militum, aut equitum magiſter.

38. QVAEQVE TVAS LAVRVS. nam cum Domitianus L. Antonium bellum mouentem in ſuperiore Germania oppreſſiſſet, ipſo quo dimicatum eſt die ſtatuam Imperatoris Romæ aquila circumplexa pennis clangores lætiſſimos edidit. Pauloque poſt rumore quodam adeo vulgatum eſt, Antonium occiſum eſſe; vt plerique caput eius apportatum quoque contenderent. Hæc inquit Papinius: Fama quæ ſolet eſſe nũcia rerum Domitiani, non velociùs nunciat res nouas ex toto orbe quàm Abaſcantius. De eadem fama Martialis:

Certus abeſt auctor, ſed vox hoc nunciat omnis.
Credo tibi: verum dicere fama ſolet.

Pag. 96. v. 1. PRAEGRESSA DIEM. nam ante primas tenebras & nondum toto die abſoluto fama ex Germania vſque ſolet nunciare victoriam.

8. VERTICE AONIO. Parnaſſi. nam Aones populi cum tenuerũt, vt ſcribit Stra.

Non ſic non ſic (inquit) lætari ſolet is qui princeps ſacerdotum diligitur vel à Phœbo vel à Baccho, vt Abaſcantius gauiſus eſt eo munere ab Imperatore ſibi delegato. quibus ex verbis ſuſpicor, Abaſcantium principem ſcribarum fuiſſe ad negocia arcana Imperatoris, & eundem eſſe quem appellat Mar. cognomine Sextum.

O cui naſcentes domini cognoſcere curas,
Et ſecreta ducis pectora noſſe licet!

9. Hiatibvs arcani antri. nam Delphis erat antrum vnde ſpiritus emittebatur, quo ſacerdotes furentes reddebantur, & prædicebant futura. Plinius alibi: Fatidici ſpecus, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, vt Delphis nobiliſſimo oraculo.

10. Cvi ivs venerabile primi thyrsi. id eſt, cui Bacchus tribuit ius & principatum ſuorum ſacerdotum. Incredibile eſt Auguſtine, quantis ambagibus ſollicitum me circumduxerit hæc vna menda. nam in omnibus codicibus ita legebatur, *primi cuius venerabile thyrſi.* ſed vt puto cuiuis legendum eſt eo ſenſu quem explicauimus.

17. Monet ad exemplvm herile. hortatur Priſcilla maritum vt cœnet parcè veluti faciebat Domitianus eius herus & dominus. nam vt ex Tranquillo diſcimus, ille prandebat ad ſatietatem: nec fermè vnquam ſupra cœnam aliquid ſumebat præter Martianum malum, & modicam in ampulla potiunculam.

19. Viri emeriti. defuncti labore totius diei.

25. Si castra darent. ſi lex militiæ permitteret: Nam non licebat mulieri caſtra ingredi. Inde illa indignatio Virgiliana: *ſequiturque nephas Aegyptia coniunx.* Idem innuit Propertius: & Titus Mutius damnatus eſt quoniam vxor Caluiſij Sabini mala cupidine viſendi ſitum caſtrorum habitu militari ingreſſa eſt, ſtuprúmque cum eo commiſit.

31. Moesta cypresso. Nunc eſt tempus ſumere ſerta comis meis ex cupreſſo.

Ibid. Damnata. quæ dicata eſt Plutoni cum ſim temperaturus carmen funebre & Plutonium. Plinius: Cupreſſus Diti ſacra; & ideo funebri ſigno ad domos poſita.

Pag. 97. v. 7. Carpitvr. ego puto phthyſi conſumptam eſſe Priſcillam.

18. Flvmina lethes incorrvpta. quæ nulla re flecti aut corrumpi poſſunt.

25. Baratro. Græci locum profundum ita appellant, vnde emergi non poſſit. Quod Feſtus quoque apud nos interpretatus eſt. Baratrum item locus erat in Ægypto circa Peluſium, paluſtre & cœnoſum. quod à profunda obſcuritate ita appellarunt.

27. Horror. Nam oculi morientium horrent & rigent immoti, vt Cornelius Celſus etiam tradit.

31. Genas. genas antiqui dixerunt quas nunc malas appellamus à rotunditate. lege duodecim tabularum eas radi, id eſt lacerari à fœminis prohibitum eſt. eſt enim pudoris ſedes.

38. Salvo ordine. ſcilicet naturæ. nam cum eſſem ſenior, debui mori ante te.

Pag. 89. v. 1. potiora longa senecta. nam vidi plura & lætiora quàm quæuis alia quæ ad extremam ſenectam perueniſſent.

7. Qvod cvpis videri. quam ſtatuam paras ſpectandam. Domitiani ſtatuæ in Capitolio erigebantur, quas aureas tantùm eſſe permittebat, & centeni ponderis. ita enim emendanda eſt dictio apud Tranquillum, vbi mendoſè ſcriptum eſt: Non niſi certi ponderis, pro centeni ponderis. quod vel ex hoc verſu agnoſcas:

Quo niteat ſacri centeno pondere vultus Cæſaris.

10. Et signet. etiam notet epigrammate: nam petit Priſcilla vt cum inſcribet Abaſcantius ſtatuæ quam erat erecturus Domitiano, à quo ſit poſita, ſuum addat nomen.

11. Sic ego. cum hoc feceris.

12. Ad oras elysias. accipient me in Elyſiis cùm ſcient eſſe cultricem Domitiani.

Ibid. CONIVGE. Eurydice, Orphei vxor. nota fabula. Fuit item Eurydice Clymeni filia vxor Neſtoris, quæ ei peperit ſeptem filios & vnicam filiã. Denique Eurydice, de qua hæc Pherecydes ſcribit: Ἀκρίσιος γαμεῖ Εὐρυδίκην τὴν Λακεδαίμονος. τῶν δὲ γίνεται Δανάη. χρωμένῳ περὶ ἄρσενος παιδὸς ἔχρησεν ὁ θεός. &c. Et Eurydice mater Hæmonis, qui ad tumulum Antigones ſe necauit, vt ſcribit Apollodorus.

31. PRAEREPTAQVE TEMPLIS. ſunt deſtinata templis. ſed illic etiam comburebantur.

33. COMAE CORITIAE. id eſt crocus qui habet herbam inſtar capillorum. Plinius: Vſus eius in coronis nuſquam. herba enim eſt folio anguſto pene in capillamenti modum.

Pag. 99. v. 2. FVDERE MARITO. miſerantes eum in tanto dolore.

4. 5. PONIT GEMITVS. nam ſacerdotes Cybeles geſtantes deæ ſtatuam, & digladiantes inter ſe furore, ad Almonem vſque fluuium progrediebantur extra portam Capenam, ita repræſentantes deæ luctum cum fleuit Atyn: illicq́ue lotis cultris & depoſito furore ad templum redibant. deponit igitur illic gemitus Cybele, quoniam eius ſacerdotes cùm illuc peruenerunt, lacrymas & furorem ponunt.

Ibid. NON REMINISCITVR AMNES IDAEOS. Gallum ſcilicet fluuium ſuum & Sangarim.

16. CIRCVNSTANT FAMVLI. cum fiunt lectiſternia diis, tibi quoque vt ceteris numinibus ſeruiunt famuli, Priſcilla.

22. ALIO CAELO. in templo quod aliud cælum eſt.

DOMITIVS AVGVSTINO.

CRiſpinus Vectij Bolani filius ſextumdecimum natus annum in militiam aſcriptus eſt à Domitiano, nobilitate rerum à patre geſtarum florentiſſimus. nam ille comes Domitij Corbulonis Armeniam Neroni pacauit. Criſpinus relictus cum fratre tentatus eſt à matre poculo venenato. quo crimine mulierẽ damnauit Imperator: nunc autem iuuenis ſecedebat in agrum Tarquinienſem Etruriæ. abeuntem proſequitur carmine Papinius. hortaturq́ue ad æmulationem virtutis paternæ. Denique prædicit futuros militiæ honores.

Pag. 100. v. 10. SALTVS TAGENI. agrum Tarquinienſem intelligit: nam in Etruria in agro Tarquiniẽſi ſulco ab aratore altius impreſſo, Tages puerili ſpecie extitit: cœpitq́ue affari aratorem. Ille verò terrore concuſſus, clamans totam conciuit Etruriam: quæ vno conuentu Tagem loquentem audiuit. Sermo autem fuit exceptus & ſcriptus libris Etruſcorum, habitúſque eſt pro aruſpicina. inde enim aruſpicina ſumpſit artem & initiũ. hæc ex diuinatione Ciceronis & Dionyſij hiſtoria.

12. VELLVNTVR. lacerantur. corporis tamen eſt velli & vellicari.

11. NEC LONGA EST MORA. nec longum eſt iter.

27. TRABE ET REMIS. Hoc dicit in inuidiam alterius Criſpini, qui ex Ægypto aduectus piſcator Imperatoris indulgentia equeſtribus inſignibus donatus, ad dignitatem ſenatoriam proceſſerat. Tu (inquit) non pulſaſti fores ſenatus, id eſt, non fuiſti aſcitus in ſenatum aduectus piſcator vt alter Criſpinus, de quo hiſtoriam tradidimus apud Iuuenalem. *Trabe & remis.* ita legendum puto. mendoſi codices ita ſcripti ſunt: *Trabeáque remi.* nullo ſenſu. nam aperta illuſio eſt (vt diximus) alterius Criſpini, qui cimba & remo quo vſus fuerat piſcator, fores ſenatus pulſaſſe videtur, intra quas fuerat admiſſus.

26. SANGVINE TVRMALI. filius alicuius militis ex turma.

27. AVT CLAVO PAVPERE. id eſt, filius alicuius militis manipularis: nam caligæ habitus ſunt manipularium. hæ autem clauis figebantur. vnde claui caligarij à Plinio dicuntur, & nos illic expoſuimus, oſtenderet tot milia clauorum.

33. ADMISSVRA. equorum coitus eſt cum prægnantes fiunt equæ, & equi admiſſarij dicuntur. Varro in re ruſtica: Nec ſolùm mares quos admiſſarios habeo. Alibi: equos ad admiſſuram quos velit habere, legere oportet amplo corpore formoſos.

37. Primaqve. lunatis calceis, id eſt, habentibus ſpeciem mediæ lunæ, vtebantur nobiles, vel quòd id eſſet indicium animas aliquando habitaturas in circulo lunæ, quod nonnulli putarunt, vt Caſtor tradit. vel quòd indicium eſſet fragilitatis humanæ. vel quòd ſit parendum magiſtratibus, quemadmodum luna ſubſequitur ſplendorem ſolis, & inde lucet, vt in commentariis Iuue. recitauimus ex quæſtionibus Plutarchi. vel quòd Arcades qui ſe à luna oriundos dicebant, talibus vterentur calceis, qnos imitabantur Romani qui ſe ab Euandro Arcade oriundos arbitrabantur. lege in commentariis noſtris Iuue. qnod dictauimus eo loco, & ligulam dimittere.

34. Illvm omnes. idem Silius.

Hos accendit nobile nomen

Antiqui ſtabuli. ſunt quos ſpes grata fatiget.

Pag. 101. v. 6. Corbvlo. Armenia cum ſub Thyridate rege à Nerone deficeret, per Domitium Corbulonem in ditionem venit. Tacitus: Lęti quòd Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præpoſuerat, Arrius Varus præfectus fuit cohortis ſub Domitio. Pætus Corbuloni ſucceſſit: iterum Corbulo ſucceſſit Pæto. Tacitus: & Corbulo militum atque hoſtium tot per annos gnarus, gerendæ rei præficitur: Tiberius Alexander miniſter ei bello datus eſt. Viuianus item Annius Corbulonis gener quintæ legioni præpoſitus legatus comes item fuit. Vectius Bolanus fuit temporibus Octauij, cuius loquacitatem inſectatur Horatius. Corbulonis meminimus apud Iuuenalem, & alterius Vectij. tandem Thyridatem Romam perductum Nero in ludis accepit, vt eſt apud Tranquillum.

9. Amicvm. aptum.

Ibid. Qvae svscepta fides. quid eſſet credendum.

11. Fvga vera. ſimulabant enim ſæpe Armenij fugere, cùm tamen in inſidias ducerent & laceſſerent ſagittis. ſed hic nouerat quando verè fugiebant.

14. Metari agros castris. id eſt caſtrametari.

16. Implere. implebat mentem ducis, & ſatisfaciebat maximis animis Corbulonis.

19. Sic Phryges. Iaſon cum xviii. nauibus ad Troiam nauigauit comite Hercule; vicitque Laomedontem. vt verò Homerus tradit, Hercules illac nauigauit, quoniam cùm liberaſſet Heſionem filiam Laomedontis expoſitam monſtro, pater equos quos promiſerat & puellam non dabat. gubernator nauis fuit Oicleus filius Amphiarai. Miſit legatos ex littore Oicleum & Telamonem ad Laomedontem, vtrumque detruſit in carcerem Laomedon. Priamus Laomedontis filius patri conſuluit vt ſeruaret promiſſa. quod cum negaret, duos enſes attulit Telamoni; qui effracto carcere ad littus ad Herculem accurrit, iniuriamque narrauit. Exarſit bellum, occubuit Oicleus. Telamon primus muros aſcendit. propterea poſt victoriam ab Hercule coronatus eſt, & donatus Heſione puella. Quamuis, inquit Papinius, Hercules illic pugnaret, tamen Phryges etiam timebant Telamonem. ita & hoſtes non ſolum Corbulonem, ſed etiam Bolanum timebant.

19. Arma nemeaea. pellē leonis Nemeæi intelligit, qua indutus erat Hercules. ita enim emendandum cenſuerim quamuis mendosè in omnibus codicibus legatur, *Veſtita viderent arma.* nam qnod ſequitur noſtram confirmat ſententiam.

Cleonæóſque acies impelleret artus.

26. Fesso hyperione. vbi ſol eſt occiduus.

38. Albenti amictv. Puram togam intelligit, quæ initio iuuentæ dabatur. quod cum ex aliis monumentis, tum ex Ciceronis verbis agnoſcas, vbi ait ſe cogitaſſe de toga pura tradenda Ciceroni filio.

Pag. 102. v. 5. Sibi dicere legem. Sunt tibi mores qui ſciunt tibi præſcribere rectæ vitæ legem ſine monitore.

7. Confine lvxvriae. ſplendor vitæ citra fines luxuriæ. Arte luxúque carentes deliciæ.

8. Dispensata. quam pro iure ſuo vnicuique tuorum domeſticorum diſtribuis.

10. Admo-

10. ADMONVIT FORTVNA. Nam iniquis fatis mater parauerat venenum Criſpino, qua in re dedit ei veniam filius: ſed tamen eſt affecta ſupplicio ab Imperatore. Fortuna igitur aduerſa efficit vt matri tuæ veniam te dare oportuerit.

14. INFESTARE IVVAT. volo (inquit) vexare vmbram matris tuæ, & merita imprecatione pacem illi auferre.

16. FLECTENTEM IVSTIS. Qui flecteris iuſtis maternis.

19. NEC PRIMO IN LIMINE. Quiſquis deus (inquit) nos curat, & conatus ſcelerum non reprimit, videtur excitare ad ſcelus.

21. NEC POSTERA. ô vtinam non credant poſteri ſcelus maternum.

24. EXEGIT POENAS. Domitianus (inquit) ſumpſit pœnas de matre mea.

29. AMNEM IMMEMOREM. letheum, vt obliuiſcaris mater commiſſi ſceleris cuius conſcientia te cruciat.

30. SED CRESCVNT CRIMINA. interpellat laudes Criſpini. dum enim (inquit) te laudo, maius crimen matris fit. Nam quo tu præſtantior es, eo illa oſtenditur ſæuior fuiſſe quòd potuerit parare venenum.

32. FAMAE IMMERITAE. Sodalis adulterij Aecantus fuerat. & lege Iulia damnandus erat. ſed Criſpinus eum defendit magna eloquentia.

35. IVLIA LEX VIBRARET. aduerſus ſodalem Aecantum. Iulia lex reuocata à Domitiano in adulteros, de qua in commentariis Iuuenalis diximus. Lex item Iulia prohibebat munera accipi ab hoſpite. eadem ſtatuit ſupplicium in veneficos & ſicarios.

Pag. 103. v. 1. INERMIS. nondum inſtructus arte forenſi.

15. ASCANIVS. Virgilius:

At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo.

18. OGYGIO. Thebano. Varro in re ruſtica: Thebæ ante cataclyſmon Ogygis conditæ. Ogygia verò inſula eſt quam tenuit Calypſo in mari Ionio, Lacinio promontorio propinqua. Alij in Africa putant è regione Syrtium. Plinius auctor. Eam deſcribit Homerus in odyſſea. Callimachus verò reprehenditur, qui eam Gaudium putat appellari. Parthenopæum autem deſignat, quem vexaſſe metas Arcadas dixit. nam & ipſe fuit Athalantæ Arcadis filius.

Ibid. IN PVLVERE OGYGIO. circa mœnia Thebana. nam ad Thebas cum aliis ducibus pugnauit formoſiſſimus, vt ſcribit Diodorus. Papinius in Thebaide:

Pulchrior haud illi triſte ad diſcrimen ituro Frons fuit.

19. MATRES TYRIAE. Thebanæ oriundæ à Tyriis.

Ibid. TORVO LVMINE. nam capiebantur illius forma, quamuis eſſent hoſtes. *Clypeos nubigeros.* nam clypei tironum res nullas pictas habebant: ſed tantum erat æris ſpecies in eis deſignata. Virgilius de tirone:

Parmáque inglorius alba.

Vel lege, *clypeos nubigenum*, id eſt ingentes quales geſtarunt Centauri nubigenæ.

31. SAVROMATAS. de Sauromatis apud Iuuenalem diximus. de his hîc intelligit, qui ſunt inter Boryſthenem & Iſtrum qui Sarmatæ Lazyes dicuntur. conſtántque magna ex parte ex Nomadibus, id eſt more Numidarum errantibus.

32. ISTER SEPTENVS. ſeptem oſtiorum, vt antè eſt dictum. alij ſex tradiderunt; Narcuſtoma, Calliſtoma, pſeudoſtoma, Barioſtoma, Spireoſtoma. & Peucem fabulæ finxerunt nupſiſſe Iſtro, à quo alluitur inſula non procul ab oſtio Peuce.

33. AN SOLYMVM CINEREM. inemendati codices habent, *An ſolidum cinerem.* nos *Solymum* emendamus. Solymi populi Ciliciæ, de quibus antè eſt dictũ. hic Hieroſolymam intelligit captam à Tito fratre Domitiani, vbi duodecim ictibus ſagittarum totidem propugnatores confecit, adeptus victoriam die natali filiæ ſuæ. Flaccus:

Solymo migrantem puluere fratrem.

Ibid. PALMETA CAPTA. nam & palmarum arbores & balſami in primis Iudæi ſuccidebant, ne Romani potirentur: ſed populus Romanus publica cura cœpit eas arbores colere. propterea ait Papinius: *Idumes potentis ſyluas fælices.* non tibi ſed populo ſci-

pulo ſcilicet Romano.

37. Campos chalydonios. Britannicos. nam Vectius & Armeniam rexit, & Thylen, vt antè eſt dictum.

Pag. 104. v. 5. Titvlos. vides adhuc inſcriptiones rerum geſtarum & conditorum ædificiorum à patre. alterum titulum ædificiorum ſcilicet adeptus eſt armis vacantibus & in pace. pendentia verò tela ſpolia ſunt quæ de rege Britaunico ex bello hoc rapuit.

6. Vibrata. mendosè in aliis codicibus ſcriptum eſt *tributa* & *thoraca*. ſed tu lege *vibrata*: vt tu referas ad ſuperiorem verſum, *hæc tela dicauit*.

17. Qvaestvs solitos. vel ſolita lucra. nam Papinius exercitatione poëmatum victum quærebat. inde illud Iuuenalis:

Haud tamen inuideas vati, quem pulpita paſcunt.

vel ſi ego conquerat mortem Achillis recitando.

29. Cvneos. ſpectatorum.

20. Achilles. mea Achilleis.

21. Melior. amplior & ornatior.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Mira eſt poetæ in patrem mortuum pietas. nam cum aliæ Syluæ ſubitò & ex tempore (vt ipſe ait) effuſæ ſint: hanc diu elaborauit, & vix tandem inſeruit quinto volumini. Quod facilè agnoſcas carminis ſublimitate & copia rerum. nam amplior eſt quàm vt vel ſubito calore eff:ruere potuerit vel paucis diebus comprehendi. Sed quod ad Syluæ argumentum pertinet, pater ex Epiro fuit; habuit Sellas patriam. Romæ docuit poëticem. Neapoli ciuitate donatus multos erudiuit, qui poſtea ſenatoria dignitate, aut equeſtri prouincias magiſtratu regebant. à duabus præſertim rebus illũ laudat; quòd & poëtarũ loca recondita aperiret luculẽtiſſimè, & iuuenũ mentes rectè formaret ad virtutem. vmbrã autẽ paternã primò inuocat.

Pag. 105. v. 1. Malas vires: id eſt lacrymas.

5. Te sine. pertinaci menda. in omnibus codicibus reperies *Deſine*. ſed nos, *Te ſine* legendum putamus. vt dicat, ſibi fas non eſſe carmen attingere ſiue patris fauore à quo doctus fuerat.

Ibid. Coritia vmbra. id eſt Parnaſſia, nam in Parnaſſo multa loca ſunt præcipua ſanctitate veneratione digna. è quibus Coritium eſt Nympharum antrum eodem quo Cilitium nomine. Plinius præterea ita deſcribit: Thebis, quę Corſicæ cognominatæ ſunt iuxta Heliconem.

6. Ismarcis collibvs. Parnaſſiis. nam Iſmarij .i. Thraces, Muſis Helicona conſecrarunt, vt ſcribit Strabo, & repetit Pauſanias. & antea dixit de Baccho.

Illi Pangæa reſultant, Iſmaréque.

nam illic præcipuè colebatur. inde illa nata de Lycurgo Edono. vt ad id etiam hoc referre poſſis.

8. Taxvm fvnestam. nam Taxus dira eſt. In Hiſpania præcipuè venenum; & vt Sectius tradit, in Arcadia. Si quis ſub ea dormit aut cibum capit, ſtatim moritur. vnde nonnulli Taxica hinc appellata dixerunt, quæ nunc toxica dicimus. quod Plinius quoque docuit. Ait Papinius ſe ea coronatum, deiectis hederis, cum funebris ſit & mœrenti conueniat.

10. Certe ego. ſeipſum excitat & erigit demiſſum animum, inquiens, *certe ego ille ſum*.

14. Nil dvlce sonantes. inemendati codices habent *ſonantem*.

18. Svblato carmine. ceſſante Orpheo, quem alij à mulieribus Ciconum necatum dicunt: alij fulminatum ob tradita myſteria: alij mortua vxore Eurydice extinctum ad Auernum Theſprotidis. auctor Pauſanias.

23. Arati. Aratus Athenodori filius & Dolitophiles ex Sicilia. ſolus vrbem habuit patriam natalem etiam Chryſippo Stoico & Philemoni poetæ comico. Rationem aſtrorum ſcripſit carmine, quod extat.

Ibid. Extendis. exerces, amplificas.

30. Residem. ceſſantem à carmine.

33. Studiis. dedecus (inquit) eſt litterarum, quòd tribus menſibus mihi etiam cupienti carmen non ſuppeditarunt.

Pag. 106. v. 1. Molle. molliter. nam in prædio ſuo Albano patrem ſepelierat.

6. Hic ego. ita coniunge: *hic ego inferui te*. id eſt ſepeliui te in Albano.

9. Cum laude loci. nam locus ſepultura tua nobilis eſt: quod autem ſequitur, *Nam Sicanij*: per interpoſitionem legendum vſque ad

8. Decerpsit aristas. non eſſet tibi gratius ſi vrerentur odoramenta rogis tuis, quàm quòd in noſtro agro ſepultus es.

6. Sicanii. nam crocum principatum obtinet Cilicium ex Corico. alterum Lycium ex Olympo: Tertium Centuripinum ex Sicilia. nonnulli ſecundum locum Phlegræo dederunt. Strabo Siculi etiam meminit. & nos in Iuuenalem repetimus.

14. Scopulos cyclopum. in Sicilia viſebantur Cyclopum antra eximiæ magnitudinis ſeptem. fuerunt è Sicilia accerſiti à Prœto ad Tirynthem vrbẽ muniendam: appellatique ſunt γαστερόχειρες, id eſt manibus victum ventri quærentes. horum cognomina habent etiam ſpeluncæ ad Naupliam. Iidem turres primi erexerunt: vt Ariſtoteles putat. quod Theophraſtus tribuit Phœnicibus.

16. Sepulchri siculi. certamina ad tumulum Anchiſæ in Sicilia nota carmine Virgiliano.

17. Lucum nemees. ludos Iſthmicos & Nemeæos, de quibus antè diximus.

22. Laudato. cum laudes tuas proponerem canendas.

24 Praecinerem. tanquam præfica.

34. Maior aliis. id eſt iuſtior cauſa quàm alij.

36. Sed nec. ſed (inquit) nec naturæ vires mihi ſufficiunt ad lacrymas: Nec pietas ſe totam mihi conceſſit, vt eam declarem lugendo patrem.

37. Mihi. ad dolorem meum perinde eſt ac ſi mortuus eſſes in prima ætate.

Pag. 107. v. 1. Marathonia virgo. ab exemplo probat maiorem dolorẽ eſſe amittere patrem quàm filium. nam Erigone cum prouenißet ad cadauer patris Icarii, quem agreſtes interfecerant, præ dolore laqueo ſe ſuſpendit. Mæra canis interfecto domino ad Erigonem domum venerat, eámque latratu & gemitu excitauit vt ſe ſequeretur; perduxitque ad patrem puella mortua. canis quoque ſpiritu ei parentauit. Alij putant puellam ſe deieciſſe in puteum: quem Anhygrum, id eſt ſine humore appellant. Andromache verò, cuius filium Aſtyanactem Vlyxes ex turri deiecit, non modò præ dolore non ſe interfecit vt Erigone amiſſo patre: ſed etiam ad ſecundas proceſſit nuptias. nam nupſit Pyrrho Achillis filio. Maior igitur dolor Erigones quàm Andromaches fuit.

5. Te. ô Andromache.

9. Volucres tyrrhenae. Sirenes intelligit. quæ vt putat Plinius ſedem habuerunt in promontorio iuxta Surentum maris Tyrrheni. *Volucres*. ſupra.

Hinc leuis e ſcopulis in litora ad carmina Siren
Aduolat.

12. Nota nimis vati: id eſt patri. non canam, inquit, hæc fabuloſa: quoniam pater nimis hæc nouit. Erat enim doctus & poëta.

14. Silicem phrygium. dolorem. Hecubes verſæ in ſaxum. Eſt præterea lapis Phrygius, cuius meminit Plinius.

15. Buxa fisso. quis (inquit) non cecinit Palladem abieciſſe tibiam: quaſi dicat, hæc omnia fabuloſè ab aliis cantata ſunt in funeribus per comparationes vel ſimilitudines. Ego autem aliter patrem deflebo: atque ita citat pietatem & iuſtitiam & poetas; Heroicos primùm, tum lyricos & ſeptem ſapientes: deinde tragicos; demum elegos.

18. Seno pede. nam bella narrant poetæ heroici, & cædes. tu lege ſeno pede.

20. Carmen mensis. nam lyrici ad menſas ſolebant canere. quod ex Horatio facilè cognoſcas. Et Pindarus. 1. Ode olympior. Ant. 1.

ὅια παίζομεν φίλαν ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν.

id eſt

id eſt qualia nos ludimus gratam circa menſam frequenter.

21. Cyda. idem Arcas eſt appellatus, & Arcates vt ſcribunt Græci. vnde modi Cydii appellati ſunt, vt Phrygij à Phrygia: quod teſtatur Iulius Pollux. legatur igitur: Et vos(ſcilicet lyrici) quibus Cyda carmen in teſtudine Arcadia:id eſt quam reperit Mercurius Arcas.

20. Mensis. ad menſas.

21. Fvit labor et nomen: qui in eo elaboraſtis & aſſecuti eſtis nomen. vt emendes,

Cyda labor noménque fuit.

cum in aliis codicibus legatur,

Cyda libem nomenque fuit.

22. Septena fama. ſeptem ſapientes intelligit. nota hiſtoria.

23. Qvi fvrias. mendosè in aliis legitur *Quis furias*. Citat autẽ poetas tragicos.

25. Et qvis. elegos citat.ſed tantis mendis in aliis codicibus hoc carmen eſt implicitum, vix vt enarrare potuerim. nam vbi ſcribendum eſt *Et quis*, legebatur At qui, vbi *tenuare*, legebatur tenuere. vbi *Heroos*. legebatur Horoos.

Ibid. Et qvis fvit dvlce. & quibus gratum fuit.

Ibid. Tenvare. temperare.

Ibid. Vires. heroici carminis.

Ibid. Thalia lasciva. elegiaco carmine.

26. Trvncare gressv. id eſt diminuere vno pede.

Ibid. Senones versvs. ſex pedum.

Ibid. Heroos. id eſt heroicos. ſupra:

quàm nobile greſſu Extremo fraudatis opus.

vel lege *heroos tenores*, ne in *ſenones* ſyllaba repugnet. id eſt qui aufertis pedem, nec alterum verſum promittitis ſubſequi integrum.

27. Complexvs omnia animo. Vos (inquit)omnes voco ad funus patris. nam diſciplinas omnes nouerat, & omnia docebat, quibus erudita elocutio continetur.

Ibid. Omnibvs avctor. ſcilicet erat & omnia docebat. mendoſi codices habent. *Omnibus vtor.* nullo ſenſu.

34. Mvnichiae arces. in aliis omnibus codicibus mendosè ſcriptum eſt *monichiæ artes*. quod nec ſenſus nec ratio ferre poteſt;nec vlla etiã ficta fabula ſuadebit. Legatur igitur noſtra emendatione: *Munichiæ arces*. quod Athenas ſignificat. nam Munichia tumulus Athenis curuus, ingreſſum habens anguſto ore, cui ternæ ſubiacent portæ; quondam muro vallata, complectens Pireum: vnde arces Munichiæ Atticæ dictæ ſunt. Ridere libet hoc loco. nuper enim cum Ptolomæi codicem Græco exemplo emendarem ab impreſſoribus formandum, eò perueni, vbi ſcribit Munichiatis regio.quòd interpres quidam ita in Latinum verterat, conuentus quidam monichorum. Pygella præterea Ioniæ oppidum habuit Dianæ Munichiæ templum, Agamemnonis opus. Hoc ait Papinius: nec Athenis, nec Cyrene, nec Lacedæmone virum præſtantiorem vnquam natum eſſe patre ſuo. nam ex his tribus locis præſtantiſſimi viri extiterunt:& Athenis & Lacedæmone pene infiniti. Ex Cyrene Ariſtippus philoſophus: Areta eius filia, quæ ſucceſſit in ſcholam: Ariſtippus huius filius;qui appellatus Matrodidactus, id eſt doctus à matre: Anniteris, Eratoſthenes, Callimachus, Carneades, Cronus, Apollonius.

35. Sparte animosa. vbi mortem contemnebant pro patria.

36. Si tv stirpe vetvs. in aliis codicibus mendosè ſcriptum eſt *vetas*. ſed tu lege *vetus*. nam alloquitur Parthenopen: & ait, ſi tu iaceres tui generis & conditorum memoria oblitterata vetuſtate: certè vnus pater meus ciuis tuus indicabat te Græcam eſſe ciuitatem ſua Græcarum literarum eruditione.

37. Nil gentile. nil gentis tuæ Græcæ.

Ibid. Illo cive. patre docto litteris Græcis.

Pag. 108. v.1. Praecinxit tempora. coronatus eſt in tuis ludis quinquennalibus

à Parthenope.

2. STATA QVINQVENNIA. ſtata ſacrificia dicebantur quæ certis & ſtatutis diebus fierent. Cat. Sata ſacra, ſolennia ſanctè ſeruaſti: Quinquennales ludi ſtati erãt: quoniam certis & ipſi fiebant temporibus.

3. PYLII SENIS. id eſt, Neſtoris. cuius eloquentiam laudat Homerus: aitq́; ab eius ore melle dulciorem fluxiſſe orationem.

3. REGIS DVLICHII. Vlyxis. nam & Dulichio inſulæ imperauit, vt Homerus docet & Strabo. huius eloquentiam laudat Homer. aitq́ue ſimilem nymbis niuium fluxiſſe.

4. SVBNEXVS COMAM. coronatus.

Ibid. VTRAQVE SPECIE. ſuperauit (inquit) Neſtorem & Vlyxem dicendo. nam cum Neſtor grauis eſſet, Vlyxes vehemens: Neſtor mediocre genus, Vlyxes ſublime ſectaretur: pater meus vtramq́ue orationis ſpeciem temperauit & emiſcuit: indeq́ue coronabatur.

16. GRAIA. Sellæ opidum Epiri. in Epiro (inquit Plini.) Sellæ, Dryopes, Moloſſi, Graiæ. nam Sellæ eſt iuxta oraculum Dodonæum, quod à Pelaſgis Graïs conditũ eſt, vt Ephorus tradit, & Heſiodus. Pindarus Elos appellat: Homerus Selos: Philochorus Heliopiam. Apollodorus Seluntem fluuium proximum eſſe ſcribit. Velia autem, quæ eadem ratione Sellæ dici poteſt, à locis paluſtribus ita appellata, in Lucanis eſt, condita à Phocenſibus duce Harpalo. quod Antiochus, Strabo, & Gellius ſcribunt. Ibi ſubmerſus Palinurus ſepultus eſt, qui è naui Æneæ excidit. Papinius ſimilitudine hiſtoriæ Selen celebrat. nam ait magiſtrum nauis Pelaſgorum, qui Selem condiderunt, illic ſubmerſum eſſe. æmulati ſcilicet carmen Virgilij, & hiſtoriam de Velia & Palinuro.

19. MAEON. mendoſus codex habet *maior*. nos *Maeon*, legimus. quod inſequens verſus probat.

20. MAEONIDEM. Sellæ (inquit) ait te eſſe ſuum ciuem: rurſus Mæon & Mæonidæ populi te ſibi vendicant. Quid ſi legas *Chaonidem*? non enim ſatis explicata eſt hiſtoria qui ſint Mæonidæ populi. de Chaonibus notiſſima traditio. Mæones qui ſint, planè cognitum habemus. Porphyrius præterea in Homeri ſecundo Iliados ita ſcribit, ὁ Μαίων Αἱμονίδης ὁμώνυμος τῷ Λυδικῷ ἐθνικῷ Μαίων.

Ibid. PROBANT NON OMNIBVS. nam alij aliis terris aſſentiuntur.

21. ILLE VERSVS. ſcilicet verſus eſt. nam qui ſequitur verſus pro communi ſententia & prouerbio tractari ſolet: quaſi dicat, nimirum verum eſt quod dicit.

Ibid. ALIT VICTOS IMMANIS GLORIA FALSI. id eſt, qui pro re magna certant, etiam ſi vincũtur, falſa afferentes: tamen aluntur gloria quòd in re magna victi ſint. Ita multi certant vt te ciuem habeant, non putantes ſibi fore contumelioſum, ſi victi fuerint in tam præclaro certamine.

24. VIX IMPLENDA VIRIS. id eſt, quibus vix ſatisfacere poſſent viri.

25. PLEBES DVX INGENII. vt illud, *Excitat auditor ſtudium.*

26. MONSTRAVERE. te imitandum ſcilicet.

27. FREQVENS PVGNA. ex eo ſæpe deſcendebas in certamen.

Ibid. NVLLO SACRO. omni luſtro.

29. THERAPNE VIRIDES. viridi marmore nobiles, vel ſyluis virentibus.

Ibid. PLAVSERE. alij codices habent *clauſere*: ſed hoc magis conuenit victori in ludis: licet nouè dicatur *plauſere victorem.*

30. SIT PRONVM VICISSE DOMI. mendoſi codices habẽt, *Sic*. ſed nos ita caſtigauimus; vt dicat Papini⁹, nõ te pœniteat ô pater certaſſe domi & in patria. Quid enim oportuit vagari per ludos Græciæ? 31. *Nunc ramis Phœbi.* laurea ex ludis Attiacis.

Ibid. GEMINAE LERNAE. corona ex ludis Nemeæis. de quibus antè dictum eſt. ea erat ex apio.

32. PINV ATHAMANTEA. id eſt, corona ex ludis Iſthmieis: quæ ex pinu dabatur. Athamanteam dicit, quoniam Iſthmici ludi inſtituti erant pro Melicerte filio Athamantis. ex ſententia Pauſaniæ frondes abſtulit.

34. VICTO-

34. VICTORIA. totiés à te parta, ad nullum peregrinum vnquam detulit coronã.

Pag. 109. v. 2. SENEX SICVLVS. Hieron quidem Siculus de re ruſtica ſcripſit, vt auctor eſt Varro. ſed hic de Theocrito intelligit qui Syracuſanus fuit. Bœo. tamen ſcribit eum fuiſſe Smyrnæum ex Phoſſe, in ſuo genere admirabilis. Sed muſa illa ruſtica aliena eſt à foro & vrbe. tempore Ptolemæi Philadelphi. Floruit eádem ætate Callimachus, & Nicandrus. filius fuit Symichi, vt alij ſentiunt, Praxagoræ Philenæ, auditor Philtadi & Aſclepiadis; Theocritus alter Chius rhetor.

Ibid. QVA LEGE RECVRRAT. nam Pindarus & alij lyrici in canendis odis ſaltatione quoque mouebantur. cuius pars στροφὴ dicebatur, cùm à dextra ad læuam, aut ab oriente ad occidentem conuertebantur: ἀντιστροφὴ, cùm læuam ad dextram vel ab occidente ad orientem: epodus cùm vno in loco ſtantes canebant.

4. ALCMAN. Lacon fuit ex Meſſoe. vt verò Crates putat, Lydus ex Sardibus, lyricus, filius Dimantis temporibus Ardys regis Lydorum, deditus admodum amori & cantilenæ amatoriæ inuentor. primus inſtituit nõ canere verſibus hexametris, lingua Dorica auſus, vt Lacedæmonij. pediculari tandem morbo abſumptus.

3. PRECATOR VOLVCRVM. id eſt, amorum. nam cantilenas inuenit amatorias. de amoribus antea.

Volucres vetuit deſcendere natos.

OBSITVS. id eſt, obſcurus.

5. STESICHORVS. Euphemi filius, vel Euphorbi. vt alij ſcribunt Euclidis, ex mera vrbe Siciliæ, ex Ardia. Alij profugum Catanem perueniſſe aiunt: atq; illic mortuum & ſepultum. Iunior fuit Alcmane lyrico. fratrem habuit geometriæ peritum, Mamertinum, & alterum Helianactem legumlatorem. Fuit Lyricus, eius poëmata doricè ſcripta xxvj. libris. Helenæ vituperationem ſcripſit, & palinodiam. vnde amiſſos oculos reparauit, cum vituperationem in laudem vertiſſet. quod Pauſanias quoque retulit. priùs Tiſias appellabatur. *Ferox* à Papinio dicitur: quoniam bella & duces cecinit. copiáque effuſa & redundanti admodum aſſurgit. vt Homerum æmulati potuiſſe videatur auctore Fabio, ſi tempetaſſet ingenium.

I*bid.* INGRESSA SALTVS VIRILES. id eſt, carmen poeticum: quod virorum eſt.

6. NON FORMIDATA CHALCIDE. ex Chalcide fuit Euphorion poëta elegiarum. vnde Chalcidicum carmen dixit. Virgilius hunc imitatus eſt. Gallus. Sappho (inquit) non modò lyricum carmen compoſuit: ſed etiam elegiacum cauſa contendere eum laude Euphorionis. nam Sappho (quod Suidas apud Græcos ſcribit) non ſolum lyricum compoſuit, ſed etiam elegiam, vt in fine huius oprimis dictabimus in eius epiſtola. Dij boni quàm putidum eſt quod nonnulli oneraria naui ex Ægypto & Alexandria vſque detulerunt: nam quaſi alia omnia his Syluis haberetent cognita, quorum ne minimam quidem partem attigerunt vnquam, hunc locum oſtentarunt. & eum quidem deprauatum. nam expungentes vetam ſcipturã, legunt, *non formi lata Leucade*, referentes ad fabuloſam necem Sapphus ex Leucade. Sed dicant obſecro, ſit ne ingreſſa ſaltus viriles Sappho cùm ſe deiecit: an cùm per pedes poëticos & viriles incedebat. ſed plura paulo poſt.

8. CARMINA BATTIADAE. Callimachum intelligit: de quo multa ſcripſimus in Ibyn Ouidii, teſtimonio etiam Strabonis. Duo autem fuerunt Callimachi. alter Batti filius & Meſatinæ, Cyrenæus grammaticus diſcipulus Hermocratis, vxorem habuit Euphraſi, Syracuſani filiam. Huius ſororis filius iunior Callimachus alter fuit, qui verſus de inſulis ſcripſit, poemata omni genere carminis. huius libri ſupta octingentos temporibus Ptolomęi Philadelphi extabãt. literas didicit in Eleuſine vico Alexandriæ. huius libri cum alii, tum Ibys in Apollonium.

I*bid.* LYCOPHRONIS ATRI. Hic Chalcidenſis fuit Sophoclis filius, Lyco Regino adoptatus, grammaticus & poeta tragœdiarum. vnus inter ſeptem qui Pleiades cognominati ſunt. Eius tragœdiæ, Æolus, Andromeda, Alethes, Aeolides, Elphenor, Hercules, Hicete, Hippolytus. denique ſcripſit Alexandram, quæ cognominata eſt obſcurum poëma. Atrilycoprolim: in Alexandra præſertim poëmate Sophronáque implicitum. Sophron poëta minorum in ordinem non venit ab Ari-

O 3 ſtarcho

ſtarcho & Ariſtophane datum. Syracuſius fuit Agathoclis & Damnæ filius, temporibus Xerxis & Euripidis floruit. Scripſit nummos viriles, nummos muliebres. ſunt autem ſoluta oratione lingua dorica. Platonem eos ſæpe in manibus habuiſſe aiunt. aliquando etiam puluino ſubiectos.

9. CORINNAE. diximus in commẽtariis Martialis & in Ibyn:& teſtimonio etiam Pauſaniæ addes ſi placet: Corinna Achelodori & Pocratiæ filia Thebana vel Tanagrça diſcipula Myrtilis, dicta Muſca Lyrica Pindari, quinquies victrix, libros quinque ſcripſit, epigrammata, nomos lyricos. Corinna Theſpia, quam alii Corinthiam dixerunt. Corinna iunior Thebana, quæ & Muſca dicta. Corinnus ante Homerum primus Iliadem compoſuit.

Ibid. TENVIS. lyricæ.

10. 11. FERRE PAR IVGVM. idem explicabis quod ille ſcribebat.

14. IVGERA DAVNI. Rutulos intelligit qui Ardeam tenuerunt. & Silius eos appellat *Dauniam pubem*. nam Daunus fuit pater Turni, qui Rutulis imperauit.

15. DOMVS PLORATA VENERI. Lauinum intelligit, vbi erãt çdes Veneris communis nomini Latino, vt ſcribit Strabo, magna populorum celebritate plorata. nam Numicus fluuius proximus eſt, in quo Æneas filius eſt ſubmerſus, cum tribus annis imperaſſet, conſerto prçlio aduerſus Rutulos. de hoc diximus plura ex ſententia Dionyſii Halycarnaſſei in Iuuenalem.

15. 16. TELLVS NEGLECTA ALCIDAE. eum tractum Campaniæ intelligit, qui eſt inter Miſſenum & Puteolos, terra continenti. nam illac traducturus boues Hercules terram continentem neglexit, ſtructo aggere in exteriore pelago, de quo ante dictum eſt ex ſententia Strabonis & Diodori.

17. VIRGO. Mineruа: de cuius templo ad Surentum ante diximus.

21. OPERTA INCENDIA. campum totum Phlegræum intelligit. de quo lege Strabonem.

23. AD AVERNALES SCOPVLOS. ſacerdotes Plutonios deſignat, qui in Campania reſponſa dabant. Et nos ante diximus.

26. VATES NON IRRITA. quamuis decepto Phœbo. etiam ſi Phœbus deciperetur, Sibylla vera prædicebat: ita tu pater etiam ſi poëtæ malè ſcripſerant; tamen rectè docebas & emendabas.

27. MOX ET ROMVLEAM STIRPEM. non ſolum docuiſti Neapolitanos & Campanos; ſed deinceps Romanos, adeoque bonos mores tradidiſti, vt Pontifices maximi, augures, quindecim viri Sibyllini, Flamines, Luperci, ex tua manauerint diſciplina.

28. IN VESTIGIA PATRVM. ad çmulationem antiquorum.

29. DARDANIVS EXPLORATOR. pontifex maximus, qui ſacra Dardania curat ex Troia allata. nam (vt ſcribit Plutarchus) Pontifex maximus cuſtos eſt virginum Veſtalium, quæ cuſtodiunt faces & ignem perpetuum: ſeruántque palladium, quod olim ſurripuerunt Diomedes & Vlyxes ex Troia: quod Pytheas in Phyale emblemate ſculpſit, tanta çſtimatione vt duç vnciç xx. venierint. *Explorator*, explorat Pontifex an ignis Veſtalis ſeruetur à virginibus, quem extingui piaculum eſt.

Ibid. FACIS OPERTAE. in mendoſis codicibus *Oportet*. inuerſum eſt pro *opertæ*. nam fax & ignis Veſtalis cinere opertus ſeruabatur. Ante: *an tacita vigiles face Troicus ignis*.

30. PENETRALIA. id eſt, ſacra, vt Cicero interpretatur. Eſt autem periphraſis Palladii.

31. ET INDE SACRVM DIDICIT PVER. Ex tua diſciplina didicit, qui pontifex eſt, cum puer eſſet, mores ad id ſacrum neceſſarios.

33. MONSTRATIS ALIS. augures intelligit, quorum collegium honeſtiſſimum erat. Didicit probare arma monſtratis alis. & augures (inquit) à te inſtituti ſunt, qui ſciunt expeditionem mittendam probare vel retinere certis auguriis monſtratis. nam cum exibant in expeditionem Romani, conſulebantur ſæpe augures, qui id ſuadebant vel diſſuadebant. In mendoſis codicibus leges *Monſtratis aliis*. nos verò ſcribimus

ſcribimus, *monſtratis alis*, id eſt, auibus præpetibus, quæ ad augurium pertinent.

Ibid. CVI CHALCIDICVM. id eſt, inter quindecim viros, qui legunt carmen Sibyllinum. ſunt etiam diſcipuli tui, vt ita coniungas: Et formidauit tua verba, id eſt, à te doctus eſt puer olim: cui nunc fas eſt voluere carmen Chalcidicum.

34. ET CVI EST COMA LANEA PHRYGII FLAMINIS. id eſt, qui habet caput cinctum filio laneo. quod docet Varro. *Phrygij*. nam Æneas Phrygius caput operire inter ſacrificandum inſtituit. vnde mos manauit vt Flamines filo laneo caput cingerent. auctor Plutarchus.

35. VERBERA. ſcilicet ferulæ: de qua multa ſcripſimus in Iuuenalem & Martialem. Hac vapulabant pueri, cum citra vulnus maiorem inferat dolorem quàm duriora virgulta. quod Ariſtoteles fieri ait, quoniam manus non tantum dolet cum cæditur, ſed etiam cùm cædit. ferula autem melius & cædit & cæditur à manu: duplicique repercuſſu augetur dolor.

36. EX ILLO GREGE. diſcipulorum tuorum.

38. ZEVGMATE. de hoc ante dictum eſt.

Ibid. SECLVDIT. nam ibi erat cuſtodia Romanorum: qua arcebantur Perſæ & Parthi, ne impetum in fines Romanos facerent. antè: *& zeugma Latinæ pacis iter.*

Pag. 110. v. 7. ALIO CARMINE. nam docuit eum cytharam, quamuis cuperet bella.

8. TALIA DVM CELEBRAS. Capitolium primum ædificatum à Tarquinio Horatius dedicauit. id arſit bellis ciuilibus: Sylla inſtaurauit, & dedicauit Catulus. Cùm item bella ciuilia gererentur inter Veſpaſianum & Vitellianos pro imperio, Sabinus Veſpaſiani frater cum Domitiano adhuc puero in Capitolium confugit. & ne penetrarent hoſtes, conuulſas vndique ſtatuas obiecit. In ipſo aditu faces iniectæ ſunt: incertum an à propugnatoribus, an ab hoſtibus. arſitque Capitolium indefenſum, vt ſcribit Tacitus. Id facinus poſt conditam vrbem (vt idem eſt autor) luctuoſiſſimumque Romano populo accidit, nullo externo hoſte. Eo tempore docebat Romæ pater Papinij, Capitolinumque incendium carmine defleuit mira celeritate in Vitellianorum inuidiam. Veſpaſianus cepit inſtaurare: ſed eo moriente iterum incenſum eſt, quod Domitianus reſtituit.

Ibid. CIVILIS ERINNYS. furor belli ciuilis. hæc tamen dea eſt quæ bello præeſt vt Pallas. quod Pauſanias apud Homerum obſeruauit.

9. PRAELIA PHLEGRAEA. id eſt, tam impia quàm fuerunt gigantea, quæ commiſſa ſunt ad Phlægram. Erant enim in deos.

12. ROGVS DEORVM. mendoſi codices habent *ducum*. nos *deorum* legimus. nam dij Capitolini eo incendio tanquam rogo ardebant, videbanturque captiui Vitellianorum.

16. VLTOR DEORVM. qui vltus eſt vicem & iniuriam deorum profligatis Vitellianis.

17. ANNVIT. probans carmen tuum.

18. INCENDIA VESVVINA. quæ acciderunt ſub Tito volebas deſcribere.

20. CVM PATER. Vulcanus.

Ibid. MONTEM. partem Veſuuij montis ardentis: de hoc ante dictum.

22. ME QVOQVE VOCALES LVCOS. piè & ingenuè fatetur ſe quicquid ſcit à patre didiciſſe. ſed poeticè & figuratè hoc enuncians, ait cum acceſſit ad Parnaſſum, aditumque rogauit, ſe tum demum admiſſum fuiſſe, cum Statii filium profeſſus eſſet, Muſas ſibi dediſſe cognitionem rerum omnium, maris ſcilicet, terrarum, ſyderum: non tam eius gratia quàm patris nomine, quem amabant.

24. DEAE. Muſæ admiſere in poëticen & doctrinam, cum dixi me deſcendere ſtirpe tua, id eſt, me tibi filium.

Idib. MIHI. gratia mea.

25. QVANTVM OSTENDERE PARENTI. in aliis codicibus ita reperies, *quam vos debere parenti*. ſed nos ita emendauimus, cum aliter nullus eſſet ſenſus. facileque in has ſyllabas redigi poſſit, *quantum oſtendêre parenti*. Et hoc optimè conueniat, vt dicat: quic-

cat:quicquid datum cognitionis & diſciplinæ à Muſis, id non tam tribuerunt mihi quàm patri.

28. QVALIS ERAS. ô quanta lætitia affectus.

30. VOTA ET METVS: affectum ſtudioſi ſpectatoris & amantis exprimit.

31. QVALIS ET ILLE DIES. ô quàm iocundus fuit ille dies, quo te habui ſpectatorem. nullam enim vnquam maiorem gloriam ſum adeptus.

34. QVI GENVIT PATER, PLVS IPSE FECIT. id eſt, pater cum ſpectet filium pugnantem in Olympia, plus animo ferit aduerſarium filii, quàm filius cæſtibus & armis. Et cum filius cæditur, maiorem animo dolorem vulneris illius ſentit pater, quam filius corpore huius pietatis. Exemplum quoque refertur à Pauſania: cum Demilus ex Cariſto Eubœæ filium Glaucum arantem vno pugni ictu vomerem indidiſſe aratro conſpexiſſet, admiratus illius robur, eum produxit in Olympiam. vbi cum arte aduerſarii eluderetur: pater ſpectans clamauit, *τὶν ἀπ' ἀρότρου*, id eſt, vulnus ab aratro. monens filium, vt tam fortiter percuteret aduerſarium pugno, quàm olim indiderat vomerem aratro. Quod ille audiens, tanto ſurrexit robore, vt & tunc vicerit, & poſtea ſæpe. Hæc eadem in commentariis Pindari.

35. SPECTATVR ACESTES. Aceſtes ſpectabat pugnas Pallantis. hic ponitur pro patre, qui pugnas filii ſpectat, vt ille Pallantis. Spectatur (inquit) pater tam varii affectus crebriùs quàm filius qui pugnat. veluti ſpectant omnes, dum ille pater magis crebrò quàm filius excipit puluerem & obruit: nec auertit oculos vt ſpectet filium, votáque ſuſcipit ſe moriturum cum ille vicerit. Tali affectu (inquit) erat pater meus, cum me audiebat recitantem.

38. HEI MIHI QVOD TANTVM. dolet quòd viuo patre ſemel tantùm fuerit coronatus in ſacris Cereris Eleuſinæ Neapoli. nam Cereri ſolita illic celebrari ſacra antè dixit: *Tuque Actæa Ceres*, & quod non affuerit cum coronatus eſt à Domitiano in Albano, atque ea caruerit lætitia.

Ibid. PATRIAS FRONDES. coronam Neapolitanam.

Pag. 111. v. 1. CEREALIA DONA. ſerta ex ſacris Cereris vbi fui victor coronæ Chalcidicæ, id eſt, Neapolitanæ.

2. TVLI. reportaui.

Ibid. SVB TE TESTE. te viuo & ſpectante.

Ibid. QVALEM. ô quam lætum & exultantem.

3. TVLISSES SERTA PER ME. nam putaſſes coronam mihi donatã à Cæſare tuam eſſe. Antè, ad Cæſarem: *Palladio tua me manus induit auro.* Nam quod excuſat quòd in certamine Capitolino fuerit victus, quod antea faſſus eſt: *tunc cùm Capitolia noſtræ infitiata lyræ.* excuſatio eſt quòd tunc erat occupatus audiendis antiquis auctoribus & poëtis ex patre. nam doctrinam colligebat vt componeret Thebaidem ſuam: qua occupatione factum eſt vt non bene cecinerit laudes Iouis Capitolini. atque ita Thebais, cuius cauſa erat occupatus, viſa eſt inuidere Ioui Capitolino, quando non permiſit vt illius laudes benè caneret.

Ibid. DVLCE INVIDA. dulcis inuidia fuit cùm totum ſibi Thebais vẽdicaret poëtam quem non conceſſit Ioui Capitolino.

8. TE MAGISTRO. te docente.

9. VRGEBANT. impellebant occupatum ad opus.

Ibid. EXORDIA. longæ explicationis à te factæ priſcorum vatum, quos mihi exponebas.

10. STIMVLARE. ſtimulabas meum carmen. docebas enim quotidie vt Thebaidem poſſem componere.

12. LABAT CVRSVS. cum te caream, incertum eſt iter; nec poſſum progredi ad carmen.

15. TALIS. tam pius eras in vxorem quàm in me.

16. SEIVNGERE MATREM. indicium (inquit) eſt tui amoris erga vxorem, quòd ea incubat iam diu tumulo tuo; nec eam poſſum ſeiungere & abducere. Inemendati codices habent, *ſubiungere*. ſed nullus eſt ſenſus.

17. Bvstis. à tuo tumulo.

Ibid. Iam geldis. nam tribus menſibus erat ſepultus.

Ibid. Sentit te. quod antè dixit de Polla Lucani: *Ipſum ſed colit & frequentat ipſum.*

19. At pharios aliae. codices mendoſi ſcripti ſunt, *At pharios alij.* ſed nos legimus *aliæ.* vt ſenſus ſit: nulla eſt quæ poſſit contendere cum matre mea de pietate. te enim vera pietate luget, & vera eſt pietas virum defunctum lugere. aliæ verò mulieres volunt videri piæ, lugendo in ſacris Iſidis aut Cybeles. nam ſacra Iſidis luctu peragebantur, vt antè ſæpe eſt dictum.

Ibid. Colvnt pharios dolores. lugent in ſacris Iſidis Phariæ & numinis Ægyptij.

20. Et mygdonios. id eſt, Phrygios in ſacris Cybeles.

Ibid. Plorant non sva fvnera. in ſacris Iſidis deflent Oſiridem necatum qui præſentabatur in ſacris Cybeles: Atyn, qui abſcidit genitalia. quorum neuter ad eas pertinet.

23. Vbi dvlce remitti. quando volebas relaxare parumper animum.

24. Qvae. ô quanta.

26. Tristem. è nullo vulnere. nulla re aduerſa offenſam.

28. Non nimivs. nec(inquit) immaturè diſceſſiſti, nec decrepitus. nam ſexageſimum quintum annum expleueras.

32. Me similem. tam ſenem quàm tu es mortuus.

33. Leves cavsae. non vehemens morbus.

36. Explicvit. diſſoluit.

38. Gavisa ſperans eandem in ſe pietatem.

Pag. 112. v. 2. Dedisses plvra. ſi ego eſſem mortuus, tu non plus fleuiſſes quàm ego te fleui.

5. Itervm portare. quemadmodum detulerat ex Troia.

7. Vates dianae infernae. Sybilla dux Æneæ.

8. Si chelyn odrysiam. imitatio mihi videtur enthymematis Virgiliani. vbi Aeneas ita ait:

Si potuit manes arceſſere coniugis Orpheus:

Quo loco magis confirmatus ſum, vt cum in aliis omnibus codicibus legatur *ſic chelyn*, ego *ſi chelyn* ſcripſerim.

9. Cavsa minor. quàm patris. fuit enim cauſa vxoris.

10. Si Thessalicis Admetvs in oris. quandiu putas me iactatum eſſe horum duorum verſuum difficultate & mendarum fluctibus? nam vbi ſcribendum *tetra* retrò legitur. Alceſtis Peliæ filia ſe ipſam interfecit, vt vmbra ſua contenti manes Admetum virum mortuum ad ſuperos & lucem remitterent. quod Eurypides ſcribit tragœdia ab illius nomine inſcripta. Vnde Macrobius in Saturnalibus teſtimonium accipit de Didonis crine fatali diſputans. Illud præterea fabuloſum refert Euſtathius: Peliam patrem propoſuiſſe nuptias Alceſtidis, ei qui leonem & caprum coniungeret: idque Apollinem in Admeto præſtitiſſe: vt effecerit vnde vxorem meruit. Denique inconditum carmen Athenis iactabatur: quod alij Alcæi, alii Sapphus, alii Praxiles Sicyoniæ eſſe ſcribunt. cuius initium; Rem Admeti amice diſcens: Bonos ama, timidos repelle: ſciens timidorum paruam eſſe gratiam Per bonos Alceſtim vxorem deſignabat: per timidós, Admeti patrem: qui pro filio timuit mortem ſubire. Quod vxor non verita eſt. Proteſilaus à viro Dardano interfectus, vt ſcribit Homerus. quem Porphyrius proprio nomine ita appellatum ait. Palæphatus autem tradit ab Aenea interfectum. Alii ab Achate: quod Euſtathius refert. alii ab Hectore. Ab inferis impetrauit (vt etiam Euſtathius ſcribit) reditum ad ſuperos. reperitque vxorem ſtatuæ ſuæ incumbentem. Propertius:

Illic Phyllacides iucundæ coniugis heros,
Non potuit cæcis immemor eſſe locis.
Sed cupidus falſis attingere gaudia palmis,

P Theſſalis

Theſſalis antiquam venerat umbra domum.

Si(inquit Papinius) Admetus in Theſſalia vmbram Phyllaceida, id eſt, Proteſilai. nam Phyllace oppidum prope Thebas Phthioticas, regnum fuit Proteſilai. ſi inquam vnà ſecum illam reduxit: hoc eſt, ambo tedierunt ex ſylna terra & myrthea, hoc eſt propter amorem: Cur tua cithara, pater, non impetret reditum: aut certè mea aditum?

13. Lex qvaecvnqve. alludit ad illud Orphei, cui lex præſcripta eſt in reducenda vxore.

15. Taedas avferte. alludit ad illud Virgilianum, vbi ait, in veſtibulo inferorum: *Ferréique Eumenidum thalami.*

Ibid. Si lavdanda precor. per interpoſitionem legendum, id eſt, ſi pia hæc ſunt quæ rogo. perperam in aliis codicibus legitur, *Sic laudanda precor.*

17. Centavrosqve. Vir.

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaeáque monſtra. Silius:

Scylláque Centaurique truces.

Ibid. Hydraeqve graves. Vir.

Ac bellua Lernæ Horrendum ſtridens.

19. Svpremis ripis. id eſt, ad ora ripæ vt te traiiciat. inde tamen ſi es rediturus ad me, veni per eam portam, quæ mittit vera inſomnia. id eſt, corneam. alluſio ad carmen Virgilianum.

20. Vincit. veritatem.

26. Somniqve in imagine monstra, qvae solitvs. id eſt doce me per ſomnium quę ſolebas docere viuus. Nam & Numa ſic ſacra perſuaſit conſulens Egeriam, & Scipio Iouem Capitolinum alloquebatur. In mendoſis autem codicibus ita legitur, *ſomni quæ in imagine monſtrat.*

27. Qvae solitvs Nympha. Egeria. nota hiſtoria.

29. Scipio. Oppius & Iulius Hyginus ſcribunt, quod Gellius tradit, Scipionem Aphricanum ſolitum venire in Capitolium ante diluculum: & canes qui in alios ſolebant ſæuire, eo veniente quieuiſſe, eumque iubere ſolitum, vt aperiretur cella Iouis Capitolini. inde manauit hæc opinio de qua ſcribit Papinius, quòd cum Ioue loqueretur. vt etiam Sylla qui præcipuè Apollinem coluit, quòd eius numinis colloquio frui putabatur. Praxiteles ſanè ex ære Apollinem puberem fecit ſubrepenti lacertæ cominus inſidiantem. qualem puerum legimus apud Martialem:

Ad te reptanti puer inſidioſe lacertæ

Parce. cupis digitis illa perire tuis.

Hoc icelrco ſcripſi, vt ne ignores numen hoc familiare ad licentiam vſq; artificũ.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Dolore obitus paterni in vigilias ita inciderat (ſi quidem hæc Sylua ſtatim ſequitur epicedium patris) vt iam ſeptem diebus ſomnum non admiſerit. quo incommodo langueſcens ſomnum rogat vt ſe ei impartiatur.

Pag. 113. v. 3. Lampades aethaeae. ſolem intelligit orientem. Nam Æthon vnus ex equis Solis eſt.

Ibid. Paphiae. Luciferum intelligit qui præcedit Auroram, diciturque ſydus Veneris, & Phoſphorus. de quo lege Plinium.

13. Virgae. nam virgam habet, vt eſt apud Virgilium.

DOMITIVS AVGVSTINO.

Epicedium eſt in puerum quem infantem amiſit cum adoptaſſet ſimul ac natus eſt. Venio in ſuſpicionem, hoc Epicedion, & quod antè cecinit de patre, multo ante compoſita fuiſſe, & huic quinto libro mutilato vetuſtate vel confuſo fuiſſe inſerta. nam vtriuſque meminit in tertio:

Neque enim mihi flere parentem
Ignotum ſimilis geminum proiectus ad ignem.
Ille mihi tua damna dies compeſcere cantu
Suadet.

22. POST POENAM. permitto(inquit) vt narretis culpam meam, etiã poſteaquàm me affeciſtis pœna.

25. QVEM LVIMVS. perſoluimus ſupplicio noſtro.

Ibid. TANTIS MOERORIBVS. mendosè in aliis, *Tantis morientibus.*

30. ORBVS EGO. ac ſi amiſiſſem filium.

34. ET ARDENTES RESTRINXIT LACTE FAVILLAS. in aliis codicibus extat *papillas*. nos *fauillas* legimus. nam ardentes cum papillis non conuenit. Præterea loquitur de muliere, quæ filium adhuc lactentem vidit in rogo mortuum : alludénſque ad mortem quo cineres ſpargebantur vino, vt antè diximus teſtimonio Homeri & Vir. cum de infante loqueretur, ait, ſiqua mater vidit infantem filium ardere, reſtinxitque illius fauillas & cineres lacte; conferat lacrymas mecum: ego eam ſuperabo. Vel ſi quis pubeſcentem filium amiſit, & vidit crudeles flammas rogi ſerpere prima illius lanugine, adſit. nos ita legimus, *primáque iacentis Serpere crudeles prima lanugine flammas*. In aliis codici. ita mendosè ſcribitur; *Serpere crudeles prima lanugine malas.* atqui quomodo conueniunt *crudeles malæ.* præterea *ſerpunt malæ prima lanugine in rogo.* an flammæ lanugine adurentes?

Pag. 114. v. 1. ET TE NATVRA PVDEBIT. pudebit te (inquit) ô natura, quoniam ego qui non ſum natura pater huius, plus lugebo quàm ea quæ mater eſt infantis, vel qui iuuenem gemit.

3. HOC QVOQVE CVM MEDITOR. hic dictionẽ ſuggeſſimus *meditor*, quæ deſiderabatur in omnibus codicibus; in quibus ita hic verſus ſcribitur, ſpatio etiam relicto; *hoc quoque cum in Terdena luce peracta.* tu *meditor* lege. vt dicat : triginta diebus peractis, dum ego carmen tempero in funus pueri, & meditor hoc epicedium : facio verſus ex lacrymis. nam adhuc lugeo.

5. DISCORDESQVE MODOS ET SINGVLTANTIA VERBA MOLIOR. in aliis codicibus ita hic quoque verſus mutilatus ſcribitur: *diſcordéſque modo. Singultantia erſa : dolor prohibet.*

6. ATQVE IRA TACENDI IMP. & hic mutilatus in aliis codicibus ita legitur: *erſa & atque ira tacendi impatiens.* ſed nos ita emendauimus, vt dicat: Pugnant in me dolor & ira. nam alterum non ſinit me loqui: ira verò cogit erumpere in voces, vt incuſem deos. ſyllaba heptime metri defenditur. equidem maluiſſem Papinii integrũ extare carmen. quòd ſi quis hoc à nobis arroganter factum putat, aut ipſe ſi poteſt emendet melius, aut patiatur integrum legi carmen quod hiantibus pedibus & ſyllabis fatiſcebat.

22. DEFICIO. qui alios conſolatus ſum, me non poſſum (inquit) nimirum [inquit] cum domabam & coercebam dolorem veſtrorum funerum, illas lacrymas mihi ipſi reponebam.

29. VERVM ERAT. quod ſcilicet dicebatis, nullum carmen ſatis eſſe ad lacrymas reprimendas.

31. REPERIT. quod caneret dulce ſibi. Ignoſce (inquit) puer: malum & vulgare carmen compoſui in tuo funere. dolore enim obruor. atqui puto ne Orpheum quidem ipſum bene ceciniſſe cum fleuit Eurydicem: ſed emiſiſſe qualecumque potuit carmen ſibi dulce, id eſt, ad leniendum dolorem ſuum.

35. SIC. id eſt, ita inepto carmine.

Ibid. SIC BVSTA LINI. ſic Apollo in funere Lini filij cecinit qualecunque potuit carmen.

Pag. 115. v. 7. 8. PICAS AEDITVAS. æditua picas appellat, quoniam in faſtigio templorum frequenter inſidere ſolent. æditui enim dicuntur templorum cuſtodes. Ego (inquit) non habebam puerum emptum ex grege & cathaſta Ægyptiorum, qui à Mangone eruditi loquaces ſunt tanquam picæ, aut geſtibus ſimium imitantur: ſed natum apud me adoptaui. Minor nobilitas picis eſt, vt ſcribit Plinius : quia non ex longinquo veniunt. ſed expreſſior loquacitas cetero earum generi. Martialis:

Pica loquax cer a dominum te voce ſaluto.
Si me non videas, eſſe negabis auem.

 9. SIMIVM.

9. SIMIVM. Martialis primam huius nominis ſyllabam producit, & Horatius. Simij apud Nilum ſunt plurimi, ſed minores cæteris. Solinus auctor.

20. QVO SOSPITE NATOS NON CVPII. in aliis codicibus mendosè legitur, *quo ſoſpite natos concupij*. nos verò non cupij legimus; vt dicat, te ſoſpite non deſiderabam alios filios. tu enim vnus ſatis eras, & te ſolo adoptiuo eram contentus.

25. NITANTES. nitare eſt oculo & aliorum membrorum niſu conari. vnde nictus dicitur. Cæcilius: hunc tremulis palpebris percutere nictu. Plinius: nec genæ quidem omnibus. ideo nec nictationes. Papinius nitantes dixit quidem prima breui. Sinus (inquit) meus excepit genas pueri nitantes, hoc eſt palpitantes propter ſomnum quem ei accerſebam.

28. E NOSTRO VVLTV. dum ego ridebam.

Domitij Calderini Veronenſis Secretarij Apoſtolici Syluarum recognitio & interpretatio quanti laboris fuerit opus vigiliarum, bonorum iudicium eſto. Virtuti datum & poſteritati, Romæ Kalendas Sextilibus. M. CCCC. LXXV.

Græcis autoritatib. à FED. MORELLO, Profeſſore & Interprete Reg. reſtitutis. cum cenſura quarundam interpretationum.

FINIS.